


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
17 — N
41
ROMA

S. IGNATII
DE LOIOLA
SOCIETATIS IESV
FVNDATORIS
APOPHTHEGMATA
SACRA.

IHS

LVMINE AB ÆTHEREO

S. IGNATII DE LOIOLA Soc.[is] IESV FVNDATORIS

APOPHTHEGMATA SACRA.

Sive
Cælestis prudentiæ
APHORISMI
Quibus
PIE, SOBRIE, ac IVSTE
Cum Deo Nobiscū ac Proximis
Iuxta Apostolum
In hoc Sæculo vivamus
Tribus Commentariis
Ad efformandos Mores
Illustrati
à P. HADRIANO LYRÆO Antu.
eiusdem Soc.[tis] Sacerdote.

PIE

SOBRIE

IVSTE

ANTVERPIÆ, APVD IACOBVM MEVRSIVM, ANNO M. DC. LXII.



TIBI
S. P. IGNATI
MINIMÆ SOCIETATIS
MAGNO FVNDATORI.

IN Diuinis Pio: In Humanis Sobrio, ac Iusto: In Animarum salutem Prodigo: In aduersis Inuicto: In secundis Moderato: In magnis cogitandis Excelso: In suscipiendis, Strenuo: In sustinendis, Infracto: In prima Nobilitate, Modesto: In honoribus Submisso: In verbis, Considerato: In imperiis, Benigno: In corrigendo, Miti: In ignoscendo, Hilari: In consiliis, Maturo: In deliberationibus, Serio: In consolando, Exporrecto: In dubiis, Prudenti: In asperis, Forti: In adeundis periculis, Magnanimo: In occurrentibus, Intrepido: In superandis, Felici: In paupertate, Munifico: In amicitiis, Stabili: In propositis, Constanti: In congressibus, Comi: In summa, maioris Glorię Dei, Optimo semper, ac Maximo Hyperaspistæ:

TVA, DE TVIS:

APOPHTHEGMATA,

INQVAM, SACRA



His ducta Principiis, His orta Natalibus, His aucta ſubſidiis, ex Fide à me collecta, de Induſtria Commentariis illuſtrata: pro quanto in Te ſtudio, tanto de Te gaudio elaborata:

EO OMNIA, VNDE:

D. D. D. Q.



VT, ſi quid ex mente Tua aſſecutus ſim, à te potiſsimum Magiſtro profectum agnoſcam: nec meum hoc dixerim: nec velim eſſe meum, niſi Tuum ſit; cum nec ego meus quidem ſim, niſi Tuus: ſi quid verò, minus potuerim; Tibi perficiendum pius diſcipulus repræſentem:

Filiorum minimus

OPERIS AVCTOR

ADMODVM REVERENDO
AC ERVDITISSIMO DOMINO
DOMINO

ARNOLDO VLADERACQVEN

S. THEOL. LICENTIATO,
IN CELEBRI NOBILIVM VIRGINVM
ABBATIA,
FORESTI ECCLESIASTÆ,
IISDEMQVE A CONFESSIONIBVS &c.



Vandoquidem is fuerit S. Ignatius ordinis nostri auctor, & fundator, vt nihil vellet esse suum, quod nollet esse suorum; illius nos exemplo eius Axiomata, indubiè diuino afflatu infusa, ac cælestis doctrinæ præcepta cælo hausta, placuit quæ abdita fuerunt in latebris, conspicua facere omnium oculis; vt exquisita illa documenta quæ toti posteritati reliquit ad vsum, omnibus forēt ad fructum. Hunc porro librum, qui tam singularia complectitur dogmata mihi consilium fuit sub Tuo potissimum nomine in lucem proferre, qui vt Ignatio propter beneficia, ita & Ignatij sociis propter obsequia, scio te multâ necessitudine coniunctum. Hanc eam in nos voluntatem, & sincerum sine fuco affectum, suxisti pœnè cum lacte non nutricis, sed

Matris. Hæc enim Syluæducis (quod tibi fuit solum natale) nupta nobili centurioni, qui sub signis Excellentissimi Comitis Ribancourty, merebat, vt erat illa spectatissimæ vitæ matrona, nihil habuit antiquius quàm te in prætextatâ ætate totum ad normam diuinarum legum fingere, ac informare. Vt porro voti quandoque fieret compos ad ludum litterarium, sub nostrâ disciplinâ instruendum, amandauit. Necdum excesseras ex ephebis, cùm totum animum ad studia adiecisti. In hoc circo adhuc puer elementarius, simul & discebas declinare verba, & dediscebas inclinare in vitia. Sic vt in pueritia nihil in te esset puerile, præter ætatem. Exactis aliquot annis in liberalium artium studiis, morumque Christianorum culturâ, nactus iam Syluæducis siluam copiosam rerum, ac verborum, illo instructu Eloquentiæ, coloniam fecisti Coloniæ. Hic tibi, tuæque industriæ spectabile fuit theatrum, Aristotelis Lycæum. In eo enim Philosophiæ studium cœpisti, non (quod multis familiare) remissè, nec oscitanter, aut indiligenter sed totâ mentis contentione, & industriæ viribus capescere. Et cùm te non fugeret, in Academiâ, vbi est tanta morum corruptela, & in Iuuentutis ætate non minùs ludicrâ quàm lubrica, rarum esse virtutis cum Eruditione commercium, cura tua non modo prima, sed propè sola fuit, non tam ingenium imbuere scientiis, quàm animum excolere virtutibus; non nescius doctrinam dumtaxat ancillilam esse, pedissequamque Pietatis. Emensus iam feruidis rotis Philosophiæ curriculum, ad altiora studia adiecisti animum; videlicet illius scientiæ, quæ apex est omnium scientiarum, Theologiæ: vtrobique semper vsus nostrorum operâ. Et fuisse hoc pretium operæ, ipse expertus, id sæpius, non sine grati animi sensu, es protestatus. Quam porro fuerit tibi secundus in studiis successus, hinc pronum est coniicere; quòd primum Philosopiæ positiones non sine plausu propugnaueris; ac deinde qui fueras illius scientiæ discipulus, aliis eam tradideris tanquam Magister: post hæc exacto in Theologiâ septennio sub R. & Eximij P. Francisci Vanderueken & Ioannis Scuckinke, vtriusque

que è nostra Societate Magisterio, vniuersam Theologiam Præside Eximio Patre Magistro Nicolao Hanstadt ex inclyta Dominici familiâ, defendisti. Et ne minùs virtute, quàm doctrinâ instructus ex puluere scholastico in conspectum prodires, ad dies complures in solitudinem te abdidisti; tunc gubernante Coloniæ collegium, qui nunc Romæ vniuersam Societatem, Admod. R. P. Gosvvino Nickel quocum tibi magna intercessit necessitudo. In illa pietatis palæstra, non iam profanè Academicus, sed religiosè Asceticus, spiritualibus S. P. N. Ignatij exercitationibus, sub disciplinâ R. P. ac eximiæ Theologiæ Doctoris P. Habbel, vacasti: nunquam illustrior quàm in illâ vmbrâ: illic enim didicisti vmbratiles voluptates spernere, ac salutis hostes, vel fugere, vel fugare. Cùm hoc tam copioso scientiarum, iuxta ac virtutum apparatu, sacerdotio initiatus, Rheno, Mosaque traiecto, sedem fixisti Traiecti. Illic (vt eras laborum pro salute hominum, sitientissimus) non diu licuit feriari. Enimuero cùm vitæ integritate, & simul eruditione non vulgari Traiectensium perstringeres oculos, & conciliares animos, mox è multorum numero, electus es non tam alienis calculis, quàm propriis meritis, vt vicarius esses in sancti Matthiæ, Pastoris; ac deinde ipse iam Pastor in Rosmer per annos nouem, tam studiosè functus es eo munere, vt vel illo vno maximè esses omnibus commendandus nomine. Nec ab illâ tuâ diœcesi, alio fuisti progressus, sed auulsus, non sine gregis tui vberrimis lachrymis, vt qui omnibus eras in oculis, & delitiis. Tandem Traiecto euocatus Forestum vno lapide Bruxellis dissitum, in nobili nobilium Virginum, sub regulâ S. Benedicti Abbatia, earundem & vt arbiter conscientiarum, & præco verbi diuini curam susceptam, piissimè administras vt dubium sit interpretari cùm in vtraque excellas, quanam potissimum præcellas. Et hic fuit totius ætatis tuæ secundissimus cursus. Non igitur fuit nobis vel diu deliberandum, vel anxiè dubitandum cui potissimum Patrono hunc Ignatianum fœtum dedicarem, cùm tu vnus occurreres, cui hoc quasi ex iure esset debitum; qui tanto studio, cultuque

ã 5 Ignatij

Ignatij familiam prosequaris. Accipe igitur hoc exile munus, vt nostrorum omnium in te obseruantiæ pignus. Hauries inde solidæ pietatis rudimenta, quorum præsidio, poteris & Tuam,& aliorum non tantum promouere salutem, sed comparare perfectionem : quod tam firmiter spero, quàm feruenter opto Vale.

ADMODVM REV. DOMINATIONIS VESTRÆ.

Officiosissimus Cliens

HADRIANVS LYRÆVS.

COM-

CONSILIVM OPERIS
SIVE
AVCTORIS INSTITVTVM.



Vod cælestis ille Talthybius, ac Vatum sacrorum Lucifer, Isaias, æterni Patris personam sustinens, de Iustorum omnium Coryphæo Messia, olim in terris nasciturò, præsagus cecinit:
In scientia sua iustificabit Iustus seruus meus multos: *Id ego cum bona illius gratiâ de Iusto Patre meo Ignatio, viro tum sanctitatis gloriâ, tum singularis prudentiæ laudibus conspicuo non temerè pronuntiâro: & eò quidem, vt mea fert opinio, securiùs, quò hic certiùs, omne, quodcunque demum vel ageret, vel loqueretur, vni Christo sciens, volensque semper tulerit acceptum, semper uerit oblatum semper voluerit esse dedicatum: vnde & illi dictum esse, non vanè nobis liceat augurari, quod olim alteri Deus, cælesti oraculo insinuauit:* Ecce dedi verba mea in ore tuo, & vniuersa quæcunque mandauero tibi, loqueris, vt euellas, & destruas, ædifices, & plantes: ne timeas, à facie eorum, quia tecum ego sum. *Quod dum prudens exsequitur Ignatius, distillantibus labiis eius myrrham primam, dispertiit ei Dominus plurimos, quibus idonea, atque grauissima suorum energia verborum,* factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

S. Ignatius in scientiâ sua iustificauit multos.

Isaiæ 53. 11.

Ieremiæ 1.8.9.

Heb. 5.9.

Verba eius plena salutis.

Et multa ille quidem eiusmodi verba aurea, ac diuinæ sapientiæ, & sanctitatis plenissima fecisse dicendus est, quibus tot, tantique de vitiis ducti triumphi, tot virtutum adoreæ comparatæ, vt iis recensendis difficilè sit finem inuenire.

Posuerat siquidem æterna Sapientia in ore eius Verba sua, quorum editi aliquando pleni dignitatis soni, necdum obmutuerunt, sed ex libris, quibus ea, Deo dante, inserta sunt, velut plano ac sonoro quodam corpore repercussa, ad hanc ipsam diem nostris auribus non desinunt insonare; quibus si aduersaria ista adiungas, quæ ex ore loquentis in familiaribus colloquiis selecta, vim nobis verborum eius in hanc vsque horam ambiunt aperire, nihil sanè ad perfectam virtutum nobis defuerit disciplinam.

Et ad libros quidem eius quod attinet primus est, quem anno post conuersionem suam nondum euoluto, adhuc grammatices ignarus, de SS. Trinitate elimauit, octoginta ferè foliorum, in quo admirandum illud mysterium, quoquo potuit stylo magna atque insolita similitudinum; atque verborum varietate, & copia sic expressit, vt cuncti, quibuscum hac ipsa de re agebat, obstupescerent, ac Dei amore inflammarentur.

Librum de SS. Trinitate cõscribit Ignatius

Alter eiusdem liber, Codex Exercitiorum spiritualiũ. *Alter ab illo etiam tum literarum ignaro, scriptus est, Deo ipse reuelante, ac beatißimâ Virgine Mariâ docente, vt olim P. Euerardus Mercurianus, id se ex ore P. Iacobi Laynes audiuisse testatus est, Spiritualium Exercitiorum Codex, in quo mirâ planè sapientiâ ac methodo, præter alia multa salutaria monita, varios orandi, ac contemplandi modos, ad rectam morum institutionem atque in virtutibus progressum, accommodatos præscribit, & rationem tradit prauos animi affectus compescendi, boni ac mali spiritus motiones discernendi, certum vitæ statum eligendi, electum ad normam diuinæ voluntatis dirigendi, scrupulos abigendi, atque alia similia sexcenta: & de hoc quidem libro ita scribit Reuerendißimus & Perillustris D. Ioannes Petrus Camus Princeps & Episcopus Bellicensis, Directionis suæ spiritualis c. 19. Liber hic totus, inquiens aureus, totus aurum, imò pretiosior est opibus, & gazis vniuersi orbis: omnia quæ desiderari possunt, huic non valent comparari. Ex illo me fateor ingenuè hausisse hoc quidquid luminis, & spiritualis peritiæ assecutus sum. O! liber diuine! singulari supremi Numinis inspiratione composite, nunquam satis laudate, aut laudande: tu simplice licet, planoque sub cortice, subtilissimam cedrorum Libani medullam includis, manna absconditum, granum Euangelicæ Synapis asseruas. Verè arbor es, quæ ramos tuos, & palmites per vniuersum terrarum orbem expandis. Mole paruus es, grandis tamen virtute: certè non nisi succus es, & quinta quædam, vt aiunt, essentia, distillata in grandi illo cerebro, velut aurea quadam cucumella spiritualis istius gigantis (sic namque magnus ille Bæticæ ecclesiastes, Ioannes Auila beatum hunc hominem appellare consueuerat:) In hoc libello semen est non solum tam excellentis Societatis, quàm ipse instituit, cuius grande atque eximium corpus, spiritu illius, paucis istic foliis comprehenso, animatum est: sed millenis insuper, millenisque aliis quibus datum est eum degustare, vitæ melioris initium ac mortis sacræ compendium dedit: dicent hi, nec sanè poterunt tacuisse, esse te fermentum illud salutare, quo nostra bonorum desideriorum massa assurgat: punctum Archimedis, quo terræ globus eleuari queat, terrestria inquam corda in cælum subleuari.*

Hæc ille, & verissimè quidem de libro Spiritualium exercitiorum quem S. Ignatius non tam ex libris, quàm ex vnctione Spiritus sancti composuit: sicut enim Deus illi perfectam Societatis Ideam, tam quoad externum regimen, quàm quoad internam virtutum formam, tamquam fundatori & primo capiti inspirauit; ita etiam methodum orandi, conuersandi &c. ex qua spiritualis illa fabrica maiore ex parte dependet, quam filiis proponeret ostendit. Sed quid tam sanctum atque diuinum, quod vel impietas non damnet, vel temeritas non carpat? Incredibile dictu est, quàm furiosè libellum hunc inuaserint hæretici, quàm diuinum opusculum catholici quidam male feriati aut in crimen, aut in contemptum vocare conati sunt: quibus diuina bonitas in Lusitania Cardinalem Henricum, in Hispania Doctorem Costam & Bartholomæum Torres Episcopos, Franciscum Bergiam Gandiensium Ducem, ac tandem

tandem Paulum III. Pontificem maximum, qui illum Apostolicâ auctoritate comprobauit, in hyperaspistas exciuit. Et hunc quidem librum posteà doctissimis suis notis, ac commentariis explanârunt P. Claudius Aquauiua, quintus Societatis Præpositus Generalis, P. Antonius Gaudier, P. Ludouicus Palma, aliique.

Tertius liber est Sacrarum Constitutionum in decem partes diuisus, cæteris omnibus longè maior, qui hæreticorum etiam iudicio, in quorum manus non rarò incidit, si fidei dogmata, & ecclesiasticas ceremonias demas, admirandus & omni humanâ prudentiâ maior, ideamque perfectissimæ, ac numeris omnibus absolutæ reipublicæ continens, æstimatur, & à sanctissimis viris, simul ac doctissimis, mirè, ob diuinam planè in eo sapientiam reconditã, totiusq; Christianæ ac religiosæ perfectionis plenissimã doctrinã, summè suspicitur ideòque meritò ab aliquot summis Pontificibus approbatus est: quem dum Ignatius conscriberet, Spiritus sanctus tùm alio modo, tùm, vti olim Apostolis, in flamma ignis sæpè ei apparuit: sæpissimè etiam non internis tantum mentis eius auribus, sed externis quoque cælestis musicæ concentus suauissimos ingessit, quorum ineffabili harmoniâ totus dissoluebatur in lachrymas ac cælesti lumine amoreque efferuescebat, vt Nicolaus Lancicius auctor est; Vnde quid de hoc libro tot diuinis significationibus edito, tot præuiis luminibus, precationibus, ac lachrymis conscripto sentiendum sit, sole clarius, patet, vt eius induat spiritum ac sanctitatem, necesse sit, qui eum cum fructu legere, aut cum iudicio exponere velit. Quapropter oportuit, vt ipse, qui illum condidit ac conscripsit, eundem raro quidem exemplo nobis explanârit. *Tertius eiusdē liber Constitutiones Societatis.*

Quartus cedro dignas eius continet epistolas, quas tum sale sapientiæ inprimis consperfit, tum gratissima virtutum omnium conditura sic imbuit, vt alio nullo enbammate opus esse videatur, ad dulcem elaborandum legentibus saporem, præter igneam quandam orexin, atque incorruptum gustatum; Et primas quidem hîc obtinet illa, quam ad omnes communiter socios Lusitanos de obedientia scripsit: qua disputatione non facilè absolutius in eo genere quicquam, subtiliusque reperias: qua deinde per cæteras Societatis missa Prouincias, vehementer omnibus ad parendum alacritatem ingessit atque etiamnum quot mensibus vbique prælecta, idem in singulis efficere non prætermittit. Nec aliæ minus graues sunt ac præclaræ, qualis illa quam ex vrbe ad socios Conimbricensis dedit, tota ponderosa, plenaque sapientiæ de studio Perfectionis, docens quàm ad excelsum vitæ genus vocati essent, quot haberent præsidia, quàm timenda remissio quàm nimia quoque contentio obsequij gubernaculo temperanda qua in re dum scientia expolirentur, & ad animas deinde iuuandas instruerentur, elaborare præsertim deberent, quaque via interim proximorum commodis inseruire. Quibus litteris Collegium illud, vti profecit semper, ita hodieque meritò gloriatur. *Quartus eiusdē liber continet Epistolas ad varios cōscriptas.*

His appositè, congruenterque iunxeris eas, quas ad Emmanuelem Minam Sacerdotem grauissimum Venetiis dedit, exponens quid de exercitationibus *Epistola S. Ignatij ad Em. Minā*

bus

bus Spiritus sentiret. Neque obiter ea legenda sunt, quas ad Patres vniuersi conuentus, Romæ congregatos dedit, animi ac corporis sui, vti affirmabat, imbecillitatibus incitatus, senecta insuper accedente impulsus, quæ suo quasi iure vocationem muneris postularet, vt à Societatis gubernaculis, quæ per-inuitus acceperat, omninò posset recedere: epistola sanè quæ magnos animorum motus in Præsidibus ciere nata est, & sancti viri modestiam, animique submissionem testatur.

Alia ad Congregationem generalem.

Alia.

Considerandæ quoque se offerunt hîc, tum ea, quam ad Preteiannem Abassinorum Regem scripsit, de Catholica religione, quamque ad Ferdinandum Romanorum Regem dedit, ne honores, ac dignitates in Societatem inferret. Prætereo reliquas, numero, ac materia æstimandas, vnum id dixisse sufficiat, ex iis, quas hactenus attigimus satis superque colligi posse, quid de aliis debeat iudicari.

Sacra Apophthegmata legitimus Ignatij partus.

Sed de his libris, in quibus nos hodieque Ignatius alloqui, atque in vlteriora prolicere non cessat, iustis calamis alij decertârint, ego ad selecta eius Apophthegmata, tùm quæ variis in locis sparsa sunt, in fasciculum vnum colligenda, tùm verò iam collecta Commentario meo exegetico explananda, oculos, animumque conieci: quibus Iustus noster, ac dignus Deo seruus Ignatius, dum inter nos degeret, viam nobis virtutis ostendit, ac contra vniuersos hostium impetus obarmauit, vt ei non incongruè adaptari queant modesta
Iob 29.21. *illa Hussitarum Principis Iobi de se prolata iudicia*: qui me audiebant exſpectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum: verbis meis nihil addere audebant, & ſuper illis ſtillabat eloquium meum. Exſpectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum. *Ita ex ore eius pendebant socij, & verba eius attentè audiebant suæ ætatis homines, vt nullum sine obseruatione præterirent. Quod sanè si de Ignatio dixerim, non aberraro. Vnus mihi testis è millibus sit idoneus ille ac grauis, Serenissimus Lusitaniæ Rex Ioannes, eius nominis tertius, apud quem omnia Ignatij verba tantum ponderis & honoris inuenisse legimus, vt non ab homine profecta, sed delapsa cælitus esse viderentur. Vnde factum, vt Ludouico Consaluio sub annum* M. D. LIII *Romam proficiscenti dederit in mandatis, vt seriò, attenteque omnia Ignatij dicta curiosè obseruaret, deque singulis postmodum ad se diligenter perscriberet, quod & ille præstitit ex fide, & materiam nobis vberem, vnà cum multis aliis reliquit. Lusitano Regi clientem suum ac subditum, in præclarissima hac, grauissimaque causa, si iunxerim, nihil vt spero, in Maiestatem peccaro. Erit ille Ludouicus Montoya Augustiniana familiæ ea ætate rarum lumen: regressus hic Roma vbi cum Ignatio egerat, in Lusitaniam, nullas se dixit pretiosiores, sibique fructuosiores reliquias ex vrbe deportasse, quam quod conspectu & alloquiis Ignatij fruitus esset, & quod de tanti viri cælesti sapientia hausisset, altè cambibitum retineret, nulli non sine inuidia communicandum.*

Rex Lusitaniæ dicta Ignatij magni fecit.

S. Ludouici Montoya de Ignatij sapientia iudicium.

Quid Apophthegma.

De sacris his, grauissimisque dictis more maiorum scribere constitui, & Apophthegmata

pophthegmata quidem vocare placuit, cuius hæc breuis, nec tamen obscura esse poterit ratio. Ἀπόφθεγμα, *dictum sonat sententiosum, & breue, à verbo descendens* ἀποφθέγγομαι *eloquor, sententiosè dico. Sic Diogenes Laërtius Thaletis effata solitus compellare Apophthegmata. Horum naturam vt intelligamus, sciendum est, magnam inter Apophthegmata & Adagia intercedere affinitatem: cum enim Adagium, siue prouerbium, quod græcè parœmia dicitur, teste Varrone, quasi circumagium sit, & celebre dictum, scita quapiam nouitate insigne, per ora hominum obambulans, nulli dubium est, quin Apophthegma, cùm sit celebre quoque dictum, scita quadam nouitate præcellens, licèt non vulgo iactatum, nec passim per ora hominum obambulet, vt Adagium; ab eo non multum possit distingui; quamuis non malè consultum foret hominum vitæ, si magis trita forent illa celebria dicta, Apophthegmata appellata; bene namque ac sapienter dicendo, tandem homines bene agerent, & reapse fierent sapientiores: vnde colligitur Apophthegmata ad omnia ea vtilia ferè esse, ad quæ sunt Adagia, & vbi aliquid inter illa fortasse desideratur, id ab Adagiis facile posse mutuari, in quibus breuitas simul adest, sententia, & quod scitè dici potest: scitum autem appellatur, quod virtute pariter, & eruditione commendari solet.*

Quodnam inter Apophthegmata, & Adagia discrimen.

Traditâ sic Apophthegmatum definitione, & similitudine, atque ab Adagiis differentiâ, restat quid illis proprium sit, inquirendum: neque factu difficile id erit, vbi quorsum eorum cognitio vergat, quidue progignere soleat, fuerimus assecuti.

Et primò quidem conducere solet tum ad alia multa, tum potissimum ad vtriusque tam sacræ quàm profanæ Philosophiæ scientiam comparandam, quoniam eiusmodi dictis, quidquid est Philosophiæ, sacræque scientiæ atque sapientiæ tradi in confesso est, sobrietatem enim & prudentiam docent, & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est hominibus: *vnde ea lumina in animis nostris accenduntur, quibus admirandum in modum homo collustratur.*

Quorsum vergant Apophthegmata.

Sapient. 8. 7.

Secundò breuibus his ac succulentis sententiis, ea compendio traduntur, quibus alioquin comparandis, multorum annorum curricula nequierint suffecisse.

Tertiò, ac postremò, cum verbis paucioribus constent, nec memoriam grauant, nec mentem variis ambagibus implicant, sed dum in aciem ac cuspidem emicant, certius rei summam attingunt.

Atque hæc antiquissima illa, præcipuaque caussa fuit, quæ grauissimorum hominum studia impulit, ad ea litteris consignanda, notis ac scholiis illustranda, vtpote quæ non à quibuslibet, sed viris duntaxat claris, magisque in scientia, ac religione insignibus doctè ac sapienter ad communem vtilitatem produisse ferebantur, qualia, teste Cicerone lib. I. de officiis, fuêre, quæ à sene Catone collecta sunt & Apophthegmata vocantur.

Cato colligit Apophthegmata sapientum.

Xenophon quoque, is, inquam, quem Græci non abs re Musam Atticam

Xenophon Socraticus.

vocabant,

vocabant, dictorum Socratis commentarios edidit, quidquid à sapientissimo viro dictum esset, memoriâ ac celebratione dignissimum arbitratus.

Plutarchus Regum & Impp. Hos exinde secutè Plutarchus Charonensis Philosophus, qui floruit sub Traiano Imperatore, cui etiam libros Apophthegmatum, Regum & Imperatorum, quos edidit, inscripsit, vir sanè eruditissimus & multiinga eruditione mirabilis, ac fœcundus. Diogenes quoque Laërtius, Ioannes Stobæus, Antonius Melissa, Dominicus Nanus Mirabellius. Nicolaus Liburnicus. Ianus Gruterus Andreas Eboracensis. Ioannes Lopesius. Conradus Licosthenes. Baptista Fulgosus. Gilbertus Cognatus, Æneas Sylvius dicta Principum Germanicorum & aliarum nationum collegit. Idem insignia dicta Alphonsi Regis Hisp. & Neapolit, vti & Pandulphus Collenutius, Antonius Panormita, Iouinian. Pontanus, Thomas Fazellus, aliique fecerunt. *Alij.*

Nec hi soli, quibus profanæ Philologiæ lepor, ac decus cordi erant, iis animum appulerunt, sed & isti quam maximè, quos sacra illa Theosophia dux vitæ, indagatrix virtutum, ac vitiorum expultrix dudum exercuit, & expoliuit: cuiusmodi recensentur S. Ephrem Syrus, Ecclesiæ Euphrates à S. Gregorio Nysseno appellatus, qui SS. PP. Apophthegmata collegit, vt ea in fine secundi tomi operum illius leguntur, scholiis & annotationibus Gerardi Vossij Burchlonij illustrata. *S. Ephrem Apophthegmata S. Patrum collegit.*

Pelagius SS. Anachoretarū Pelagius S.R.E. Diaconus Sanctorum nobis Anachoretarum Ægyptiorum Apophthegmata collegit, & interpretatus est.

Bibliotheca SS. PP. tomo septimo Esaiæ Abbatis Apophthegmata in vnum corpus collecta recenset. Arsenius Archiepiscopus Mouembasiæ, Laurentius Beyerlinck Ecclesiæ Antuerpiensis Canonicus Apophthegmata Christianorum Maximilianus Marci Apophthegmata sacra. Lucas VVaddingus nobilis Minorum Ordinis historiographus S. Patris sui Francisci Apophthegmata collegit & illustrauit. P. Ildephonsus de Andrade Societatis Iesu Theologus sacra Apophthegmata S. Teresiæ de Iesu insto volumine explicauit: Eadem vertit Sinicè P. Iacobus Rho Mediolanensis ex Societate Iesu, libroque nomen dedit Xing Kipe Ten.

Iacobus Couruoisier ex ordine Minimorum Apophthegmata edidit Fundatorum illustrium ordinum Religiosorum, inter quæ & nonnulla S. Ignatij recenset, & explanat.

Mens & consilium Auctoris. Quorum ego consilia, vt semper probaui, ita & eorundem vestigiis insistens, non vani quidem alicuius Philosophi, vel superbi Megistanis Apophthegmata, neque fanatica cuiuspiam sectæ aut disciplinæ, siue ea Stoica, siue Academica, siue Peripatetica, siue Epicuræa fuerit, discrepantia dogmata, neque etiam nostrorum hominum vndm vitæ rationem, viamque sequentium incerta axiomata interpretanda suscepi, sed viri cuiusdam sanctissimi, ac longè prudentissimi, Ignatij sc. de Loiola, quem diuina prouidentia anteriore sæculo Societati Iesu Fundatorem, Christianis moribus Magistrum dedit, tum digna genere sapientum, tum reipublicæ Christianæ saluberrima Scita inter-

interpretanda, exornandaque selegi: non quidem omnia, quæ maiori fortassis studio colligi potuissent, sed quæ mihi occupationibus assiduarum Concionum distento inter subcisiua studia speciatim occurrerunt. Existimabam enim istud non ad Ignatij tantum vnius commendationem facturum, sed ad lectorum quoque omnium vtilitatem, quam ipse viuus semper spectârat. Vnde Apophthegmata non tàm rear sancti esse Ignatij, aut studio eius præmeditata, quàm diuinitus eidem inspiratà, quod de Moyse S. olim Augustinus pronuntiauit. Moyses, *inquiens*, nequaquam secutus est aliorum rationes, sicut illi fecerunt antiqui sed Dei voce perdoctus, Theologiam nobis conscripsit. *Non enim flos hic redolet sæcularis, sed spiritus & vita lucet cælestis, cùm enim sint legitimi partus intellectùs eius à Deo illustrati, & velut affectuum quidam Beniamini, qui tamen possint cùm primogenito comparari, nemo præfatam eis laudem abiudicârit.* Lectione namque assiduà, & meditatione diuturnâ diuini Spiritus gratiâ adsistente, *vt ait* S. Hieronymus pectus suum sacram fecerat Bibliothecam vnde quæ istinc aliquando emanârint & cedro digna & piorum, doctorumque hominum auribus meritò occinenda censeantur.

At temerarius fortassis audiam, & in tanto opere suscipiendo audacior quòd meæ non nescius imbecillitatis, hoc onus aggrediar, quòd vires meæ ferre recusent. Ita est fateor: sed quid? erône ergo in sæculum hoc nostrum, aut in hunc, qui sæculum sua gloria exornat ingratus? Sanè si in altero de duobus peccandum sit, præstiterit vtique audacis & confidentis, quàm ingrati & socordis nomen induisse. Fors erit aliquando, quem conatus hic meus ad maius aliquod, perfectiusque elucubrandum feliciter incitabit. Intereà quæ nactus fuero, pauca illa è multis, eâ saltem fide, & perspicuitate Lectori admetiar, quam & rei dignitas, & legentis pietas, & mea in S. Patrem obseruantia postulârint.

Nullum autem loci aut temporis ordinem seruabò, neque enim historiam scribo, sed ea duntaxat; quæ ad virtutum exempla & Sapientiæ documenta spectare videbuntur, qui illis maximè in promptu sint, qui de Ignatio loqui, aut eum voluerint imitari.

Verùm, cum hæc omnia ad nauseabundum huius æui stomachum factura parum subuereàr, nisi ex bonorum mòrum legibus, institutisque, veluti quodam liquato embammate superfundantur, atque ità debili multorum hominum gustatui arrideant, hanc mensam structore S. Bernardo sic adornabo, vt tres missus, nec plures, nec pauciores inferam, ità namque melleus ille distendi artifex, Dei ac Saluatoris nostri cupedias, gratiam scilicet, ac benignitatem eius interpretans sobriè non voluit, Iustè, ac Piè viuere in hoc sæculo, tum Deo sc. nobiscum, ac proximis agendo, conuersando, loquendo vbi vbi iuxta sanctissimum ac prudentissimum Ignatij sensum ac mentem. *Quæ Methodus ac ratio hic obseruanda.*

Primus

Primus itaque missus ea complectetur Apopthegmata, quæ Deum reapse contingunt, siue id fiat respectu eius ad nos, siue comparatione nostri ad illum.

Secundus ea continebit quæ ad nos ipsos proprius spectant.

Tertius denique proponet ea, quæ alterum hominem, siuè proximum nostrum, quocum nobis viuendum est, concernunt.

Atque huic denique modo normæque insistens, priusquam destinato operi manum adiiciam, habitatorem illius inuoco Spiritum sanctum, vt qui illi sapientiam hanc largitus est, mihi ad eam enarrandam, sermonem tribuat, vt dicta factis exæquentur, quoniam ipse Sapientiæ Dux est, & sapientum emendator, in manu enim illius & nos & sermones nostri & omnis sapientia & operum scientia & disciplina. Sap. 7. 16.



ANTE-

ANTELOQVIVM

QVIS, AC QVALIS VERBO, ET SERMONE FVERIT

IGNATIVS?

*Anctos nosse, Amare est: diligere verò, imitari est. Fuit Ignatius de Loiola, patria Cantaber, stirpe nobilis, de qua impræsentiarum dicere nihil attinet, cum in eius laudibus vel minima pars sit, quæ à maiorum stemmate deriuatur. Ferdinandi Regia adolescentem educauit, deinde militaris Gloriæ sitientem bellicis laboribus implicuit.* Peritia vitæ atque gestorum S. Ignatij. Natales.

Naturæ dotibus, & corporis constitutione cum valeret, firmiorem ætatem ad trigesimum vsque annum inter arma transegit. Donec ad Pompeiopolin: (clarum Nomen à Conditore, à defensore præclarius) quam pro Rege Catholico defendebat, ex muralis machinæ globo dissilientibus fragmentis grauiter in tibia læsus, è felici vulnere, sibi atque innumeris aliis medicinam hausit, ac vitam tulit, ad noua bella, quæ Dominus elegerat, mox transferendus. Quippe vulnus, quo læsus erat, animi vitiis, vulneribus vtique longè grauioribus pro remedio fuit, &, vt hostibus de arce; ita Ignatio de seipso pulchrioris victoriæ initium fecit. Ex eo itaque decumbenti Petrus Apostolorum Princeps, cuius in clientela vixerat, ægroto adfuit, tulitq; sanitatem, quam breui integram recuperauit. Dum conualescit, horas vt falleret, sibi librum dari iussit, è prophanis aliquem equestrium facinorum heroicas fabulas complectentem; cùm fortè longè sanctioris argumenti, qui solus ad manum erat, Christi, ac Sanctorum vitas enarrantem accipit, peruolutat, adamare incipit, æmulari gestit, iamque sui dissimilis, vana, & præterita damnans, sectari perfecta decernit. Studia. Conuersio.

Magnis rerum mutationibus portenta præcurrere solent, nec minus huic applauserunt. Vix terrenas curas abiicere statuerat Ignatius, cùm terra contemptorem suum venerata contremuit, & iacentis cubiculum, non surda agitatione concussit. Adfuit mox superûm Regina, nouum athletam inuisere dignata, filiumque maternis brachiis insidentem ostendere, vnicum secuturi cursus incitamentum solatium & coronam.

Patuit euidenter, cùm non ita multo post in monte Serrato gladium, & pugionem, prophani Martis exuuias magnæ Matri dedicauit, exinde in pœnitentiæ castris alteri Duci meriturus. Inter quæ, lucem illam diuinitus hausit, qua aureum suum spiritualium Exercitiorum librum, stupendum istud nobi-

lioris Theosophiæ breuiarium, conscripsit, quo per gradus suos viam penitus ad altissimum sanctitatis fastigium strauit. Ex hoc libro Sociorum orta adlectio, ipsius Societatis, ad quam fundandam diuinitus vocabatur, constitutio promanauit.

Nihil itaque paruum, nil mediocre iam moliens Ignatius, quamuis magno ad id præsidio, quod litterarum erat, in primis destitueretur: consilio itaque planè memorabili homo trium ac triginta annorum, Grammaticam, inter pueros discere aggressus est, non minus interim alienæ salutis, quam litterarum studiosus Barcinone, Compluti, Salamanticæ, ac demum Parisiis, vbi socios sibi adiunxit nouem, quorum plerosque verbo virtutis suæ, deinde ipsa virtute, verbis pondus faciente sibi adeò deuinxit, vt magna quadam inter se voluntatum, consiliorumque similitudine, in spem maximi cuiusdam operis, quod illis, eius adhuc consilij ignaris, per ipsos tamen moliebatur Deus, omnes conspirârint; ac demum optimo perfecerint successu: noua Societatis Institutum ex supremæ Maiestatis Cathedra Paullo III. Pontifice maximo approbante, Concilio autem Oecumenico Tridentino idem prolixè collaudante. Cum ecce concors omnium sententia ipso solo dissentiente nouo ordini Ducem Ignatium præfecit, Lucernam, inquam, quam super candelabrum posuit, vt luceret omnibus, tam qui in domo essent, quam extra illam, ad quos tantus virtutum eius splendor atque præstantia, breui temporis interuallo, penetrauit vt vulgo Sancti nomine appellaretur.

Litteris operam nauat.

Societatis nascentis Institutio

Ignatius nouo ordini præponitur Generalis.

Tanta videlicet ei in renocandis ad bonam frugem proximis inerat sollicitudo, vt vel impudicis illis mulierculis, quæ diuino instinctu cuperent aliquando se ex impura illa flagitiorum voragine in portum salutis recipere, D. Marthæ cœnobium extrui, piorum eleëmosynis, curârit, quo & ipse, vir id ætatis, & Generalis præpositus, vrbe Româ inspectante, non rarò eas ducebat: cùm verò ipsi obijceretur in curandis huiusmodi fœminis, malè operam poni, quippe quæ facilè ad vomitum reuerterentur: minimè sanè inquiebat, vel vnam siquidem noctem peccato vacuam impetrasse, magnum operæ pretium æstimârim: Nec deerant religiosi dulcesque sensus, assiduè aduersus Deum pietatis indices, qui in ore eius atque oculis promicabant, vt immodica lachrymarum effusio eum propemodum illis orbarit. Tanta adhæc cibi accedebat parsimonia, vt sæpius nimiâ inediâ, tantum non animam agens inuentus sit.

Zelus animarum.

Virtutes.

Tam aspera sui coërcitio, omnisque oblectamenti fuga, vt cineres opsoniis inspergeret, lachrymas potiori.

Tam augusta totius oris & corporis dignitas, vt vix in eius vultum intendi ac defigi intuitus posset.

Tanta prudentia, vt eo inconsulto Ferdinandus Imperator, nullum suum cum Romano Pontifice negotium suscipi, gerique pateretur.

Tanta authoritas, vt Paulus IV. eum colloquij gratia sibi ad genua supplicater

pliciter accedentem & surgere iuberet, & galero tegi.

Tanta animi demissio, vt sceleratissimorum hominum, quibuscum vnquam egisset, scelestissimum se, ac probrosissimum dictitaret.

Tam generosa denique caducarum rerum despicientia, vt se, suosque concepto voto de dignitatibus cuiusque modi, neque ambiendis, neque admittendis obstrinxerit, & sæpius de abdicando supremi sui generalis præpositi Magistratu, cum Patribus consultârit.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Verbo potens & opere: quo fiebat, vt ab ore eius vitia diffugerent, ac læto virtutum germine Ecclesiæ noualia redundarent.

Et tenuit sacra hæc beati Viri industria annos omnino viginti à prima sociorum adlectione, quæ sub annum 1534. *in monte Martyrum votis primum coalita fuit, vsque ad Pontificiam confirmationem quatuor. Ab hac autem qua Romæ an.* 1540. *obtenta est, vsque ad beatum eius in cælos transitum, sexdecim: quibus id vnum è multis, etiam Pontificio accedente oraculo, felicissimè est consecutus, vt inter omnes, quorum operâ in instituendis SS. Ordinibus, diuina Sapientia vsa est, nemo dum viueret, tantam familiæ suæ, quantam ille, viderit dilatationem: verè potens verbo, & opere.*

Quare, dixerit aliquando Nazaræus ille Oblias, Si inquam, Apostolus Iacobus cap. 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: *quid nos de Ignatio dixerimus: qui non tantum non offendit, sed optimis præceptis, ac sanctissimis disciplinis omnes instruxit: qualis namque vita, talis loquela. Quod Hugo Victorinus annot. in cap.* 13. *Epist. ad Rom. clarè aduertisse visus esse, cum in prudenti vsu linguæ non tam consistere perfectionem voluit, quam cumulum perfectionis. Ratio autem est, quia lingua vicina cerebro est, os phantasiæ, vt quod illa cogitat, mox istuc deriuet, & in verba effundat: vnde verbum oris, partus dicitur verbi mentis, sermo fructus cogitationis, imago cordis, index sensorum animi: quod Socrates non ignorans ad Iuuenem conuersus quem nosse cupiebat:* adolescens, *clamabat:* loquere, vt te videam. *Nullo hîc nobis clamore opus, locutus Ignatius est, vnde eum nosse atque intimè perspexisse in nostrum profectum & salutem oppido datum est.*

Iacobi 3.

Hugo Victorinus in cap. 13. *ad Rom.*

Ita namque eum Petrus de Ribadeneira lib 5. *cap.* 6. *hac de re inducit loquentem: vndecim, duodecimúe anni sunt, ex quo non memini me ita verbo lapsum, nec quidpiam promisisse, cuius posteà me pœniteret. Constat illum per triginta, & eo amplius annos ne fatuum quidem aut stupidum quemquam, aut alio contumelioso verbo affecisse. In laudando parcus erat, in vituperando parcissimus Si quid tamen aliis excidisset, ipse vel eleuabat, vel etiam excusabat factum, aut animum certè, & voluntatem.*

Quanta linguæ sua polluerit custodia.

Eius autem sermo sententiarum erat grauitate plenus, non verborum copia: simplex potius & aperta videbatur narratio, quam, aut amplificatio,

aut

aut confirmatio rerum, & contentio: unde

Quanta efficacia sermonis. "*Tanta eius erat in sermone grauitas, atque efficacitas, ut non tam humana videretur, quam diuina: quocunque enim volebat, impellebat homines; non verborum ulla copia, vel elegantia, sed ui sententiarum ac pondere. Peruicaces ac ferreos etiam emollie bat, ac flexibiles ad omnia reddebat, atque tractabiles, vt de eo rectè B. Franciscus Borgia, magno iudicio, ac religione vir dixerit*: loquebatur tamquam potestatem habens, *quippe qui veluti manu animos audientium verteret, pæneque pro arbitrio suo moueret. Neque solum nostri, sed etiam alieni, nec gregarij tantummodo homines, atque infimæ notæ, sed maximi etiam viri, ac præstantissimi, irâ cum essent, aut aliis turbidioribus motibus concitati, ad lenitatem, eius sermonibus, ac mentis tranquillitatem flectebantur. Hoc certissimum, tam excellenti à Deo gratia Ignatium fuisse donatum, vt non raro ad se venientium, paucis verbis, non solum præsentem morbum depelleret, sed in perpetuum sanaret, neque tantum ægritudinem animi, sed ægritudinis etiam quasi radices euelleret: quod in Isaaco quodam hebræo clarè patuit, qui dum ad baptisma suscipiendum domi nostræ erudiretur, nec dum instituta Catechumenorum domo, iis cœpit furiis agitari, vt è domo se proripere & baptismi petitionem abiicere vellet, neque retineri à nostris aut ulla ratione ad sanitatem reuocari posset. Cui Ignatius ad se adducto, furentique illud tantum: Maneto nobiscum Isaac: Quibus verbis placatus omnino eius animus fuit, sibique restitutus, lætusque domi in sententia permansit, baptismumque suscepit.*

Ita Petrus de Ribadeneira, probus ille atque legitimus de gestis Ignatij historicus, vt absque iniuria accommodari ei posse videatur, quod de S. Ioanne Chrysostomo in græcorum Menais scriptum est 5 sept. Tantas res effecit, vt nisi fuisset hic Sanctus, Christum, si fas audentius loqui, noua necessitas adactura fuerit ad terras secundo aduentu reuisendas, vt orbem terræ ad tribunal supremum, reum citaret ac iudicaret.

De S. Ioan. Chrysostomo in græcorum menais iudicium.

Haud dissimiliter S. Ignatius, cum tantæ tenebræ operuissent terras, & caligo populos, vt plurimi nec virtutem nossent, nec agnitam sequerentur illata luce vberrima effecit, vt merito conuinci possent, qui ignorantiam excusassent, & rei agi, qui officio defuissent, nisi magnus hic Dei famulus adfuisset. Adfuit autem magno cuiusuis conditionis, ætatis, sexus, ac gentis bono, omnibus, planè inquam omnibus diuitibus, pauperibus, peritis, imperitis, Clericis, laicis omnia factus est, vt omnes lucrifaceret.

Quod & ex Oliuerio Manaræo viro grauissimo, atque integerrimo, quandam Ignatio Romæ perfamiliari, inuenit audiuisse, qui à Nicolao Lancicio, tunc adolescente rogatas, ea ex scrinio memoriæ suæ depromere, quæ olim vel audisset, vel ipse notasset de S. P. Ignatij virtutibus, ac documentis, inter cætera, hæc scripto expressit.

„ *Admirandus erat in sermone: erat autem ille grauis, non incitatus, non*
„ *præceps,*

„ *præceps, non inanis, sed solidus, & efficax, ac viri denique verè sancti: non*
„ *audiebatur quidquam illi excidere casu, seu ex improuiso; sed os illud bea-*
„ *tum semper seria, semper præmeditata proferebat: vnde fieri amabat, vt ab*
„ *ipso nullus recederet nisi consolatus, salutari consilio instructus, ac bene æ-*
„ *dificatus, siue obtineret, quod intendebat, siue non quia Beato viro mi-*
randa inerat dicendi gratia & facultas. Hæc Oliuerius.

Vnde factum, non ita multo post documenta quædam ipsius, vtpote quæ altius discipulorum mentibus insederant, collecta, per manus ire cœpisse & cum absentibus fuisse communicata, tanti namque vel pauca illa velut auri quædam ramenta maiores nostri faciebant: Sunt autem eiusmodi, vti ex vetustis M. S. codicibus ea nactus sum. Documenta S. P. Ignatij.

Nunquam contradicere debes cuiquam, siue cum ratione, siue contra: neque Superiori, neque inferiori, neque æquali; semper verò complecti quod aliis probatur, non te excusando, non contradicendo, licèt rationes habeas.

Præstare debes obedientiam cæcam, etiam in rebus paruis, ac minimis, inferioribus, superioribus, & æqualibus, cogitando id te vouisse Deo.

Nunquam aspicias defectus aliorum, sed semper paratus esto ad excusandos eos. Contra verò ad accusandum te ipsum: imò ab omnibus opta cognosci, tam intus, quàm foris.

Nunquam loquaris, vel respondeas, vel mediteris, vel ambules, vel quid demum facias, nisi prius cogites, an Deo placeat, an exemplo & ædificationi futurum sit proximo.

Serua libertatem spiritus vbique, etiam cum quacunque persona, neminem respicias, sed semper tene libertatem spiritus ad opposita, & ne eam propter quoduis impedimentum perdas, nunquam de hac deficias.

Ne sis communis omnibus, neque familiaris, sed consule spiritum, ad quem ipse te magis maueat, & impellat: inspicias tamen accuratius, quales & qui sint motus, qui ad hoc te moueant.

Exerce te continuò, actualiter, & mentaliter in exercitiis piis, & desidera haberi stultus ab hominibus, vt sapiens habearis à Deo, vt ipsum lucrifacias.

Hoc erit studium tuum manè & vesperi: cum ibis cubitum, ista percurres.

Dicta sanè præclara, ac singularia documenta, longè dignissima, quæ omnium Ascetarum auribus insonent, atque oculis obuersentur, quapropter & statim à principio his metris, doctiore manu fuerunt illigata.

Hæc documenta suis Ignatius edit alumnis,
Vt methodo parua, commoda magna ferant.
Nulli, vel minimo, quauis ratione, repugnes,
Cedere te potius, quam superare iuuet.

Obsequium

Obſequium ſtudens præſtare per omnia cæcum,
Iudiciumque libens ſubiice cuique tuum.
Non vitia aſpicias aliena, & viſa recondas:
Sed propria inuiſas, atque patere velis.
Quidquid agas, dicas, mediteris, proſpice primum
Proximo an expediat, complaceatque Deo.
Sit ſua Spiritui libertas, ſemper, & illam
Nec perſona potens, cauſa vel vlla grauet.
Nec facili iungas tibi conſuetudine cunctos,
Spiritus & ratio quemlibet ante probent.
Exerce aſſiduo pia (mente & corpore) facta
Sis populo demens, ſic ſapis ipſe Deo.
Fac matutino, veſpertinoque reuoluas
Hæc ſtudio, & lectum dum petis, adde preces.

Quis author horum distichorū.

Inter alia autem quæ Nicolaus Lancicius ex P. Oliuerio Manarao cognoſcere Romæ deſiderauit, dum iſtic eo præſente Theologiæ operam nauarat, Author fuit horum diſtichorum, quæ libello exercitiorum olim præfigi ſolita erant, vt patet ex variis exemplaribus in vrbe impreſſis. Reſpondit verò dictus P. Oliuerius Manaraus in hunc modum quod attinet ad Præfatinculam, quæ præponitur libello Exercitiorum, cuius initium eſt: Hæc documenta *&c. compoſitam fuiſſe audiui à P. Andrea Fruſio: alij etiam dicunt à P. Fuluio Cardulo, ſed recognitam à P. Ioanne Polanco. Hac ille. In ſumma, res certa eſt; memorabilis ac legentibus fructuoſa: cuiuſmodi & hæc, ab omnibus ſemper habita fuit, quam de Obedientiæ virtute, eo, qui ſupremum illius vitæ præceſſit, anno dictaſſe inuenitur: cùm enim doctum ac ſtrenuum alioqui ſacerdotem, ſed in rebus agendis ſuæ tenacem nimis ſententiæ, nequidquam conatus caritate, ſolertiaque multiplici ad Obedientiæ docilitatem adducere, tandem indomabilem Sociorum albo eraſiſſet, quamquam ſæpe aliàs tam multa de Obedientia & in conſtitutionibus, & in Epiſtola ad Socios Luſitanos, & in omni ſermone tradiderat; tamen quaſi rem integram tractaturus aduocato ad ſe P. Ioanne Philippo Vito, qui Polancum Secretarium in ſcribendis epiſtolis adiuuabat, adeſdum, inquit, excipe: teſtatum volo Societati ſit, de Obedientia, quid mihi animo ſederit, continuoque hæc dictauit.*

Testamentum S. Ignatij.

Primum, in religionis ingreſſu, vel poſtquam eam ingreſſus ſum, debeo omninò, & in omnes partes coram Dei Domino noſtro, coramque Præſide meo reſignatus eſſe, reſignatio autem religioſis viris eſt certa & liberalis voluntas, qua inferiores omninò permittunt ſeſe, ac tradunt poteſtati arbitrioque regentium.

Secundò, debeo optare, vt ab eo præſide regar, ac ducar, qui ad iudicij mei, & intelligentiæ abnegationem intentus ſit.

Tertiò, debeo cunctis in rebus, vnde peccatum abſit voluntatem eiuſdem Præſidis & non meam ſequi.

Quartò,

Quartò, triplex est Obedientiæ modus. Vnus cum ex virtute Obedientiæ iubeor : ac bonus est. Alter, cùm proponitur solum, vt id agam, vel illud (hoc est, ita parata est ad obtemperandum voluntas, vt non exspectet præceptum) isque est melior. Postremus, cùm quid efficio, ex aliquo tantum signo, cognita voluntate Præsidis, quamuis non iubeat, nec proponat, isque est longè optimus, nempè vt qui obediendi alacritate, nec imperij summi necessitatem, nec mandati denunciationem exspectat.

Quintò, nullam debeo rationem habere, num qui mihi praeest maximus sit. an mediocris, an minimus : verum mea omnis deuotio obedientiæ, esse debet propterea, quod locum Dei teneat. Nam ea distinctio, obedientiæ vim perdit.

Sextò, cùm opinione, aut iudicio meo id, quod Præses mihi iniungit, contra conscientiam meam, aut peccatum videtur esse; & Præsidi contra videtur, debeo ei credere, vbi clara ratio non repugnat.

Quod si id à me nequeo impetrare, certè debeo, meo iudicio, meaque sententia abdicata, rem permittere iudicio, ac deliberationi vnius, aut duorum, aut trium. Huc verò nisi perueniam, longè absum à perfectione, & partibus iis, quæ in homine reipsa religioso desiderantur.

Septimò, denique non debeo esse meus, sed eius, qui creauit me, & qui locum illius teneat : vt quemadmodum pilula ceræ duci se sinit, ita ego tractari me, ducique sinam, vel in scribendis, recipiendisque litteris, vel in alloquendis hominibus his aut illis : deuotionem in eo, quod mihi mandatur, meam omnem reponens.

Octauò, debeo me habere perinde vt cadauer, cui nec voluntas, nec intelligentia subest. Deinde velut paruula effigies Crucifixi, quæ sine vlla difficultate verti se quamcunque in partem sinit. Postremo debeo me fingere, quasi baculum in manu senis, quem, vbi voluerit, & vbi commodum ei sit, ponat. Ita debeo ego paratus esse, vt Religioni vsui sim, & obsequar, quamcunque rem mihi mandârit.

Nonò, Nec petere, nec rogare ex Moderatore debeo, vt me in hæc, vel illa mittat loca, vt huic, aliuè præficiat muneri. Verùm cogitationes meas, aut voluntates proponere, propositasque humi abiicere, iudicio omni; atque integra demandandi potestate relicta Moderatori, vt quod censuerit ille, quodùe mandauerit, pro optimo iudicem, atque habeam.

Decimò, tamen in leuibus, ac bonis rebus, licuerit veniam petere vt sacras Stationes obeundi, aut aliquid beneficij petendi, & quæ similia sunt, animo ita comparato, vt quod concessum, negatumùe fuerit, id præstare censentur.

Vndecimò. Item in paupertate nihil habens, ducensque meum, debeo proponere animo in omnibus, quæ ad vsum mihi conceduntur, esse me vestitum, atque ornatum, non secus ac statuam quampiam, quæ quandocunque, & quacunque de causa, suus ei amictus detrahatur, nullo modo reluctatur.

Atque hæc præclara illa, sanctissimaque præcepta B. Patris fuêre, quæ de præstantissima virtute obedientiæ, vt ante monui, dictauit, ac Petrus de Ribadeneira per Siciliam Commissarius circumferebat, quæ Sociis vbique exponens, Testamentum S. Ignatij *appellabat: quod dum faceret, ingenti omnes alacritate, atque adeo veneratione vt sacras quasdam B. Patris reliquias, amplexi, tametsi currerent, tamen haud paulum ad incitandum gradum & conatus, & hilaritatis adsumebant: vt Franciscus Sacchinus in historia locuples author est.*

Quibus omnibus postremò accedunt sacra beati viri Apophthegmata, seu cælestis eius prudentiæ Aphorismi, vitalis ignis scintillæ, vera salutaris auri ramenta, tum ex pulcherrimo, facundissimoque ore eius fideliter hausta, tum ex grauissimis scriptis eiusdem legitimè collecta, quorum vim atque virtutem olim pollucibiliter experti omnes illi, qui piè, iustè ac sobriè viuentes in hoc sæculo, Deum, sc. sese, ac proximum ritè diligendo ac faciendo satis secundum sanctissimorum horum Apophthegmatum doctrinam, cælestem gloriam assecuti sunt, quam vt aliquando & nos assequi possimus, illa à me in fasciculum vnum congesta ac commentario exegematico illustrata hic volui subiunxisse: vel sic nobis Ignatium *redimiuum exhibendo, fore confisus, vt ille:* Non mi*nus in posteros, quos viderit Apopthegmatum suorum studiosos, benignum sese ac liberalem ostenderit, quam in priores legitur beneuolus exstitisse.*



IGNA-

IGNATIVS REDIVIVVS

Si Prophetarum ossa pullulent de loco suo, Eccli. 49. 12.
Dum bonam nobis mentem
Vitalem spiritum
Aflant per oracula sua;
Quid, erudite Lector, miraris?
Si
Viua sensa, scita Apophthegmata

S. P. IGNATII

Vera cælestis Doctrinæ gloria clarissimi,
De cordibus Auditorum,
De scriniis Ascetarum,
Angusto iam nimis loco suo,
Per obsequium calami, ac manus,
Filiorum eius minimi,
Videas pullulare?
Tam vmbram, quàm vitam,
O magna Columina!
Seris nepotibus
Allatura.
Quod nuper manifestò sanè,
Ac supra votum feliciter,
Princeps illa, Faustaque annorum centuria
Quibus salua Ignatij familia
His tibicinibus stetit,
Spondere visa est:
Sociis omnibus,
De
Sancto Patre suo, ac Fundatore
Non vanè augurantibus:
IN VMBRA TVA VIVEMVS IN SÆCVLA. Threnor. 4. 20.
Ter felix! beataque conditio!
Quæ sicut Deo immortali non nisi gloriosa,
Viro Sancto, sic, vt nihil magis, iucunda;
Ita &
Nobis omnibus sperari debeat oppidò fructuosa.
Pullulate igitur, ac germinate
Magni Patriarchæ, veri Prophetæ

†2 Sanctissi-

Sanctissima Ossa
Non ea, inquam,
Quibus olim fragile Viri corpus
Ambulauit in terris:
(Quamquam,
Nec ista huius Gloriæ velim esse exortia,
Quæ cælestes visæ sunt stellæ
Illustrare in tumulo,
Et
Angelorum clara symphonia,
Audita est in aëre
Celebrare.)
Sed quibus,
Magna potissimum Anima
Cælos gloriosè conscendit:
Nobis innuens,
Vt, quâ viâ Dux bonus præcessit,
Deuotus miles, subsequi non formidet.
Et quis Pius abnuat?
Si namque
Gratior est pulchro veniens è corpore virtus,
Quid ni acceptior quoque fiat,
Et rectè sentiendi, & bene viuendi
Cum Deo, secum, ac Proximo
Cælestis Ignatij Doctrina
Vsu plurimo, Fructu maximo,
Vniuerso Orbi contestata
A calamo iam explicatior, à stylo vberior,
Ab vtroque,
Bonis omnibus,
Sic Deo volente, sic iubente,
REDIVIVA.

Daniel Bartolus lib 4. § 39. 40.

PROTESTA-

PROTESTATIO AVCTORIS

AD LECTOREM.

LEctor, aduerte in historiis virorum, atque mulierum, earum nonnullas me in his libris attingere, quæ Sanctitatem ipsis videantur adscribere, quæque cum vires humanos superent, miracula videri possint, quibus etiam sanctimoniæ videor appellationem interdum tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi, tamquam ab Apostolica sede examinata, atque approbata, sed tamquam, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quam humanam historiam, iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit.

Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè; atque inuiolatè iuxta declarationem eiusdem decreti à felic. record. D. N. D. Papa Vrbano VIII. anno 1641. factam, seruari à me omnes intelligant, nec velle me cultum, aut venerationem aliquam, per has meas narrationes vlli arrogare; vel famam, aut opinionem sanctitatis inducere, seu arguere, nec quidquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius beatificationem, aut Canonizationem, aut miraculi comprobationem; sed omnia in eo statu à me relinqui, quem, seclusa hac mea lucubratione, obtinerent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu.

Hoc tam sanctè profiteor, quam decet eum, qui S. Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua scriptione, & actione dirigi, ac doceri.

FACVLTAS

R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS

PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ

SOCIETATIS IESV.

EGo infrascriptus Præpositus Pouincialis, Prouinciæ Flandro-Belgicæ Societatis IESV potestate mihi factâ ab Admodum R. P. Nostro Gosvvino Nickel eiusdem Societatis Præposito Generali, concedo facultatem vt typis vulgetur liber, cui titulus: *Sancti Ignatij de Loiola Societatis* IESV *Fundatoris Apophthegmata sacra &c.* Authore P. Adriano Lyræo eiusdem Societatis Sacerdote, à tribus Societatis nostræ Theologis examinatus & approbatus. In quorum fidem hisce manu propriâ subscripsi, easque solito officij mei Sigillo muniendas curaui. *Bruellæ* 10. *Iunij* 1660.

IOANNES RENTERGHEM.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

QVæ S. Ignatius Societatis IESV Fundator sanctissimus, æquè ac prudentissimus, sacra olim Apophthegmata ore suo aptissimè profudit, vt iuxta Apostolum, sobriè, iustè, ac piè, in hoc sæculo viuamus, ac doctè non minus, quàm solerter, R. P. Adrianus Lyræus eiusdem Societatis Sacerdos, commentariis suis, primus de Societate illustrauit, magnâ animi mei probatione Legi, tum quòd in iis nil nisi sanam, piamque doctrinam, tum verò vtilem ac facilem eiusdem tradendæ methodum notârim, qua tum spiritualis Ascesios Magistri, tum verò diuini verbi præcones Ascetas suos erudiant, & populum pro concione informent: quapropter cum nihil bonis moribus contrarium, nec Christianæ fidei regulis aduersum contineant, vniuersum opus luce publicâ donandum, ac piorum doctorumque virorum oculis dignum indicari. Actum Bruxellis XXIII. Aprilis 1661.

ANTONIVS SANDERVS
Presbyt. S. Theol. Licent. Librorum Censor. &c.

SVMMA

SACRORVM APOPHTHEGMATVM

S. IGNATII DE LOIOLA

QVIBVS

PIE CVM DEO

VIVAMVS IN HOC SÆCVLO.

LIBER PRIMVS.

PROECTHESIS.



AGNA res pietas est, & eius quidem species triplex: siue vt magis propriè loquamur, sub analogo genere differentiæ illius tres sunt. Prima, quæ innata dicitur, siue affectio quædam ab auctore naturæ omnibus indita, ad aliis benefaciendum. *Quid, aut quotuplex Pietas.*

Secunda; acquisita, iuxta regulas rectæ rationis animo inducta, qua eis, qui caussæ nostri ortus, atque educationis exstiterunt, præ ceteris commodamus.

Tertia, & vera pietatis species, qua Deo obsequium præstamus, omnemque venerationem, & reuerentiam exhibemus; & hæc omnium excellentissima est: quam vt intelligamus, sciendum est multis nos rationibus ac motiuis teneri obsequium, venerationem, obseruantiam, & cultum Deo opt. max. exhibere.

Primò, vt Maiori; est namque id virtuti huic proprium munus, maioribus nos reddere obsequentes.

Secundò, vt Domino, cuius sunt omnia, quæ habemus, atque hoc directè ad Iustitiam spectat.

Tertiò, vt summo benefactori, & bonorum omnium largitori.

Quartò, vt rerum omnium conditori, ac principio nostro, cui propterea supremum cultum debemus ex virtute religionis.

Quintò, vt Patri, qui nos per gratiam suám in filios adoptauit, atque ita omnem à nobis cultum promeritus & honorem: quo respexit Apostolus ad Titum scribens his verbis. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem,* id est, peccati lethalis statum, & gratiam Iustificationis *Ad Tit. 2.*

 adepti

adepti. *Sobriè, Iustè, & Piè viuamus in hoc sæculo.*

Pietas in Religione propriè, maximeque consistit, de qua vera sapientia, veraque felicitas, & beatitudo, id est summum hominis bonum resultat iuxta Eccles. 12. *Deum time & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo*; siquidem vera pietas, seu Religio, vera fide, spe, & caritate constat, quemadmodum eleganter ostendit S. Augustinus Enchirid cap. 1. vbi inter cetera, sic scribit: *hominis sapientia Pietas est: habes hoc in libro S. Iob, nam ibi legitur, quod ipsa sapientia dixerit homini, ecce Pietas ipsa est sapientia. Si autem quæras, quam dixerit eo loco Pietatem, distinctius in Græco reperies* θεοσέβειαν, *qui est Dei cultus.*

Eccl. 12. S. August. Enchirid. c. 1.

Et hic primus Christianæ Pietatis est gradus, quo gentium Doctor Paulus, ad Timotheum 4. respexit, *exerce*, inquiens, *teipsum ad Pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, Pietas autem ad omnia vtilis*, quam S. Augustinus in epistola ad Macedonium definit in hunc modum: *Pietas est verax veri Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi officia duci oportet: atque hæc ea est, docente Apostolo, innuente Bernardo*, cui subseruient sacra Ignatij Apophthegmata, de quibus primo hoc libro vberior nobis sermo futurus est.

Timoth. 4. S. August. Epist ad Macedonium.

APOPHTHEGMA PRIMVM.

Omnes suas cogitationes, verba & opera in Deum tamquam in finem referens, ad Deum ac Dei gloriam, honoremque destinabat: vnde hoc veluti symbolum AD MAIOREM DEI GLORIAM *in ore semper habebat.*

S. Rotæ Auditores, & Card. SS. Rituum Præsides in relatione Canonizat. eius coram Gregorio XV.

APOPHTHEGMA SECVNDVM.

Relinquere Deum propter Deum, magnum lucri Spiritualis aiebat esse compendium, nullum dispendium.

Daniel Bartolus l. 4. de Vita S. P. §. 37.

APOPHTHEGMA TERTIVM.

Cuidam grauiter aduersa ferenti, si te faciat Deus multa pati, signum, inquiebat, est velle te magnum facere Sanctum: si verò tu cupias magnus fieri Sanctus, roga eum, vt magnam tibi patiendi materiam donet, neque enim lignum aptius excitando foco Amoris Dei, quam lignum S. Crucis est, quo vsus Christus ad sacrificium caritatis immensæ.

Daniel Bartolus l. 4. §. 35.

APOPHTHEGMA QVARTVM.

Etiamsi nullo superaddito, laus Deo par foret, ad maiorem tamen Imitationem Christi, eligendum potius dicebat cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum, quàm opes, honores, & sapientiæ æstimationem sectari.

Ioan. Petrus Maffeius l.3.c.3.hebd.2.Exercit.

APOPHTHEGMA QVINTVM.

Plus aiebat plerumque latere periculi in minutis peccatis contemnendis, quam in maximis.

Ribadeneyra l.5.c.7.Maffeius l.3.c.6.Orlandinus l.12.§.23.

APOPHTHEGMA SEXTVM.

Cuidam admiranti socios vultu semper læto & hilari conspici solit os, respondit: Non minus miraculum est deprehendere tristem ac mæstum virum Religiosum, qui aliud nihil quærit, nisi Deum: quam mirandum est deprehendere lætum aliquem, qui omnia alia quærit præter Deum.

Zacharias Trinckellus in auctario Exercit.

APOPHTHEGMA SEPTIMVM.

Dixit aliquando: se facta duarum rerum optione, vt vita vel confestim excederet, cæli securus; vel superstes, sed non proinde securus aliquamdiu degeret: in hanc partem iturum esse, dum præclarum aliquod operæ pretium Deo ad salutem animarum facere interim liceret.

Iacobus Bidermannus l.2.c.3. Nicolaus Lancicius c.12.

APOPHTHEGMA OCTAVVM.

Quotiescunque sublatis in cælum oculis Astra aspiceret, quod sæpe faciebat, & diu, has voces iterabat: heu quam sordet mihi terra, dum cælum aspicio.

Petrus Ribadeneyra lib.5.c.1.Daniel.Bartol,lib.4.§.28,Card. Ludouicius in panegyrico.

APOPHTHEGMA NONVM.

In omni sermone, vt accepimus, & verò praxi ipsa tantopere nostris

commendare solebat vsum spiritualium exercitiorum vt in hoc armorum spiritualium genere tractando, quod Dei gratia, ad ipsius obsequium vsque adeò conferre dicebat, dexteritatem habere possent.

Claudius Aquauiua in direct. Proœmij §.4.

APOPHTHEGMA DECIMVM.

Paucißimos, inquiebat, esse, qui intelligant, quid illis Deus faceret, si totos se ei permitterent, atque ab operante eius manu se duci sinerent, ac gubernari.

Daniel Bartolus lib.4.§.36.

APOPHTHEGMA VNDECIMVM.

Dicere solebat incredibilis rem esse solatij, diligenter secum expendere, quoties diuinis epulis accumbimus, non Christi Domini solùm; sed & Matris eius Deiparæ Mariæ carnibus nos refici, ac cibari.

Paulus Barry parte 1.Philag.ex plutibus Authoribus, ipsoque S. Patris commentario.

APOPHTHEGMA DVODECIMVM.

Cùm ex eo quæsitum esset quænam Obedientiæ foret dignitas, atque præstantia? quemadmodum, inquit, in hominum vita; duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ, altera peruulgata, & communis, quæ diuinis præceptis seruandis continetur: altera eorum tantùm, qui Christi consilia toto pectore complectuntur, quæ via Religionis est; sic in ipsa religione, duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum, in quo vis Obedientiæ elucet. Imperfecta obedientia malè oculata est, perfecta sapienter cæca: illa iudicium suum de imperatis rebus sibi seruat; hæc iudicium proprium non habet: illa in alteram propendet partem; hæc in neutram potiùs mouetur: illa mandatis paret iudicio repugnante; hæc iudicium iudicis, voluntatem suorum superiorum subiicit voluntati; atque hanc virtutum omnium ducem ac Magistram humilitatis filiam, nutricem charitatis, Iustitiæ comitem, securæ mentis iuge conuiuium esse dicebat.

Ribadeneyra l.4. c.4. Oliuerius Manareus epist.ad Nicol. Lancktium. Ludouicus Masfellus in Comment.

APOPHTHEGMA DECIMVMTERTIVM.

Dum quendam in tradito sibi munere remissum, atque oscitantem inuenisset; quæsiuit ex eo, cuinam in tali ministerio daret operam? Deone? an hominibus? Cùm ille se Deo vtique deseruire dixisset: plecteris igitur, inquit,

Ignatius,

Ignatius, nam in rebus humanis minus accuratè versanti, iure forsan ignouerit quispiam: at immortali Deo ministrari negligenter id verò nullo pacto ferendum est.

Ioan.Pet.Maffeius l.2.c.3.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVARTVM.

Amorem magis ab operibus, quam à verbis pendere, æstimariquè bonus trapezita ferebat.

S. P. In contempt. Spirit. Amoris.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVINTVM.

Deum sæpissimè alloquens, ex intimo corde dicebat: quid ego, Domine, extra te volo, aut quid velim?

Ribadeneira l.5.c.1. Daniel Bartolus lib.4.§.37.

APOPHTHEGMA DECIMVMSEXTVM.

Suos identidem admonere solebat, ne quid inconsulto Deo aggrederentur, subiungens, nunquam se ausum esse vllum cuiusquam ponderis aut momenti negotium auspicari, nisi prius recursum faceret ad Deum: & hic erat solennis eius sermo.

P. Ludouicus Gonzalez lib.de vita & modo procedendi B.Ignatij. P. Oliuerius Manareusin epistol.

APOPHTHEGMA DECIMVMSEPTIMVM.

Dicebat omnibus vt de Christi Domini Passione nullo non tempore cogitarent, nec eius aliquando memoriam deponerent, quia hæc vera est consolatio.

Acta Canonizat. in processu Minoressano.

APOPHTHEGMA PRIMVM.

OMnes suas cogitationes, verba & opera in Deum tamquam in finem referens, ad Deum ac Dei gloriam, honoremq́ destinabat, vnde hoc veluti symbolum AD MAIOREM DEI GLORIAM in ore semper habebat.

Sacræ Rotæ auditores & Cardinales sacrorum rituum Præsides in relatione eius Canonizationis, coram Gregorio XV.

Commentarius.

[*Laus Apophthegmatis.*]



VREA Gnome! quæ regnatricis Trinitatis æternum Principatum cælo, terris, inferisque impositum, felici, nobilissimoque incremento prouehere nata est: Lemma præclarum, quod humanis mentibus diuino Numini coniungendis apprimè deseruit!

Cælestis planè sententia, cuius quot litteræ totidem scintillæ; quot verba, totidem faculæ sunt: cuius ardor spirat incendium, sonus vitam, & spiritum infundit. Siquidem hoc sapientissimi, integerrimique viri pronuntiatum, eo potissimum tempore terris insonuit, quo, [2.Tim. 3. 1.] vt ait Apostolus: *erunt in nouissimis diebus homines seipsos amantes, sine affectione; voluptatum amatores, magis quam Dei: quæ sua sunt quærentes, non quæ sunt Iesu Christi.*

Quod ille malum auertere satagens, os suum aperuit sapientiæ repertaque est lex iustitiæ in lingua eius, vt propterea igneum documentum, splendidum mundi vinculum, ac velut rationalis naturæ nodus hoc eius Apophthegma meritò possit appellari quo homo Deo suo viuere queat, & sibi mori: Eo omnia vnde. *Omnia ad maiorem Dei gloriam, ad maius Dei obsequium cedant vniuersa.* [Scopus.] Atque huc non verbo magis, quam opere contendisse visus Ignatius fuit. Versabatur illi námque ob oculos primum istud summæ, diuinæque gloriæ destinatum, quo, vt scriptum ad Ephes. 1. reliquit Apostolus, *elegit nos in ipso Deus ante mundi constitutionem, & prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum &c. in laudem gloriæ gratiæ suæ:* [Eph. 1. 4.] quod vt proximè attingeret, nullum subterfugere laborem, nullum capitis sui declinare periculum certus erat, neutiquam contentus singulas dirigere ad Dei gloriam actiones suas, nisi & cum reflexione quadam animi operam daret, vt in quam maximam Dei gloriam redundarent, vt non absque singulari rationum pondere de hoc vaticani cæli oraculum pronuntiarit: *tanto ergà Deum amore flagrasse Ignatium, vt tota die illum exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nihil aliud cuperet, quam placere Deo. Omnes suas cogitationes, verba & opera in Deum tamquam in finem referret, & ad Deum, & Dei gloriam & honorem destinaret, atque hæc verba videlicet, Ad maiorem Dei gloriam, vti symbolum, in ore semper haberet.* [S Rotæ R. auditores.] Vnde oriebatur, omnes eius epistolas, sermones, constitutionum paginas, iteratis sæpe eiusmodi vocibus resonare, iam AD MAIOREM DEI GLORIAM: iam verò AD MAIVS DEI, ET CREATORIS NOSTRI OBSEQVIVM, aliisque his similibus sexcentis: [*Quoties in scriptis hoc lemma expresserit Ignatius.*] talia ex abundantia cordis, ore proferente, nec segnius manu subsequente; vnde factum,

factum, vt curiosa quorundam pietas, non oscitanter, obseruarit, in solis constitutionibus, τὸ AD MAIOREM DEI GLORIAM expressum ab eo centies: Insuper, DEI GLORIAM, OBSEQVIVM &c. intuendo, octuagesies octies. Per partes verò, vicies septies in examine: Centies & decies septies in constitutionibus: Quater & quadragesies in declarationibus: quibus vir sanctus, ac diuinæ gloriæ apprime studiosus quid intus animo voluetet, satis superque testatum reliquit. Ita vt, si Iesu amator eximius habeatur Paulus, qui amplius quingenties in epistolis suis nomen illud sacrosanctum celebrauerit; diuinæ gloriæ procurator insignis haberi debeat Ignatius, qui tantopere pro eadem certauit. *Neque enim is*, vt olim de *S. Benedicto* dicebat *S. Gregorius, potuit aliter docere, quam vixit*:

Vide Suarez tomo 4. de rel. l. 8. c. 6. n. 1.

Magnus diuinæ gloriæ promotor Ignatius.

Fuerit itaque, & iure quidem maximo, ac singulari, præcipua inter Christi Seruatoris nostri effata clarissimum: *non quæro gloriam meam*; exemplo eius atque imitatione chorum ducet in cæteris Ignatij Apophthegma: AD MAIOREM DEI GLORIAM. Hoc eius effatum, hæc quasi militaris tessera, hæc omnium consiliorum, gestorumque norma & amussis, hæc vnica feruentis, animi flamma, quæ sensus illius penitissimos, affectuumque medullas tam latè obtinebat, tam suauiter depascebatur, vt propriæ voluntatis vsu abdicato, non suam, sed Dei quodammodo vitam perfecti amoris ecstasi viuere videretur, vt non absque idonea, certaque ratione, de eo nos, quod olim de Christi prodromo scripsit Guatricus Abbas serm. 3. iam pronuntiare possimus: *fidelis amicus sponsi, magis amator Domini, quam sui, se minui, vt ille cresceret, optabat, & de minoratione sui gloriam eius augere satagebat.* Et post pauca: *Ideo nimirum magna est gloria eius in salutari*, tuo, in Iesu tuo, Domine, *cuius Iustitiæ & bonitatis est diligentes se diligere & glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria eius in Iesu, magna à Iesu, qui & apud se glorificauit eum consortio gloriæ suæ, & apud homines testimonio vocis suæ*: quod luce clarius patuit in Ignatio; dum fundatam a se religiosam familiam, non suo, sed Iesu nomine appellauit, omnia, quæquæ facere, quæquæ pati contingeret ea in vnius numinis maiorem gloriam semper reduxit; Is verò qui glorificantes se glorificat, vt in publicis de illo precibus canit Ecclesia, ita nomen ipsius è tenebris excitauit, vt vel inscriptum tabulis, febres, pestes, letales morbos, atque ipsos, malos dæmones profligaret. Quo sensu ductus B. Franciscus Xauerius qualis, quantusque Apostolus! nullam Ignatij nomine digniorem post sanctissimum Iesu nomen gemmam æstimabat, quam ad pectus appenderet, ac prope in corde locaret: siquidem illud inter sacras reliquias secum portabat: Sic honoratur, à quo Rex ipse honoratus est: viuit namque in amore reciprocatio.

Ioan. 8. 50.

Guatricus serm. 3.

Felix Ignatius, qui suam negligens, diuinam verò impensè gloriam amplificauit, & suam, non quærendo, inuenit: quapropter si, quod nonnulli quondam Ecclesiæ Catholicæ sanctissimi Patres erga se mutuo præstiterunt, fas esset, pluribus dictionibus conflatum nomen imponere Ignatio, hæ vnius, meâ quidem sententiâ, nobilissimæ vicariæ, per annales ire possent, eiusque imaginibus, singulati notâ, luculentet subscribi: AD MAIOREM DEI GLORIAM.

Hæc namque illa gloria est quæ Ignatium in actionibus suis omnibus id semper sincerè spectare docebat, vt fierent purè propter ipsum Deum potius, quam timorem pœnarum, vel spem præmiorum. Hæc illa est cuius amor graui aliquo nascente pro aliorum salute negotio, si fortè magnanimus vir, aliàs imbecillæ valetudinis, insolente quopiam ægritudine vexaretur, sic eius facultates corporis inuadebat, vt non so-

lum iacentes erigeret, verum etiam maiorem, quam ante, alacritatem ac robur afferret.

Hæc illa est, in cuius gratiam, cum amore martyrij arderet intensius, nec sacræ huius cupiditatis flammas sanguine posset exstinguere, iis seipsum, vt viuam hostiam studuerit immolare. Hæc denique illa est, ad quam cum innocentissimæ vitæ rationes omnes atque acta componeret, fiebat vt eâ tranquillitate frueretur, quam nulla posset rerum vicissitudo interturbare. *Ne multis iniicias manum, dictum fuit Pythagoræ*, quòd & hic non malè vsurpes, vt soli Deo, summo bono, eiusque gloriæ viuat, qui viuere vult vitam Beatam, quam sibi, velut militatem quandam tesseram hic constituit Ignatius: quare bene dixit Franciscus Maria Episcopus Portuensis S. R. E. Cardinalis à Monte in relatione facta Gregorio XV. in Consistorio secreto de Vita & virtutibus illius, *Martyrum & multorum renouauit exempla Sanctorum qui sui penitus obliti, de diuina gloria tantummodo laborabant.*

Sed parum Ignatio erat hisce se moribus atque institutis imbuisse, ad alios quoque illius se cura extendit, dum id quod in seipso feliciter expertus fuerat, in proximum studuit deriuare: testantur id libri ab eo conscripti, huiuscemodi acroamatis pleni, clamant verba, & sermones eisdem frequentissimè inspersi, vt iam nullus propemodum inter Christianos angulus lateat, quo zelus ille amplificandæ gloriæ diuini nominis non penetrârit.

Quid sit gloria Dei In quo, vt & nos partem aliquam consequamur, inquirendum sedulò quæ, qualisue hæc gloria sit, quo pacto, & à nobis ea queat adaugeri.

Ad primum itaque quod attinet, notandum est, *Gloriam* dupliciter accipi. Primùm pro quauis excellentia interna, vel externa, ratione cuius, dignus est quis cognosci, laudari, æstimari, honorari, amari. Secundò, pro ipso cognosci, laudari, esse in admiratione, veneratione &c. hoc enim propriè & formaliter *gloria* dicitur, quæ definiri solet: *clara cum laude notitia:* notitia, inquam, quæ habetur de excellentia alicuius. *Quotuplex.* Duplex itaque est *gloria Dei*; interna, & externa. Interna rursum duplex est; obiectiua, & formalis. *Obiectiua gloria* Deo intrinseca, est ipsamet Diuinitas, seu splendor & excellentia Diuinitatis & Personatum diuinarum: ob hanc enim dignissimus est, qui ab omnibus cognoscatur, ametur, laudetur, & sic passim in scripturis excellentia diuinitatis, & omnia huius excellentiæ signa dicuntur *gloria Dei. Formalis gloria.* Deo intrinseca, est cognitio, amor, & gaudium Dei de seipso: siue quòd ipse à seipso infinitè, & adæquatè cognoscatur, ametur, & cum infinito gaudio & suauitate gustetur. Infinitè enim maior est gloria Dei quod ipsius bonitas & perfectio à se cognoscatur, ametur, æstimetur, quàm si amaretur, & laudaretur ab infinitis Angelis, & aliis quibuscunque. In istis duobus sita est *gloria Dei intrinseca*, quam ipse ab æterno plenissimè possedit; vnde ad hanc acquirendam, vel augendam mundum non creauit, sed propter aliam quandam, quæ ipsi *extrinseca* est: quæ etiam duplex censeri potest.

Altera enim est obiectiua, & consistit in excellentia & pulchritudine rerum creatarum, sed maximè filiorum Dei, vt sunt omnes beati. Sicut enim gloria Principis sæcularis dicitur consistere potissimum in splendore & multitudine aulicorum: ita externa gloria Dei obiectiua consistit potissimum in splendore & multitudine aulicorum cælestium; secundariò in aliis rebus creatis.

Altera, est gloria formalis, quæ sita est in Dei visione, amore, gaudio, & actibus hinc consequentibus: nimirum quatenus ipse à beatis cognoscitur, amatur, gustatur, laudatur, & benedicitur in omnem æternitatem.

Post

Post cælestis hos aulæ præstites sequuntur animæ iustæ, virtutum omnium numeris absolutæ, in quibus amplior Dei gloria solet inueniri: tùm quòd singulari supremæ maiestatis notitia imbuantur, tùm verò excellentioris gratiæ eius donis clariùs illustrentur, atque ita magis idoneæ sint eiusdem gloriæ amplificandæ.

Qua maior Dei gloria dicenda sit & varij modi eam augendi.

Quibus in hunc modum præmissis, ad alterum, quod inquirendum statueram, transeo, scilicet, quo pacto ab iis augmentum hoc soleat adornari, quid deinde per maiorem hanc Dei gloriam, intelligendum?

Primus modus.

Primùm itaque maiorem Dei gloriam velle quis potest, desiderando illi ex animo quidquid in se habet: quod non est aliud quàm ipsa eius diuinitas, seu splendor & excellentia diuinitatis ac personarum diuinarum, cum notitia, amore, & gaudio, quod de illis capit.

Secundus modus.

Secundò, idem fiet, dum, quam à Beatis cælorum incolis Deus gloriam accipit, tùm æstimatione virtutum suarum, tùm verò claris laudum præconiis, quæ per totam æternitatem Deo rependent, ei volumus, læti, gaudentesque applaudimus, exoptantes ea, quæ tot cælestium spirituum myriades concordibus illi votis encomia persoluent infinitis partibus, si fieri posset, quotidie amplificare. Etsi enim Deus plenissimè suam essentiam videat, amet, & infinito gaudio eius dulcedinem gustet, hoc tamen non facit, quin adhuc infinitè digna maneat, vt ab infinitis creaturis cognoscatur, ametur, gustetur, & laudetur.

Tertius modus.

Tertiò, maior Dei gloria in hominibus quoque super terram viuentibus accurari potest, dum animas suas cum potentiis, corpora cum membris tantâ vitæ, morumque integritate excolere satagunt, quantam eius dignitas ac maiestas, à qua originem ducunt exigere videtur: non secùs ac fieri in arte pictoria solet, vbi, quo pictura aliqua magis elaborata & perfecta est, pictoris quoque ingenium & peritiam magis manifestat. Idem de actionibus nostris dicendum, quæ pro eminentia suæ perfectionis, magis, minusùe idoneæ sunt, linguarum instar, & vocum omnibus contestari Deum, qui rerum omnium principium & finis est, dignum esse, qui ab omnibus celebretur.

Verum enimuerò non his terminis maior illa Dei ac Creatoris nostri Gloria debet contineri, quin potius, vt cum parentibus nostris fieri amat quorum gloria est liberos habere benè moratos, festiuos, formosos, pulchellos, suaues; ita & nobiscum ratione habita nostrarum actionum: nam cum illæ sementis sint gloriæ æternæ quantò perfectiores fuerint, tantò nos magis idoneos reddent Deum per totam æternitatem perenni laudum suffragio celebrandi, & velut in speculo gloriam eius manifestandi: sicut enim Sol in se lucidissimus & pulcherrimus, etiam dignissimus est, vt in plurimis speculis toto orbe resplendeat, vt hoc modo eius pulchritudo quodammodò multiplicetur; Ita quoque essentia diuina infinitæ illa pulchritudinis, quamuis perfectissimè & plenissimè in mente diuina resplendeat, eamque infinitè beatam efficiat, tamen dignissima est, vt etiam in mentibus creatis refulgeat, & sic tantum bonum quodammodò multiplicetur, quod alioquin in se vnicum & indiuisibile erat, nec poterat multiplicari. Obiectum enim intelligibile per intellectionem accipit quoddam esse, per quod existit in intellectu, & quodammodò multiplicatur secundùm multitudinem intellectuum & intellectionum: & splendet in intellectu, sicut sensibile obiectum in speculo solet resplendere.

Quartus modus.

Quartò idem efficiet homo, si maximam suam gloriam reputârit, cum in omnibus suis dictis, factisque glorificabitur Deus: gloria enim filiorum pater eorum: cauendo vnicè cum bono Dauidis seruo Ioabo:

bo: ne fortè nomini suo gloria adscribatur. *In Domino laudabitur anima mea.* Psal. 33.3.

Psal 33.3.

Iniurius siquidem Deo est, qui in opere aliquo suo inaniter gloriatur: ipse enim operatur in omnibus, ipsi gloria in sæcula, vnde Angelis & Sanctis omnibus risui exponatur necesse est, qui tamquam cornicula alienis plumis intecta, de opere suo bono cupit gloriari.

Sed parum est Angelis displicuisse, addo & Deum non leuiter offendi, cum tamquam omnium Iudex & creator meritò non permittit duo hæc sibi Regalia subtrahi: *Ius vindictæ, & ius gloriæ. Mihi*, inquit, *vindicta & ego retribuam. Gloriam meam alteri non dabo*, quare qui eiusmodi sunt, ignominiosis eos persæpè lapsibus castigat, à quibus se ipsum custodit, qui opera sua omnia titulo diuinæ gloriæ inscribit, quod olim Iosue efficacissimum argumentum expertus, insignem de hostibus victoriam reportauit: *& quid facies*, inquiebat, *magno nomini tuo?* Ita & nos: non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo dando gloriam exsurgemus.

Ius vindictæ & Ius gloriæ duo Regalia Dei. Rom. 12. 19. Isaiæ 42. 8. Iosue 7. 9.

Quintus Modus.

Quintò, maiorem adhæc Deo gloriam accersere, ac conciliare poterimus, desiderando impensè, vt mundus hic, eoque comprehensæ res vniuersæ, ratione vtentes Deum cognoscant, ament, dilaudent, eo siquidem modo quo S. Ignatius sæpe inter preces sublimis visus, atque ad tres amplius aut quatuor dodrantes (siue, quod acta referunt,) ad quinque etiam cubitos, ab humo elatus, identidem quiritare auditus est: ô Deus! ô mi Domine! si homines te agnoscerent, te adamarent! connitendo interea pro viribus eos, quibuscum viuimus & versamur, magnos feruentesque Dei seruos efficere, nullis in hanc rem studiis, ac contentionibus parcendo, totis medullis cordium, totis desideriorum affectibus anhelando, ac desiderando cum illustri Prædicatorum Fratrum Patriarcha Dominico, in mille partes membratim secari, aut cum seraphica Virgine Theresia piacularibus flammis ad diem vsque iudicij vstulari, vt vel ab vno peccatore amari, collaudarique possit Deus: inchoando semper à propria virtute ac perfectione, iuxta consilium ac mentem piissimi, prudentissimique viri Petri Fabri primogeniti filij S. Patris Ignatij, cuius hoc in cæteris, commendari solet axioma: *ad augendam, cumulandamque Deo gloriam, nihil est tam efficax, quam si quis rebus omnibus exutus, atque orbatus æmuletur in patibulo Christum, cuius virtus Crucifixi quærenda est prius, quam gloriosi.*

Petri Fabri axioma.

Et hi quidem, illi modi sunt, quibus maior Dei gloria procurari in aliis solet, summus tamen ac præcipuus, & velut decumanus is est, qui de propriæ perfectionis desiderio, solius diuini honoris intuitu nascitur, quod in igne, claro illo ac perspicuo elemento dilucidè patet, dum is vicina quæque antè incendere solet, quam remotiora inflammet, quod hic fieri amat, primò enim animum, quem occupat zelus iste succendat necesse est, priusquam alios adurat.

Sextus & præcipuus Modus.

A propria igitur perfectione ordiendum est, neque enim dici satis potest, quantum animus eximia virtute insignis, Dei gloriam tum variis mentis suæ desideriis, tum actionibus promoueat, magis, quam alij sexcenti desides, & in virtutum studio torpescentes, facere consueuerunt.

Quod autem ad desideria attinet, quamuis ea florum instar censeri soleant, quod B. Gertrudi a Domino ostensum fuit, dum post varia ab illa concepta desideria coronatus floribus eidem apparuit, sperandum tamen est, arborem istam quæ primo vere in plurimos se flores induit, vberes appetēte autumno fructus prolaturam esse; quod olim Deo Domino non vulgariter complacere testata est Virgo Deipara S. Birgittæ in hunc modum; sit, qui magno

Bonorū desideriorum fructus.

gno promouendæ diuinæ gloriæ desiderio flagrans, tanta appetat voce posse insonare, vt ab ortu solis, vsque ad eiusdem occasum audiant, intelligantque vniuersi Iesum Dominum, ac filium esse Dei, dignum vtique quem norint & adorent omnes, eundemque in finem vix præstare quid possit; eadem ille mercede donabitur, quam, si voluntatem illam exsecutus fuisset, reportasset: l.4.c.59.l.8.c.46.

Reuelat. S. Birgittæ l.4.c.59 l.8.c.46.

Ita de V. Fratre nostro Alphonso Rodriguez scribit Ludouicus Ianinus cap. 15. tanto eum in conuersionem tot hominum ab religione, diuinaque lege aberrantium, studio flagrasse, vt votis aliquando magnis cupiuerit mortales omnes ad inseruiendum Deo, adhortatione sua inflammare, cum subitò perspexit diuinitus, iis se tam ignitis & efficacibus desideriis, non minus adeptum meriti & mercedis, quam si omnes ab suo errore ac sceleribus ad Christum & pœnitentiam traduxisset: quanto maioris gloriæ diuinæ augmento! quis dicet?

V. Alphõsus Rodriguez vir magnorum desideriorum.

Quid si magnifica iam, exquisitaque opera accedant, qualia ac quanta diuinæ gloriæ incrementa surrectura credendum est? Beatum te, Ignati, ac ter, quaterúe beatum! cui nosse hæc, & porro exsequi de cælo datum est! nec enim contentum fuisse te rear, si nihil diuini numinis ingratiis faceres; nisi id etiam consequereris, vt illi gratioribus obsequiis gerere morem assiduè posses. Quare è duobus rerum optimarum, eam semper complectebaris, quæ propius ad supremum Dei honorem pertineret. Nec in te solo hæc laurea stetit, fuit inter discipulos non vnus, qui luculentam hanc à Patre, à Magistro hæreditatem adeptus, maiorem Dei gloriam adeo heroicè amplificare visus est, vt cuius filius esset, non lateret; cuiusmodi iure dixerim fuisse P. Iacobum de Saura, qui singulari maioris gloriæ Deo procurandæ desiderio incensus, ei vouit, se voluntatem eius semper impleturum, quam posset perfectissime, tota latitudine cordis sui; nunquam verò suam se esse facturum, sed quantum posset quidquid in quocunque maioris perfectionis opere summum, magisque eximium agnosceret. Cumque hoc etiamnum esse parum iudicaret, quia anima sola sic ligaretur, adiecit quod potuit, pectus incidit profundè super cor suum, ac sanguine inde hausto, votum illud suum in hæc verba scripsit: *ex amore SS. Trinitatis, Iesu, & Mariæ, atque omnium Sanctorum voueo procurare maiorem perfectionem, voueo aspirare ad perfectionem Angelicam, non habere affectum erga rem vllam, præter solum Deum, procurare per Dei gratiam, habere continuum actum amoris Dei.*

P. Iacobus de Saura maioris Dei gloriæ procurator insignis.

Votum P. Iacobi de Saura de procurandâ Maiore Dei gloria.

Quid ni tantis Iacobi ardoribus magni Doctoris *Augustini* Epiphonema subnectam? *O bona voluntas, per quam ad Dei similitudinem reformamur! Ita amabilis est Deo bona voluntas, vt ipse in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit inuenta, bona voluntas summæ maiestatis Trinitatem ad se inclinat,* dum sc. ampliori diuini numinis honori velificatur.

S. August.

Quod & nuper haudquaquam ignorans P. Nicolaus Caussinus ex eadem Iesu Societate non prætermisit, cum votum fecit Indifferentiæ, vt ex schedis post mortem patuit, quo se, permissa sibi à superioribus optione, nunquam electurum, sed facturum quo obedientia, vtique maioris Dei gloriæ bona interpres, inclinaret adstruxit: subiungens fore se Aduocatum pauperum, iuxta Instituti sui rationem, quamdiu vita comes futura esset.

Votum P. Nicolai Caussini de maiore Dei gloria amplificanda.

O viros amplificandæ gloriæ, honorique promouendo Dei, ac Domini sui natos! quos istuc crediderim mundo editos, vt nobis denique & quid fieri possit, & porro debeat ad oculum demonstrarent!

Atque in hunc fere modum, illi, quos S. Ignatius verbo exemploque suo ad maiorem Dei gloriam propagandam

pagandam incendit, factitarunt. Sed nec Virgines defuerunt, quæ paribus flammis succensæ, eodem magnis passibus properarunt, quatum prima S. Theresia fuit, ductus ille e Carmelo fons, & origo defæcatissimæ sanctitatis, quæ maioris Dei gloriæ studio accuratissimè intenta, consulto Generali Præposito suo, habitoque Apostolici Commissarij assensu, Deo vouit ex duobus bonis semper se melius esse facturam: atque ita vt in historia vitæ suæ testatum reliquit: *videtur mihi*, aiebat, *honor meus consistere in eo, quod Dominus noster laudetur, & reliqua omnia paruipendo. Ipse enim conscius est mihi, quod nec honorem, nec vitam, nec gloriam, nec bonum aliquod corporis, vel animæ volo, nec desidero, nisi Dei omnipotentis gloriam.* Vnde fiebat vt, quoties graue quidpiam, vel blandis sensuum deliciis, carnisque desideriis contrarium pateretur, vbi animaduertisset, ad maiorem id Dei gloriam obsequiumque referri, tantam in seipsa lætitiam & voluptatem sentiret, vt omnem molestiam, pœnamque flocci faceret. Ita Franciscus Ribera l. 4. c. 10.

Variæ Virgines magno studio amplificandæ gloriæ Dei incensæ.

S. Theresia.

Eiusdem Epiphonema.

Huic ex eadem Hispania sociam adiungo Aloysiam de Caruajal, ex iis virginibus vnam, quæ Christianam pietatem intra domesticos parietes professæ, sexum suum Apostolico spiritu iuuare & instruere satagunt: hæc itaque magno diuini honoris studio incensa, ad Dei ac Domini nostri gloriam vbique amplificandam, votum vouit, se quod vbique perfectius esset Deoque gratius in omnibus facturam semper, stando in dubiis iudicio superioris sui. Ita Ludouicus Munnos in vita p. 1. c. 6. additque Aloysiam nunquam ab edito hoc voto, vlla inquietudine, aut scrupulo pulsatam fuisse, Deo vires, ac solatia suppeditante. O! feminas, iam non feminas, sed inclytas virilis animi heroinas! Sed de his satis: neque hic magnis, atque heroicis eiusce-modi facinoribus semper est opus,

Aloysia de Caruajal.

Eius zelus pro gloria Dei.

quibus MAIOR DEI GLORIA procuretur: porrige calicem aquæ frigidæ in nomine, id est, ad gloriam Dei, & ex eius amore ipse sic affectus, ede, dormi, ambula, aut quid aliud, quod lubet, age. & puri tui famulatus, ac fidelis, syncerique obsequij tui conatu MAIOREM DIVINI NOMINIS GLORIAM procurasti: sin vero potiore flamma diuinus Amor cor tuum excoxit; sequentibus intende, vt MAIOR in te GLORIA DEI paulatim succrescat.

Primùm itaque magna Dei gloria est, dum quis ita studeat suæ saluti, vt nullum peccatum graue admittere, etiam pro vita seruanda, velit.

Vsus varius comparandi maiorem gloriæ Dei.

Secundò, Maior vero est diuinæ amicitiæ, gloriæque æstimatio, quando ne quidem veniale, etsi moriendum esset, deliberatè admittat.

Tertiò, Maior adhuc, si ad perfectam puritatem, etsi opes, honores, commoda licitè etiam cum æquali Dei gloria, & sine peccato veniali deliberato admittere posses, malis tamen te his omnibus exuere, & paupertatem, ignominiam, pœnitentias, & corporis incommoda amplecti, tum vt longius ab occasionibus etiam venialium impuritatum abeas, tum vt Christo Domino similior euadas.

Quartò, Maior ad hæc Dei gloria est, quando non ea tantum puritas & perfectio propria procuratur, sed etiam pro occasione, etsi non ex instituto, proximus ad eam adiuuatur.

Quintò, ea maior adhuc est, quando ex instituto ita finis vterque coniungitur, vt simul vtrumque in omnibus intendatur, atque adeo quasi æquè primario: licet enim quisque prius de se solicitus esse debeat, tamen fieri potest vt tanto amore diuinam gloriam concupiscat, vt de se vix cogitet, & suam etiam gloriam. & salutem, quatenus bonum quoddam proprium est, nihil, vel parum curet, vnius Dei gloriæ, vbicunque demum illa existere possit,

inten-

intendens: sic beatissimus Paulus pro fratribus fieri Anathema, sic Moyses deleri se de libro Dei flagitabant, vt populus liberaretur, idque ad Dei gloriam, quam sibi vterque propositam habebat, leuem eiusdem gloriæ iacturam in sui detrimento, longè verò maximam in tot aliorum hominum perditione arbitratus.

Sextò, Maior, imo maxima Dei gloria est, dum præfata voti vinculo illigata stabilitatem induunt, atque à superiore virtute imperantur. Huc collimauit Ignatius, huc diuino suo Apophthegmate nos voluit incitare.

Septimo ac postremo, si non prospera tantum ac fausta diuinæ gloriæ adscribamus, sed & aduersa, & molesta, dicendo cum B. Apostolo Paulo: *propter te mortificamur tota die*: in medio fornacis ardentis, laudando, & benedicendo cum tribus pueris Deum, cum *S. Theodoro* inter vngulas, & flammas Dauidicum illud ingeminando: *benedicam Dominum omni tempore*: cum *Marco & Marcelliano* ad stipitem confixis: LIBENTER EX IESV CHRISTI CAVSA PERFERIMVS, IN CVIVS AMORE NVNC FIXI ESSE COEPIMVS.

Rom. 8. 36.

Psal. 33. 2.

Et hæc altera est ex duabus illis regiis ditionibus, quarum neutram sibi eripi finit Deus, cui proinde augendæ, & conseruandæ nostri omnium insudare debet industria Beatos sanè nos, ac longè dicendos felicissimos! quibus cum esse incognitum nequeat, quam paruum, ac modicum sit omne istud, quodcunque humana solertia, etiam acerrimis optimarum artium studiis exculti ssima, ornandæ diuinæ gloriæ conferre queat, ita vt vix guttæ speciem respectu maris immensi obtineat, si ad supremæ illius maiestatis dignitatem conferatur, ipsa tamen tantillum hoc à nobis glorificando nomini suo exigere velit, irasci verò si negauerimus; magna autem præmia, si præstiterimus, polliceri. Vnde luce clarius insignis nostra pateat dementia, cum vel hac in parte nos desides, vel, quod eius benignitas auertat, exhibuerimus fortè rebelles: sed de his inpræsentiarum satis, cum nec de iis S. Ignatius commemorârit, contra verò, illos respicere visus sit, quos suâ sponte, motuque currentes in stadio magis, magisque voluerit incitare, cui dum ego operam hanc qualemcunque nauo; quod ille, id & ego propositum habeo: quare cùm ante, in quo ea gloria potissimum sita sit demonstrarim, residuum est, vt qua ratione, intentio eius per nos promouendæ, constituta esse debeat, ostendam.

Prima itaque conditio sit, ne procuratio gloriæ Dei manca, aut imperfecta, sed vniuersalis sit, extendatque se ad omnes & singulas actiones nostras, ita vt omni alia intentione, quantumuis bona seposita. Dei solius bono, & gloriæ. Christi Ducis nostri exemplo, sese impendat secundum Doctoris gentium sanctissimum effatum 1. Cor. 10. *siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Vt glorificetur filius Dei*. Ioan. 11. 4.

Quæ quadruplici ratione requirantur conditiones ad riti augendam gloriã Dei.

1. Cor. 10. Ioan. 11. 4.

Secunda, vt sit actualis, qualis Christi Domini fuit, à primo instanti conceptionis suæ, ad vltimum vsque vitæ momentum, habitualis enim non sufficit ad meritum. Virtualis non satis efficax, vnde non rarò contingit, vt annorum aliquot interuallo languidior fiat, & subinde existimantibus nobis ob priorem relationem temporis matutini, nos syncerè solius Dei gloriam velle quærere, cura boni proprij subrepat.

Tertia, vt intentio gloriæ Dei sit summa appretiatiuè, sic vt pluris faciamus etiam minimam gloriam Dei, quam quoduis aliud creaturæ vllius bonum; quatenus est bonum solum creaturæ, etiamsi foret ipsum præmium æternum.

Quarta, vt intentio gloriæ Dei sit purissima, nullam aliam secundariam intentionem boni cuiusuis alterius

alterius adiunctam habens.

Dupliciter autem hæc puritas infici poteſt, 1. ſi aliud etiam bonum creatum indirectè intendatur. v. g. delectatio, gloria propria, aut quid ſimile, quod periculoſum eſt, facilè enim voluntas intendens duo bona ex vno in alterum delabitur, vnde non leuia mala naſcuntur. 2. dum præter gloriam Dei intenditur etiam bonum proprium honeſtum, & ſupernaturale, ex qua Dei gloria reſultat: quo caſu expedit bonum illud proprium cogitatione abſtrahere, & affectu, ſaltem velleitate à bono Dei, & ita mentem affectúmque componere, vt nihil ſoliciti ſimus de bono proprio, ſed in vnum Dei bonum tota feramur voluntate, eiuſque bonum procuremus, certi, quod ipſi cura erit de nobis.

Quinta conditio eſt, vt non tantum feratur intentio in ſolam Dei gloriam, ſed etiam in maiorem Dei gloriam: Cui enim ſatis eſt aliquam Deo gloriam tribuere, & ſalutem quocunque modo conſequi, vi talis intentionis non applicabitur ad perfectiſſima, & vtiliſſima media, ſed ſatis ei erit, ſi vtilia quærat, vnde non applicabitur efficaciter ad Chriſti conſilia ſequenda, quod tamen omni animæ Deum amanti ad maiorem Dei gloriam procurandam magnopere ſolet eſſe in votis, cum id vnicum bonum ſit, quod poteſt ab homine Deo procurari: eſt quidem ille ſeipſo beatus, & bonorum noſtrorum non indigens, nec minùs erit aliquando glorioſus, ſi nos, ac noſtra ei negauerimus: tanta nihilominus eſt eius in nos benignitas, vt excellentiſſimum illud gloriæ ſuæ bonum, ita in noſtra eſſe voluerit poteſtate, vt liberum nobis ſit illam variis modis ei procurare; quæ res vna profectò eſt nunquam ſatis æſtimanda, & omni ſtudio, atque induſtria, quamdiu vita ſuppetet, procuranda, digniſſima omnino cui ſanguinem ac vitam omnes alacriter, prompteque impendamus, Chriſti Saluatoris exemplo, qui cum nobis ad imitandum propoſitus ſit, ita vitam ſuam omnem compoſuit, vt maiorem Patris gloriam ſemper ſpectaret, & reipſa promoueret; quare illum propius imitari, nihil aliud dixerim, quam maiorem Dei gloriam cęteris paribus augere. Atque ita profectò eſt, tu enim Chriſte Ieſu, Patris tui gloria es: quid ergo mirum, ſi tui ſectatores de tua hac excellentia etiam participent, vt quidquid ſunt, nihil aliud, quam maioris Dei gloriæ trophæa, tua ſimilitudine fulgentia, eſſe cenſeantur.

Cur Deus ex creaturis ſuis gloriam potius quã commodũ quærat.

At hic quærat fortaſſe aliquis, cur Deus opt. max. potius ex creaturis ſuis gloriam, quam commodum, aut voluptatem requirat? vt enim verum ſit, quod veriſſimum eſt, ſibi ipſum pleniſſimè ad omnem commoditatem & voluptatem ſufficeret, idem dicam de honore, ac gloria.

Reſpondeo itaque, cum voluptas, gaudium, &c. bona ſint intrinſeca atque in Deo infinitè perfecta, nullo modo ea creſcere per res extrinſecas poſſe: Gloriam verò, cum non neceſſariò ſit bonum intrinſecum; omnis enim gloria Regum, & Principum, quæ inter homines ſumma eſt, ferè in rebus externis conſiſtit, adeoque etiam in Deo ſaltem extrinſecè augeri ab homine poteſt: quo ſanè nil dici, nil concipi glorioſius poteſt, vt homuncio quiſpiam eo excellentiæ aſſurgat, quo diuinæ gloriæ inſtrumentum fiat, & liberum quidem ac rationale, vt per ipſum, & in ipſo Deus maieſtatis glorietur, & glorificetur, iuxta ſanctiſſimum euangelici vatis pronunciatum. *ſeruus meus es tu, Iſraël, in te gloriabor.* Iſaiæ 49. 3. Iſaiæ 49. 3.

Quartus diuinæ gloriæ aſſertor Ignatius.

Atque hoc eſt, quod præſenti Apophthegmate magnus Dei ſeruus docere nos voluit Ignatius, non tamen, ante quam ipſe præclaris de ſe datis exemplis idem luculenter expreſſiſſet. Finem nullum inueniam, ſi omnia voluerim recenſere, vnum è multis religioſiſſimo fultum teſtimonio grauiſſimi P. Petri de Ribadeneira produxiſſe ſufficiet, qui à

puero

puerocum Ignatio vixit, virtutum eius non segnis obseruator & testis; quod itaque de re proposita ille scripsit, est eiusmodi. Constat per triginta quatuor, & eo amplius annos, nunquam illum, quod in Dei gloriam facere statuisset, propter vllas temporis, cælique iniurias, ex præstituta vel die, vel horâ in aliam diem, aliamúe horam reiecisse. Ita nempè maiori diuini nominis gloriæ semper velificabatur Ignatius, quod si homines tacuerint, vel marmora loquerentur; quemadmodum celeberrimi Parthenonis in monte Martyrum, iuxta Parisios, Abbatiæ virginum Antistita, dum natæ istic Societatis Iesu monumentum extare voluit, literato marmore testata est.

D. O. M.

Siste spectator, atque in hoc martyrum sepulchro
Probati Ordinis cunas lege
Societas Iesu est;
Quæ
S. Ignatium Loiolam Patrem agnoscit;
Lutetiam matrem.
Anno salutis M. D. XXXIV. Augusti XV. die
Hic nata est.
Cum Ignatius, & Socij
Votis sub sacram Synaxin
Religiosè conceptis,
Se
Deo in perpetuum consecrarunt.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

Hic namque scopus Ignatio fuit, vnde quid vetat eidem ab illo nomen, sed magnum ac nobile posse mutuari? cum teste Cypriano eloquentiæ & martyrij laudibus inclyto, templum Salomonis pari modo appellatum sit GLORIA DEI; plusculum namque ei, præ templo illo, Ignatius commodauit. Quare & ab eadem vicissim beneficiis plurimis cumulatus fuit, quorum pretium ac gratiam nulla re melius, quàm studio augendæ gloriæ eius potuit agnouisse, suadente id inprimis ratione, vt beneficiarius benefico nunquam desinat gratificari, claro ad id vocabulo, nec immeritò denominandus, quod ingeniosus quidam, grauisque Poëta non infeliciter his verbis expressit.

Quidquid agis, loquerisque Pater, vel mente reuoluis,
Sola Dei totum Gloria claudit opus:
Paupertas tibi diuitiæ, vigilantia somnus,
Cura quies, lachrymæ nectar, amorque dapes.
Et tibi sunt laudes conuicia, gaudia pœna,
Dummodo præ te eadem Gloria semper erat.
Iam diuina, reor fiet tibi Gloria nomen.
O noua laus propriæ laudis ab interitu!

Neque id profectò absonum, aut à decoro quis dixerit alienum: multum namque debet homo Gloriæ Dei. Ius est, vt illi, vel hoc saltem impendio gratiosus sit, tum quia ipse gloriam suam nostri caussa non quæsiuit, quod sæpius ore suo diuino protestatus est vti Ioan. 8, 50. dicens: non quæro gloriam meam, est qui quærat. Simus nos ille!

Querenda nobis gloria Dei. 1. Christi exemplo.

Ioan. 8. 50.

Ioan.6.10. *Dum cognouisset, quod venturi essent, vt facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus* Ioan. 6. 15.

Matth.17. 9. Cum transfiguratus esset: *Nemini*, inquit, *dixeritis visionem hanc*. Matth. 17.

Matth 9. 30. Dum cæcos illuminasset, *Videte*, aiebat, *ne quis sciat*. Matth. 9. 30.

Matth. 8. 4. Cum leprosum curasset: *Vide, inquiebat, nemini dixeris*. Matth. 8. 4.

Lucæ 23. 9. Dum Herodes signum quæreret, *conticuit*. Lucæ 23. *Ipse nihil ei respondebat*.

Philipp. 1. 7. Cum in forma Dei esset, *exinaniuit semetipsum*. Philip. 1. 7. nec quæsiuit gloriam suam; atque ideo quæsiuit Ignatius, & nos quæramus cum eo: tum verò, quia illud solum est homini vtile, quod Deo est gloriosum.

Vis homo vtilia tibi quærere, non quæras quod tibi sit vtile, sed quod honorificum sit Deo: imò si vis non inutilis esse mundo, solam in mundo gloriam Dei quæras, necesse est; omnes qui hinc declinauerunt, inutiles facti sunt. Da gloriam ei, cui nihil potest esse vtile, & vtilissimum erit tibi: Deus omnem vtilitatem tibi quærit, nullam sibi: tu omnem honorem Deo desidera, nullum tibi. Hæc denique quies & centrum voluntatis inquietæ: quare si quando bonum opus auspicaberis, nequaquam oculos in fructum qui inde existere queat, aut successum quem speras coniicies, sed vt per ipsum Dei gloria increscat, vnde fiet, vt quisquis inde existat, siue is, quem pro concione doces conuertatur, aut non, nequaquam turberis, cum non in fructum, aut boni operis successum, sed in maiorem Dei gloriam conuertaris.

Docuit Ignatius maiorem nos quærere gloriā Dei. Atque hæc illa virtus est, quæ vt S. Thomas loquitur 2. 2. q. 58. a. 5. quasi architectonicè in S. Ignatio fuit, cum viuens ac moriens exemplis, & verbis suis ad maiorem Dei gloriam tantopere posteros incitauit, è quibus vnum, sed singularem, qui multorum vices expleat suffecerit produxisse. Erit autem ille P. Ludouicus de Puente Uallisoletanus, dignus Ignatio patre filius, de quo ita scribit P. Franciscus Cachupinus l. 2. c. 6. de vita eius. Interrogatus hic cur in molesta quadam corporis infirmitate, acerbisque doloribus, oleo hausto ex lampade, quæ Monebregæ ante Imaginem S. P. Ignatij accenditur, multisque oppidò salutare est, affectam partem non vngeret? sublata manu protestor, inquiebat, me corporis sanitatem non petere, nisi fuerit *ad maiorem gloriam Dei*, adeo vt neque æquali stante vtrimque gloria ab hac mente vellet discedere, nisi maior alterutram partem occuparet: quod à S. Patre suo didicerat, qui posita istiusmodi æqualitate, eligendum docuit, quod ex maiore. Dei gloria fore iudicaretur, postponendo proprium commodum obsequio Dei: idque ex mente, iudicioque Apostoli Pauli ad Gal. 6. dicentis: *mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*: quæ verba sic explanauit *S. Ioan. Chrysost. nec vero dixit ego non glorior, aut ego non volo gloriari, sed absit, vt ego glorier, perinde quasi de re portentosa loqueretur*. Quæ licet ita sint, fit tamen non raro, vt dæmon cum nos à Dei gloria, & nostra procuranda salute, ab initio auertere in animum induxerit, in miseram hominum vitam, innumera prope impedimenta, & remoras diuinæ gloriæ, auxilio mundi, & infirmitatis carnis nostræ adiutus, inuehere non cesset, quibus miseros mortales à fine suo longius abducat: vel enim fallacium bonorum cupiditate, à diuinæ gloriæ bono prosequendo, nos dolo malo auertit, vel intentatis mali cuiuspiam minis, apertaque vi conatibus nostris obsistit.

Ludouicus de Puente gloriæ Dei studiosus.

Ad Galatas 6. 14.

S. Ioan. Chrys.

Obstacula & impedimenta ab hostibus.

Prior oppugnandi gloriam Dei modus fundatur in illa humanæ voluntatis inclinatione ad bonum in genere, cum enim Deo expleri in hac vita non possit, nec satis perspectam habeat dignitatem ac pretium, quo diuina gloria æstimari debeat, facilè fit, vt bonorum creatorum familiaritate

miliaritate capiatur, accedente potissimum diaboli opera, qua licet intentionem nostram prorsus euertere non possit, saltem inordinatis affectibus labefactat, quos importunis suggestionibus, vel prauorum hominum sermonibus & exemplis accendit, qui alter eius modus est, quo infelicem hominem inuadit.

Remedia. Vtrique autem tamquam affirmato cuidam modo robustissimos hosce cuneos suppedito.

Primus sit ardentissima sitis Gloriæ Dei, adeo nobis coniuncti, in quem homo seipse, & omnia creata libentissimè refundat. vt in ipso velut omnia pereant, & sit Deus omnia in omnibus.

Secundus, maxima & constantissima voluntatis propriæ resignatio, & cum diuina, in omnibus, conformatio.

Tertius in rebus arduis & suscipiendis ad Dei gloriam & prosequendis, ac denique in finem vsque perducendis ingens animi vis, fortitudo, atque in Deo fiducia, cum profunda humilitate, suique diffidentia. Atque hæc beatissima illa norma est, qua proximè ad diuinum nostrum prototypon maioris gloriæ Dei conquirendæ procitemur. *Græco Ecclesiastæ Chrysostomo* hom. 8. in epist. ad Romanos in hunc modum præeunte: *nos itaque illum Deum glorificemus, tam per ipsam fidem, tum per ipsa opera vt mercedem hanc accipiamus, ab illo, sc. vt glorificemur: eos enim,* inquit ille, *qui me glorificant, & ego glorificabo.* Quamquam, etiamsi nulla proposita esset merces; vel hoc ipsum gloriæ fuerit, nempè quod digni habiti fuerimus, qui Deum glorificemus. Nam, si qui Regum laudes decantant, celebrantque, ij ob hoc solum valde sibi placent, etsi nullus inde alius fructus existat; considera quantæ demum gloriæ fuerit, si Dominus noster per nos glorificetur: sicut & quanti supplicij res futura sit, si auctores fuerimus, vt per nos ille blasphemetur, vel audiat malè: quamquam hoc ipsum, nempe glorificari, caussa nostri fieri velit, ille enim reipsa minimè isto indiget, aut opus habet. Quantum autem esse putaueris Deum inter & homines discrimen? an quantum inter homines & locustas? Sed nullum prorsus dixi discrimen, vel tanto à me allato: neque enim id, quantum sit, verbis exprimere queas. Igitur expende, num velles à locustis gloriam accipere, quantumuis magnam aut splendidam? nequaquam, opinor. Ergo si tute gloriæ sitiens, hoc nolles; is qui hoc affectu vacat, atque ab eo in tantum est remotus, quo tandem pacto gloriæ à te manantis indiguerit? & tamen, vel minimè egens cum sit, ait se illam cupere, propter te.

S. Ioan. Chrys. hom. 8. in q. ep. ad Rom.

Bene igitur ad hoc argumentum *S. Augustinus* lib. de doctr. Christiana cap. 31. hinc colligit, non frui nobis Deum, sed vti, nimirum ad suam nobis testandam, ac communicandam bonitatem. dum à nobis, ac per nos cupit glorificari.

Augustin. l. de doct. Christiana cap. 31. *Deus nobis non fruitur sed vtitur.*

Atque hic vnus ille finis, scopus, ac meta Ignatio nostro fuit, in quam collineare, ac semper consilia sua dirigere visus est, dum præsens hoc Apophthegma tanto spiritus sui ardore pronuntiare, tanta animi constantia exsequi nunquam prætermisit, nullum quippe opus, quantumlibet arduum, ad Dei Gloriam in se recepit, quod non vel vitæ pretio sibi præstandum esse decerneret.

Feruor S. Ignatij.

Faxit diuina bonitas, vt, quam ore Ignatij flammam in terras spargere dignata est, in nobis omnibus iubeat vehementer accendi, qua præsens mentis nostræ infirmitas penitus excocta, ac roborata, ad paris adoreæ lauream ascendat: quod meo, ac communi catholicæ matris Ecclesiæ sensu votum, hac prece consigno: *Deus, qui ad maiorem tui Nominis gloriam propagandam, nouo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti: concede, vt eius auxilio & imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis.* S. Ignati, Pater, ac primum decus Or-

dinis nostri, cui vnicum, Deus fuit, & Deus omnia! id eum flagita, id nobis impetra, vt nostra etiam omnia, MAIOR DEI GLORIA sint.

APOPHTHEGMA SECVNDVM.

Relinquere Deum propter Deum, magnum lucri spiritualis aiebat esse compendium, nullum dispendium.

Daniel. Bartolus l.4.§.37.

Commentarius.



Quid ais, Ignati, relinquendus Deus est? ô verbum asperum atque inusitatum! imò verè scelus nefarium, nec vna morte expiandum! quod ille ipse sui zelator honoris, non segnis tantopere semper auersatus est, vt vbicunque eiuscemodi labem reperiret, non leui cuperet manu erasum, nunc per famulum suum Moysem, nunc per alios quosque è prophetis, grauiter cum Israële expostulans: *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui: generatio peruersa, & infideles filij! Reliquistis me, & ego reliqui vos. Væ filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, & derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur*: vt nulli iam mirum videri debeat, tanto cum feruore ac studio Psaltem regium identidem exclamasse: *Domine ne discedat à me. Ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est. Vsque in senectam & senium ne derelinquas me.*

Quid sit relinquere Deum.

Deuter. 32.18 20. Isaiæ 1. 8.

Psal.17.18.

Et post hæc erit, qui Deum relinquere non formidet, imò verò reliquisse lucro apponat?

Sed propter Deum, inquies: frustra es, audi quid dicat: *ego Dominus diligens iudicium & odio habens rapinam in holocausto*: quo bona omnia per impietatem parta, æquè sibi displicere significat, ac scelera ipsa, quamuis in eius vertantur holocaustum; nec enim salua moralis Theologiæ decempedâ, malum feceris, vt bonum excudas.

Isaiæ 61.8.

Sed eho! quisquis hæc, pariaue vel in caput tuum ascendere, vel forte & in calamum defluere sustines, manum de tabula: ante, quid hic in deferendo Deo spectare velit Ignatius, condisce; non enim is aut Dei Numen abdicandum, aut debitum illi cultum subtrahendum, altero, vel eius in locum subrogato, vel in Societatem admisso vnquam arbitratus est; sed maiore sibi, sãctioreque eiusdem religione proposita, quod magis honorem illius promoueat, isti, quod minus natum est, prouehere, docuisse voluit anteponendum: quod nec Momus, nec Zoïlus, nec Aristarchus ipse ausus fuerit arguisse, contra stante sanctissimorum Patrum sententia, religiosissimorum Ascetarum iudicio, & quod caput est, sacro diuini Codicis testimonio, signisque ac prodigiis cælestibus non paucis. Quis enim, vt hinc incipiam, Apostolorum Principem Petrum impietatis prudens arguerit, dum visa piscium, quos miraculo ceperat multitudine copiosa, magistro suo ad genua supplex accideret, hoc vnum obtestans, vt à se ille exiret, cuius se conspectu indignum arbitrabatur? malebat siquidem eius, in sua humilitate absentiam sufferre, quam cum arrogantia, magistri præsentia recreari. Quis sodes Centurionem illum ore dominico tantopere laudatum culpæ insimularit? dum Christum Deum ac hominem

Quid per hoc Ignatius intellexerit.

Lucæ 5.8.

Matth.8.8.

minem pueri sui medicum tecto arceret, immeritum esse se ratus, ad quem Dominus ingrederetur? certè neque is hoc facto offensus, nec minus honoratum sese arbitratus, quod cominus facturus fuerat, eminus statim perfecit: virumque præ omnibus, quos inter Iacobi posteros aliquando nouerat, dilaudauit. Tanti fuit & Dominum propter Dominum pro summissæ mentis studio à se dimisisse.

Res pulchra est, ac planè notabilis, quam in hanc rem ex Ioanne Taulero narrat Ludouicus Blosius de virgine monacha, quæ diuino amore flagrans, speciosum forma præ filiis hominum videre desiderarat; cui mox ille visendum se quoque præbuit, forma pueri admodum liberali: cumque ad commune opus superioris mandato accerseretur, puerulo Iesu ait: *en dulcissime Domine mi Iesu Christe, pro explenda obedientia ex tuo nomine, abeo, donec ad te redire liceat.* His dictis è cella exiit, & quod facere iussa erat, animo voluntario, hilarique vultu peregit: deinde ad cellam reuersa, dum eam aperiret, mira quædam & radiantissima lux oculis eius se ingessit: adeo vt vix eam sustinere posset. Vidit igitur amantissimum suum Dominum in perfecta ætate, tamquam elegantissimum Iuuenem viginti & quatuor annorum, adstantem: qui interrogatus ab ea, quomodo ex pusillo tam grandis factus esset; respondit: filia charissima, profunda velocis atque impigræ obedientiæ tuæ humilitas, me tam breui tempore tam grandem effecit. Semper ergo mei amore libenter obedi, si mihi sine medio cupis vniri. Post quæ verba, Dominus disparuit.

Lud. Blosius apol. pro Taulero c. 6.

Et quid hoc aliud fuit, quam Deum propter Deum magno lucri spiritualis compendio, nullo autem dispendio reliquisse?

Insita erat disciplina hæc illorum Ascetarum animis, quorum *Cassianus* mores describit, quos mentem hanc non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio, & quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferre solitos tradit, vt illi omnia postponenda, & vniuersa dispendia subeunda iudicarent, dummodo bonum hoc in nullo violasse deprehenderentur.

Commune hæc SS. PP. doctrina. Cass. l. 4. c. 12.

Smaragdus quoque de hac re disputans: *propter obedientiæ perfectionem* inquit, *omnium aliorum actio relinquenda est operum, quia magis placet Deo obedientia quam victima.* Præsertim cum alibi doceatur meliora ex obiecto posse ac debere omitti pro minus bonis superiore præcipiente: quia seclusis aliis circumstatiis, hoc ipso quod præcipitur, fit obedientiæ virtute, vt sit melius hoc agere quod iuberis, quam illud quod agebas. Atque hæc doctrina ex S. Gregorio magno deprompta in Iure Canonico, c. quid ergo 11. q. 3. explicitè reperitur.

Smaragd. in c. 5. reg. S. bened.

S. Gregor. l. 35. mor. c. 13.

Sed neque in his duntaxat virtutum actibus, hæc se veritas manifestè ostendit, sunt & alij, nec illi rari aut pauci, in quibus se luculenter aperire consueuit: & primo quidem in familiaribus cum Deo congressibus, quibus fidelis anima ab vbertate diuinæ consolationis inebriari, & largo solet cælestium voluptatum rore perfundi, quorum tamen deliciis non vsque adeo inhærendum ducit, quin, vbi vel maius Dei obsequium, vel proximi à Deo imposita dilectio, aliud requisierint, iisdem non grauatè renuntiet, iuxta sapientissimi regis sanctissimum effatum: *tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*; hoc est teste S. Hieronymo & Hugone, tempus suum est vacandi contemplationi, & diuinis cum Maria amplexibus; tempus pariter eis abstinendi, vt vacetur actioni cum Martha, & indigentiæ alterius hominis succurratur.

Locū habet in omnibus.

Eccl. 3. 5.

Ita Moysem diuinis colloquiis in monte suauissimè occupatum peccantis populi idololatria ad inferiora abstraxit, neque enim grauatè vir ille sanctissimus Deum, cum quo iam quadraginta dies summa animi

Ita Moyses fecit.

 sui

sui voluptate transegerat, relinquebat, cuius honorem in populo isto cognouerat periclitari.

Atque hæc præclarissima illa diuini amoris vis est, quæ modò nos ad interioris vitæ delicias vocat, modo ab eisdem nos abstrahit, vt omissa parumper quiete, ad negotiosas vitæ exterioris functiones transeamus.
Ita S. Augustinus. Hæc magnum illum Aurelium Augustinum, cum vitæ præteritæ peccata austerioris solitudinis disciplinâ castigare statuisset; vt omnem operam ad subleuandas hominum miserias transferret, mira quadam potentia attraxit: hanc quoque veteres illos Anachoretas agnouisse, author Theodoretus est, dum communibus Ecclesiæ periculis concitati, vrbana negotia solitariæ quieti prætulerunt, quorum exemplis Acatius Episcopus, Iuliano monacho viro sanctissimo persuasit, vt Deo propter Deum tantisper relicto, laboranti Ecclesiæ contra Arium suppetias ferret. Ita S. Iuliano.

Ita S. Aphraates. Quod optimè intelligens vir sanctissimus Aphraates, diuinis meditationibus in Eremo abruptis, ad publicum contra Ualentem certamen descendit, vbi à Tyranno conspectus, atque ab eodem non sine cauillo interrogatus, quid monachus inter homines ageret? respondit: non decere, se domo conflagrante, in ea desidere, sed aquam afferre, & omni ope ignibus resistere, quod vnum in præsentiarum moliebatur, contemplandi otio, in agendi studium, tantisper commutato.

Ita S. Abrahamius. Quæ illi pro communi multorum salute moliti sunt, pro vnius columbæ aucupio designare Abramius, non tam sanguine, quam virtute nobilis, non dubitauit, cum neptem Mariam nomine, lapsam, eremo digressus, quæsiuit, & feliciter inuenit, postquam solita precum suarum ac pietatis exercitia propter vnius animæ pereuntis auxilium, non temerè per dies plurimos intermisisset.

Obiectio in contrarium. Sed non omnium vnus hic sensus est, & fortassis, qui hæc legis, ex illis vnus es, qui ad diuinam communicationem aspirare charissimum habes, externas verò occupationes, quibus subinde distraheris, formidas.

Responsio. Sed, dicito, nunquid ad vitæ perfectionem vocatus es? quomodo ergo tibi persuaseris voluntatis Domini esse, vt toto die in templo sedens & animas, quibus vtilis esse possis, per commoda media non requiras? cum actio hæc spiritualis, circa salutem proximi, ceteris paribus, hoc est, debitis temporibus suscepta, & prudenter expensa, maioris meriti sit, quam actualis vlla contemplatio esse possit; *tu quidem*, inquit, *S. Bernard. in tui custodia vigilans, bene facis, sed qui iuuat multos, melius facit, & vtilius*: neque enim profectus noster suauitate metiendus est, nec semper dulciora meliora sunt, imò quod in corporalibus alimentis vsu venit, idem in bonis actionibus locum habet, vt magis Deo placeant & perfectius nos in omni virtute promoueant, quæ minus delectant. S. Bernardus serm. 12. in Cãt. Lectio, oratio, contemplatio suauiores sunt, fateor, at postquam his sua temporis spatia concesseris, animarum procuratio, & tibi, & illis vtilior est; illis quidem, quoniam hoc opere eos de tenebris, cænoque peccatorum ereptos in admirabile Dei lumen adducis: tibi verò, quia ex duobus talentis à Patre familias acceptis, orandi sc. & laborandi, neutrum otiosum habes, sed duplicatum lucrum reportas. Ita Mellifluus Doctor Bernardus dum verba illa Canticorum: meliora sunt vbera tua vino, sodalibus sponsæ attribuens, eas sic sponsam alloquentes inducit: *iniustè murmuras aduersus sponsum, quia id plus valet, quod ille iam dedit, quam quod tu petis. Quod postulas, re quidem delectat, sed vbera quibus paruulos alis, quos & paris, meliora, hoc est, magis necessaria sunt, vino contemplationis. Aliud siquidem est, quod vnius lætificat cor hominis, & aliud quod lætificat multos.* Serm. 9. in Cant.

Vlterius prouehitur *S. Gregorius*, dum genus hoc sacræ actionis non solum

ſolum antetulit contemplationi. Sed comparatione eius quaſi imperfectam arbitratur; verba eius hæc accipe: *Sunt nonnulli qui magnis muneribus dicati, dum ſolius contemplationis ſtudiis inardeſcunt, prædicatione refugiunt, ſecretum quietis diligunt, ſeceſſum ſpeculationis petunt, de quo ſi diſtrictè indicentur, ex tantis procul dubio rei ſunt, quantis, venientes ad publicum, prodeſſe potuerunt; qua enim mente is, qui proximis profuturus erubeſceret, dum vtilitati ceterorum ſecretum præponit ſuum, quando ipſe ſummi Patris vnigenitus, vt multis prodeſſet, de ſinu patris ad publicum egreſſus eſt.*

S. Gregorius 1. p. part. c. 5.

Obiectio. At defectus metuis, qui ex conuerſatione cum proximo, diuina tantiſper relicta, emergere ſolent, & tui imminutionem feruoris, quam eiuſcemodi diuerticulo efficiunt in multis.

Reſponſio. Timori huic, duplici via occurro: vel enim hîc vanus eſt, & ei quem panicum appellare conſueuimus, ſimilior quam vero: vel ſi aliquis ſubinde, & quaſi operis comes oriatur, ac ſubſit, remedium in promptu eſt.

Et ad primum quidem quod attinet, ita habendum, vt qui virtutem ſuam ita cum hominibus communicare inſtituunt, non modo nihil de virtute ſua deperdere, ſed etiam aliquid, atque adeo multum eam augere reperiantur. Quaſi enim neceſſitatem quandam iniiciunt Deo, vt dum ipſum propter ipſum relinquere videntur, eos ipſe non deſerat, ſed primum quidem impertiat, quod per illos, in ceteros effundi præoptat: in quos etiam illud, vel maxime cadere poteſt: *date & dabitur vobis*, vti fuſius apud Salomonem legitur his verbis: *anima, quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.* Euenit enim his, quod Principis alicuius eleëmoſynario, cui ſemper à Principe multam oportet ſuppeditari pecuniam: quamquam iſti quidem, ſi modo fidelis eſſe velit, nihil ad proprios vſus temanet, neque is propterea ditior redditur: quare dicendum potius ſimiles eſſe nutrici regiæ, quæ cum regio cibo alatur, quod ſibi ſupereſt, id infanti impertit.

Lucæ 6. Prou. 11.

Confirmatio. Sed ita ſit, quod ſecundo loco dicendum, detrimentum ſubinde aliquod in dulcedine contemplationis patiare, propter exteriorum occupationem, qua proximo ſeruis; at hoc ipſum perfectionem diuinæ dilectionis teſtatur; magis enim aliquem amare conuincitur, vt S. Gregorius ſcitè expreſſit in paſtorali, qui propter eius amorem iucunditate præſentiæ eius ad tempus carere non refugit, in eius ſeruitiis occupatus quam ſi eius præſentia ſemper frui vellet, quo fit, vt omne quod hîc emergere damnum poſſit, aliundè compenſetur.

S. Greg. in Paſtorali.

Puluerem excutit charitas. Vltra pergo, & dum foras exis, mundano te puluere interdum aſpergi concedo: quid inde? ergo omni poſthac conuerſatione abſtinēdum? audiatur theodidactus ille Clarauallenſium Abbas Bernardus: *temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier manens in domo: dico, ſi is qui in clauſtro eſt, eum, qui verſabatur in populo, interdum minus diſtrictè, minuſue circumſpectè ſe gerere deprehenderit, verbi gratia, in verbo, in cibo, in ſomno, in riſu, in ira, iudicio, non ad iudicandum confeſtim proſiliat, ſed meminerit ſcriptum: melior eſt iniquitas viri, quam benefaciens mulier; nam tu quidem in tui cuſtodia vigilans bene facis, ſed qui iuuat multos & melius facit & virilius. Quod ſi implere non ſufficit abſque aliqua iniquitate, id eſt, abſque aliqua inæqualitate vitæ & conſeruationis ſui; memento quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Ita *Bernardus*, & rectè id quidem, quod à ſponſa, ſingulatis ille ſponſi amicus didicerat, dum eam præclarum iſtud amoris ſui canticum audiit perſonantem: *Nigra ſum, ſed formoſa ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis, nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol.*

Bern. ſer. 12. in Cāt.

Cant. 1. 4.

Sed quid, optima Sulamitis, hæc verba ſibi volunt? *nigra ſum, ſed formoſa.*



mosa. Si *nigra*, quomodo *formosa*? si *formosa*, quomodo *nigra*? Inde, inquies, *nigra*, vnde *formosa*, inde *formosa* sum, *vnde nigra*.

Felix nigredo, quæ mentis parit candorem. A sponsi amplexibus auulsa, in arenam, solemque prodieras, vnde per fragilitatem conditionis tuæ, non tam nigra facta, quam fusca, veniam merebaris, quia te sol decolorârat, sol igneus caritatis excelsæ, qui sponsum propter sponsum tantisper persuaserat relinquendum: quare tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis iam facta similior, foris à sole nigricantibus, intus auro, gemmisque fulgentibus digna habita es, quam non iam Regum sapientissimus inhabitet, sed verus ille pacificus Christus Iesus, per gratiam suam possideat sempiternam: Bene igitur, teste S. Ambrosio, in psal. 118. *præmisit Nigram, vt augeat decoram.*

S. Ambrosius in ps. 118.

Quid sit Deum propter Deum relinquere.

Quid itaque, vt paucis multa complectar, esse dixeris, Deum propter Deum relinquere? quod Ignatium dicere solitum accepimus, *Magnum è damno lucrum*: supra meritum namque tam digni operis quale est vel vnius animæ solus, te manet beneuola quædam ac comis apud Deum susceptio, vbi ad eum redieris, & amplior quidem atque iucundior, quam si metu distractionis, ab eo nunquam recessisses: quare non abs re negotium hoc appellaris *circulum mutui influxus*, quia dum oratio hominem diuinis amoribus incendit, foras ad alios eodem igne inflammandos impellit, cui dum pronus obsequitur, fit Deo acceptior, & vicissim magis ad cælestia lumina, diuinosque fauores recipiendos paratur.

Quæ cum ita sint, rectè fidelis anima reputare sibi debeat ad gloriam, quod ab ignauis, & timidis audierit formidari ad pœnam: quomodo namque erubescere hanc possit nigredinem, quam norit, amore sponsi, lætiori à se formæ fuisse prælatam, dum ex vmbra egrediens, à Sole cæpta est decolorari, hoc est, eâ ignescere charitate, quam & in sponso didicerat præcessisse, cui aliquando posse assimilari, summa votorum est attigisse.

In dubiis quid agendum.

Et hactenus quidem extra salebras itum, nunc autem nescio quid asperum oculis nostris se offerat & inæquale, non absque saltu transmittendum, dum ea video incidere posse tempora, offerrique occasionem, qua Deus quidem propter Deum relinquendus proponitur: sed non absque remora, & anxia quadam mæstitudine hominis animum occupante; dum subinde quid agendum, non sat liquet. Res anceps & animo libero, præsentique intuenda, idque tanto cautius atque prudentius, quantò plures inuenire est viros doctrina ac pietate insignes, in eisdem sæpe circumstantiis, sibi mutuò nequaquam hic consentientes.

Arsenij sensus.

Quis magnum *Arsenium* ignorat! ad quem cum veteres aliquot anachoretæ visissent, spe bona sanctæ cuiuspiam institutionis, quam ab ore eius exspectabant, obtinendæ, quid egit? silentio viros accepit moxque ad orationem secedens omnes à se silens dimisit: quare ab eius cella digressi ad Abbatem Moysem propter eandem caussam diuerterunt, qui mox orationi finem imponens religiosos hospites admirabili quadam comitate excepit, tum corporibus, tum verò animis eorum suam apparans refectionem.

Contrarius Moysis Abbatis.

Quantus inter suos Abbas fuit Apollo? *deserti oraculum* appellatus, & quid ille? fratris asinus luto inhæserat, nec iumentum ille suum extrahere poterat, quare curriculo ad Apollinem fugit, auxilium à fratre implorat, is ne suum, quem cum domino orsus fuerat, interrumperet sermonem; mæstum à se fratrem discedere permisit: vbi alius isto nequidquam inferior, ob aduentum hospitis solitudine egressus, abstinentiam soluit, & peregrinum refecit, super quo ab altero interrogatus, nunquid inuito sat animo id egisset? respondit, nequaquam, sat gnarus, sic

Abbatis Apollinis super hoc sensus.

sic duas se virtutes coluisse, abstinentiæ vnam, quam voluntate, alteram charitatis, quam actu exercuerat, peregrinum recipiendo. Quibus in vtramque nobis partem hi suo velut exemplo præluxisse visi sunt, nec satis tamen dubium expediuisse.

In dubio orandus Deus.

Dico itaque hos omnes id sedulò factitasse, quo se magis Deo placituros esse arbitrabantur, quod & nobis vnicè faciendum reor. Uerum cum istud nonnunquam tutò satis perspicere nequeamus, nec pronum sit omnibus, vtrum Deo gratius iudicare sedulò ad id, quod *B. Magdalenam de Pazzi* Christus aliquando docuit, confugiendum reor. *Oculos*, inquiebat, *in cælum sustolles, atque à Sole amoris perpetui radium lucis, quo illustreris exposces, parata, quod ille ostenderit amplecti.*

Ita docuit B. Magdalenam de Pazzi Dominus.

Regula hic obseruanda.

Plenum prudentiæ ac sanctitatis consilium! erit tamen præter hoc, non abs re geminas quasdam obseruare Regulas, quarum prima de scripturæ thesauro eruta, altera à SS. PP. inuenta est, quas sequaris.

Prima.

Ad primam quod attinet, est illa eiusmodi, vt id, à quo nostræ naturæ procliuitas magis diffidet, alteri quod oculis sensibusque blanditur, præferatur; velut si quispiam conspectâ in horto rosulâ, ambigat, an eam carpere velit, vt odore eius suauissimo naribus hausto, & specie oculis propioribus expensa, muneratorem Deum cumulatius laudet; an verò naturæ propensionem exsuperans, vim sibi importet, illâque nec visâ, nec odoratâ prætereat propter Deū; quando iste quidem simpliciter decerpendo non peccabit, hic verò propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente meritum obtinebit, quanta est distantia cæli à terra: vt fusiusrem hanc prosequitur Ludouicus Blosius Institut. spiritual. cap. 2. §. 1.

Lud. Blosius inst. spirit. c. 2. §. 1.

Ioan. Auila de hac re audiit.

Nouerat id *Ioannes Auila* magister ille doctrinæ spiritus in paucis præstans, dum inuitanti socio vt amœnissimi ac floridissimi horti, per quem deiectis luminibus ibat, aspectu frui vellet, posse per eam vernantis naturæ versicolorem hilaritatem animum in diuina subrigere; immotus ac seueritati propior respondit: hoc mea non interest, nam animo ad diuina subuehendo satis mihi Domini Iesu Christi florēt mysteria.

Secunda.

Altera Regula est, quam *S. Vincentius Ferrerius*, aliique complures spiritualis vitæ magistri tradidêre, alienam hîc potius à nobis sequendam esse voluntatem, quam nostram, modo illi diuinam non cognouerimus aduersari.

S. Ignatius exemplo suo docuit Deum propter Deum relinquendū.

Et magnum quidem hîc atque illustre virtutis suæ specimen S. Ignatium reliquisse patet, ne plus verbo, quam opere, linguâ quam manu docuisse videretur. Parisiis à viro nobili inuitabatur, vt secum trudiculis luderet, quibus in oblonga mensa per angustum formicem eburnea pila traiicitur. Quid agat Ignatius? vir serius ac grauis, de Deo solitus, diuinisque rebus cum illis, quos viseret instituere sermones, quibus ad pietatem incendi, mundique possent concipere despectum; & ille cum homine profano ludat? & trudiculis ludat? Abnuebat sanè voluntas, & quod plus est, ludendi prorsus ignarus erat intellectus: ne tamen datam iam Regulam negligere videretur, ludam, inquit; at enim quâ sponsione, subiicit alter? Tum Ignatius, hac sponsione respondit, vt certo vtique dierum numero tibi deseruiam: verumtamen arbitratu tuo, si viceris tu; meo, si superior ipse discessero. Cum ea conditio placuisset: age sanè in certamen descenditur; cumque nihil minus calleret Ignatius, diuinitus factum est, vt in singulos omnino traiectus; victor euaderet: subinde exclamante aduersario, se meritò plecti, qui Ignatium prouocasset, seque diuinum iudicium prorsus agnoscere. Peracto deinde certamine, victum victor ab inanibus curis & occupationibus in aliquot dies abductum, è sponsione, spiritualibus exercitationibus diligenter excoluit; torpentemque situ ac deliciis animum

animum ad salutarem Dei metum, æternæque vitæ cogitationem excitauit; Ribadeneira l. 5. c. 10.

Et his quidem satis, superque liquere arbitror, quod initio, ex mente eiusdem *Ignatij* enucleandum assumpseram *Relinquere Deum propter Deum magnum lucri spiritualis esse compendium, nullum verò dispendium.*

Neque enim sola Oratio, aut assidua illa de rebus diuinis sermocinatio est, quæ nos faciat Deo nostro inhærere, ita vt extra illam positi cum absolute deseruisse dicamur, ac velut eiusdem absentiæ dispendia incurrisse: plurima siquidem præterea sunt, quæ nos cum eo coniungant, vt sunt charitatis officia. Obedientiæ virtus, exercitium Iustitiæ, aliaque sexcenta quibus, abrupta etiam quiete, atque oratione seposita, licet insipientium oculis videamur nos à Deo abstrahere, eiusque donis fraudare, neutiquam tamen id agimus, sed arctius cum eo coniungimus, & amplioribus gazis locupletamus, quod clarè affirmat B. Ludolphus Carthusianus p. 2. de vita Christi c. 42. dum sic loquitur: quidquid Iustus facit, & dicit secundum Deum ad orationem spectat, nam semper orat; qui semper bene facit, seu in bono perseuerat, nec desinit orare, nisi cum desinit iustus esse: erat enim non solum lingua, sed & cor, & cogitatio, desiderium, sensus, manus, oculi, & omnis operatio bona. Legere asceticum librum, bona est oratio, curare Infirmum, oratio est; audire concionem, oratio est: instruere liberos, oratio est: demum oratio est, quidquid ex vsu maioris gloriæ Dei est. Optimè igitur is orat, qui officium suum rectè procurat.

Cintius quidam erat ciuitatis cuiusdam Prætor, vir cætera bonus, qui magno studio pietatis opera strenuè confectabatur, frequentabat assiduè templa, & orationem, vt publicis negotiis superesset parum. Hunc litteris conuenit B. Petrus Cardinalis Damiani, vt ab errore absolueret, quo inaudierat hominem attineri, in hunc modum: *caue ne propter peculiaris orationis studia, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligat, & propter proprium commodum, communem plebis salutem, quæ Iustitiam à te præstolatur, omittas.* Hæc ille lib. 8. epistola 2. quasi diceret: Exosa est Deo eiuscemodi pietas, quam sectaris, dum communem vtilitatem priuato orationis amori postponis. Quare, velim, aduertas, quod grauiter falleris, nec enim est alia tam bona oratio, quam proprij officij diligens curatio, bonorum sc. remuneratio, & improborum castigatio. Scriptum quippe est, inquit porrò idem Cardinalis, *qui conseruat legem, multiplicat orationem, & sacrificium salutare, attendere mandatis.* Eccli. 35. 1.

Pet. Damiani l. 8. ep. 2.

Eccl. 35. 1.

Si autem Dei præceptum hoc habet, vt pro officij, in quo te posuit, debitò, iustitiam administres, & hoc tam laudabili ministerio occuperis, gratissimum illi sacrificium offeres, si quod muneris tui partes à te exigunt, grauiter ac sedulò præstes, hoc namque optimè orationis, sine vlla dispendij formidine, loco erit.

Calculum suum sincerum, atque probatum his adiiciet S. Dorotheus Archimandrita, qui inter SS. PP. & rectè sentientis & laudatissimi viri nomen tulit, dum singulare illud visum nobis exponet, quod sibi à maximo Dioratico narratum scribit, erat autem eiusmodi: Nocte quadam cum psalmos canere in choro religiosi Ascetæ inciperent vidit è sacrario prodire pulcherrimum iuuenem, qui manu præferebat calicem & hostiam, quam vbi intinxerat sanguini, eadem frontes præsentium obsignabat. Non aderant istic omnes præsentes, vidit tamen vir ille sanctus absentium sedes aliquot ab eodem iuuene consignari, tamquam præsentes fuissent, suumque illis tam eximij beneficij stipendium numerari, velut communem laudum diuinarum laborem cum aliis ibidem exsoluissent. Vidit ad hæc aliis quorundam absentium locis vacantibus nihil

Dorotheus doct. 11.

nihil huiuſcemodi honoris exhiberi. Quod autem initio idem ſub finem pſalmodicè feciſſe iuuenis viſus fuit.

Admiratus myſterium Dioraticus, ſummiſſis in terram genibus ad reuerentiam, rogauit iuuenem obnixè, vt aperire vellet, cur aliorum ſedes ſanguine tinxiſſet, aliorum præteriſſet. Reſpondit mox ille, ſe Angelum Dei eſſe, & ad hoc miſſum vt illo inæſtimabili ſigno, eos, qui prompti, hilareſque ad concinendas Deo laudes conuenerant, notaret, & præteriſſe quidem aliquorum ſedes, quis ſuâ negligentiâ à communibus officiis detinuiſſet, aliorum autem conſignâſſe, quos ſuperiorum iuſſo rebus aliis occupatos habuiſſet, vt publicæ pſalmodiæ adeſſe præſentes non poſſent, vel etiam eorundem imperium ad vires inſtaurandas dormire viſſiſſet. Hæc S. Dorotheus doctrinâ vndecimâ.

Unde perſpuè liquet, Deum relinquere propter Deum nullum relinquentibus inferre diſpendium, cum facere ea, quæ obedientia iubet, perinde ſit, atque vel orationi adſiſtere, vel ſupplicationi intereſſe, conſignante Angelo taliter abſentium ſedes pari beneuolentiâ & honore, atque illorum, qui reapſe pſalmodiæ præſentes adfuiſſent.

Quin & amplius hoc aſſerere viſus Dorotheus fuit, dum idem cæleſtis ſigni veſtigium impreſſum quoque illis fuiſſe aſſeruit, qui cum Patris ſpiritualis imperio ſomno vacaſſent non minus atque iis, qui precibus vigiles adſtitiſſent: Quo ritè intellectum ab omnibus, poſſe nonnunquam etiam ſomnum, non ſine merito, præ vigiliis admitti, tametſi hæ ad diuinas laudes propius ſpectare videantur, præſertim ſi ita ad maiorem Dei gloriam. Præſide iubente admittatur. Quocirca ſi ſomno vacare, tanto promerito dignum quãdoque habeatur, quantum ipſa Oratio ſoleat pollere, Angelo atteſtante, cur non intermitti ſubinde illa ſine querelis poſſit ac debeat, quoties curam, operamque noſtram res aliæ, magis ad Dei gloriam ſpectantes, ac neceſſariæ id ipſum poſtulare videntur?

Atque ita, mediusfidius, nobis dicendum eſt, nec iis ſolum in caſibus, quos hactenus in medium protulimus, ſed aliis inſuper, quibus Deum propiùs contingere, vel ab eo recedere longiùs videamur, quos inter vel hic Primus ſit, cum diuina præſentis Dei ſolatia profuſa luminum gaudia, cæleſtium voluptatum delicias in hac vita recuſamus; vt Chriſto capiti noſtro ſimiliores effecti, qui corpus ſuum, dum hic viueret, glorioſa animæ participatione priuauit, vehementius eidem placeamus, in quo ſingulariter excelluiſſe magnum illum Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconum *Ephremum* Græci Patres teſtatum reliquêre, vt identidem exclamaret: *contine Domine vndas dulcedinis tuæ*. In quo non abſimilem ſibi nactus eſt ſocium *B. Franciſcum Xauerium* eximium illum Orientis Apoſtolum, quem nimirum Goæ in hortis domeſticis inambulantem, atque incredibili diuinarum deliciarum copiâ redundantem, in hæc verba ardenti vultu, ac vibratis in cælum oculis ſæpè prorumpentem, auriti teſtes, quos remotos credebat arbitros, audierunt *ſatis eſt Domine, ſatis eſt*. Horatius Turſellinus l. 2. c. 10.

Varij modi quibus hae doctrina exercenda eſt. — *Primus Modus.* — S. Ephrem — S. Franciſcus Xauerius *Deum propter Deum relinquit.*

Ain' tu Franciſce, ſatis eſt? Meminiſtine cum Ulyſſipone in Valetudinario profectionem Indicam operireris vt Deus tibi per ſomnium oſtenderit, quanta te oporteret pro nomine ſuo pati, & hanc voculam ærumnarum inſatiabilem pro reſponſo abs te datam *Plura, Domine, plura*. Quaſi diceres, non ſatis hæc, Domine, non ſatis. Quid ais heros magnanime? quidquid viua mortalitas quauis morte atrocius pati poteſt, id tibi Deus obiicit, ac vaticinatur perferendum, & clamas non ſatis eſt: parumne igitur vir bone, arbitraris toto decennio fame, ſiti, æſtu, frigore, nuditate, paupertate, angoribus, aliiſque id genus ærumnis

afflìgi, vt nullis cæleſtium delicia-rum amoribus tangaris? hinc enim illud tuum ſatis eſt, & non ſatis cre-diderim exoriri. O vim incredibilem càritatis! qua Deo hic tantiſper ca-rere optabas, vt potireris æternum, hîc affligi; vt perpetuò cum ipſo gauderes. Sed quid?

Aloyſius Gonzaga Deum propter Deum relinquit.

Hiſne accensère auſim Angeli-cum iuuenem *Aloyſium* noſtrum *Gonzagam*, id ſane virtus eius, & imitan-di Patris ſui *Ignatij* indefeſſum ſtu-dium promerentur. Interna gaudia quibus mens eius aſſiduò paſcebatur, adeò omnem corporis curam exemerant, vt magis ac magis indies debilitaretur, nec diu viuere poſſe iudicaretur, quare Præſides qui eum regebant, vt quam longiſſimè abeſ-ſet à meditationibus animi, imperâ-rant; hoc addentes, vt quo ſanitatis tuendæ causâ diligentius ſibi tempe-raret, hoc magis, ſe è Dei gloria fa-cere crederet.

Neque verò magni negotij fuit eum, qui multò obedientiſſimus erat, in hanc mentem impellere, in templi itaque odæum, eius loco creber-rimè aſcendere, Sanctiſſ. Euchari-ſtiæ adorandæ causâ. Ibi ſimul acci-derat in genua, confeſtim ſurgere, ac ne quâ cogitatione à ſenſibus a-briperetur in Deum, inde ſe curri-culo proripere. Verùm hâc diligen-tiâ parum proficiebat. Quo enim o-bediendi amore magis inſiſtebat fu-gere, hoc Deus illum acrius conſe-qui, ſuique copiam illi facere. & pe-ctus illuſtrationibus, deliciiſque cæ-leſtibus totum permulcere, quas ille ſentiens, ne ſuperiotum mandata frangeret, Deique gloriam accide-ret, recuſabat, ſubmiſſoque animo Deum alloquens: *recede Domine*, aie-bat, *à me* Ceparius l. 2. vit. c. 11. Ita-ne Aloyſi, Deum abigis, abigo, in-quiebar, vt penes me ferueat.

Ioanna à Cruce Deũ propter Deũ relinquit.

Patuit id luce clarius in Parthe-none Ioanne à S. Cruce. Obtulerat ſe Virgini huic, domeſtico in horto diuina meditanti videndum ſe Chri-ſtus, Virginum ſponſus, aderatque vnà Deipara, dum hæret in aſpectu, & diuinas voces audit; ecce tibi oſtij nola pulſatur, curriculo ſe eo proti-puit, quod adeſſe, ac reſpondere ad-euntibus imperatum eſſet. Quibus vt factum ſatis ad hortum regreſſa, eaſdem illuſtres ſpecies, eodem in veſtigio reperit, intellexitque nun-quam nos magis Dei mereri præſen-tiam, quam cum Deum propter Deum relinquimus.

Item alia quadam ad Virmontanalis Villa-nouana.

Nec abſimile quod in Uillanoua-na ordinis Carmelitici domo conti-giſſe legimus Chronici l. 5. c. 4. n. 6. Erat hic Monialis, quam Christus Dominus pluribus noctibus viſita-bat: verita Prioriſſa ne illuſio foret, iuſſit illam dormire, neque audien-tiam dare apparitioni. Venit Domi-nus, & religioſa obedit, dicens: ig-noſce Domine, nam obedientia man-dat me dormire, & dormiuit totâ nocte; mane facto inuenit Chriſtum iuxta caput ſuum, qui dicebat, *quia obediuiſti, te cuſtodiui*, & diſparuit, re-linquens animam illam magna dul-cedine delibutam, quali fruuntur, qui Deum propter Deum reliquiſſe ſe gaudent.

Alius Anonimus ex P. Ant. Gaudier.

Nec alienum à propoſito dixe-rim, quod Antonius Gaudier lib. de natura & cauſa perfect. c. 1. in hanc rem prudenter expreſſit, Deus inquit, cuidam Amico ſuo mira per inter-nam illuminationem reuelabat, is verò orabat Dominum, vt ſi ei pla-ceret, eiuſcemodi ab ipſo gratiam auferret. Itaque ſubtractâ gratiâ per quinquennium dereliquit eum omni ſolatio deſtitutum, magnis è contra-rio tentationibus, anguſtiis, ac cala-mitatibus afflictum: cumque à duo-bus Angelis viſitaretur, recedere eos iuſſit, nullam proteſtatus ſe admit-tere velle conſolationem, qui ſolo Deo, eiuſque ſanctiſſimâ voluntate contentus viuebat. Optimè ſanè, ac ſapienter, ſi enim qui relinquit do-mum aut agrum propter Deum, cen-tuplum hîc accipiat, æquum non eſt, vt qui plus reliquerit, minus acci-piat; pluris enim eſt voluntas, quam domus, Deus quam pater, quibus ſi centuplum, certè his millecuplum reſetue-

reſeruetur neceſsè eſt: quo reſpicit lactea Bernardi doctrina: *in multis tentat te Dominus Deus tuus: Declinat ſæpius, auertit faciem, ſed non in ira. Probationis illud eſt, non reprobationis. Omnia iſta cooperantur tibi in bonum, de acceſſu, & receſſu lucrum acquiris.*

S. Bernardus.

Uenio ad modum alterum ex duobus illis, quos antè propoſui, eorum ſc. qui datâ occaſione, non iam Deum ad tempus aliquod, ſed in perpetuum relinquere propter Deum paratos ſe exhibent. Et ducem quidem ſe nobis idoneum hîc offert, qui populum Iſraëliticum ex Ægypto eduxit in Chanaanitidem, *Moyſes*: viderat hic ingratum populum, tot olim beneficiorum, quibus à Deo cumulatus fuerat, nimis immemorem propoſitum vituli caput, quod ex auro eis Aaron conflauerat, diuinis honoribus coluiſſe: ſcelus ingens, & nullis piaculis ſatis eluẽdum! cum furore iuſtiſſimo correptus Dominus, ſuum delere populum, & auferre à facie terræ ſtatuerat Iſraëlem. Quod vbi cognouiſſet Moyſes, altum ingemiſcens, ad Dominum inquit *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro, quem ſcripſiſti.* Exod. 32. 41.

Secundus modus quærendæ gloriæ Dei.

Moyſes.

Exod 32. 41.

Quid Propheta hic Dominum rogauerit, multi ſolenniter quærunt: hyperbolem agnoſcit *Auguſtinus* q. 147. quæ tantum ſignificet vehemens deſiderium ſalutis populi in Moyſe. *Caietanus* librum, pro decreto Principatus poſitum exiſtimat. *Hugo Victorinus* ex impetu humanæ affectionis locutum putat. Optimè *S. Ioan. Chryſoſt.* in cap. 9. ad Rom. Moyſen, inquit, tranſcendiſſe cogitatione, non tantum omnes præſentis vitæ agones, & mortes, ſed etiam pro Deo, quem magis quam ſeipſum diligebat, cælos, & Angelos ſupergredientem omnia inuiſibilia ſpreuiſſe, ac pro Dei amore, ab ipſa Dei fruitione, beatitudine, & ineffabili gloria excidere non tantum petiiſſe, ſed reuera & ſeriò optaſſe: malebat ſiquidem vt eius gloria à toto populo celebraretur, quam à ſe ſolo, vt tot millia præſentium & futurorum ex eis gignendorum eum colerent, atque amarent, quam ipſe ſolus per ſe Deum laudaret, quod illi placiturum non ambigebat, cum Dei gloriam in populo magis promoueret: & rectè id quidem.

Quid voluerit Moyſes, cum deleri petiit de libro Dei

S. Auguſt.

Card. Caietanus.

Hugo Victorinus.

S. Ioan. Chryſoſt.

Moyſem ſecutus eſt gentium Apoſtolus Paulus, qui Iudæos propter infidelitatem à iuſtitia & ſalute reiectos eſſe conſiderans, vnde non parua diuinæ gloriæ diminutio nata erat exoriri, optabat ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis. Rom. 9. 3. deſiderans, vt S. ait Chryſoſt. æternùm Deo carere pro gloria eius, ne ſc. is à Iudæis blaſphemeretur ſed perpetuò laudetur. Sed quid ais Paule? nonne ante dixeras, *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* imò ait; quia amo Chriſtum, cupio ſeparari à fruitione Chriſti, vt plures, imo omnes eum laudent & ament: vnde conſectarium iure dixeris, quod *Ludouicus Bloſius* religioſiſſimus ille Lętienſium Abbas prudenter annotauit in Sacello animæ §. 2.

S. Ap. Paulus magnus diuinæ gloriæ zelator.

Lud. Bloſius in ſacel. animæ §. 2.

Etiamſi iam tibi ex hac vita migrandum eſſet, & pulchritudo diuinæ iuſtitiæ exigeret, vt poſt mortem longo tempore in Purgatorio detinereris, tu in hoc quoque Dei voluntatem libenter pro honore eius amplecti deberes: Citius namque cælum cum terra periret, quam Deus hominem, ſeſe illi reſignantem abiiceret aut deſereret.

S. Lutgardis propriã ſalutem poſthabet alienæ ad maiorem Dei gloriã procurãdã.

Hoc virtutis opus eſt, quod & à Virgine cuius ſexus infirmior, & natura imbecillior potuit exerceri: Iacobus erat de Vitriaco appellatus, vir doctus & eloquens, qui poſtea Aconenſis fuit Epiſcopus & S. R. E. Cardinalis, diligebat hic ſanctimonialem quandam Virginem ægram, non quidem turpi, ſed tamen plus ſatis humano amore, eratque illi conſolandæ ita aſſiduè intentus, vt prædicationis munus ſegniter negligeret: Intellexerat id B. Lutgardis, cum pluribus lachrymis Dominum pro illo deprecari cœpit. Sed cum orando proficeret nihil, non paruo doloris ſenſu afflicta, Dominus ei

respondit: homo iste pro quo oras, ea conatur, quæ sunt contraria precibus tuis. Quod vt audiuit Lutgardis, magnis vocibus clamauit ad Dominum: quid est hoc quod agis benignissime Domine? aut separa me à te, aut hominem pro quo rogo libera etiam non volentem. Mira res! nulla mora inter preces & effectum earum intercessit, & ille penitus liberatus est. Tum verò apertis oculis sensit periculum, quod antè humano cæcus amore non poterat perspexisse; & in virum alium mutatus est, Lutgardis autem nullo salutis suæ detrimento, alienam lucrata fuit.

Tanti est propositum lemma non segniter intellexisse; quod non tam mente consecutus Ignatius fuit, quã reapse assecutus cum pro Dei gloria augenda suam differri voluit, etiam cum discrimine eiusdem aliquando consequendæ, neque enim eo peruenisset, nisi ante sæpius in eodem se campo grauiter exercuisset. Sed nec intra Ignatium hæc virtus stetit ad filios transiit è quibus vnum Alphonsum Rodericium hic produco, de quo Annales nostri ferunt, nullâ temporis definitione ad quaslibet inferorum pœnas paratum se offerre solitum, vt vnus aliquis criminosorum sese ad bonam frugem recipiens, cum Deo in gratiam rediret. Quantum autem his promouerint sat Christus indicat, dum vel pro vna domo relicta centuplum promisit. Et domo potior Deus est.

APOPHTHEGMA TERTIVM.

Cvidam grauiter aduersa ferenti, si te faciat Deus multa pati, signum, inquiebat, est, velle te magnum facere sanctum: si verò tu cupias magnus fieri Sanctus, roga eum, vt magnam tibi patiendi materiam donet: neque enim lignum aptius excitando foco Amoris Dei, quam lignum S. Crucis est, quo vsus Christus ad sacrificium caritatis immensæ.

Daniel Bartolus l. 4. de Vita S. Ignatij.

Commentarius.

Patiendi materia merendi seges.



Vnt qui ad maximas, certissimasque diuitias hominem compendiariò vocent, modo vitam diuturnam, animum attentum, & amplam proficiendi occasionem sortiantur: breuiore via Ignatius, non ad inanes, breuique interituras opes, sed ad perennis vitæ gloriam sempiternam, quotquot sumus, erimusque nos manu ducit. Ita namque non rarò dicere solitum accepimus, vniuersum mel quod colligi solet ex floribus deliciarum huius mundi, tantam non habere dulcedinem, quantam habeat Domini Iesu fel & acetum, id est, pati cum Christo, & pro Christo; ac proinde si quem faciat Deus multa pati, signum esse, velle eum hunc facere magnum Sanctum; quare assiduò nobis rogandum esse, vt magnam suis patiendi materiam velit elargiri. Quod indubiè vir sanctus è diuino tabulario didicerat, cuius cum & ipse spiritu duceretur, facilè illi fuit doctrinam hanc in succum suum, sensumque conuertisse, quã plurimi ante eum quoque visi sunt eminere.

Nil opus est multis, paucos seligo: primus sit fidelissimus ille Domini sui interpres Raphaël Angelus dum

sic

Tobiæ 12. 13. sic Tobiam suum alloquitur: *quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te.*

Scripturis & Patribus probatur Deum corripere homine, quem diligit. Et rectè id quidem, non enim Deus hominem ad se recipit, neque tamquam suum omninò admittit, nisi probatum ante, atque examinatum, cum denique eum teste sapiente gloriosè acceptat: *qui probatus est* inquiens, *in illo & perfectus inuentus est. erit illi gloria æterna.* Eccl. 31. 10. probare autem solet persecutionibus, aduersitatibus, calumniis falsis, quibus si ferrum es, rubiginem erues, si aurum aut argentum es, omni poteris scoria emundari. quod apprimè is nouerat, qui dixit: *probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*; vnde S. Basilius hom. 10. *quando verborum contumelia tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, an potius per iram ad inimici partes declines. In area sumus, qui ad ventum contumeliæ & persecutionis firmus manet, triticum se probat, in horrea dominica congregandum; qui illo impellitur, & huc illucue abripitur se paleam demonstrat, æternis ignibus concremandam.*

Eccli. 31. 10.

Psal 65. 10 S. Basilius hom. 10.

Prouerb. 3. 12. Angelum subsequitur, Regum sapientissimus Prouerb. 3. 12. *Quem diligit*, inquiens, *Dominus corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.* Quam sententiam diuersis coloribus SS. Patres expresserunt. S. Augustin. in psal. 93. *Duos filios habet homo: alterum castigat, alterum dimittit: facit vnus malè, & non corripitur à patre: alter mox vt se mouerit, colaphis cæditur, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur? nisi quia huic cæso hereditas seruatur: ille autem dimissus exheredatus est, videt eum non habere spem, & dimittit eum, vt faciat quod vult.* Ita S. Augustin.

S. August. in psl. 93.

Ioan. Chrysost. hom. 1. in ep. ad Timoth. Ioannes verò Chrysost. hom. 1. in epist. ad Timoth. sic habet; *Sicut enim paruulus, si quid habeat puerile, idque rebus necessariis præfert, pater ipsum puerilibus priuat, vt vel inuitum ad meliora traducat. Ita Deus omnia facit, cuncta molitur, vt vota nostra atque desideria ad cælestia transferat.*

Raymundus verò Iordanus Præpositus Vticensis, vulgò Idiota l. 2. Contempl. cap. 21. non inter duos filios, sed inter filium & seruum discrimen constituit: *Qui ambulare*, inquit, *non vult vias duras tribulationum, non est filius Dei, sed seruus: scribitur namque quod seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet: nam seruus offendens Dominum non flagellatur, sed eiicitur domo, & odio habet Dominum suum, illumque quantum potest fugit, filius autem patrem offendens flagellatur à patre, sed à domo non expellitur, nec habet patrem suum odio, nec ab eo fugit. & idcirco dicitur, quod filius manet in domo in æternum.* Sic ille. Quin & extra Dei populum, Amicum tamen, & arcanorum cælestium apprimè conscium audiamus: Hussitarum inquam Regulum, qui propria doctus experientia, quantum quis soleat pariendo profecisse, *ad dexteram*, inquit, *Orientis calamitates meæ illicò surrexerunt.* Vbi quærunt interpretes, cur dixerit Propheta suarum calamitatum turbines potius ad dexteram, quam ad sinistram contra se insurrexisse?

Raymundus Iordanus l. 2. Cont. c. 21.

Iob 30. 12.

Respondet autem optimè Gilbertus Abbas serm. 38. in Cant. *Iure ventum illum, tribulationum*, scilicet, *quæ in eum detonuêre, dextrum vocauit, qui nihil ei quiuit sinistrum inferre, quin etiam coronam gloriæ viro iusto non parum adauxit, quando virtus probata enituit, & durè prouocata excreuit.* Dextra igitur & felix est calamitatum procella, qua non homines de gloria in miseriam deturbantur, sed potius de miseria ad gloriam eriguntur. Quin idem ex eodem Propheta disertius audiamus, vsque adeo enim sibi semper similis veritas est: erat, cum Deum in hunc modum alloqueretur: *auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* cap. 42. 5. quam sententiam D. Gregorius magnus lib. 15. moral. c. 4. explanans. *His verbis*, inquit, *apertè Iob indicat, quia quantò visus superior est auditu, tantò differt ab eo quòd prior exstitit, & hoc quod postmodum per flagella profecit. Itaque temporali-*

Gilbertus ser. 38. in Cant.

Iob 42. 5.

S. Gregorius lib. 15. morali c. 4.

bus bonis circumfusus, cælestis beatitudinis auditor tantum erat, non spectator: at verò turbulentissimis malorum temporalium tempestatibus iactatus, beatissimæ illius gloriæ sibi videbatur & possessor & comprehensor.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, Regius aiebat psaltes psalmo 24. nu. 17. vbi *S. Hieronym.* legit: *Cor meum sursum ferri fecerunt.* Ad tribulationum depressionem eleuatio erat cordis, & dum premebatur, extollebatur, beatificabatur.

Christi exemplo per ardua ad gloriam eundum est. Sed quid in vmbra veritatem hanc quærimus? in lumine clarius emicabit. Exorere itaque lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, & radiis tuis multò lucidissimis hanc nobis veritatem exsculpe. Peregrinabatur cum duobus discipulis non minùs in hac veritate, quam terra Israëlitica peregrinis, salutis nostræ seruator Christus, quos vt in viam adduceret, errore eorum ante cognito, sic infit ad eos: *ô stulti & tardi corde ad credendum! nonne oportuit Christum pati, & ita intrare, in gloriam suam?* Luc. 24. 26. cum tamen ei æterna gloria, non tamquam externo candidato, sed tamquam legitimo hæredi deberetur. Et planè ita erat. Vnde neque Angeli eum tamquam Regem gloriæ salutarunt, priusquam eundem vt strenuum in sua passione bellatorem agnouissent: nam aliis inquirentibus: *Quis est iste Rex gloriæ?* aliisque respondentibus: *Dominus fortis & potens Dominus potens in prælio, vtique prælio passionis suæ:* tum demum omnes mirâ consensione acclamarunt: *eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Psal. 23. 8. & 9. Quod scitè prudenterque aduertit magnus Afer Tertullianus lib. de corona militis cap. 1. *fauos,* inquiens, *post fella gustauit, nec ante Rex gloriæ à cælestibus salutatus est, quam Rex Iudæorum proscriptus in Crucem.* Sic ille quasi diceret: prius à Iudæis repudiatur, quam ab Angelis adoretur: prius subit Crucis acerbitatem, quam regni obtineat maiestatem: vt

Luc. 24. 26.

Psal. 23. 8. 9.

Tertull. de corona mil. c. 1.

hæc dignitas ab illa humilitate, hæc gloria ab illo contemptu exorta fuisse intelligatur: quare si hæres, ad quem sponte sua, & sine labore venit hæreditas, pro illa consequenda laborauit, quâ dementiâ mercenarius, cui non nisi laboranti merces debetur, audeat otiosus ad gloriam aspirare? vnde rectissimè cælestium dogmatum tonitru *Ioan. Chrysostomus* tribulationum fructus considerans, potius affirmat velle se pati cum Christo, quam regnare cum ipso, sic enim hom. 5. de patientia Iob: *Mihi est malle pati pro Christo, ait, quam honorari pro Christo.* Et bene, *quia potior beatitudo est pati pro Christo, quam cum illo glorificari,* quod hac probatur ratione: *Crux Christi eius fuit gloria noudum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,* ait *S. Ioan. c. 7. v. 39.* vbi Chrysost. hom. 50. Gloriam Christi crucem vocat. Et ipsemet Dominus Ioan. 19. *Pater venit hora, clarifica filium tuum:* Ad quæ verba Origines hom. 6. in Exod. Erat ergo ei gloria etiam ipsa passio Crucis: hinc quia sic eam æstimabat, pluris eam faciebat, quam ipsam propriam vitam; imò quam ipsum, & cum Deo regnare; ob hoc quidem è cælis descendens corpus assumpsit passibile, vt pati posset, & pro patre tribulationes sufferre. Si ergo passio est gloria, & hanc ipsius paradisi gloriæ prætulit Christus, qui scit reprobare malum, & eligere bonum, ergo potius est affligi cum illo, quam glorificari cum illo. Deo namque frui gloria est hominis; pro Deo pati, gloria est Dei. *nisi autem glorificaretur animus, quia verè Deus est,* ait Chrysost. suprà, *minimè eius intuitu mortem toleraret, quo fit, vt sanctorum mors, diuinæ sit gloriæ certitudo.*

Quo sanè respexisse crediderim elegantis illum ingenij & admirandæ doctrinæ antistitem *Bernardum* serm. 1. de verb. Isaiæ, dum sic locutus est: *similis eris illi, cum videris eum sicuti est. Esto & nunc similis ei, videns eum, sc. imitando, sicut propter te factus est: si enim, ne in humilitate*

Chrysost. hom. 5. de patientia Iob.

Ioan. 7. 39.

Origenes hom. 6. in Exod.

S. Bern. serm. 1. de verbis Isaiæ.

quidem similitudinem eius abuuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur: nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Ita Bernardus, firmans exemplo Latronis, quem Christus seruator eodem die, quo habuit Crucis socium, habere voluit beatitudinis consortem. Quàm ille dicere, & iure quidem optimo dicere poterat adhuc è cruce pendens, quod posteà Romanis suis scripsit Apostolus: *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, siquidem teste S. Bernardo, imò & ipsa in tribulatione spes gloriæ, & ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructus & ipse fructus in semine est.*

Ad. Rom. 5.2.

Celare hæc noluit, vel è supernis, quo iam concesserat, dilectum suum discipulum optimus Magister Christus, dum inter cætera illustrium mysteriorum arcana, quorum inter Pachmicas exilij sui ærumnas eum esse conscium voluit, & hoc ei suauissimè per Angelum explicauit. Aurea cælorum palatia, annuente Domino seruus mente peragrabat, cum visâ ante thronum Dei cohorte quâdam splendidâ, multoque lumine radiante stupefactus, audiit, ab vno de senioribus: *Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? & dixit illi: Domine mi, tu scis: & dixit illi: hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni, ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius, & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus; quoniam agnus, qui in medio throni est reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*: Apocal. 7. 13. & seq. Bene igitur sicut frigus hiemis parturit, & putit fruges æstatis; ita ærumnæ, toleratæque patienter molestiæ parturiunt, pariuntque perpetuas coronas. Id detentis in carcere Episcopis S. Ioannes Chrysostomus consuetâ suâ eloquentiâ identidem occinebat: hoc, inquiens, semen est, messem omni sermone sublimiorem prænuncians: hoc luctæ, victoriam & palmas afferentes: hoc nauigatio, amplum & vberem quæstum concilians. Hæc igitur animo repetentes gaudete & lætamini, nec vllum tempus intermittite, quin Deum, in omnibus rebus collaudetis, ac mortiferas Diabolo plagas inferatis, ingentemque vobis ipsis in cælis mercedem recondatis. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ita ille epist. 118.

Apoc. 7. 13.

S. Ioan. Chrysost. epist. 118.

Unde luce clarius quisque arbitrari poterit, quanta cum prudentia, sincerοque diuini Spiritus ductu, hanc nobis suæ mentis sententiam Sanctus reliquerit Ignatius, quæ tanta ponderis consensione cum cælestibus, terrestribusque conspirat.

Ignatius docuit per aduersa ad gloriam contendendum.

Macte Ignati sanctissimo illo tuo, dignissimoque placito, ac pronunciato: quo diuinæ sapientiæ sensum, multorum cordibus pridem exulantem, reuocasti, *teipsum præbens exemplum bonorum operum in doctrina & grauitate. Verbum sanum & irreprehensibile, vt is qui ex aduerso erat, veritus sit, nihil habens dicere de te malum*: Tit. 2. 7. Ita namque Petrus Ribadeneira, oculatus ille & auritus testis eorum, quæ litteris mandauit „ lib. 5. cap. 10. vitæ eius. Tanti, in„ quiens, æstimabat Ignatius perse„ cutiones, & vincula, quibus pro „ Christo sæpius fuerat constrictus, „ vt diceret, si quæ à Deo creata sunt, „ omnia, altera in parte stateræ col„ locarentur; in altera carcer, cate„ næ, probra, vix illa omnia præ istis „ momentum vllum apud se habitu„ ra. Neque verò creatam vllam na„ turam posse lætitiam talem in ani„ ma procreare, quæ æquare possit „ gaudium illud spiritus sancti, quod „ Deus infundit mentibus eorum, „ qui multa, magnaque pro eius a„ more pertulerunt.

Ribadeneira l. 5. c. 10.

Vnde familiariter à socio interrogatus, ecquam duceret omnium expeditissi-

peditiſſimam ſimul & breuiſſimam vitam, quâ ad optimæ vitæ conditionem euaderetur? Quâ aduerſis, inquit, rebus exercemur, Chriſtique causâ iugibus ærumnis fluctuamur. Et *ſtude tu*, inquiebat, *hanc ab eo gratiam inire, quam vbi acceperis, non ſanè ſolam habebis, ſed multis aliis comitatam.*

Quibus ego vulgatum iſtud de triuio, non ſanè triuialiter appendo: *loquebatur expertus.* Deo gloria! qui dignatus eſt B. Ignatium, vt noſter ſcribit Renaudus, vel ſic vocare in partem ſortis Sanctorum in lumine; factus quippe eſt omnium peripſema, & in carceribus probatus, in calumniis, opprobriis, tribulationibus & ærumnis quibuſcumque, ſæpè raptatus ad tribunalia, ſæpè plagis ob Dei cauſam contuſus, verborum iniuriis proſciſſus. Quot ſanctificauit carceres; quot ſannas deuorauit? quot iniquiſſimis criminationibus fuit obiectus! inſtabilis ſæpè factus, ſæpè inquam expulſus, & ſede propriâ exturbatus, vt noxius, vt nefarius hypocrita, vt ſator turbarum, & religionis euerſor. De fame, ſiti, & frigore, ac nuditate, tametſi ea quoque incommoda non ſint, Apoſtolo viſa numeratu indigna, taceo, quòd reuera magnis animis minuta videantur, & clarius ſit, quam vt doceri oporteat, quantopere in eo exercitationis genere probatum athletam ſe præbuerit Ignatius vt non immerito à PP. Congregationis S. Pauli in epiſtola, mox à ſuo obitu ad ſocios data, præter cetera decora, quibus honeſtatur, *Martyr in otio* dictus ſit. Quo ipſo nomine donatum memini ab Alypia Epiſcopo S. Cyrillum, ob grauiſſimas hoſtium fidei inſectationes. Nomen nobile! prærogatiua inſignis! digna quæ vel tanto impendio ambiatur.

Ignatius Martyr in otio.

Sed arduum ac ſublime hoc ſcitum appellâris! quod priſci illi Philoſophi neſciuerunt, ignorauit Ariſtoteles, non intellexit Plato, falſum cenſuit Anaxagoras, ſtultum Epicurus: afflictionem beneficij loco ducere, ærumnas expetere, obtentis lætari: naturam ſanè & humanam rationem aduerſariam habet: Naturam, quæ ſui conſeruationi & incolumitati ſtudere & incumbere ſolet, & amoliri ac fugere quidquid eam affligere conſueuit. Rationem verò, quæ nihil niſi bonum, aut ſub ſpecie boni diligere nouit; & quid, ſodes, hîc boni quod alliciat, vel quòd ſui poſſeſſione hominem oblectet?

Pati aduerſa refugit natura.

Verè ſublimis eſt hæc philoſophia & priſcis Philoſophis incomperta, nec minùs tamen glorioſa, quam Deus ſingularibus ſuis amicis primùm aperuit, exinde verò Dei filius cum ad naturam noſtram homo factus acceſſit, omnes promiſcuè edocuit ac commendauit, vt non incongruè S. Ambroſius re, quam nomine dulcior, qui mel ante habuit in ore, quam voces: Matrem fidelium eam appellarit, de qua non iam vanitate tumida, nec communi φιλαυτία deformis, ſed virtutum bellitudine venuſta, & incredibili gratiâ decora ſoboles proceſſit, cuiuſmodi fuiſſe eos omnibus apertum eſt, de quibus ſacer hiſtoricus Act. 5. 41. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.*

Priſcis Philoſophis res odioſa.

Christiano populo dilecta.

Act. 5. 41.

Ad quæ oppoſitè Chryſoſt. *non dixit, quòd non dolebant, ſed quòd dolentes gaudebant, tametſi flagella non gaudij eſſent occaſiones, ſed triſtitiæ & mæroris; nihilominus flagella propter Deum, & cauſa, propter quam flagellabantur, gaudium eis pariebant.*

S. Ioan. Chryſoſt. in acta.

Bini nunquam gemelli eadem matre, partuque effuſi, inter ſe, nec gutta guttæ ſimilior quam theophoto illi Martyri Ignatio, de quo noſter hic cognomentum traxit, aſſimilis fuit, ſed illum loquentem in in epiſtola, quam ad Romanos ſcribit, audiamus. *Vtinam*, inquit, *fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me, ne, ſicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint, ego vim faciam,*

S. Martyr Ignatius eſt ad Rom.

ciam, ego me vrgebo, vt deuorer: Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, & tota tormenta diaboli in me veniant tantum vt Christo fruar. Ne verò quispiam zelum eius miretur, subiungit: *Ignoscite mihi filioli: quid mihi prosit, ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus.*

Responsum ad obiecta. Sed fortè Nicodemus aliquis nocte etiamnum ignorantiæ obuolutus huc accedens; dicat: *quomodo possunt hæc fieri?* dicam: iuxta mensuram dolorum in carne, tribuit Deus consolationem in anima, quæ mitigat tristitiam cordis, ex doloribus carnis prouenientem. *Pati pro Christo volupe.*

Cor. 2.1.5. Ita Corinthios suos edocuit Paulus, *quoniam*, inquiens, *sicut abundant passiones Christi in nobis: ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quo modo? vt & præsens ipse adesse seruis suis Dominus non dedignetur, sicut in fornace Babylonica, vel ab ipso tyranno obseruatum fuit? quantæ autem consolationis sit in mediis ærumnis, suppliciisque Deum habere præsentem, nemo eloquetur.

Admiranda planè res fuit, Moysem amaras aquas ligno immisso, in dulces, atque potabiles commutasse, helisæum pestilentes, immisso sale, ad omnem vsum idoneas reddidisse: maius atque mirabilius Deum amicis suis, in mediis cruciatibus sic adesse, vt tempus illud quo affligebantur, non angoris, sed voluptatis esse arbitrarentur, nec iis se ærumnis eripi, sed immergi profundius flagitarent.

Pati pro Christo spē facit magni premij consequens. Matth. 5. Modus alter est fœcunda spes premij; sic docuit Christus, qui posteaquam suos ad agendum fortiter incitasset; hæc apud Matthæum c. 5. subiunxit: *gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* quo spiritu plenus is, qui sicut primus in Domini confessione, ita & primus in Apostolica dignitate fuit

Petri 1. 4. beatissimus Petrus, dum primitiuam Christi ecclesiam ita legitur adhortatus: *Communicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius, gaudeatis exultantes: Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris & gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit.* q. d. Si Christi seruatoris ac Domini nostri perpessionis ac necis consortes quodammodò ac participes estis, gaudendum vobis est, ac magnopere lætandum, vt cum diuina eius gloria palam omnibus apparebit, vberiori gaudio exultetis. Si enim probris & contumeliis pro Christi nomine afficiamini, verè vos beatos ac felices esse scitote. Ita ille; nec dissensit illius sapientiæ non minus, quam gloriæ consors Paulus, dum Corinthios hisce verbis ad patiendi constantiam excitaret: *2. Corinth. 4. 8.* *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: licet qui foris est noster homo corrumpatur* [plagis, ærumnis, fame, siti, frigore, nuditate, flagellis, & morbis] *tamen is qui intus est renouatur, & proficit fide* sc. spe, charitate, animi alacritate, magnâ cælestis gloriæ fidentiâ consequendæ. Quo respiciens Sol Africæ Augustinus Deum dicere scribit in psalm. 93. *S. August. in psal. 93.* *Venale habeo: quid Domine? regnum cælorum. quo emitur? paupertate regnum; dolore, gaudium: labore, requies: vilitate, gloria; morte, vita.* Et mira res, inquit S. Ioan. Chrysost. alacri animo epotari amaram potionem, quam scimus à perito medico temperatam; & quidem, quamuis anceps sit certitudo sanitatis, præberi Chirurgo incidendum corpus, resecandam carnem, & pro tam crudeli officio mercedem, & gratias reddi: interim nos, qui certos nos fatemur, non permitti à Deo aduersa, nisi in nostrum emolumentum, tumultuamur, indignamur, murmuramus, perinde ac si magnam nobis iniuriam inferret. *S. Ioan. Chrysost. iusta admiratio super hominũ diffidentia.*

Non ita faciendum verbo & opere docuisse visus Ignatius fuit, in cuius corde religiosissimus diuini amoris ignis accensus, spiritum eius Deo victimam perenniter immolabat: respiciebat enim Dominus ad Abel & ad munera eius, siue vt *Ignatius multis ærumnis & aduersitatibus à Deo exercitus.*

Theodo-

Theodotion vertit ἐνεπύρισεν inflammauit Dominus ſuper Abel & ſacrificium eius: hoc namque ignis, & conflagrationis victimæ ſigno ſolet Deus probare ſacrificia & acceptare, tali præſertim habito flammarum alimento.

Atque ita profectò fuit, ſic namque de eo legimus; quocunque is ſe conferret, rebus aduerſis conflictari, in ærumnis agere, ſociâ calamitate premi, vexarique conſueuiſſe, vt veluti certum omnibus exploratumque haberetur, ſimul atque in collegium aliquod pedem intuliſſet Ignatius, aliqua iſtuc ærumna, ſiue calamitas pone ſequeretur: diligebat vtique Ignatium Dominus, atque in ſublimem ſanctimoniæ gradum euehere ſatagebat; quæ cauſſa erat, vt aduerſa plurima ei ſineret euenire, quibus ille, tantum aberat vt turbaretur, aut ingemiſceret, quin valde etiam lætaretur, & gaudio exiliret, de hoc vno ſolicitus, vt plures ſui conſilij, atque ſententiæ nanciſci poſſet hæredes: & voti quidem huius non infeliciter compos factus Ignatius fuit; teſtem aduoco B. Franciſcum Borgiam, notum & ſacræ & profanæ politiæ nomen. Quantis autem huius animo, mentique patiendi ardor inſederit, vel inde datur intelligi, quod fructum eius ac quæſtum tam clarè, diſerteque cognoſceret, vt ab eis enarrandis, nullo vnquam præpediretur euentu tum quod eorum beneficio, ab infami creatarum rerum amore diſcederet, tum verò recto ad Deum itinere graſſaretur. quod ſibi iam in arbuſtiua vite repræſentare ſolitus erat, quam pro eo ac frondator amputare accuratius ſolet, excreſcere altius conſiderabat, iam verò in frumento expenderat, quod Agricola diligentius flagello excutit, mundius à paleis recondit.

B. Franciſcus de Borgia mirè patiendi auidus.

Nec feciſſe minus quam dixiſſe inuentus fuit: in aduerſis namque ſumma ſemper adhibita patientia, dolores, ærumnaſque ferebat, quin & augeri illas identidem rogabat, quò menti ſeges vberior colligeretur: Septimaucæ Societatis tiro, cō qui officio functus Franciſco condire cibos guſtatui iucundos ſtudebat. Collectis igitur in viridario herbis, abſynthium, amaram herbam, ignarus decerptam collegit, & iuſculum Patri apponens, ede, inquiebat, Pater, ius meâ manu conditum. Edit, & verò libenter, tametſi amarum. Rogatus verò ecquid placuiſſet: nihil vnquam edi in vita me dignius reſpondit. Guſtarunt quod reliquum erat ſocij, ruboremque, ne compertâ, coquò incutiunt. Ille genibus mox accidens, veniam precatur imprudentiæ. At ille: Dominus tibi benedicat, faciatque benignè. Vnus tu de tot fratribus, ſenſum meum noſti, quâque potiſſimum te indigeam, percalles. Ribadeneira lib. 4. cap. 5.

Ribadeneira de vita B. Franc. Borg. l. 4. c. 4.

Eâdem hâc Philoſophiâ imbutus S. Franciſcus Xauerius iam ad Indos profectus, quod ab Ignatio didicerat, orbi cognitum fecit, quemadmodum ex vltimo illo colloquio, quod nauim Indicam conſcenſurus, cum Simone Roderiquez inſtituit, intellectum fuit, ita namque inter ſupremos amplexus, ad illum Xauerius: Meminiſti me Romæ, cum ambo in Noſocomio verſaremur, te meis nocte excitatum clamoribus, dum vociferarer, *amplius, amplius, amplius*: idque quid eſſet tibi percunctanti me eo tempore ſubterfugiſſe prodere? hanc quoniam rem ad exitum video dirigi, ſic habeto: haud ſcio an vigili, an ſopito, obiecta mihi tamen eſt ſcena multiplicium ærumnarum, quas diuini obſequij gratiâ obirem, tantumque mihi Deus roboris dedit, vt præ cupiditate plura & acerbiora tolerandi, in eas voces eruperim: hanc igitur ſpero mihi nunc prouinciam obuenturam. Orlandinus l. 3. hiſt. n. 43.

Ardor patiendi multus in S. Franciſco Xauerio.

Nouerat is, clarâque mente penetrârat, pœnè par Magiſtro diſcipulus quantum Philoſophia hæc, quam ipſe ab eo didicerat, vel fructuum excludere, vel gloriæ nata foret

Orlandinus l. 3. hiſt. S. n. 43.

ret

ret polliceri, quod aptissimo quodam ac conuenienti modo, amborum Nominum Anagrammata repræsentare visa sunt: *Ignatius, Xauerius Gauisi sunt vexari.* Atque ita profectò est, cuius oriens, occidensque vniuersus testimonium tulit.

P. Baltassaris Aluarez feruor patiendi & doctrina.

Sed & alij ex hoc trunco frutices germinarunt, è quibus. U.P. Baltassar Aluarez, non degener sane Ignatij filius habendus est, dum id quod propriâ ipse experientiâ didicerat, alios docuit, omnibus euulgauit, vel tũc maximè, cum gradus illos quinque patiendi, intento velut digito exculpsit, posteros omnes ad illos viriliter conscendendos tum vitæ præsentis sanctimonia tum sequentis gloria inflammans.

Quinque gradus patiendi.

Et horum quidem Primus est, ferre cum gaudio, quia Deus ita vult, temporum iniurias, frigora, calores, tempestates &c.

Secundus, ferre molestias & incommoditates corporis, vndecumque proueniant, siue ex morbis, siue ex rerum necessariarum defectu &c.

Tertius, ferre aliorum mores nostris contrarios.

Quartus, ferre innocenter ignominias, contemptus, iniurias &c.

Quintus, tolerare patienter afflictiones spiritus in rebus diuini obsequij, vt sunt ariditates, scrupuli, dæmonum infestationes, illusiones &c.

Quomodo ad Mythræ seu solis sacerdotiũ olim promouerentur mystæ.

Magna quidem hæc vitæ interioris præsidia, quibus animus noster donis cælestibus initietur, ac gaudia consequatur æterna. Nec mirum: si enim ad Mythræ, seu Solis sacerdotium, vel ipso Tertulliano testante, peruenire nefas erat, nisi per octoginta tormentorum & suppliciorum gradus, quorum prima leuiora erant, secunda, ceteraque deinceps sensim perpessu asperiora ac grauiora, ad patientiæ, pietatisque documentum non leue, quibus denique exhaustis initiari demum mysteriis consueuerant: an non rationi consonum dixerimus, illos saltem quinque à Christiano conscendi oportere, qui ad Solem Iustitiæ propius accedere & Christi vestigia voluerit consectari? quos præfatus Baltassar ex mente S. Patris sui Ignatij nobis expressit: Quantum verò in his ipse promouerit, ex comitibus eius ac sociis cum quibus ex Christi imitatione perpetuò versabatur, perspicuum est; erant autem hi: *Paupertas, Contemptus, & Dolor,* quibus, quo magis ætate crescebat, magis quoque affici videbatur, sibique penitius eos incorporare, vt P. Ludouicus de ponte oculatus rei testis scriptum reliquit.

Tres Comites P. Balthassaris Aluarez ad exercẽdam patiẽtiam.

Thomæ Sãchez ardor patiendi.

Vin autem alterum hominem, qui tantum non suprà hominem hos gradus generosè inscenderit, nouisse? Et cum Thomam Zanchez domi nobile, Iuris vtriusque ac Theologiæ eruditione perillustrem, à Clemente VIII. Pont. Max. ob doctissimum ac celeberrimum de Matrimonij Sacramento librum prolixè laudatum, verum Ignatij discipulum, cuius hæc à morte in schediis reperta exercitatio: *Vita mea quotidiana atque vniuersa similis esse debebit negotiationi spirituali, nec non mercatori cupido & ad omne lucrum intento: ac primò omnium circa caritatem, mea commoda alienis posthabebo. Dein negotiatio mea versabitur in omni studio patientiæ exercendæ; Benignè feram, si contingat mihi necessaria deesse, & ex obliuione, ea mihi minimè suppeditari. hoc vnum maximè curabo, vt ei omnium accuratissimè seruiam, qui me maiori molestiâ & vexatione affecerit. Quando ex cubiculo egrediar, me ad hoc comparabo, atque etiam optabo, vt aliquid aduersi mihi inferatur. Quòd si quem aliquid petiturus accedam, Deum precabor, vt id mihi denegetur, aut certè minimè tribuatur, saltem ex errore aut obliuione, vt ita patiendi materia mihi non desit.* Hactenus eius verba, quibus adeo prolixè respondebat, vt præ magnitudine factorum, nulla, aut certè obscura verba esse viderentur. Sed neque ab eo deflexisse dicendus est *V. P. Ludouicus Pontanus* vir vnus in paucis hâc nostrâ ætate patiendi cupidissimus, ac sitientissimus,

P. Ludouicus Pontanus patiẽdi cupidissimus.

mus, cuius iam, vt magna nos quoque ſpes tenet, mercedem in cælis conſecutus eſt ampliſſimam: & de hoc quidem varia nobis Franciſcus Cachiopinus in hiſtoria vitæ eius, ſcriptis conſignata reliquit, quibus vel hoc nomine verum illum Ignatij filium, tanto dignum magiſtro diſcipulum fuiſſe commonſtrat. Solet inter nocturnæ quietis tenebras, liberior animus ſua ſenſa palam depromere: quid Ludouicus: hæc eius nocturna cum crucifixo, audiri ſolita fuiſſe aiunt colloquia: Cede mihi Domine iſta vulnera, iſta, inquam, Domine vulnera, ô! qualia vulnera. Nec intra verba ſtetiſſe hic feruor cenſendus eſt: Deus namque, qui hæc ei deſideria impertiebatur, paulatim quoque ad eorum effectus participandos virum diſponebat; vt tandem viua quædam fieret Imago Crucifixi, quem tantopere vita ac moribus exprimere ſatagebat, cuius accommodatum virtuti initium datum fuit feriâ ſextâ in Paraſceue, cum ſentire cœpit grauiſſimos podagræ cruciatus, qui in reliquam vitam vniuerſam, ei non ſine magna gratiarum actione adhæſerunt, dum has ſimileſque afflictiones atque ærumnas ſuorum gaudiorum ſegetem appellaret, nec quidem, vel ab vna contenderet moleſtia liberari: optaret autem eas indies augeri, cuius ne ſibi aliquando irreperet obliuio, ſecum in ſcedula eorum capitum, ſeu fontium nomina, ſcripto expreſſa deferebat, ex quibus patiendi quidpiam, occaſio poſſet oriri, vt dum memoriæ hac ratione ſuccurrerent, voluntatē ad aſſenſum prolectarent.

Franciſcus Cachiopinus in vita eius.

Erant autem eiuſmodi:

1. Neceſſitates corporis, fames, ſitis, morbi, triſtitia, fatigationes &c.

2. Iniuriæ à creaturis irrationalibus, caloris, frigoris, ſiccitatis humiditatis, pulicum, muſcarum. &c.

3. Neceſſitates ſpiritus, ignorantiæ, ob tenebrationes, diſtractiones inuoluntariæ, lapſus memoriæ, linguæ, paſſiones, inclinationes ad malum &c.

4. Tentationes à Dæmone, in carne, in ſpiritu, imaginatione, intellectu &c.

5. Conditiones hominum colericæ, phlegmaticæ, melancolicæ &c.

6. Calamitates Eccleſiæ, regni, religionis, populi, Collegij &c.

Quibus ſubnectebat:

Omnia hæc pati debes cum reſignatione in diuinam prouidentiam.

Ita in Commentario, eius manu exaratoi

Subiunxerat modos tres, quos in patiendo vellet à ſe obſeruatos, quorum duo priores ſpectabant ad fugam imperfectionum; tertius autem ad vtiliter inſiſtendum.

1. Ignauia & Puſillanimitas animi ſuperanda.

2. Oblatas quidem patiendi occaſiones admittere.

3. Quærere inſuper non oblatas, iiſque delectari. Atque hoc poſtremum erat in quo P. Ludouicus mirè excelluit. & tale quidem propoſitum fuit, quod feciſſe legitur non querendi, nec manifeſtandi ſuas infirmitates, niſi conſcientiâ vrgente ad hoc cogeretur: vnde fiebat, vt cum Medico deberet malum ſuum aperire, velut de tertia quadam perſona loquetetur, quod ille à morte eius teſtatus eſt, cum ſerò intellexiſſet, quibus is infirmitatibus, laboraſſet, quæ eædem ipſæ erant, quas alieno nomine declarârat.

Eodem rigore claudebat in morbis ſuis portam omni ſolatio, quo leniri potuiſſet nec ſociorum alloquium petebat, nec vllum, cum quo horarum penſum exſolueret, admittebat: oblatam operam cum gratiarum actione abdicabat, vt plus moleſtiæ ſufferre poſſet, ac patienti Chriſto dedicare.

His, ſimilibuſque modis anſam præſcindebat omnibus alleuamentis, quibus morborum vis minui potuiſſet, quo ſpectat, multis eum ante obitum annis, à Deo inſtanter petiuiſſe, vt aqua, ex qua, in ſiti magna, quam patiebatur refrigerationis ſolatium capiebat, ei non ſaperet be-

nè,

ne, quod & obtinuit, vnde venit, vt ille desipere, & tormento fieri capta sit.

Quibus factum est, vt omnes, qui eum viderent, in admirationem non modicam raperentur, ex quibus vna erat V. Mariana de S. Ioseph, Fundatrix Recollectarum S. Augustini, quæ sic de eo testata fuit: Mirabantur omnes, videre hominem qui moriendo viueret, & viuendo suis cupiditatibus omnibus moreretur.

Nec temerè: per assiduam namque corporis afflictationem & domandorum affectuum coërcitionem se in talem statum reduxerat, vt hominibus videretur homo quidem esse, sed sine voluntate, & affectu, vnusque de illis cælestibus & pacificis viris, quos describit S. Augustinus lib. 1. serm. dom. in monte cap. 20. his verbis: *pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes & subiicientes rationi, id est, menti & spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei.*

S. August. l. 1. serm. dom. in monte c. 20.

Quidni cum lectore meo hîc exclamem: ô Sacerdotem. Magnum! qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est ex magna patiendi materia, vt S. Ignatius loquitur, magnus Sanctus.

Audebone Sacerdotem hunc suo socio, ac comite destituisse Minimè. Erit itaque is, vt vitæ instituto, ita & virtute hac non absimilis Alphonsus Rodriguez, quem rerum temporalium administrum, multis quidem insignem virtutibus, perpessione tamen omnis generis ærumnarum nobilem Balearium maior suspexit, dum quidquid suam lentaret patientiam, & bilem protritaret, quod nec rarum. nec exiguum fuit, placidissimè sufferret. Vnde fiebat vt omnes sibi dicto, factoque molestos complecteretur vt fratres, omnique officio deuinciret: nihil erat ipsi antiquius, nihil pretiosius molestiis, has multis lachrymis & suspiriis à Deo contendebat, visusque est in omne vitæ tempus largè impetrasse. Cum se primùm Domino addixisset, dura quæuis & aspera, & secùs quam vellet, inflicta ferebat ægerrimè; ferugiebatque vehementer; patientiæ deinde paulatim pretio ac suauitate inescatus, cupere illius campum & experimenta, poscere à Deo, flagitareque labores, vexationes, molestias, & hoc illi propensiore animo eos commendare, à quibus proficiscebantur quo torquebant ipsum crudelius, in iis autem hæc erat eius ad Deum precatio: *gratias tibi ago, laudo te, ac benedico Deus meus, ob hæc abs te missa honoraria, quibus mihi datur, vt tui amore aliquid patiar.* Persuaserat enim sibi, non ab hominibus, aut cacodæmone, aut aliunde originem ducere, quæ sibi grauia euenirent, verum à Deo parente optimo, grandi animæ bono mitti: iis magnitudinem animi, patientiam, Christi Iesu imitationem, ceterasque virtutes exerceri, & morem geri diuinæ voluntati, quo sanè opere pretio, amara dulcescerent, aspera mollirentur; quod clarè demonstrasse visus est, cum aliquando ex morbo grauiter decumbentem & præ oris ac faucium siccitate mutum, percontatus est quidam ex iis, qui aderant, in æstu illo, & missis à Deo molestiis, qui valeret? ad molestiarum nomen & dolorum, elinguis eatenus Alphonsus subiecto capite, cœpit altâ voce, de tolerantia laborum, & patientiæ opibus differere, pari audientium admiratione & exemplo. Ita Lud. Ianinus in vita Alphonsi.

Alphonsus Rodriguez omnis generis ærumnarum perpessione nobilis.

Ludouicus Ianinus in vita Alphonsi.

Alphōsi pia precatio.

Præclara hæc, sanctissimaque disciplina, quâ tot, tantique viri ad gloriam, vitæque æternæ brauium, vt olim grassati sunt, ita & nunc ex omni ordine & statu generosè contendunt: non iam eis, quas ipsi vel elegerint, vel commenti sunt ærumnis, crucibusque exerciti, sed quas diuina bonitas ac sapientia voluerit eis communicare: præstantes siquidem illas, & laude præ aliis dignas efferre solitum Franciscum Salesium accepimus, qui à non nemine interrogatus aliquando, & quænam optima foret patiendi materia, respon-

Francisci Salesii de varia perpessione sensus & exemplum.

respondisse fertur, eam omnium optimam esse, quæ tota à Deo sit, nihilque contineat nostri: qui enim se affligat voluntariis suppliciis, ille sub Christi vexillo pedester miles est, qui verò à Dei manu immissa iucundè tolerat, inter equites Crucis stipendia meret. Docuisse id Henricum Susonem virum e Dominicana familia celebrem visus Christus fuit: graues ille corporis afflictationes identidem vsurpabat, cum inter meditandum sacræ mentis alienatione abreptus à corpore, oblatam sibi Iuuenis speciem vidit, qui ocreas, scutum, hastam, & reliqua equestris militiæ insignia ad eum afferebat, *noueris*, inquiens, *te hactenus inter pedites meruisse modo ad equestrem ordinem à Deo vocari;* ante, *vt lubuit te cecidisti; deinceps flagello linguæ iniquæ cæderis in existimatione & fama. Ante sanus in te extitisti, sed amicis acceptus, deinceps hi fidem fallent, & contra te calcaneum leuabunt. Hactenus vberibus Christi lactatus es, & manna cælesti pastus, deinceps felle potaberis, à Deo & hominibus ablactandus.* Cumque hæc postridie à sacro missæ sacrificio secum tacitus ruminaret, iubetur è fenestra prospicere. Paret: cernit carnem per aream cœnobij, lacerum panni segmentum ore spumeo raptantem, ac lacerantem. Tum vox eadem cælitus missa, ei prædixit, fore, vt deinceps instar illius sordidi, lacerique peniculi aliorum dentibus laceretur.

Henrici Susonis visum insigne de modo patiendi.

Assensus est statim patiendi auidus Suso, & mox è cubilo descendit, ac segmentum illud, veluti Crucis suæ tesseram tulit, ac diu secum seruauit. Et initio quidem præ humana infirmitate titubare visus est, verùm die purificatæ Virgini sacro, per Christum infantulum edoctus, non tantùm ferendam Crucem fortiter, sed & aliam atque aliam esse exspectandam didicit: perstitit ergo, constititque sibi mille deinceps inter Cruces, quas generosè, constanterque, toto vitæ suæ tempore spe plenus portauit, ad æternæ gloriæ brauium contendens. Magna virtus ac plusculum in recessu, quam vero in accessu gloriæ, fructuumque occludens.

Nouerat hanc penitusque inspexerat laureatus Christi martyr Saturninus, qui durum obiens agonem, sic inquiebat: *breuiter patior, libenter patior, gratias ago, nec agere sufficio. Christe da sufferentiam, tibi laus, tibi decus, & gloria:* vt iam mirari desinam orbis vniuersi Doctorem *Ioannem Chrysostomum*, qui dum Principis Apostolorum vincula recensuisset, in hunc modum legitur esse locutus: *Sic si mihi quispiam dixisset, elige vtrum velis, vis esse Angelus Petrum stimulans ac soluens, an Petrus seruatus in vinculis? Petrus vtique maluissem, propter quem Angelus descendit. Vinculis istis potiri libuisset.*

S. Saturnini pia precatio.

S. Ioan. Chrysost. patiendi auidus exemplo S. Petri, & S. Pauli.

Nec minus de Paulo, quem se vinctum Iesu compellare solitum accepimus, pronuntiasse in confesso est, ita namque hom. 14. ad pop. *Magnifica Pauli appellatio, non principatus & honoris nomen, sed vincula & catena verè magnifica. Etsi splendidum illum multa alia faciunt, vti in cælum rapi tertium, in paradisum Dei ferri, verba Dei audire ineffabilia; at nihil horum posuit, sed pro omnibus catenam; hæc enim eum magis illustrem reddebat.* Et ita profectò est, vti reapse hic comprobatum, & ab Angelo B. Guilielmus Roschildensis in Dania Abbas didicisse visus fuit: nonagesimum hic ætatis annum attigerat, vir meritis & religione clarissimus, cum ecce per noctis quietem Angelos conspicit, coronam auro, gemmisque distinctam affabre texentes: obstupescere ille, & resumptis animis exquirere, cuinam tandem eam appararent? Tibi, inquiunt Angeli; quærenti verò ecquando illa perficienda foret, clarè, distincteque audiit, dum passus fueris satis. Grande mysterium! Quis nunc à veritate abductum, deceptione dixerit, primum illum PP. Carmelitarum excalceatorum parentem Ioannem Crucium, dum multis exhaustis molestiis, exantla-

S. Chrysost. hom. 14. ad popul.

B. Guilielmi Roschildensis visio de fructu patientiæ.

antlatisque laboribus & ærumnis, Segobiæ cum Domino familiariter verba faceret; seque ab eo interrogari persentisceret, Ioannes, quid vis pro laboribus? respondit: *Domine pati & contemni pro te.* Hic vir optimus thesaurum suum reconditum, hic opes & votorum summam sitam esse arbitrabatur; quod indubiè à matre sua B. Theresia suxerat, cui parum erat ærumnas ac tribulationes æquo animo tolerare, nisi etiam flagrantissimo eas desiderio à Deo contenderet obtinere, vnde creberrimè illi verba hæc versari in corde, natare in ore: *Aut pati, aut mori*: imò & litteris ab ea in hunc modum consignari; *afflictiones cum omnibus mundi thesauris nolim commutare*; vt vniuersæ vitæ illius cursus aliud non fuisse videatur, quam adscensus purpureus, quo per cruces & dolores ad ferculi Salomonis reclinatorium aureum viriliter grassabatur: secumque plures alios rapere non omittebat, præsertim cum suprà modum Mater eius mirabilis, & bonorum memoriâ digna, lectissimam quam condiderat gentem, hortari voce patriâ fortiter non desineret, repletaque sapientiâ & femineæ cogitationi masculinũ animum inserens, identidem his hoc symbolum his verbis inculcaret: *vestrum esse credite, quæ plus pati potest, plura Dei nomine patiatur, hancque omnium fore beatissimam. Quæcunque autem hoc patiendi in se desiderium non sentiet, illa se veram Carmelinam esse non existimet; cum non tam recreationes, quàm patiendi materiam desiderare debeamus.* Sic illa. Cùmque id, quod in Christi sponsis potissimum requirebat, insignis erga illum esset amor: huius mensuram, Crucem esse cupiebat, certissimum arbitrata, pro magna aut parua in Cruce ferenda contentione amorem crescere solere, iuxtaque eam debere commensurari, atque ex ratione consequentis præmium nos emereri. Erat siquidem illa, aut illi similis Theresia de qua in amoris cantico Iedidia: *sicut lilium inter spinas, sic & anima mea inter filias*: in quæ verba commentans Hieronymus Gratianus, qui olim Theresiæ à sacris Confessionibus fuit. Sponsam, inquit Christi velut lilium, aut Rosam, vt Chaldæus & vatablus legunt, spinis dolorum, atque ærumnarum circumdatam & ad aspectum placere iucundius, & ad odoratum fragrare suauius: dum nimirum se videns vbique iis pungi, amorem ab omnibus mundi bonis, vtpote spinosis auocat, eumque totum in Deo sponso constituit. Quænam verò hæ spinæ sint, in subsequentibus explicat, dum eas in sex exteriores sex interiores, totidem quoque diuinas partitur. Prioris generis sunt: 1. dolores & fatigationes corporis. 2. fames & sitis. 3. frigus & calor. 4. Paupertas siue inopia. 5. Iniuriæ, dedecora. 6. Persecutiones, lites, minæ.

Ioannes à Cruce patiendi auidus.

Vitæ suæ cap. 20. In concept. diuin. amoris c. 6.

Eadem mens fuit S. Theresiæ.

Castel. anim. Mans. 2.

Lib. 2. fund. c. 27.

Crux mensura diuini Amoris est.

Viæ perfect. c. 32.

Cant. 2. 2.

Hieronym. gratianus à Cant.

Spinæ 12. quibus lilia vallantur.

Sex exteriores.

Interiores sunt: 1. Tristit. 2. Timor. 3. scripuli. 4. tentationes. 5. passiones vehementes. 6. spiritus blasphemiæ.

Sex interiores.

Diuinas demum sic recenset. Prima est, impetus amoris. Secunda, deliquium amoris. Tertia Ignis accendens cor. Quarta, Diffidentia de seipso, quæ animam languere facit. Quinta, Horror & nausea rerum terrenarum. Sexta denique, Zelus animarum atque honoris Dei.

Nec est quòd quis miretur inter tribulationes zelum nominari animarum & honoris Dei, cum legere sit illo succensum Eliam, sic afflictum, & cruciatum fuisse, vt elegerit mori: *petiuit animæ suæ vt moreretur.* Quibus omnibus quantoperè B. Theresia compuncta fuerit, atque inter eas virtutibus, vitæque sanctimoniâ excreuerit, legenti, quæ P. Franciscus Ribera de ea litteris mandauit, perspicua fient.

Pulchrum ac relatione dignum est, quod in hanc rem certis auctoribus accepi: Prædiues erat Hispali mercator non vulgariter matri Theresiæ, eiusque monialibus affectus, vt eas eleëmosynis sæpenumerò iuuaret impensius, & eædem sa-

S. Theresia vaticinium de ærumnis superuenturis amico Dei.

eram præ animi sui demissione euerteret non raro. Accidit vt quodam tempore cum Antistita colloqueretur, & mentiò de Fundatrice Theresia incideret, etiamnum in terris superstite; peteretque ab eadem Antistita, vt illam, dum scriberet, suo nomine salutaret, seque sanctis eius precibus commendaret: fecit illa, pauloque post rescripsit Theresia mercatori: Domine, ab aliquo iam tempore ex sororibus meis intellexeram, quantopere eas iuuares, quapropter omittere non potui, quin pro salute vestra Deum orarem frequentius: Verùm, postea quam ex Antistita monasterij illius intellexi, idipsum iam à vobis requiri, maiore id animi mei contentione præstiti; quare scire te velim, cælitùs cognouisse me, nomen tuum scriptum in libro vitæ. In signum autem quòd vera tibi scribam; scias ab hac hora, quâ hasce meas litteras accipies, nihil in hac vita prosperè tibi successurum. Et stetit verbis fides: exiguo namque temporis interuallo, ob natium suarum iacturam, foro cedere coactus fuit. Quod cùm amici rescluissent, fortem eius miserati, suis eum pecuniis iuuerunt, vt de nouo fortunam tentaret; sed en, alterâ quoque vice, illi malè res successit, quapropter ipsemet, acceptis secum rationum suarum libris, carcerem sponte ingressus est, & vinculis seipsum tradidit, quod socij Mercatores intelligentes, ac vitæ probitate, innocentiâque viri cognitâ, noluerunt illi molestiam ciere. Pauper itaque, & rebus suis exutus Deo solo, vnicoque contentus vitam finiuit. Hic fructus ac messis ærumnarum, quam vti in suo, sic & in alieno fundo maturescere Theresia lætabatur, ac quoad nobiscum vixit fouere pro viribus non intermisit. Sed quid vitæ eius tempus allego, etiam à morte id agere non cessauit. cum viro cuidam afflicto visendam se præbens, aperuit: si, qua ex causa immortali illa carcere vellet beatitudine, hâc solâ id cuperet, vt ampliùs posset pati, cuius modo pretium, ac mercedem cominus intuebatur tam magnum.

S. Theresia post mortem cuidam apparens, quanti sit pro Christo pati declarat.

Quo suo illa suffragio tribulationis ac Crucis valorem, ac dignitatem mirificè extulit, tantumque piorum mentibus calcar addidit, vt iam plurimi inueniantur, qui vel longiorem, vel grauiorem Crucem aucupentur, qualem à Cælibus ambitiosò didicerant voto etiamnum, si fieri posset, concupisci: an non hoc est, vt cum Tertulliano loquar, saginari velle voluptate patientiæ? quod ita profectò intellexisse reor *V. Catharinam Genuensem*, quæ cap. 50. vitæ, inter extremos, & acerbissimos dolores dicebat: sunt anni sex suprà triginta, ex quo amor me illuminasti, ab illo tempore nihil desideraui, nisi pati intus, & foris. Intellexerat idem *Petrus de Alcantara*, cuius apud Deū fermè quotidiana fuit petitio, vt sine afflictione aliqua nunquam esse sineretur. Intellexerat & *Alexander Luzagius*, S. Carolo Borromæo in paucis carus, cui consuetum vnico sæpè calami ductu, scribere ter pati. pati, pati. Nec *Franciscus Salesius* Gebennensium nuper optimus præsul id ignorauit, cum diceret, nisi inuidere nequirent Angeli, procul dubio inuiderent homini pro quo pati Deus voluit, & qui pro Deo pati potest. Verè spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus; ecce par Deo dignum, vir bonus, mulier fortis, cum mala fortuna cōpositi, vtique si & prouocarint.

B. Catharinæ Genuensis patiendi voluptas.

Petri de Alcantara patiendi feruor.

Alexandri Luzagij patiendi desiderium.

Francisci de Sales affirmatio patientiæ.

Et tali spiritu, ac mente prædicta B. Magdalena Pazzia fuit, vna ex Carmelitanis Virginibus non postrema, quam dicere solitam accepimus, non desiderare se breuem vitam, aut celerem mortem, cum in cælis nulla sit cruciatuum perpessio; desidero, inquiebat, viuere diu, quia desidero amore sponsi, ac Domini mei diu pati, non tantum breue aliquod martyrium, sed & morborum examina, calumnias, infortunia, & quæcunque in me assurgere possunt aduersa. De quibus legendus Nicolaus Puccinius in vita Magdalenæ,

B. Magdalenæ Pazziæ desiderium patiendi multa pro Deo.

Ante

B. Liduinæ Virginis gaudium dũ patitur.

Ante id expresserat melioris olim Hollandiæ gemmula Virgo Liduina quæ plurimis, grauissimisque morborum atque ærumnarum cruciata doloribus ingenti gaudio perfruebatur. *Domine*, inquiebat, *quam gratum mihi est, & iucundum, quod mihi non parcas, nec manum tuam à me tollas? quod enim in me, tua hoc pacto voluntas sanctissima, atque diuinum beneplacitum cõpleatur, gaudeo vehementer.*

Brigittino Sodali reuelat deus gaudium suum, dum videt nos pati pro gloria sua.

Quod sanè rationi consentaneum duxeris, vbi vel oculorum alterum coniecetis in ea quæ Brigittæ familiæ Annales nobis ad hanc rem contulerunt: Vir erat ex instituto hoc non minus pietate, quam religione clarus, cui diuino oraculo Christus edidit, se tanto patiendi ardore affici, ad æterni Patris sui gloriam & honorem, & etiamnum ad dexteram eius immortalis ac gloriosus assidens, animas quærat pias atque beneuolas, quæ sua ei corpora, velut commodato donent, vt ipse in eis multa pati, & desiderium glorificandi Patrem suum, per crucem amore plenam continuare possit. O sanctum desiderium! cui quotquot adimplendo pro viribus collaborarint, & hic amplissimum sanctitatis gradum, ac nominis splendorem obtineant, & gloriam in cælis consequantur æternam.

Omnes iustorum tribulationes non sunt pæna peccatorum.

Neque enim probare vnquam potui absurdam & ineptam quorundam sententiam affirmantium, omnes iustorum tribulationes pœnas esse peccatorum: quapropter etiam à S. sede Apostolica, meritò erroris damnata est. Audiendus verò, sequendusque S. nobis Gregorius Nazianzenus, ille, à quo dissentire, Basilio, magno teste, hæreticum duxeris, qui dum amicum ærumnis variis afflictum solari instituit, *recepisti*, inquit, *non discolorum plagas seruorum, sed monile ingenuorum.* Et ita profectò est, Gregori, *quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Beatus qui hanc inuenit sapientiam, & affluit prudentiâ.* Prou. 3. 12. Quod magnus ille Geneuensium antistes *Franciscus de Sales* non suppressit, cum in hæc verba scripsit epist. 39. In amoribus huius mundi varia symbola reperias, in diuinis autẽ in vnica tessera, Crux est, & passio; ita vt, qui nec quod patiatur habet, nec patienter suffert, dicere nequeat amare se Deum, quia nullus hic amor sine dolore.

S. Greg. Naz. — *Prou. 3. 12.* — *Francisc. de Sales epist. 39.*

Quare attendenda hic, atque expendenda verba S. Petri Chrysologi, viri eruditi, atque sanctissimi, quæ ex aurea ingenij sui atque eloquentiæ vbertate deprompsit; dum sacrum istud Christi monitum: *si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, sic* exponit: hoc putat arduum, qui præmia patientiæ, quanta sint, nescit. Putásne potest ille vulneribus inuenire victoriam, qui nec ictú palmæ acquirere vult coronam? *potestne iste morte inquirere gloriam, cui pro honore diuino, humana grauis videtur iniuria? ô vtinam, quiuis illius esset & audaciæ pro Christo, & amoris in Christum, vt loqui non formidaret cum Chrysostomo: mihi detur iniurias sustinere propter Deum, contemni propter ipsum, potius quam à cunctis Regibus honorari, nihil enim prorsus, nihil inquam, potest huic gloriæ comparari.* In cap. 5. Matt. homil. 18.

Matth. 5. 19. — *S. Petrus Chrysologus in dicta verba Matthæi hom. 18.*

S. Francisci patiendi feruor & desiderium.

Et hoc quidem non obscurè in S. Francisco Assisiate expressum legimus, qui cum graui corporis infirmitate afflictus decumberet, vt lucem vel tenuissimam intueri non posset, & insuper vexatione multiplicium murium à dæmone procuratâ, adeo infestaretur, vt nec interdiu, neque per noctem quiescere posset, iamque quinquagesimum diem hæc ærumna transcenderet, aduertit Franciscus hoc Domini esse flagellum, quapropter gratias illi agere, eumque toto corde & ore dilaudare, atque ex intimis præcordiis clamare cœpit, illis se, ac multò maioribus dignum esse, rogareque humillimè, vt ouiculæ suę virtutem & gratiam largiatur, vt nullo vel dolore, vel angustia ab eo vnquam recedere possit.

Quæ cum dixisset facta ad eum vox de cælo est, dicens: Francisce responde mihi; si tota terra aurum foret, & Mare, flumina, ac fontes balsamum essent, & montes omnes ac colles essent lapides pretiosi & tu alium thesaurum inuenires tantò his omnibus pretiosiorem, quantò nobilius aurum terrâ est, & balsamum aquâ; & saxis adamantes & topazij, & datus tibi esset thesaurus ille in tuæ infirmitatis solatium, nunquid oppido lætareris?

Patiendi pretium.

Respondit Franciscus: Domine, nequaquam tali thesauro dignus essem. Et Dominus ad eum: gaude nunc frater Francisce, thesaurus ille, vita æterna est, quam tibi polliceor, eaque te nunc ex hoc momento inuestio, cuius artha tibi hæc erit afflictio.

Gauisus Franciscus, eam ambabus manibus est amplexus.

Ita agendum, quod minimè latuit Serenissimam Margaritam Austriacam Philippi III. Hispaniarum Regis nuper coniugem: grauibus illa morbi molestiis affligebatur cum de gynecæo quædam magis pia & Deo didita, Domine miserta, sacrum Christi de cruce pendentis sigillum ei proponit suggerens, vt ab eo mali remissionem flagitet: ad quam Margarita: apage, filia, neque enim decet, Christum in Cruce pendere cōfectum plagis & ærumnis, me autem liberari velle minoribus malis: ac mox ad Christum oculos conuertens: *auge*, inquiebat, *Domine, dolores meos, & da patientiam*, quorum ipsa iam pridem nouerat pretium & mercedem, modo, vt credimus, acquisiuit. Tanti est, quod Ignatius prudenter monuit, & per se ac filios in Margarita, aliisque vidimus impletum, vtinam & in nobis omnibus, Deo dante, impleatur.

APOPHTHEGMA QVARTVM.

Etiamsi, nullo superaddito, laus Dei par foret; ad maiorem tamen Imitationem Christi, eligendum potius dicebat: cum eo paupere, spreto, & illuso Pauperiem, Contemptum, & Insipientiæ titulum, quam opes, honores, & sapientiæ existimationem sectari.

Ioannes Petrus Maffeius l.3.c.3.

Commentarius.

Amor similes facit.



Dilecti Imitatio, vita amantium est: Amor quippe aut similes inuenit, aut facit vt 3. Eth. Aristoteles loquitur: & verum hoc, probatumque est, vtpote antiquissimæ rerum principis naturæ calculis apertè testatum, vt qui neget, ab natura alienus, eam exuerit planè necessè sit. Quod itaque proni ab ea fuximus, hausimus didicimus, fierine proferet, vt vel illi, vel magno eius negauerimus conditori? Periculosè profectò desipit, quisquis hic ita sapit?

Meliora Superi! Amori suo condidit nos Deus, & cupit ab omnibus vehementer amari, vt quem ipsi demum nos impenderimus amorem, tenuem illum licet, ac facilem, vt à nobis exiit, grandi illo suo ac dulci compenset amplexu, vbi nos sui non absimiles amore factos, ac redditos secum faciat in cælestibus considere. Ephes. 2.6. *Ephes. 2. 6.*

Et sanè quid æquius dici, cogitarique

rique poſſit, non video, quàm vt illi nos haud abſimiles probemus, qui diuinæ omnis actionis initium,& caput eſt, vt magnus olim dicere ſolebat Dyoniſius, qui cum definiuiſſet finem & ſcopum noſtrum eſſe θεωθῆναι, *Deum fieri*; quid ſit tandem hæc ſacra *Theoſis*, ita explicat, *Dei porrò effectio eſt, Dei, quoad eius fieri poteſt, Imitatio*: quod cum S. noſtrum Ignatium tot ante de cælo luminibus colluſtratum non lateret, ita ſuos identidem alloqui, atque eodem non ſegniter impellere ſolebat: *Etiamſi nullo ſuperaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen Imitationem Chriſti, eligendum potiùs, cum eo paupere, ſpreto, & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulum, quam opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem ſectari.*

Quod ego accuratiùs mente, animoque pertractans, velle mihi non ſemel viſus ſum, graues illas, plenaſque omnium concordiarum ſub aſpectum adducere rationes, quæ peculiariter ad hanc inducere nos debeant Imitationem, fore confidens, vt iis in medium prolatis, non deſes nobis omnibus eius imitandi ardor ſuccreſcat: vel enim homo Deum ſuum, vt ſeruus Dominum, familiaris herum, palatinus principem, filius patrem, ſponſum ſponſa reſpiciat neceſſe eſt, ſed omnis, ſiue is ſeruus ſit, ſiue familiaris, ſiue palatinus, ſiue filius, ſiue ſponſa in eo ſita perfectio eſt, vt dominum, herum, Principem, Patrem, ac ſponſum quam poſſit proximè referat & imitetur, diuinâ imprimis adſtipulante ſapientiâ: *ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruo ſicut Dominus eius*. Matth. 10. 25. Quod & profana olim Philoſophia non obſcurè profeſſa fuit. *Plautus* Aſin. 1. a. 1. *Volo*, inquiens, *me patris mei ſimilem*. Et *M. Cicero* lib. 5. de finib. *Non video cur non potuerit patri ſimilis eſſe filius*. Igitur qui hoc abnuat, communi ſenſu carere dicendus eſt. Fuit autem hæc olim, atque etiamnum eſt hominum mentibus inſita, nec facilè eradicanda propenſio, qua maiorum ſuorum ſimilitudine delectati, eorum gaudeant mores, geſtus, atque exempla ſectari, vt monſtri inſtar haberi debeat, qui ſibi hîc, ceteriſque difformis abſcedat.

Matth. 10. 25.

Plautus Aſin. 1. a 1. Cicero lib. 5. de finib.

Alphonſum Aragonum ſapientiſſimus Rex de Principum vita diſſerens, *vt heliotropium*, inquit, *ad Solem, ita populares ad Principum mores conuertuntur*: Unde Eccli. 10. 2. *Qualis eſt rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Secundum Iudicem populi, ſic & miniſtri eius. Quales Rex, talis grex quod ſic expreſſit* Claudianus:

Exempla Principum ſequuntur populus. Alph Regi. nald. effatum. Eccli. 10. 2

componitur orbis,
Regis ad exemplum: ne ſic inflectere ſenſus,
Humanos edicta ſolent, quam vita regentis.
Nobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Hinc Rex venationi, Muſicæ, literis deditus, eiuſmodi ſtudio in populo excitat: non ſecus ac figulus ollam, qualem vult fingit, ita populum ſuū Princeps. Cretenſes ſuorum Regum æmuli venatione,& re nauticâ ſe exercebant Spartani Reges armis dediti, iuuentutem patriam in ſuos mores pertraxerunt. Aurelius Imperator Philoſophica volens ſtudia, iam pœnè elanguida, poſtliminio in rep. ſua ſuſcitare, primus ipſe literariam ingreſſus palæſtram, omnes ad ſui ſequelam pellexit.

Aurelij Imp. exemplum.

Ludouicus 2. Franciæ Rex ob valetudinis imbecillitatem, filium noluerat latinis literis imbui, cùm nobiles omnes cœperunt eas pariter contemnere, nec vili facere. Contra *Franciſcus* 1. eas diligere aggreſſus, viroſque doctos colligere, & amare, hinc omnes ſtudere, factúmque; vt nuſquam plures eruditi, quam in Francia inueirentur.

Ludouici 2. gall. regis exemplum.

Franciſci 1. gall. regis exemplum.

Ioſinam quoque Scotorum Regem ferunt, cum illuſtrium medicorum familiaritate oppidò caperetur, breui totam nobilitatem huc adduxiſſe.

Ioſiniæ Scotorū Regis exemplum.

Secundum autem Rex Galliæ *Franciſcus* plagam acceperat, quare vt

Franciſci Regis galliæ exemplum alterum.

vt facilius curaretur, tonderi se iussisset, continuò domestici omnes Principes, ac Magistratus capillos abradi curarunt, vsque adeo vt si quis Magnatum vestigiis insistere ac tonderi detrectaret, risui esset. Quod & in *Philippo* bono Burgundiæ Regulo notatum fuit, qui exemplo suo id effecit, vt nobiles omnes comas raderēt, cū eas ante solerent nutrire.

Philippi boni Burgundiæ Ducis exemplum.

De *Alexandro* autem *Alphonsoque* Regibus memoriæ proditum, solitos illos collum leuiter contorquere, hunc à natura, alterum à consuetudine: hoc illicò imitari studuerunt Aulici, vt Regis amicus non esset, nisi qui obtorto collo incederet.

Alexandri & Alphonsi regum exemplum.

Plutarchus de audiendis poëtis: Platonici quidam, inquit, præceptoris incuruos humeros, & Aristotelis balbutiem imitabantur. Sed anteire omnibus hîc visi Æthiopes, quos teste Isidoro Siculo tantis Reges suos amoribus prosecutos ferunt, vt eorum ad imitationem viuere, vestiri, comedere, bibere, loqui, incedere, ac quiescere solerent, adeò vt si quē haberent principem monoculum, alterum sibi oculum eruerent, si quem claudum, alterum sibi crus debilitarent, ne qua in parte Principi suo dissimiles viderentur.

Plutarchus de audiēdis poetis.

Æthiopiæ Regum exemplum quam potens.

A seruis, subditis, atque discipulis venio ad liberos, quos, vt ait Iuuenalis sat. 14. Patrum vestigia ducunt, ex quo fieri amat, vt in nonnullis familiis mores quidem atque affectus à parentibus ad filios successione continuâ propagentur, non tam innati sanguinis vi, quam conuiuendi vsu, consuetudine atque amore. Hoc modo apud Romanos olim Claudij habebantur superbi, Scipiones bellicosi, Appij ambitiosi, vt & nunc in Hispania, teste Didaco Saauedra Faxardo, in Idea Christiano politici, Gusmanij putantur boni, Mendocæ humani, Mauriquesij formidabiles. Toletani seueri & graues. Idem in artificibus videre licet, quos inter, vbi aliqui semel excellere cœperunt, facilè id posteà transfundunt in posteros, quos artis suæ habent spectatores, quibus opera sua & laborum industrias post se relinquunt: quod & in sponsis locum habet, quibus, dum se amant, incredibilis mutuò se imitandi ardor insitus apparet.

Patrum exempla liberos trahunt.

Author adhæc Maioragius est ab arte dicendi in paucis nominatus, Lusciniam maximè solertem ac solicitam esse, vt pulli tectè modulentur, eosque auidè auscultare parentem, vt vocem eius quam proximè imitentur, quo fit, inquit, vt iuniores philomelæ captæ, minus concinnè modulentur, quàm quæ diutius parentem magistram obseruarunt.

Quæ omnia, si luce clarius meridianâ, in his singulis obseruentur, vt nec molestiis vllis, aut difficultatibus à suscepto opere impediantur, an non indignum est facinus, eadem nos Christo Domino, ac Principi nostro, tam bene de nobis omnibus merito, Patrique optimo, ac sponso longè dulcissimo, adeo turpiter denegare! quem ea de causa, humanam induisse naturam non nescimus, vt, quemadmodum *S. Basilius* ait, in Asceticis cap. 2. in se ὡς ἐν εἰκόνι velut in tabula quadam viuis coloribus illuminata, veram nobis sanctitatem, vt archetypon quoddam nobilissimum exhiberet, quo etiam verba eiusdem spectare identidem visa sunt: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde*. Matt. 17. & tandem: *exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodū ego feci, ita & vos faciatis*. Ioa. 13.

S. Basilius in Asceticis l. 2.

Matth. 17.

Ioan 13.

Sed quid? vsque adeone parum est Dei filium ad humilitatem nostram descendisse, hominemque factum, quo homo fieret Deus? Expendisse id iam inde à principio eos omnes certum est, quotquot Christo fide ac professione authorati, eidem placuisse inuenti sunt laborabant hi, vt in eius vitam, tamquam in speculum intuentes, arcanos innocentiæ modos ac sāctitudinis haurirēt, quo nec indigni suo nomine, nec Deo viderentur ingrati. Ita vas electionis Paulus apertè prædicat se Christi factum Imitatorem: quod & de reliquis

Christiani imitatores Christi.

liquis Apostolis sacra testatur historia, quos per immensa terrarum spatia vultu, sermone, castissimæque vitæ religione hanc θεομιμησίαν Dei imitationem circumtulisse scimus quorum vestigiis posteri insistentes eundem gloriosissimè circum decurrerunt, quod de magno Turonensium Præsule Martino S. Paullinum scriptum reliquit, dum cælestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portasse tradit. Nec frustra: nihil enim, vt ait S. Leo, dignius, quàm vt homo sit sui authoris Imitator, & secundum modum propriæ facultatis, diuini sit operis exsecutor: quod S. quoque Gregorium Nyssenum nequaquam latuisse patuit, cum dixit: *vnica est generis nostri claritas, dignitásque, propinquitas cum Deo: in qua certè præ ceteris omnibus commendanda Seraphicis eluxit* Bonauentura, dum id, quod in se tam luculenter expertus fuerat, suis voluit esse commendatum his verbis? *In omnibus virtutibus & bonis moribus propone semper clarissimum speculum, & totius sanctitatis perfectissimum exemplar, scilicet vires & mores filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, qui ad hoc nobis de cælis missus est, vt aperiret nobis viam virtutum, & legem disciplinæ suo exemplo daret, & erudiret nos per semetipsum, vt sicut ad imaginē eius naturaliter creati sumus, ita ad morum eius similitudinem per imitationem virtutis, pro nostra possibilitate reformemur, qui eius imaginem fœdauimus per peccatum. Quantò enim quisque se ei in virtutis imitatione hic conformare studuerit, tantò ei in prima gloria, & claritate appropinquabit, & similior erit. Describe tibi in corde tuo mores, & actus suos &c. vt in omnibus factis & verbis tuis semper ad hunc, quasi ad exemplar respicias incedens, stans, sedens, comedens, tacens, vt loquens, solus, & cum aliis. Et ex hoc magis diliges eum, & familiaritatis eius gratiam & fiduciam assequeris, & in omni virtute perfectior eris. Et hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium semper aliquid de ipso cogitare, vnde vel prouoceris ad imitandum eum, vel ad eum amandum afficiaris.* Hæc S. Bonauentura, & aptissimè quidem ad persuasionem, cui non vulgariter promouendæ veteris Philosophiæ placita, ac traditæ suis disciplinæ magnum pondus adiiciunt: ita *Parabates Iulianus*, cum *Marcum Imperatorem* eximiè commendare vellet, ait: illum in concilio Deorum interrogatum, quid maximè in Imperio, & donatu suo spectasset respondisset: τοὺς θεοὺς μιμεῖσθαι, *Deus imitari*: quo S. Ambrosius clarum illud Pythagoræ effatum, omnium gentium linguis celeberrimum ἕπεσθαι θεῷ, adiicere non formidauit, quid inquam formidauit? dixisse debueram, rem totam firmauit, atque illustrauit, quamuis alioquin ea, de se satis, superque fulgeat & firma consistat, cum optimus ille fidei ac salutis nostræ & totius perfectionis author ac magister Christus Dominus, non solum se, Vitam, quâ Deo viuimus; veritatem quâ eundem cognoscimus, sed etiam Viam esse dixerit, per quam vestigiis eius inhærendo ad salutem & perfectionē tutò peruenire possimus.

S. Bonauentura super eodem iudicium, & sensus.

Marci Imp. commendatio.

Cum igitur hæc omnia ita se habeant, & præstantissimo quidem modo ab omnibus, verâ sapientiæ laude pollentibus admittantur, quærendum obiter, in quo potissimum hæc imitandi ratio posita sit ne, dum hoc fortasse nescimus, à scopo nobis proposito aberremus.

In quo hæc imitatio sita sit.

Et primò quidem græcorum ille Patrum facundissimus S. Ioan. Chrysost. *Innocentiam*, ait, *Domini Imitationem esse*, quam sectabatur regius vates, cum diceret: *perambulabam in innocentia cordis mei*, per quam, animi sanctitatem, puram illam atque ab omni vitiorum labe semotam intelligebat munditiem.

S. Ioan. Chrysostomus sitam ait in Innocentia vita.

Eodem antè respexisse visus illi in humano corpore Seraph, & diuinæ mentis interpres clarissimus, *Dionysius Areopagita*, dum paucis exponere laborabat, quid maximè in imitando Christo sequi debeamus, his verbis: *si eius societatis cupiditate ducimur,*

Idem sensu Dionys. Areopag.

cimur, diuinam vitam, quam vt homo egit, proponere debemus, eius in non peccando imitatione. B. S. *Ambrosius*, re, quam nomine dulcior: *fuga malorum*, inquit, *similitudo est Dei, & virtutibus Dei imago acquiritur.* lib. de bon. mort. c. 5.

Idem quoque S. Ambros. lib. de bono mortis.

3. S. Leo, quem rationem fidei dixere Aristotelem, sic ad propositam quæstionem respondet serm. 1. de Ieiun. 10. mensib. *Non aliter in nobis erit dignitas diuinæ maiestatis, nisi Imitatio fuerit voluntatis.*

S. Leo serm. de ieiun.

4. S. Maximus, verè maximus, & Nominis sui implens mensuram, dum S. Dionysij enucleat Oracula, hanc Dei Imitationem positam esse vult in zelo animarum, & salute hominum procuranda: quod illustrat in hunc modum, *mentem*, inquiens, *cum diuinis illustrationibus illuminata fuerit, tum ad res cognoscendas, tum ad aciem in Deum ipsum magna animi puritate intendendam* θεωϑῆναι id est, *Deum fieri.*

S. Maximus ponit in zelo animarum.

5. Tertullianus Latinorum scriptorum Princeps illam Dei Imitationem ad Castimoniam refert, corporis scilicet, animique integritatem. Nec malè: est enim pudicitia, diuina quædam virtus, cælo digna, & beatarum mentium choro, in quarum splendidissima gloria, illud animi ornamentum, vt in corona torus, maximè lucet, hinc, vt inquiebat, *vbi Deus, ibi pudicitia est.*

Tertullian. in Castimonia collocat.

6. *S. Augustinus* sapientissimæ pietatis Antistes in amore erga Deum, imitationem hanc collocat: est enim hic opifex mirabilis, quem nec Phidias aliquis, aut Apelles scalpro suo aut penicillo, dum fabrè rem amatam effigiat, vnquam legatur assecutus: manu siquidem promptus, artificio solers animarum commutationem & transformationem scitè, potenterque machinatur, vnde diuinus Plato, Amantes volebat arte quâdam vulcaniâ coalescere atque in vnum conflari: excellentissimæ profectè imitationis genus! quod ille non infeliciter expertus, qui dixit: *viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.*

S. August. in Amore diuino ponit.

Item sensit S. Paulus Gal. 2. 20.

Atque hæc illa est fornax in qua animus Pauli exarsit, & Amore Iesu liquefactus, ad perfectissimam eius Imitationis formam accipiendam mollissimus effectus est. Nil igitur mirum est, si Christus in eius corde habitaret, in eo viueret, & loqueretur, qui enim tam accuratè, tanto verborum pondere, tantâ diuini spiritus vi, & plenitudine Christi diuinam, humanamque naturam, charitatem, obedientiam, mansuetudinem, humilitatem descriptam reliquit: qui perfectam illam Christi formam in sese imitandam toties fidelibus proposuit, alios, parturiendo Christum in illis, formauit, cui dubium esse poterit, quin ex illo exemplari, quod semper, & in corde, & præ oculis, & in ore habebat, hæc omnia hauserit, assiduâ eius contemplatione expresserit, & amore.

Et rectè quidem hæc omnia à viris sanctissimis suggesta sunt, sed quæ ad actiones filij Dei, magis quam ad supplicia eiusdem ac tolerantiam imitandam pertinere, visa sunt, de quibus tamen Apostolorum Principes tanto nos feruore commonuêre: Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* 1. 2. *Paulus verò Gentium Doctor: Aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.* Heb. 12. q. d. Proposui vobis ante, ô Hebræi, tot Sanctorum exempla, nunc autem ipsum exemplar fidei & patientiæ, sc. Christum crucifixum vobis propono, vt in illud assiduè intuentes, eius patientiam & constantiam in vobis exprimere & imitari studeatis; perfectæ namque Imitationis æconomia flagitare videtur, vt ad ea quoque se porrigat, quæ Dei filius sustinuit, tum nostri causa, tum exemplo: neque enim vt nos redimeret, necessarium erat tantos subire dolores aut cruciatus, cum vel vnicâ oratione suâ mille mundos redimere potuisset, sed vt ipsum imitaremur, oportuit

S. Petrus 1. 2. 21. ponit in patiendo cum Christo Nec dissentit S. Paul. heb. 12.

tuit talia pati, quemadmodum suprà ex Apostolo probatum, secundum explicationem *S. Augustini sic loquentis serm. 8. de temp. sc. ut nos, quos à peccatis sanguine suo redemit, non solum doctrinæ auxilio & gratiæ, sed exemplo etiam suo ad studium sanctitatis accenderet. Et nos non modo præcipientem Dominum, sed suo etiam exemplo ad virtutis fastigia prouocantem, maiore alacritate sequeremur, & pium patrem secundum sententiam B. Petri, filij imitatione coleremus; ne si Imitationem hanc neglexerimus, irritos fecisse labores eius ac sanguinem pro nobis effusum vilipendisse dicamur, in quos meritò querela, quam apud Isaiam c. 49 legimus intorqueatur: in vacuum laboraui, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Queritur Dei filius de iis, qui passionem suam laboresque imitari nolint, quos mitissimus Dominus accusat apud Patrem, iustitiam & iudicium aduersus illos postulans, quapropter sequentia consultò subiungit: ergo Iudicium meum cum Domino hoc est, Dominus iudicabit inter me, & illos.*

S. August. — Isaiæ 49.

Et alibi: *Torcular calcaui solus & de gentibus non est vir mecum*: hoc enim, attestante S. Ioanne *Chrysostomo hom. 13, in ep. ad Philip. contrarium est Crucisitaque si dicant se Christi esse, sunt tamen Crucis inimici: nam alioqui si Crucem dilexissent, vitam studuissent viuere crucifixam. Non est crucifixus Dominus tuus? Imitare Dominum: crucifige teipsum, etiamsi te non crucifigat. Dominus tuus crucifixus est, & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus cruci est, & tu deliciaris?*

Isaiæ 63. 3. — Ioan. Chrysost. hom. 13. in ep. ad Philip.

Pudendum siquidem Christianos id subterfugere, quod tot ante sæculis Hussitarum Regulus Iob fecit, priusquam passus pro illo Saluator esset, cum dixit: *vestigia eius secutus est pes meus.* Quem locum sic commentatur magnus Gregorius: quod Mediator „ Dei & hominum humilis ad sustinendum, & patiens ad exemplum „ præbendum futurus esset, Beatus „ Iob superno spiritu repletus solicitâ intentione conspiciens, quasi „ ad exemplum sibi propositum re„ currit, vt quidquid ageret, ad imi„ tationis illius vestigia ligaret: qua„ tenus qui occultè dispositionis e„ ius sublimia videre non poterat, „ quasi in terra conspiciens ad Imi„ tationem, eius vestigia teneret. „ Gratissima æterno Patri est vnige„ niti filij sui repræsentatio: quem„ admodum enim in lege veteri o„ mnia seruire volebat figuris nasci„ turi Saluatoris, & per sanguinis „ eius repræsentationem placabatur „ offensus, plurima dona, gratiasque „ largiebatur: maiore iure nunc in „ omnibus repræsentari desiderat si„ bi dilectum filium suum, vt vbi„ cunque expressam eius viderit „ imaginem, istic vberrimos gratia„ rum rores depluat, & infundat, di„ gnus cui vel maximè hoc opere „ placeamus.

Iob 23. 11. — S. Gregorius in dictum locū.

Atque hoc est, quod sacro suo proposito Apophthegmate S. Ignatius commendatum hic omnibus esse desiderauit. cum patientis Domini Iesu Imitationem, etiam cum pari meritorum fructu, & diuinæ laudis æquali incremento ceteris omnibus generosè voluit antelatam.

Sensus Apophthegmatis.

Nouerat vir sanctus ac sapiens, Christianæ prudentiæ humanis mentibus inserendæ cum primis natus, quanti momenti ac ponderis sit, semperque fuerit Christi sincera conformatio, quare & eam istic ferendam præcipuè arbitratus, vbi succrescere, fouerique cum fructu possit, consultantibus de certo vitæ genere capessendo propositam esse voluit, ne dum hic fortassis exercitatum fuerit, tota vita erroribus inuoluatur, dicebat itaque: *etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad maiorem tamen Christi Imitationem, eligendam potius cum eo paupere spreto, & illuso, pauperiem, contemptum, & insipientiæ titulum amplecti, quam opes, honores, & sapientiæ æstimationem*: q. d. licet admitti possent honores & diuitiæ absque peccato, etiam veniali; imò non solum sine peccato, sed etiam eo casu, quo iis admittendis aut reiiciendis maior Dei gloria, aut maior

maior animæ nostræ vtilitas se non proderet; nihilominus tamen quo nos magis conformemus, similesque Christo Domino efficiamus, eligendam magis paupertatem cum Christo, quam diuitias, & optandas magis iniurias & opprobria, cum Christo iis saturato, quam mundi huius vanos honores ab ipso spretos, magisque desiderandum contemni, & pro Iesu Christi amore, qui albâ indutus veste irrisus fuit, stultos haberi, quam in oculis mundi sapientes & prudentes videri. Quòd si filij, filiæque huius sæculi attenta secum mente reuoluerent non ita fallacibus carnis suæ illecebris se traderent corrumpendos. Unus aliquis è primoribus Regni conuenerat Madriti P. Petrum Fabrum virum è primo illo decemuiratu Societatis Iesu eximium, ab eoque formulas quasdam precandi, & puncta piè ruminanda, sibi assignari deposcens: cui ille, *hæc tecum*, inquit, *quantoque perpende: Christus in summa inopia, ego in opulentia: Christus in fame, & siti, ego in exquisitis epulis: Christus nudus, & ego pretiosè conuestitus: Christus in doloribus, & ego in deliciis.* His ille instructus abit, nec multò post, dum ad lautissimum conuiuium adhibitus, cupedias & luxum admiratur, vna de quatuor hisce formulis animum subiit, quâ ita commotus fuit, vt in vberrimas lachrymas effusus, mēsa abscedere & cōuiuas deserere, ad solitudinem se recipere sit coactus, vbi priuato studio Seruatoris sui imitatione incumbere posset.

Insignis doctrina Petri Fabri.

Eodem afflata spiritu S. Elisabeth Thuringiæ Princeps fuit, vbi sponsum suum nudum in Cruce suffixum vidit; nimirum, inquiebat, „ me terræ puluisculum purpura inuoluit, tu, mi Christe, heu! nudus „ meam erubescis vicem. Mihi co„ rona auro & gemmis, tibi spinis & „ sentibus riget. Ego puluinaria cal„ co, tu locum capiti circumspicis, „ nec, eheu, iuuenis: me aulæ serui„ tia vallant, te soli hostes stipant, „ purpura, rectiùs sanguis me spon„ si pinget. Ite gemmæ, nobiliores „ sub Cruce legam: Abi grauis auro „ corona, tosas è spinis nectam: „ Tollite puluillos; Crux, sponsæ e„ rit lectulus. Secedito amicorum „ cohors, dolores me rectiùs am„ bient. Hæc, inquam tantam apud Elisabetham valuêre, vt iam se ipsa superior, omnem pedibus mundum, sponsi exemplo proculcaret.

S. Elisabetha Thuringica patiendi ardore cum Christo.

Utque è recenti memoria huic calculum gloriæ adiiciam, prodeat è Carmeli sui latebris Anna de S. Bartholomæo: hæc etiamnum iuuencula ipsis antecineralibus diebus à matre ad choreas deducta, iamque à chorago primæ nobilitatis adolescente in tripudium consalutata, oculos fortè cum animo sustulit, & ecce in ictu oculi exhibuit ei se Christus omnino cruentus, hoc vnum piè questus: pergeret se dare vanitati, dum ille in tormentis hæreret, importunam hanc fidicinum musicam suo luctui nequidquam vetita prætulisse. Disparuit ille, & ipsa hoc spiritu incitatior, ocyor euro, generoso saltu, mundo & chorago spretis, ad imitandum sponsum in Carmelum confugit.

V. Anna de S. Bartholomæo Christi patientis imitatrix. Historia vna.

Ardua plerisque res, fateor: sed nec ideo respuenda, quia difficilis, quæ nos Deo iungat, & similes reddat. Nam vt bene Theodidactus ille Kempensis Thomas: *dulcius est esse cum Iesu in Cruce, quam sine illo in paradiso.*

Thomas à Kempis de Imitat. Christi.

Optimè igitur *Raymundus Iordanus* Præpositus Vticensis, vulgo Idiota; Recordemur non solum non esse ægrè ferendam hanc pugnam, „ sed optandam, etiamsi nullum in„ de nobis præmium perueniat, so„ lum vt conformemur Christo Deo „ & Domino nostro, & quoties resi„ stendo alicui tentationi, alicui ex „ sensibus tuis vim facis cogita cui„ nam parti Crucis Christi confor„ mis reddaris: vt quando gulæ re„ sistens gustum affligis, recordare „ illum felle potatum & aceto. Quā„ do manus retrahis à rapina alicu„ ius rei, quæ tibi placet: cogita ma-

Raymūdus Iordanus, vulgo Idiota docet imitari nos Christum.

„ nus

„ nus retrahis à rapina alicuius rei, „ quæ tibi placet: cogita manus il- „ lius pro te ligno Crucis affixas. & „ si resistis superbiæ, recordare il- „ lum, qui cum in forma Dei esset, „ pro te formam serui accepisse & „ humiliatum vsque ad mortem Cru- „ cis: & cum irâ tentaris, recorda- „ re illum, qui Deus erat, & omnium „ hominum iustissimus, cum tamen „ se videret quasi latronem, & illu- „ di, & conspui & flagellari, & op- „ probriis omnibus affici, & cum la- „ tronibus deputari, nullum tamen „ vnquam aut iræ aut indignationis „ signum ostendit, sed patientissimè „ omnia ferens, omnibus mansuetis- „ sime respondebat. Hæc ille, cui „ examussim congruit, quod *S. Leo* ille Ecclesiasticæ dictionis Tullius nobis scriptum reliquit, serm. de Transfig. Inter tentationes, inquiens, huius vitæ prius nobis tolerantia postulanda est, quam gloria, cui seruator noster illustrissimo sanè prolusit exemplo, cum licet æqualem Redemptionis nostræ fructum vidisset posse accidere, etiamsi ipse in deliciis sanctis, gaudio, honoreque terreno vitam instituerét, acerbiora nihilominus sectari voluit, crucemque amplecti: quod *S. Gregorius Nazianzenus*, os Christi à S. Basilio dictus, his verbis expressit: *cum liceret sibi paternis frui deliciis, nec mortem gestare, confusione tamen & ignominiâ contemptis, sustinuit Crucem.* Imò *S. Anselmus*, proposito, inquit, sibi à turbis gaudio, cum vellent eum facere Regem, noluit ille, sed potius Crucem sustinuit, & illusiones, & opprobria, omniaque terrena bona contempsit.

Idem docet S. Leo serm. de transfigurat.

Idem docuit S. Gregor. Nazianz.

Idem cōfirmat S. Anselmus.

Quæ si ita in Christo se habeant, qui factus est nobis *disciplina*, atque ita à Dauide dicitur, dum suis consulens, *apprehendite*, inquit, *disciplinam*, siue vt alij legunt: *apprehendite filium*, quoniam filij Dei vita, nostra doctrina est.

A Zacharia verò propheta appellatur *perpendiculum*, quod extenditur super Hierusalem, quandoquidem per Imitationem Christi Iesu omnis animæ perfectio & spiritualis ædificatio metienda est.

A Ioanne autem Euangelista, *mensura* nuncupatur: *mensura*, inquit, *hominis, quæ est Angeli.* Apocal. 21. A S. Basilio, Archetypus.

Apoc. 21.

Deniquè à S. Ioanne Chrysostomo, *Indumentum*: etenim anima quæ Christi seruatoris non imitatur vitam, deformis ac nuda virtutibus est. Si, inquam hæc ita se habeant, quid tergiuersamur? ac velut refractarij obsistimus, illam, duce Christo, viam ingredi, quam ipse pro nobis prior intrauit? vt vitam quæ in imitatione abscondita est feliciter consequamur; hæc sanè mens S. Ignatij semper fuit, hic spiritus eius, quem primò in filios, ac dein per eos in vniuersum Christianorum cætum immittere aut certè redintegrare, seu restituere laborauit; atque etiamnum in Apophthegmatis suis superstes idem non desinit nobis inculcare.

Vtinam qui hæc aliquando vel lecturi sunt, vel audituri, æquo, paratoque animo, sic fortè accesserint, vt quod diuinæ conforme viderint voluntati SS. Patrum consonum exemplis, notissimæ rationis regulæ comparatum, à se nequaquam reiiciant, sed prompto ac diligenti studio imitentur. *Summa namque religio est imitari quod colimus*, S. inquit Augustinus: *Crucifixum colere gaudemus, Crucifixum item imitemur, nec enim tantum illi prodest nostra laudatio, quantum nobis eius imitatio. Sponso siquidem magis placet imitator deuotus, quam laudator otiosus. Laudatio cordis Imitatio est operis*, vt S. scribit Hildephonsus.

Auctoris votum.

S. Augustini de imitādo Christo iudiciū.

S. Hildephonsi super eodē sensus.

Rem in minimo Ignatij discipulo, ad oculum demonstro: erat de sociis quispiam, ex eorum genere, qui ad domestica obeunda ministeria admittuntur, vir pius ac frugi, ad Aulam regiam hic missus, vt negotium istic quodpiam curaret; vestitus ei erat pro statu suo simplex, cui prætereà virtus sua altero tantum detraxerat, pallium tenue, ac depexum, talaris tunica multis in locis resarcita,

Conditor Societatis magnus Christi pauperis æmulator.

Alphōsus de Andrade tom. 1. l. 2. c. 15. §. 2.

cita, quam ex ora panni præcisa zona ſtrinxerat, pileus detritus, calcei conſarcinati, in ſumma, totus pro affectu paupertatis, quam profitebatur, obſoletus; hunc cum non nemo ex aulæ leuioribus aſſeclis conſpicatus eſſet, & quid tu, inquit, in obſoleta hâc veſte palatium ſuæ maieſtatis ingreſſus es? cui probus ille ac diſcretus vir: Domine, inquit, morem in hac aula obſeruo eſſe huiuſmodi, vt quâ Rex veſtium vtitur formâ, eâ & palatini vtantur, quoque delectatur colore, eodem & ceteros delectari; quin & viros nobiles eo genere, notâque tincturæ gaudere video, quibus amaſias ſuas ſciunt recreari, quarum affectum, fauoremque aucupantur; quare ad me quod attinet, pridem eſt, quod diligenti mentis indagine exploro, quâ formâ, quoúe veſtium colore Domina mea, quæ ſancta dicitur paupertas, Chriſto Principi noſtro plurimum dilecta, oblectetur; intellecto autem, his maximè, quibus indutum me conſpicis recreari; in animum induxi meum, ab illis nequaquam abſtinere, vt vel hâc qualicunque imitatione bonam gratiam Principis merear obtinere.

Quibus auditus Palatinus in magnam datus admirationem, præcipua cœpit virum æſtimatione venerari. Alphonſus de Andrade tom. 1. l. 2, c. 15. ſ. 2.

S. Catharina Senenſis cũ Chriſto.

Eodem refero, quod S. Catharina Senenſis æui ſui gemmula, non tam candore ſuo, quam luce ſignauit; adixerat ſe mulieri fœdo carcinomate laboranti, nec iam ſtipendium aliud præter calumnias terebat. Subtriſti eam ob cauſam nonnihil, ecce Chriſtus adeſt, geminam manu coronam prætendens hanc aurò, illam ſpinis rigentem, iubetque optionem facere. Illa non neſcia, quâ ſponſus corollâ ornatus eſſet, ſpinas inuadit, iamque melius animata impenſius pergit ſeruitutem ingratæ ſeruire, malens ad maiorem ſponſi Imitationem cum eo paupere, ſpreto, & illuſo pauperiem, contemptum & inſipientiæ titulum, quam honores, opes aut ſapientiæ æſtimationem comparare: & quo pretio, aut mercede? *Spreto contemptoq; ſpernianat ac contem.*

B. Stephani Abbas Chriſto ſimilis patienti.

docebit B. Stephanus Abbas de quo vitæ Patrum lib. 10. cap. 65. Erat hic ex iis vnus, quos hæc Dei ac Domini ſui imitatio totum vindicârat, quod tamen germanus eius frater non capiebat, quapropter Deus, vt ei oſtenderet quanta is honore dignus eſſet, quem temerè iudicabat, oſtendit in ecſtaſi quendam dicentem illi: ſi merita & gloriam fratris tui videre cupis, retro conuertere, & vide. Conuerſuſque vidit fratrem ſuum crucifixum cum Domino; aitque ad eum is qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus eſt: Verè *gloria magna eſt ſequi Dominum.* Eccli. 23. 38. eoque maior atque illuſtrior, quo ſequela vicinior patienti. *Eccli. 23. 12.*

APOPHTHEGMA QVINTVM.

PLus aiebat plerumq́; latere periculi in minutis peccatis contemnendis, quam in maximis.

Maffeius l. 3. c. 6. Orlandinus l. 12. hiſt. Soc. ſ. 23. 24. Ribadeneira l. 5. c. 7.

Commentarius.

S. Ignatius Sp. ſancti fuit organum.



QViſquis Ignatium laudabile Sancti Spiritus organum fuiſſe pronuntiârit, quòd olim ſeptemplicem cœleſtis auræ flatum leuiter excipiens, in admirabilis ſapientiæ modulos collegit, quos diſcordi ſonorum concentu temperatos, ad noſtri omnium doctrinam, ſalutemque diffudit: ne ille

le folerter ac verè de ſanctiſſimo, prudentiſſimoque viro indicârit! Et huius quidem aſſertionis meæ totidem inuenio teſtes, quot antè cæleſtis eius prudentiæ aphoriſmos adduxi, ac deinceps, Deo bene volénte, Chriſtianæ Philoſophiæ Poſitiones non tam illius ore aſſertas, quam vita, moribuſque expreſſas producturus ſum, quas inter, hæc quamuis agens de minimis, non minimi certè pretij cenſenda eſt, quâ virum ſapientiſſimum dicere ſolitum accepimus, *plus latere plerumque periculi in minimis ſpernendis, quam in maximis contemnendis.*

Cauſam fortaſſis, aut rationem ſi quæras, eccum non dubiam aliquam, ſed idoneam, certam, atque efficientem.

Cur parua peccata vitanda. Docetur à Patribus.

Peccatum omne, ſeu graue illud ſit, ſeu leue, velis, remiſque omnibus fugiendum ratio docet, hoc tamen præ illo accuratius declinandum Ignatius monet, tum quod illius damnum ac noxa, confeſtim ſe prodant, ac proinde curari ſtatim poſſint, huius autem nonniſi paulatim, ac temporis proceſſu noſcantur, cum adulta iam ætate vix reſtaurari queant, Poëtæ veteris monito, hîc, ſi vſquam, locum ſibi vindicante.

——— Serò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuêre moras:

cui efficienter obſiſtitur, dum minimi defectus, curâ maximâ deuitantur. Ad hæc flagitia magna, ipſa flagitij natura & enormitas faciunt, vt auerſemur: minima, quia exilia videntur, hoc ipſo negliguntur, iiſque contemptis, mens aduerſus, illa nequaquam exurgit.

Facilè concupiſcentia noſtra minimis adhæret, & exardeſcit, quod abſque periculo iis ſe immorari poſſe confidat, cum in grauioribus ſe damni patentis horrore compeſcat.

Ex minimis prætereà conſuetudo pronaſcitur, quæ vitia præſcribit non ex magnis, quia rariora ſunt, nec minus violentum eſt reſiſtere conſuetudini, quam naturæ.

Accedit, quod ea quæ leuia videntur verecundiam nobis auferant peccandi, quâ ſemel amiſsâ, quid reſtat, niſi via in præceps? Adde indignum eſſe, continere ſe à magnis, & vinci à paruis: ab hoſte ſiquidem exili & pumilione ſterni miſerum eſt, & magnæ ſignum ignauiæ atque dementiæ: quis enim prudens rem minimam contemnat, cui non leue pretium ſubeſt? an margarita, quia exigua, gemmario vilis eſt? imo exinde carior atque pretioſior. Ita gratius obſequium & diligentia in minimis eſt.

Ioan. Chryſoſt. hom. 87. in Matth.

Atque hæc mens *S. Ioannis Chryſoſtomi* fuit hom. 87. in Matth. vbi non tanto ſtudio magna vitanda aſſerit, quanto parua ac vilia, quod omnibus à me hactenus allatis argumentis, in manipulum vnum collectis propugnat, dum callidi veteratoris in hoc conflictu inſidias aperit ac manifeſtas reddit. Sed oris aurei ſermonem audiamus: *A minimis,* inquit, *plerumque incipit, quod hoc modo licet intueri: Studebat in Pythoniſſæ nugas, ac deliramenta Saulem Regem detrudere, ſed id, ſi ab initio ſuaſiſſet, mentem ille non adhibuiſſet: quando enim id feciſſet, qui Pythoniſſas expellebat? propterea ſenſim & paulatim ipſum inducit. Nam quoniam Samueli non obtemperauit, & holocauſta illo abſente offerri præcepit, accuſatus, ait, neceſſitas hoſtium facta eſt maior, cumque flere oportuiſſet; quaſi nihil mali feciſſet, lætabatur. Iuſſerat exinde nonnulla ſuper Amalecitis Deus, ea quoque tranſgreſſus fuit, hinc aduerſus Dauidem inſaniuit, atque ita paulatim diſfluens, diu ſtare non potuit, ſed mox in perditionis barathrum ſe volens immiſit.*

Saul à minimis ad maiora ſcelera dilapſus.

Ita & Cain

Similiter etiam de *Cain* factum videmus: non enim confeſtim cædem fratris illi ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus ſceleſtum facinus abominaretur: ſed prius perſuaſit deteriora afferre, nullum id eſſe dicens peccatum, deinde inuidiæ veneno ſuccendit, nihil etiam hinc mali ſecuturum perſuadens. Ita ſenſim in illum illapſus, ad cædem fra-

tris,& ad negationem sceleris impulit, nec prius cessauit, quam in malorum omnium verticem scelestum euexit. Repellenda igitur malorum initia sunt.

Non enim vim delicti solum consideres, nec quia paruum sit, cogites velim;sed illud præcipuè tenendum, si radicem non euulseris, magnum inde peccatum succrescere posse.

Mirabile quiddam atque inauditum dicere ausim: solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse euitanda,quanto parua & vilia: illa enim vt auersemur, ipsa peccati natura efficit:hæc autem nos ipsâ re, quia parua sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere: vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentiâ nostrâ, quod & in corporibus nostris accidere videbis.Sic in Iuda maximum proditionis malum exortum est; nisi enim putasset paruum esse, pecuniam inopum surripere,in tantam proteruitatem non deuenisset: Iudæi quoque nisi putassent inanis gloriæ delictum, minimum esse, vsque ad cædem Christi, lapsi non fuissent. Hâc viâ omnia scelera fieri videbis, nemo enim repentè ad extremam improbitatem insiliit. Habet quippe insitum quendam animo pudorem, atque innatum, quem subitò calcare, atque proiicere monitorem non potest:sed sensim atque paulatim ex negligentia perit: hoc pacto etiam idolorum cultus aditum inuenit, cum vltra quam oportet viui ac defuncti nonnulli honorarentur: hoc pacto simulachra, ac statuæ adoratæ: hoc pacto denique fornicatio & cetera vitia dominata sunt. Consideremus autem, si nimium quis,atque importunè risit, reprehensus à quopiam est:respondet alius, nihil esse id mali: Quid enim est risus? aut quid vnquam ex risu mali sequetur? orta tamen ex immoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta est. Cum alius proximo malediceret, ac conuitia iactaret,reprehensusque esset, contempsit, dicens: nihil esse mali huiusmodi verbis vti: sed hinc dissidia & odia nata sunt, inde inimicitiæ capitales, hinc contumeliæ,à contumeliis porro pulsatio, atque inde cædes plerumque secutæ sunt;sic à minimis ad maxima gradatim diabolus ducit. Iure itaque, vt ante dixi, illa præ his maiore studio atque operâ nobis euitanda. Ita Chrysostomus cuius mentem eò fusius sum prosecutus,vt tanti viri auctoritas huic nostræ doctrinæ è græcis adderet fulcimentū,

Nec aliò mentem atque oculos reflexisse inter Latinos *S. Gregorius* magnus dicendus est, cum 3.p. Pastoral.cap,34. ita scribit. *Maior, quo citius, quia fit culpa, agnoscitur, eò celerius emendatur: minor verò,dum nulla creditur, eò peius quo & securiùs in vsu retinetur; vnde fit vt plerũq; mens assueta malis leuibus, non perhorrescat grauiora, atque ad quandam authoritatem nequitiæ, per culpas nutrita perueniat, & tantò in maioribus contemnat pertimescere, quantò didicit in minimis non timendo peccare.* S. Gregorius 3.p. Pastoral, c.34.

Vnde occasione data *S. Hieronymus*, siue *Paulinus* instituens Celantiam matronam, ita scripsit: *Neque verò te eorum seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt, quæ potissimum Dei mandata faciant, quæ quasi vilia & parua despiciant, nec metuunt, ne secundum diuinam sententiam minima contemnendo paulatim decidant* Ep. 14. S.Hieronymus ad Celantiā. ep.14.

Clarum id oppidò ex similitudine artis Medicæ colligemus, in qua, ceteris qui præstant, Hippocrates, Galenus, aliique vel optimi, ac nobilissimi scriptores nulla hic, vel minima momenta negligenda tradiderunt, cum & minimas interdum accessiones corporibus ægris mortem afferre posse contendant, quare optimo iure minimas quasque res in medicamentis, cibis &c. accuratissimè obseruant & præscribunt: à quibus vt professione, ita & iudicio minimè dissentire visus Annæus Seneca *Idem probatur exemplo medicorum hippocratis galeni &c.*

ca fuit, cum epist. 85. ita scripsit: *Ista quantumuis exigua sint, in maius excedunt. Nunquam perniciosa seruant modum: Quamuis leuia initia morborum serpunt, & ægra corpora, minima interdum mergit accessio.* Ab his itaque cauendum.

Idē astruitur exemplo multum. Quod & non minus in Bellis grauissimi authores obseruandum docuerunt. Ita *Alexander* cognomento Magnus in concionibus ad exercitum suum modò dicebat: *in bello nihil tutò in hoste despici posse, quantumuis minimum: modo nihil paruum esse ducendum, ex quo gloriæ magnæ laus queat oriri.* teste Q. Curtio lib. 6. & 9.

Vnde consectaneum arbitror nobis omnibus, quorum vita militia est, super terram, dum in acie stamus, bellum cum atrocissimis hostibus gerimus, nullas minutias cum periculo fraudis, proditionis, ac cladis esse contemnendas, sed potius, vt victoriam ex pugna reportemus, gloriamque nobis, quæ vel ex minimis ortum habet, comparemus, parua omnia magni faciendo, imò pluris, vbi res tulerit æstimando, idque eo securiùs, quo neminem se vincere posse in rebus magnis, nisi minoribus proluserit, longa iam experientia probatum sit, quod verissimè à RichardoVictorino hisce verbis expressum legitur parte 2. c. 21. in Cāt. *Richard. Victorinus p. 2. c. 21. in Cant.* Qui *molliter,* inquit, *ac dissolutè viuendo. inimico contra se vires præbuit, versâ vice, vt contra hunc roboretur, & illi resistat, à minimis incipiat & frequenter in talibus præualere conetur, necesse est, quatenus vsu vincendi roboretur, & de minorum victoria, ad maiora vincenda paulatim conualescat. Frustra alioquin futurus, & maioribus cladibus, damnisque implicandus*: Super quo audiendus Bernardus serm. 1. in Conuers. S. Pauli. *S. Bernar. serm. 1. in Conuers. S. Pauli.* *Discite,* inquit, *iustum Iudicem Deum non modò quid fiat sed quomodo fiat considerare, & cauete deinceps, ne quis parua reputet, quamlibet parua, si scienter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde suo, leuia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in his maneam venialibus, minimisque peccatis: hæc enim, dilectissimi, impœnitentia est, hæc blasphemia in Sp. Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis.* Quod pressiùs S. Thomas ad scholasticam libram expendens 1. 2. q. 88. a. 3. *per actus,* inquit, *peccatorum venialium in tantum potest libido peccandi crescere, quòd ille, qui peccat, finem suum constituat in peccato veniali; adeoque peccabit mortaliter, propterea quod facillimè ea homo facit, ad quæ ex habitu & consuetudine inclinatur.* *S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 3.* Non itaque temerè aut imprudenter bonus locutus *Ægidius,* cum diceret: *paruâ negligentiâ, & exiguâ culpâ magnam posse amitti gratiam quæ postea reparari vix queat.* *Sententia Ægidij de hac re.* Quod fieri amat, dum minimæ noxæ parui fiunt. M. Varronis lib. 1. de Agric. c. 12, œconomicum consilium erat, ne quis rusticana prædia, seu villas iuxta lacunosa, palustriaque loca construeret. *M. Varronis bona similitudo.* Sed quid incommodi id genus ædificiis ex talium locorum vicinia accidat, vt prope ea excitari non possint? forsan requiras. Respondebat porrò: crescant inde animalia quædam minuta, quæ non possunt oculis conspici, & per aëra intus in corpus per os, ac nares perueniunt, atque efficiunt difficiles morbos. Si autem animalcula tam pusilla, vt oculos fugiant, infirmitates afferre possint, quæ ob id cruciabilius affligant; quod, qua parte se insinuent, discerni non possit quantam dixerimus adferre stragem minutila peccata his, qui ea, vt fit minimè curant, atque contemnant?

Respōdetur obiectis. Sed veterum hic Capharnaitarum querimoniam. adeoque ex ipsa Synagoga discessum meditantiū murmur, in dispari licet occasione, audire videor: *durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Ioan. 6. *Ioan. 6.* qui minima peccata in magnis numerat, aut cum Stoicis, qui peccata omnia æqualia statuebant, desipit: aut alio mentis errore fallitur putans grandia esse, quæ iuxta Doctorum placita, verè parua sunt. Bona verba, mi homo quisquis es, hostis, an amicus. *Non tam aduersus equos Tyria*

sol iungit ab vrbe vt tot sancti doctique viri Andabatas agant, aut more Tiresiæ in tenebris degentes, cæcis præstiterint ducatum, Stoicorum insaniam tantò abest vt probarint, quin etiam grauissimis rationibus sint insecuti. Vnus Hieronymus sacræ legis interpres, scientiâ tantâ prædictus Augustino, vt quod ille ignouerit, nullus hominum sciuerit, omnium suspicionem tantæ dementiæ absterget, sic namque ille epist. 14. *Stoicorum quidem est peccatorum tollere differentiam & delicta omnia paria iudicare, nec vllum inter scelus & erratum, discrimen facere. Nos verò, etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus: tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tantò enim facilius abstinemus à quocunque delicto, quantò illud magis metuimus: nec cito ad maiora progreditur, qui parua formidat.*

S. Hieronymus ep. 14.

Quod verò ad alteram oblectionis partem attinet, nemo vnquam veterum magistrorum docuit absolutè minima speculatiuè pro maximis habenda; hic namque manifestus error mentis est; quod autem docuêre, id est, magni æstimandas practicè esse eiuscemodi minutias ad cautelam, fugam, emendationem, hoc sensu & affectu, vt quilibet Christianus diuinæ gratiæ in se conseruandę cupidus, plus in minimis latere periculi, damni, ac deformitatis, quam vulgus opinetur, credat, adeoque industriam acuat, ac diligentiam exerat ad ea fugienda, aut eluenda. Ita olim antiqui senserunt Patres veterisque ascesios Magistri docuerunt, ac demum hisce nostris postremis temporibus, quem Diuina prouidentia labenti pietati non infelicem præstitem dedit S. Ignatius locutus est, nec segnius quoque fecisse, quam dixisse inuentus est, quod primum è Constitutionibus eius, quas Societati dedit, liquido patet, in quibus res minimas cum maximis ita permiscuit, velut grandes Margaritas minoribus distinguens.

Altera oblectio cur sit fatua.

Quantum S. Ignatius curam minimorũ gesserit.

Pœnæ quoque ab illo non leues errantibus iniunctæ, idem demonstrant: hinc illud à Petro Ribadeneira l. 5. c. 7. traditum litteris atque ab Ioan. Petro Maffeio confirmatum, quod in leuibus erratis, grauia interdum exempla statuebat. Nam, & in nonnullos, qui ad afflictam valetudinem ex morbo confirmandam, ipso inscio pilâ palmariâ, in vinea luserant, grauiter animaduertit: vti & in quendam nouitium, non sacerdotem manus interdum sapone lauantem; & in alios etiam pro minimis delictis, magnas nonnunquam pœnas constituit: ne videlicet ex minimis magna fierent.

Aliàs, Coadiutores aliquot ad ianuam alieno tempore confabulantes, iussit acervum lapidum in proximo situm, in summam ædium contignationem sine cunctatione transferre.

Exemplis demonstrat.

Verùm præ cæteris omnibus accuratam eius minimorum obseruationem clarissimè aperuit, quod Neapoli sub initia eius collegij designauit: Nicolaus Bobadilla vnus è primis sociis, in Collegij illius gubernatione, superintendentis nomine præsidebat, Andrea Ouiedo Rectore, quem posteà Patriarcham Papa in Æthiopiam misit. Inter eos autem non satis conueniebat, in ratione gubernandi, cum quidquid Andreas astringeret, Nicolaus relaxaret. Putidum, inquit, Orlandinus historicus noster l. 12. n. 23. Bobadillæ videbatur sanctitatem Societatis exiguis quibusdam legibus alligari; censebatque domesticam disciplinam, non tam ad minutissimarum legum normam, quam ad solidæ virtutis rationem officiique dirigendam. Quasi verò solida virtus quidquam, quod gratum sit Deo, minutum putet, vel consistere & absolutionem suam habere sine his ornamentis & coloribus possit. Quid inde secutum est? leuiorum neglectu legum, veluti quibusdam fractis vinculis, fluere sensim disciplina domestica visa est, ac dilabi. Quod vbi cognouit B. Ignatius reme-

remedium adhibuit, curam minimorum, atque obseruantiam. Iussit Ouiedum suo munere totâ libertate defungi, nec se interponere Bobadillam aduigilarique ad custodiam legum minutissimarum. Sentiebat enim in his violandis, plus plerumque latere periculi, quam in maximis: propterea quod maximarum damnum, si violentur, apparet, facileque in promptu est: at eorum, quæ pro minimis habentur, exitium, nisi progrediente tempore non sentitur. Hæc Orlandinus.

Sensum Ignatij in obseruãtia minimorũ secuti filij.

Addit idem historicus Bobadillæ factum, ex quo colligitur eum quoque sententiam mutasse, dum scholæ inferioris magistrum iussit cibum è terra sumere, ac frigida leuare sitim, quod in coërcendo adolescentulo contentius exclamasset & fontem contra præscriptum suis ipse manibus castigasset.

Eadem mens ac spiritus eorum semper fuit, qui genuinum Ignatij spiritum hæreditarunt, siue illi in administratione Societatis eius fuerint successores, siue vitæ, quam duxit, institutique æmulatores, in eum intuentes qui diuino suo, inscrutabilique iudicio quantumcunque modicas noxas seuerissimè castigat, vt variis scripturæ locis in apertum emanauit. Quis namque hic Iustitiæ diuinæ, pro tam grauibus Dauidis peccatis, pro tanta iniustitia, quantum notum habuit adulterium & atrocissima cædes morte puerul vnius diceret fore satisfactum? vnam autem populi recensionem, cum nullius coniunctam iniuria, quæque in boni publici commodum ac salutem prudenter cœpta videbatur, ab eodem institutam, septuaginta millium interitu, idque minimè seuerè & inclementer vindicandam? 2.reg.24.

Varijs scripturæ locis cõprobatur.

2.reg 24.

2.reg.12.

Nu.20.24.

In Aaronem quoque sacerdotem, propter tam enorme peccatum illius, Israëlitico populo permittentis, vt idolum sibi fabricaretur, eique altare erigeret, non legitur vel leuissimè animaduertisse Deus, verumtamen vbi, non diu post cum fratre suo Moyse in aqua è silice proijcienda, non satis perfectè Dei voluntatem exsecuti aliquantum hæsitarunt: ob leue illud delictum (tale enim fuit) expetiit ab vtroque Deus pœnas tam graues, vt ambos prohibuerit, quo nihil illi in hac vita vehementius desiderabant, sc. ingressu in terram sibi toties promissam: nec eo supplicio contentus, vitâ ipsâ exuerit in deserto. num. 20.

Quis Ozam existimasset, eo solum quod Arcam fœderis periclitantem tenuisset, casumque prohibuisset, mox diuinitùs percussum, factum istud subitâ morte luiturũ? 2.reg.6. *2.reg 6.*

Nec minorem illo pœnam dependit Lothi vxor, quòd muliebri curiositate victa, post se respexisset, *Genesis 19.26.* versa enim est in statuam salis, tametsi in re tam parua, Dei voluntatem non adimplendo graue certè crimen incurrisse non videretur.

Nec posteà sanè in hac parte remissior visus fuit, quòd vel in Abbate Moyse licet aduertisse; multa hic ac grauia deliquerat neque tamen meritas ab eo pœnas sumpsit Deus; *Cassian. Collat. 7.* postquam tamen in disputatione quâdam durius aliquantò locutus est, ob venialem illam culpam à Dæmone correptus & miserandum in modũ afflictus fuit. Cassian. Coll. 7.

Ne verò ætatem nostram tacitus prætercam, mirum est quod Annales Societatis de Zelosissimo Patre nostro Christophoro Ortizio, viro Apostolico atque humillimo tradiderunt: hic quòd apud Præsides suos officium honoratius sibi dilatum nimis deprecaretur, fulmine à Deo percussus est. Noxa ea, honorem deprecantis minima profectò fuit; imò placuit eidem Deo, viri apud superiores gloriam mirandis operibus editis illustrare quin & post mortem suam sæpius inter homines visus ipse, auditusque est concionari, eosque, qui Christiana iam sacra susceperant, in vera fide confirmare.

Christophorus Ortizius punitus ob minima neglecta.

Quæ profectò a diuina illa bonitate, infinitaque Sapientia optimè sunt constituta, vt hâc ratione minimis,

æquè atque maximis in rebus voluntati suæ obsequeremur, cum res paruas ad arbitrium eius exsequi negligentes variis suppliciis intellexerimus vindicari.

Virtutes minima re numquam negligenda. Sed ad alteram Ignatiani Apophthegmatis partem, vt descendamus, tempus monet, quâ non tantum defectus minimi vitandi, sed minima quoque virtutis opera curanda exactissimè, & amplectenda insinuantur, ad Dei sc. ac Domini nostri imitationem, qui minima quæque perfectissimè facit, & opera exilia impensissimè curat, *Prait exemplo Deus.* nec enim is tanto studio, ac prouidentia ista creasset, nisi vel ad ornatum vniuersi, vel ad hominum vsum, vel denique ad potentiam suam hominibus demonstrandam conducere iudicasset: quæ præcipuè caussa fuit, cur latinorum Princeps Scriptorum Tertullianus l. 1. in *Tertull. l. 1. contra Marc. c. 14.* Marcionem c. 14. in modicis vetuerit despici Creatorem qui maximus artifex animalia minutiora de industria, ingeniis & viribus ampliauit, vt magnitudinem potentiæ atque operis præstantiam in paruitate corporum vehementius miraremur: & qui capillos capitis nostri numeratos habet, qui pullis coruorum, vermibusque repentibus, ne pereant importunè, prouidentiæ suæ curam impertit, non solum in magnis, quæ maximum Principem decent, sed etiam in minimis quodammodo videtur occupatus: vnde quid melius, rectiusue dixerim, quam qui Deum sequi iubemur, Deum in minimis curandis imitemur. Ducem quærimus? Naturam, primam eius discipulam intueamur. *C. Plinij Epiphonema de minimis curandis.* C. Plinij de animantibus imperfectis disputaturi epiphonema est: *rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est, nec ob id à maximis abest similiter vir prudens in vtroque hoc genere ita totus esse debet, vt nec maxima pro minimis negligat, nec minima pro maximis paruipendat aut si alterutrum fortassis committendum, eis illa anteponat*: idque eo diligentius, quod nullam è disciplinis à Grammatica ad Theologiam per intermedias cogitatione ascendens, inuenias, *quæ non minutias, vt necessarias, vel ad maiora intelligenda, vel ad methodum seruandum præcipua cura persequatur.* Nihil in studiis paruum existimari suadet benedicendi magister Quintilianus, & nos in arte bene viuendi parua contemnemus? Qualis, *Quintiliani & Aristotelis auctoritate idē suadetur.* quantusque vir Aristoteles fuit? hic in animalium historia consultò, deditaque opera minutissimus esse voluit, & qui exquisitissima diligentia naturas, partes, functiones, proprietates, vel abstrusissimas eorum peruestigauit, eâdem accuratione posteris reliquit.

Hunc secutus est Plinius, eius *Confirmatur auctoritate C. Plinij.* propemodum interpres, qui vbi describit inextricabilem perfectionem & admirabilitatem Culicis, atque Teredinis, quæ res paruæ ac nullæ sunt in natura, lectorem rogat, ne spernat hæc, cum in eiusdem artificis atque operum contemplatione nihil videri superuacaneum possit, de quo id cum *Theophridio* verissimè *Theophridij de eadē re sententia.* pronuntiaro *qui licet magnus in magnis sit artifex, gloriosius tamen, mirabilia in minimis operatur.*

Et hæc quispiam ausit despicere, aut fastidire? & non potius à paruis inchoando, ad maiora conniti? *Nemo repentè fit summus*, sed, vt ait *S. Gregorius*, sicut in communi conuersatione à minimis vitiis in maxima quis proruit, ita à modicis virtutibus gradatim, ad ea quæ sunt excelsa contendit: sint in exemplum fluuij de quibus Poëta nonnemo.

Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.

Petrus Cardinalis Damiani hanc si- *Petrus Card. Damian.* militudinem applicat in rem nostrā: *Planè*, inquit, *sicut fluuius ex sui fontis origine per exiguus oritur, sed processu longioris decliuij, riuis hinc inde confluentibus dilatatur; sic interior noster homo in sanctæ conuersationis itinere tenuis & velut aridus incipit, paulatim verò per incrementa virtutū quasi riuis vndiq; concurrentibus conualescit.*

Immen-

Immenſus meritorum theſaurus eſt, quem comparare poſſumus ex minimis actibus virtutum, ſi non negligantur; quod expendens S. Ephrē, S Ephr. *iuſti*, inquit, *paruis actionibus magis Deum flectunt & placant, præ nonnullis, qui multa faciunt. Non enim ad actionem reſpicit Deus, ſed ad propoſitum voluntatis, neque intuetur quod fit, ſed quo quid ſtudio & propenſione peragatur. Vidua paupercula duobus obolis ſuperauit diuites auro abundantes:* S. Cyprianus. Deus enim, vt ait S. Cyprianus, *non de patrimonio, ſed de animo examinat:* & S. militis Martini pannus à chlamyde abſciſſus, præ integro regum paludamento laudatus eſt, quia *nulli*, S. Leo. vt ait *S. Leo, paruus eſt cenſus, cui magnus eſt animus, neque meritò caret, etiam in tenui facultate, bonæ opulentia voluntatis.* Quod Virgo beatiſſima S. Birgitta l. 2. c. 3. Deipara cum S. Birgitta diſſerens de filio ſuo lib. 2. Reuel. cap. 3. expoſuit in hunc modum: *Quicunque eum colligere voluerit hilari mente, eum poterit ſatiare, etiam micâ panis, ſi voluntas fuerit bona. Veſtire eum ſufficit filo, ſi charitas fuerit ardens. Potare eum poterit ſtilla, ſi affectus fuerit rectus. Nec opus, nec facultatem ſolam attendit, ſed feruentem voluntatem, & quâ opus factum fuerit intentione.*

Omnis ſiquidem *ſcientia operatiua*, S. Thom. vt ait D. Thomas, *tantò perfectior eſt, quantò magis particularia conſiderat, in quibus eſt actus, vnde non tantùm in magnis, ſed & in minimis quoque*, S Baſilius. S. Chryſ. vt ſcribit Baſilius, *animi promptitudo accepta eſt Deo*, qui teſte S. Ioan. Chryſoſtomo *omnia facit & ſatagit vt ex minimis te coronet.*

Non itaque negligenda talia, quia vt Spiritus ſanctus monet, *qui timet* Eccl. 7. 19. *Deum, nihil negligit.* Eccle. 7. 19. *Virtus enim magna in minoribus ſemper* S. Valerianus. *experimentum capit*, ait S. Valerianus: quod vel à ſene illo ſolitario diſcendum, de quo in vitis Patrum legimus, cum interrogatus, cur ad quędam puerorum opilionum in ſe prolata conuicia nihil reſponderet, prudenter dixit: *ſi parum hoc non porto, quomodo ſi maior mihi tentatio aduenerit, portabo? & ideo nihil illis dico, vt fiat mihi conſuetudo portandi*: addiderim & ego, ſeges ampliſſima merendi: *nihil enim*, vt S. ſcribit Baſilius S. Baſilius Conſt. c. 24. Conſtitut. c. 24. *minutum, quod Dei causâ fiat, ſed grande & ſpirituale, & eiuſmodi quod cælum nobis & præmia cæleſtia procurat: & cæleſtia quidem non tantum in altera vita*, ſed etiam in præſenti; nam vt verè ſcripſit S. S. Thereſia de repropoſita indicib. *Thereſia* cap. 23. vitæ ſuæ: res minimas & minutas tanti momenti eſſe ad inchoandum in virtutibus progreſſum, vt anima pennis & alis carens, volare incipiat, &, vt verbo abſoluam, omni felicitatis genere impleatur, quo virtutum non ita magnarum opera exigua, mercede liberaliſſima ſæpè remuneratus eſt Deus. Ita *Abigail* propter demiſſa quædam atque humiliora verba, quibus benignè Dauidem exceperat, huius demum facta eſt vxor. Ita Rebecca ſua erga Abrahami famulum humanitate, meruit Iſaaco deſponderi, & inter ipſius Christi numerari progenitrices. Ita propter vnicam eleēmoſynam, S. Gregorium Eccleſiæ ſuæ Pontificem præfecit Deus, eumque multis ſpiritualibus donis cumulauit. Idem expertus Rudolphus Habſburgenſium Comes, dum inter ve- Rudolphus Habsburgenſis. nandū Curioni ſacroſancta corporis Chriſti myſteria ad ægrum deferenti obuiam factus, equum quo vehebatur, ceſſit, pedes ipſe ſacerdotem proſecutus, Deo tantopere placuiſſe legitur, vt vel hâc præcipuè de causâ Imperator renuntiatus, in Auſtriacam familiam primus Cæſaream intulerit maieſtatem. Vſque adeo bonum opus, quantumuis exile, magnis ſolet præmiis cōpēſari, benigniſſimis id oculis Deo reſpiciente, quòd homo vix dum obliqua tuentibus hirquis obiter libare conſueuit. Et clarè id quidem Chriſti parabola apud Matthæum cap. 25. demonſtrat: *eu-* Matth. 25. *ge*, inquiens, *ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Quam dum accuratè ac Pet. Fabri de minimorum ſtudio iudicium. grauiter Petrus Faber, notæ vir prudentiæ ac ſanctitatis, & primus S. Ignatij

Ignatij in Societate condenda socius expendisset, *Deum*, inquit, *cuius est totum quod optimum est, maiora sæpè homini dona deferre, vt dum comparandis minoribus inuigilat, quasi quibusdam gradibus ad maiora perueniat.* lib.2. vitæ cap.11. quocirca ad religiosum quendam virum scribens, eum hortatur in hunc modum: *Libentissimè audimus te inter fratres infima quærere & vltima, atque minima consectari. Nam magnitudo humanæ mentis, non in eo sita est, vt magna ex suo sensu quis amet atque amplectatur, magna, inquam, eiusmodi, sed vt ad minima se extendat. Perge igitur exerceri in minimis vt maxima æternæ vitæ promerearis:* Ita & ille de his. Post minimorum autem defectum fugam, ac minutissimarum virtutum studia tantopere diuinis oculis accepta, minorum quoque beneficiorum declinanda nobis venit obliuio, ne quod olim diuina innuit sapientia apud nos locum inueniat, *vt qui in modico iniquus est*, teste S. Luca cap. 16. *& in maiore iniquus sit, sed contra fidelis in minimo, & in maiore fidelis reperiatur.* Quæ autem maior iniquitas, quam munificum adeo in se benefactorem debita gratiarum actione fraudare? commonefaciente iam pridem in Thessalonicensibus suis nos Paulo 1. 5. *In omnibus gratias agite hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis:* & in Ephesiis cap. 5. Gratias agentes semper pro omnibus.in nomine Domini nostri Iesu Christi, Deo & Patri: Qui omnes & omnia exprimit, nullum, ac nihil quantumuis exiguum excerpit: *Immola*, clamat Isaias c.49. *Deo sacrificium laudis*, quod autem sacratius, quærit S. Augustinus l. 1. contra aduers. Legis, *sacrificium laudis quam in gratiarum actione? hanc quisquis Deo subtrahit, in eum iniquus esse reputatur: quod ne fiat, in minimo fidelis sit, ne dum parua negligit, & in maioribus deficiat, vnde puniatur:* ita propter contemptum vnius sanctæ cogitationis seu inspirationis puniri meruerunt à Deo prisci illi sapientes, de quibus ad Romanos scribens loquitur Apostolus, qui tam seuerè à Deo puniti sunt vt in passiones ignominiæ traditi sint.

[Margin: *Minima ingratitudinis nota pro viribus declinãda.* — Lucæ 16. — Thessal. 1.5. — Ephes. 5. — Isaias 49. — S. August. l.1.cont. Aduers. Legis.]

Felix proinde, ait S. Bernardus, qui ad singula dona gratiæ etiam minima redit ad eum, in quo est plenitudo gratiarum, quo vel duce naturâ inuitamur, cum enim, obseruantibus Anatomicis, tot in humano corpore membra censeantur, quot in anno dies sunt, quid aliud innuitur, quam vt pro se quisque omnibus diebus pro beneficiis à Deo acceptis gratias agat: nulla siquidem monet Claraualensium deuotissimus Abbas, Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. *Iubemur colligere fragmenta ne pereant*, id est, ne minima Dei beneficia obliuisci, sed omnium recordari.

[Margin: Rom.1.26 — S.Bernar. — *Pro minimis beneficiis Deo gratiæ agendæ.* — Ioan.6.12.]

Ad hoc Christianos omnes exemplo volucrum hortatur *Ambros.* serm. 43. Aues, inquiens propter vilissimas escas, gratias agunt, &c. Ita columbas atque gallinas videre est vbi granum aliquod guttamúe rostro exceperint, illico caput in cælum sustollere, quasi largitori grates agentes: quibus non incongruè applices dauidicum illud acroama, *de torrente in via bibet propterea exaltabit caput.* Psal. 109. de præterfluente sc. non de cado; aquam, non massicum: tenui, non grandi beneficio, nec tamen idcirco à gratiarum actione desistet, maiora vel sic à Deo priuilegia relaturus. Et rectè id quidem, *quemadmodum enim*, vt scribit *S. Ioan. Damascen. exiguum pharmacum è magnis plerumque morbis hominem eripit sic ob res paruas Deo gratias agere ingentia bona conciliat.*

[Margin: S.Ambr. serm 43. — *Exemplum auium.* — Psal.109.]

Addo, nulla Dei beneficia quibus nos præuenit, in minimis collocanda, cum eorum quælibet eiusmodi sint, quæ infinitam gratitudinem promereantur, infinito namque ex amore procedunt, & eorum mensura, non quantitas est, sed animus, quo donantur, & Amor, qui per illa demonstratur. Amor autem diuinus immen-

[Margin: *Ratio idem docet.*]

immensus est; quare in quibuscumque minimis Dei donis, infinita eius beneficentia adoranda est. Neque enim paruo illi, vel minima stetere, cum certis Theologiæ calculis, Patrumque sententiis constet, ob quodlibet minutissimum gratiæ auxilium quo bene ad salutem operamur, oportuisse filium Dei incarnari, pretiosum fundere sanguinẽ, pati & mori.

Quis itaque ea quæ infinito pretio comparata à Deo sunt, minimi æstimanda putet? quin potius insigni gratiarum actione, dum viuimus, pensanda.

Nullus quãtumuis minimus spernendus. Atque ea hactenus: qualitum ad cetera, pro Coronide & hoc nostro Apophthegmati apophoretum adiungamus, tunc nimirum perfectam numeris suis omnibus nimirum Curam habitum iri, si præter ea quæ ante attulimus, neminem quantumuis minimum spernere aut negligere in animum induxerimus, vnde sæpenumero grauissimæ exortæ sunt rixæ & simultates; Vnico S. Cyrilli apologo non planè absimili contentus ero, lucem namque, vel ex obliquo non minimam infundet.

Apologo id docetur. Leo ac vulpes roboris ac fraudis initâ societate, ad quærendum pabulum exiuerant, cum mus illis occurrit, quem leo quidem facie curiali respiciens, cauda deposita humiliter salutauit, vulpes verò collo recto, & cauda sursum elata subsannando derisit. At musculus astutus, honorem in honorantem gratus refundens, dissimulatione vultus, non immemor iniuriæ, vulpem pertransiit. Postquã exinde illi graui famis ardore pressi, hinc inde per saltus, pabulum quærentes oberrarent, accidit, vt in laqueos absconditos, pede minus prouido, pariter incuderent: huius ergo rei euentum, cum mus intellexisset, statim occurrit, & leoninæ salutationis, & vulpinæ derisionis memor, laqueis leonis corrosis, eum liberauit. At vulpi gestu humili, & contuitu deprecatiuo similem opem imploranti, subsannando respondit: quid me aspicis, quam nuper superbiens despexisti, callida quidem es, sed prudentiâ cares; nesciebas scilicet, rebus etiam minimis, vim aliquam à natura inditam esse; quamobrem nihil est à sapiente spernendum, quoniam habet vnaquæque res suum loco & tempore momentum, neque tam attendendum est ad exiguitatem molis, quam ad quantitatem virtutis. Plurima namque paruitate molis exigua granditate virtutis suę sunt maxima. Sic ceteris virtute pręstant atque potentiâ lapides, gemmæque minores. Quid in membris pupilla minus qua tamen cariùs nihil: nauis maximæ salus ab exiguo clauo dependet potiùs, quam ab ingenti, & procero malo.

Quippe si pannus ex vellere adornatur, sine acu tamen non induitur. Quid plura? aranea parua virum necat, & pulex infestissimus hunc excruciat, & affligit; nemo igitur spernendus, quoniam vnusquisque prodesse potest: neque parum est, si non nocet: nocui, autem procliue, si spretus fuerit, aut contẽptus, quando scintilla parua magnum nata est incendium excitare, quod præcauerit, quisquis neminem, siue is hostis fuerit, siue amicus magnus, siue paruus, nihili reputârit: fieri namque potest, vt quem tu hodie nullo apud te loco esse volueris, is post triduum à rege in prima subsellia promotus, tanto te magis deprimere incipiat, quantò magis à te, meminerit se fuisse contemptum, siquidem vt bene notauit Claudianus lib. 1. in Eutropium.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Iterum, quem tu ab amicis, & commeatu necessariò hodie imparatum minimi feceris, cras omnibus copiis auctum, serius aduersarium experiaris. Quo tempore Andreas Doria defectionem à Galliarum Rege meditabatur, Clemens VII. Romanus Pontifex pacis amans, modis omnibus rem hanc impedire satagebat; quare misso Saluiato Cardinale Regem hortabatur, vt Doriam sibi conciliaret,

ciliaret, & benignius posthac haberet, cuius defectio plurimùm Regno Galliæ incommodare posset. Rex tam vultu, quam sermone Pontificis monitum aspernatus, non videre se aiebat, quid homo pœnè priuatus; & à rebus omnibus imparatus, & qui Imperatorem tam atrociter offendisset sibi nocere posset, proinde is liberè quo vellet, facesseret: tum Saluiatus illud occinnit: Neminem esse tam tenuis fortunæ, cuius amicitia non aliquando prodesse, & inimicitia obesse queat; quod alter vel serius didicit & perspexit.

Laudandus Ignatius, qui melioribus nos documentis instruxit, vtinam quoque, vt eadem effecta demus, ad Deum assiduus precatur accedat?

APOPHTHEGMA SEXTVM.

Cvidam admiranti socios vultu semper læto, & hilari conspici solitos, respondit: non minus miraculum est deprehendere tristem ac mæstum virum religiosum, qui aliud nihil quærit nisi Deum; quàm mirandum est, deprehendere lætum aliquem qui omnia alia quærit præter Deum.

Zacharias Trinckellus in auctario Exercitiorum.

Commentarius.

Rectos decet lætitia.



Res vna omnibus aperta est, minimeque dubia, quin virumChristianum, maximè verò Religiosum mœrori concedere, aut dare se tristitiæ nefas sit non tolerandum; vnde, cùm, vt ait Philosophus lib. 9. Metaph. textu 3. eadem sit contrariorum scientia, ex necessaria consecutione efficitur, nihil eosdem magis, quam gaudium atque lætitiam concedere: & caussa quidem vtriusque censenda non leuis, nam sicuti ex adeptione boni amati sequitur gaudium, seu delectatio per modum quietis, fruente appetitu termino processus sui in bonum, quod in viro Iusto ac religioso fieri non vulgariter amat ita ex incursu mali, quod appetitus odio habet, sequitur in eo dolor, siue tristitia de præsenti malo, quemadmodum in peccatoribus fieri experientia docet, rectâ id acoluthiâ sic exigente, vt vbi prior, sc. tristitia, ius obtinet, alterum sc. gaudium exulet: & contrà, vbi hoc dominatur, illa nil queat operari, vnde fit, vt Tristitiam 1. comitetur Acedia siue Aggrauatio quædam, ad exteriora membra procedens ex præsentia mali vt ab opere cessent.

Aristotel. l. 9. Metaph. text. 3.

Damna Tristitiæ.

2. Angustia, siue oppressio animi, ex mali præsentia, quia non apparet effugium.

3. Meror de præsenti malo alieno, in quantum id, vt malum proprium habetur.

4. Inuidia, siue dolor de alieno bono, veluti damno ac proprio malo: quibus nata est omnis lætitia cedere & penitus interire. Contra verò Gaudium siue Lætitiam affectantur animi latitudo, siue libertas, charitas, pax, benignitas, magnanimitas, ac solatium, quibus homo ad omne bonum excitatur, & in illo potissimum conquiescit, pulsâ procul omni tristitiâ, ac mœrore; quare cum similes quærere soleant labra lactucas ad probos, iustosque viros lætitia, ad improbos verò ac sceleratos solet tristitia

ſtitia diuertiſſe: quod & altera non minus ratio euincere videtur; cum enim triſtitia defectum arguat conſtantiæ ſcilicet, animi, ac fortitudinis, quibus vir Iuſtus ac Religioſus deſtitui nequit, dicente Apoſtolo: *poſſum omnia in eo qui me confortat; non contriſtabit Iuſtum,* annuente Regum ſapientiſſimo, Prouerbiorum 12. *quidquid acciderit ei*: quæ verba explanans orbis vniuerſi magiſter *Chryſoſtomus* hom. 16. in epiſt. ad heb. Religioſum cælo componere, non veretur, *cœlum*, inquiens, *altius eſt nubibus ac pluuijs, cum nubibus obducitur, pati putatur, ſed nihil patitur: ſic & nos etiamſi putamur pati, nihil patimur, id eſt quaſi nubibus obduci putamur, ſed non triſtamur.* Quod & S. Ambroſius iuxta nomen ſuum verè cæleſti manans ambroſiâ non ignorauit, cum lib. 3. de officiis cap. 5. ſic ſcribit: Neque enim profundum mare negauerim, quia vadoſa ſunt littora; neque cælum lucidum, quia interdum obtegitur nubibus: neque terram fœcundam, quia aliquibus locis ieiuna glarea eſt: aut lætas ſegetes, quia intermixtam ſolent habere ſterilem auenã. Similiter puta beatæ meſſem conſcientiæ interpellati aliquo acerbo dolore: tamen manipulis vitæ beatæ, ſi quid fortè accidit aduerſi, tamquam ſterilis auena abſconditur, aut tamquam lolij amaritudo frumenti ſuauitate obducitur. *Impij autem*, vt Propheta ſubiungit, *replebuntur malo*: id eſt, multis laboribus vexabuntur, qui illis propter impatientiam vertentur in malum, id eſt mærorem ac dolorem ex laboribus ſuſceptum, quo affatim impij adimplentur. Nam ſicut Iuſtos tribulationes non angunt; ita ex aduerſo improbos ærumnæ mirum in modum affligunt.

Philip. 4. 13. — *Prouerb. 12. 21.* — *Chryſoſt. hom. 16 in ep. ad heb. bona ſimilitudo.* — *S. Ambroſius l. 3. de off. c. 5.*

Quod apprimè callens inſignis ille Aſcetorum magiſter *Apollonius*, teſte Palladio, cum ad ſuos verba faciens dicere ſoleret, *triſtentur gentiles, Iudæi, & alij infideles, iuſti verò, qui ſpe viuâ cæleſtia bona exſpectant lætentur & exultent*: didicerat id certè ex regio pſalte, non vno loco ſed pluribus ipſum inculcante; *Lætamini in Domino & exultate Iuſti, & gloriamini omnes recti corde, Lætetur cor quærentium Dominum. Seruite Domino in lætitia; introite in conſpectu eius in exultatione.* Quam illi lectionem, tam auidè imbiberant, vt eorum facies perfectam quandam lætitiam ac tranquillitatem præ ſe ferre viderentur, nec vnus triſtis appareret: quod & S. Athanaſius in *S. Antonio* animaduertit, dum vultum eius lætitiæ ſpeculum appellauit.

Apollonius lætitiam commendabat. — *Pſal. 31. 11. Pſal. 104. 3 Pſal. 99. 2.* — *Vultus S. Antonij dictus lætitiæ ſpeculum.*

Idem Dionyſius exiguus de S. Pachomio ſcriptum reliquit: qui in corpore ſuppliciis atque inediis exhauſto miram præ ſe ferebat hilaritatem.

S. Pachomius ſemper lætus.

Sed omnem ſuperat admirationem Abbas *Apollo*, cuius nomen inter veteres Patres celebre eſt, qui cum ad quingentos haberet diſcipulos, ſic eos inſtituebat, vt ſemper eſſent alacres & læti, ita, planè, vt nullam ſimilem in terris lætitiam, atque exultationem videre eſſet, cuiuſmodi inter illos perpetuò erat, quo ſe veros Chriſti imitatores oſtendebant, de quo ſic prophetauit Iſaias c. 42. *non erit triſtis, neque turbulentus.*

Apollo Anachoretis lætitiã ſuis commendabat. — Iſaiæ 42.

Expertus id ſiquis alius cum vniuerſa ſua familia *Bernardus*, dum recenti adhuc Clarauallenſi cœnobio ſeueriſſimam vitam ducens, tanta lętitia ſuperabundaret, vt illa ipſa delectatio non modicum ei ſcrupulum, dubitationemque iniiceret, nam iucundius ſibi viuere videbantur in eremo quam anteà vixiſſent in ſæculo. Quid ad hæc impius ille Rutilius, qui Religioſos omnes morbo Bellerophontis, id eſt, triſtitiæ attineri non falsò minus, quam nefariè criminatus eſt? huic os obſtruit Bernardus, & linguam ſubneruabit Ignatius ſi vel ex charta hac loquentem eum audierit, dum iuſſit, *non minus cenſendum eſſe miraculum, mæſtum deprehendere virum Religioſum, qui aliud nihil quærat niſi Deum, quam mirandum deprehendere lætum aliquem, qui aliud quærit præter Deum*: quod non tam ex viſu, iudicioque aliorum pronun-

Ita S. Bernardus propriâ ductus experientiâ. — *Impius Rutilius caſtigatur.* — *S. Ignatius ſpiritualis lætitiæ plurimũ deuotus.*

tiasse S. Pater censendus est, quam ex propria consuetudine & experiẽtia comprobasse, cuius assertionis meæ, vt longè verissimæ testem habeo Petrum Ribadeneiram, qui lib. 5. c. 1. vitæ eius sic scribit: Ægrotare cœperat Ignatius, cum admonitus à Medico, ne sese angoribus daret, neue tristioribus rebus occuparetur, cogitare attentè secum cœpit, num res tam noua & acerba sibi posset accidere, quæ se molestiâ aliquâ posset afficere, & perpetuam animi securitatem perturbare. Hæc cogitanti, illud, quod maximè insidebat animo, solum occurrit, si quomodo Societas nostra dissolueretur. Progressus est longius, &, vt se excuteret ac diligentius pertentaret, quæsiuit ex se, quam diuturna hæc molestia futura esset: statuebatque si hoc nullâ culpâ suâ euenisset, post quartam horæ partem, quam in oratione posuisset seseque collegisset omnem, quæ ex ea re orta fuisset, molestiam facilè depositurum, etiamsi, inquit, vniuersa Societas deleri, & tamquam sal in aqua dissolui debuisset.

O virum sapientem qui separare nouerat pretiosum à vili! patientiam constantiam, & virtutem à timiditate, ac pusillanimitate, quibus homo sibi, Deoque vilescit; contra verò magnæ æstimationis pretio ad eum assurgit; vt prudenter Aristoteles annotauit, *delectatio*, inquiens, *perficit operationem tristitia verò corrumpit*, l. 10. eth. c. 4. quod si verum est in qualibet operatione, multò magis fuerit verum in exercitatione virtutum, ad culmen Christianæ perfectionis, non sine magnis difficultatibus, ac pœnis, contendente. Præclarè id admodum similitudine docuisse visus est *Salomon* Prouerb. 25. *Sicut tinea*, inquiens, *vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi*. Quare sicut huiusmodi vestimentum nec vtilitati seruit, nec honestati: & lignum cariosum, nec onera valet sustinere, nec ædificiis construendis idoneum est, nec aliis elegantioris artis operibus conficiendis; ita neque humanum cor morbo acediosæ tristitiæ prægrauatum, quidquam poterit præclari designare, *à tristitia*, namque, *festinat mors, & cooperit virtutum, & tristitia cordis flectit ceruicem*. Eccli. 38. 19.

Aristoteles 10 ethic. c. 4.

Prou. 25.

Eccli. 38. 19.

Accedunt manifestæ capitalissimi hostis nostri insidiæ, qui ea tempora potissimum obseruans technas suas explicare consueuit, araneum, ex genere insectorum funestum animalculum imirarus, cui retia sua nonnisi humido & caliginoso cælo contexere mos est, quibus exinde imbelles muscas prædetur: seu certè *Ranam aquaticam*, cui teste Bellonio, nomen est, *diabolus marinus*, tum ob fœdum atque horridum corporis aspectum, tùm vel maximè, ob naturam ac mores, quibus iam natantibus insidiatur eos membris virilibus apprehensos solitus in profundum attrahere ac dein vorare: tùm verò quod se in limosis ac fœculentis locis detinet, ac volutat, vt aquam perturbet, quam vbi subiecerint pisciculi, certam ei cedant in prædam.

Tristitia periculis plena.

Simile araneo.

Item Ranæ aquaticæ.

Hi doli ac strophæ dæmonis sunt, quibus tristes, mœstosque solent circumuenire Ascetas, *tristitia* eorum, teste Apostolo 1. Cor. 7. *mortem operante*; nec mirum, cum, vt ait sapiens Eccli. 25. 17. *omnis plaga tristitia cordis sit*.

1. Cor. 7.

Eccli. 25. 17.

Quibus in hunc modum prælibatis, erit fortassis nemo, qui ad radicem tam noxiæ ac venenatæ herbæ mentem, oculumque intendat, vt ea perspecta, eradicare, ac longè à se facere eandem queat. Bonum factum! dico itaque trigeminam radicem hanc mihi videri, quarum prior sit humor quidam melancholicus in corporibus nostris prædominans, qui sæpiùs enasci, augerique solet, non tam corporeæ constitutionis ingenito habitu, quam mœstis ac melancholicis cogitationibus diu multumque fotis, expensis, nec reiectis: vnde suis dicere solitum ferunt magnum illum Ioannem Cassianum: meditata eiusmodi consilia, ac cogitationes, non minus atque obscænas, diuinoque

Tristitia radix triplex.

Prima radix melancholia.

Ioan. Cassiani consilium.

que nomini aduersarias species eliminandas, ac fugiendas esse.

Secunda Radix Turbulenta mentis commotio. Altera, impotens animi motus, ac turbulenta mentis commotio maximè ab amore; desiderio ac timore progenita, quibus indomitis homo sæpenumero tristetur necesse est, cum, scilicet, vel quid negatur quod enormiter ambitur, aut impedimentum intemperanter cœptis, obiicitur, aut denique perditur, quod immodicè amatur. Ab vno disce omnes: ex affluentibus Ægypti cupediis egressus Israël, in sterile desertum, ac rerum omnium penuriam, vt malè opinabatur penetrârat, cum humana quadam diffidentia tentari cœperat atque ad pristina allia, cœpasque impotenter anhelare, cum vna omnium communis vox audiebatur: *vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate!* (*Exod.16.3*) quid murmur hoc, questusue innuebat? vnam, quam de negatis alimoniis tristitiam cœperant, subsentire, inexpleta, effrenatáque cupiditate pyram inflammante.

Tertia Radix superbia. Tertia verò, superbia est, qua quisquis laborare cœpit, nisi Christianâ fortitudine de se modestè, summisséque sentiens, fastum generosè demittat, væ! quoties vel alteri postpositus, vel alios se præterito, ad publica munera prouehi viderit, mox ingemiscet, ac sui rationem nullam haberi conqueretur? si honor ambitioso capiti non affulgeat, quantis ærumnis ac cruciatibus cor illud torquebitur! quod vel ex vno Assueri Regis purpurato didiceris cliente. (*Exemplum Aman.*) Viderat hic Mardochæum Iudæum sedentem ante fores palatij, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suę, quare indignatus valdè, conuocauit ad se amicos in domum suam, quibus, coram vxore sua, in solatium aliquod animi præ tristitia velut emorientis, exposuit magnitudinem diuitiarum suarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria super omnes principes & seruos suos rex eleuasset; ac denique subiungens ait: *& cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias*, &c. (*Esther 5. 13.*) vnicus ille mœror ex superbia natus omnem, quam ex tot opibus haurire poterat, lætitiam, exstinguebat, atque acerbissimâ quâdam tristitiâ, summoque dolore discruciabat hominem suum non deserturus, antequam is ab eo diuortium fecisset: Atque hi principes illi fontes sunt quibus fæculentis suis ac turbidis aquis tristitia solet animorum nostrorum noualia inundare, quos vt omnes quantociùs obstruamus, & maior Dei gloria vbilibet à nobis procuranda, & maior proximorum vtilitas conquirenda iure suo exigere videntur.

Maior Dei gloria requirit tristitiam expelli. Et primum quidem ad Dei gloriam quod attinet, sicut vertitur in dedecus Principis secum habere aulicos, non nisi mæsto semper vultu, & seruili timore, quasi tyranno seruientes: è contrario autem pertinet ad eius gloriam, videre omnes magnâ alacritate & hilaritate eius se obsequiis impendentes: ita & hîc, cum enim Deus ex nostris obsequiis nullam sibi quærat vtilitatem, sed vnicam gloriam suam & honorem, mirum non est, si inter præcipuas nostrorum obsequiorum conditiones, hanc maximè requirat gaudij & lætitiæ spiritualis, ad omnem in suo seruitio, à corde nostro tristitiam excludendam. Quæ & vna illa ac princeps ratio fuit cur S. Ignatius, qui sua omnia diuinæ gloriæ adaugendæ libens consecrârat, sicut labem hanc procul à se repellere semper conatus est, ita & à suis eandem quam longissimè voluerit esse amotam, cuius non vulgare specimen atque experimentum teste Daniele Bartolo lib. 4. vitæ eius §. 37. nobis expressit, dum sic scribit. (*S. Ignatij ad Franciscũ Costerum allocutio super lætitia spirituali animo fouenda. Daniel Bartolus l. 4. §. 37.*) Tyro etiamnum Romæ erat Franciscus Costerus Mechliniensis, atque in risum mirè procliuis: cumque obuiam ei per domum die quâdam factus S. Pater & ridentem clarè aduertisset,

 mox

mox ad ſe euocato in hæc verba locutus eſt: Franciſce audio te ſemper ridere. Deiectis ille mox vultu & oculis, acrem aliquam reprehenſionem exſpectare: ſanctus autem iteratò dicere: & ego dico tibi, fili mi, vt rideas & gaudeas in Domino ſemper: religioſus enim nullam habet triſtitiæ ſequioris cauſam, ſed lætitiæ multam: quapropter denuò tibi dico, ſemper ſis lætus, & hilaris. & eris indubitatè, ſi humilis atque obediens eſſe contenderis. Et hoc tibi dico, quia animaduerto in te ingenium bonum, & non vulgaria talenta, quæ cum adoleuerint, Societati poterunt commodare, variiſque in ea negotiis agendis inſeruire; quibus tamen, ſi te contigerit minimè adhiberi, fiet, niſi vera animi demiſſione pręcellueris, vt oppidò contriſteris & affligaris. Pridem notaui hanc cæli Romani temperiem minus tibi commodam eſſe & inſalubrem, quare fortaſſis in natale Belgium mitti voles: ego vero contrà in Siciliam te mittere decreui: ſi autem de teipſo circa locum officiumúe ſtatuere quidpiam cœperis, frequenter continget aliud à ſuperiore ordinari, vnde melancholicos animi affectus, triſteſque mentis habitus, oriri neceſſè erit. Vt igitur ſemper gaudere poſſis, humilis atque obediens ſis oportet.

Hæc ille, quæ Franciſcus in ſenectam vſque, & ſenium, hic apud nos degens & moriens, inſigni iucundiſſimaque memoria conſeruauit & opere proſecutus eſt.

Vtilitas & ædificatio proximi pollit triſtitiã ſuadet. Venio ad alteram, quæ in vtilitate, atque ædificatione proximorum noſtrorum ſita eſt: ea ſiquidem illorum natura atque conditio eſt, vt quantum bonis exemplis & honeſtate virtutis ad probitatis ſtudium & viam perfectionis capeſſendam animantur, tantum alienentur ab itineris aſperitate, quam colligunt, & apprehendunt ex iniucundo, ac triſti vultu iter iſtud conficientium, illi ineſſe. Contrà, verò, vbi viderint Dei famulos, tantâ in eius obſequiis animi alacritate, & gaudio, etiam inſtantibus ærumnis, perdurare, conuincuntur credere, non eſſe tam durum ac difficile virtutis ſtudium aut perfectionis, ſicut homines vani, & mundi huius voluptatis infatuati communiter opinantur. Quæ cauſa fuit cur Seraphicus ille *Franciſcus* ſuæ familiæ religioſis hanc animi lętitiam tantopere commendaret, & ab ea ſe quoque multum adiuuari aduerſus acediæ ſpiritum, quando ſuos fratres lætos, & hilares in obſequio Dei cerneret, affirmaret: Contrà verò, dum vnum ex illis ſubtriſtem aliquando aſpexiſſet, eum vehementer obiurgarit, dicens: oportet eos qui dæmoni, mundo, carni, non verò Deo ſeruiunt eſſe triſtes; non autem fratrem minorem, niſi fortè in aliquam culpam ipſe inciderit, cuius dum conſcius ſibi fuerit, quâprimum pœniteat, & confiteatur, diuinam implorans contrito corde, ac ſpiritu miſericordiam. Sic ille. *S. Frãciſcus ſuis valdè cõmendabat lætitiam ſpiritualẽ.*

Quæ verba corporati illius Seraph. me velut porrectâ manu ad alteram Apophthegmatis huius partem ducere viſa ſunt, quâ rectè ac conſideratè expenſâ, vniuerſam eiuſdem perſpexerimus œconomiam?

Hæc itaque à me de Triſtitia ſecundum mentem S. Ignatij, iuſtorum omnium mentibus proſcripta & exulante hactenus diſputata, licet eiuſmodi eſſe rear, quæ bonorum omnium conſenſione probentur, facilè tamen inuentum iri, nonnullos patiar, qui haud leuibus inducti momentis exquirant, num igitur ſapiētis animus nullâ omninò debeat triſtitiâ pulſari? præſertim cùm æternæ veritatis oraculo, *Cor ſapientum ibi eſſe dicatur, vbi triſtitia.* Eccle. 7. *&* *beati qui lugent, pronuntientur.* Eccl. 7. 5. Matth. 5. 5.

Reſpõdetur obiectioni. Quibus ego præfiſciuè edico: quamuis omnis triſtitia ſecundum ſe mala ſit ſimpliciter, in ordine naturæ, & ſecundum quid, in ordine moris, in quantum impedit quietem appetitus in bono, tam naturali, quam morali; ea tamen triſtitia, quâ quis de malo triſtatur, eſt bona, tam bonitate honeſtâ, quam vtili: & ho-

Matth.5.5. nesta quidem, quia iuxta consilium Domini Matth. 5. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*;estque conforme legi æternæ naturali,ac positiuæ, vt de malo tristemur. Bonitate verò vtili,quia maximam præstat homini vtilitatem,quatenus ipsum impellit, vt fugiat malum morale, siue peccatum eiusque occasiones deuitet, qui enim de peccato tristatur, eiusdem displicentiam ac pœnitudinem exsuscitat, iuxta Apostolum 2.
2.Cor.7. Corinth.7. dum sic scribit: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam.*

Tristitia itaque inuenta est, quæ Religiosum hominem nil nisi Deum quærentem non dedeceat, sed congruat magis & ornet, si tamen tristitia appellanda sit, & non potius vera lætitia, amaro quamuis de fonte scaturiens, quatuor autem siphonibus aquam longè dulcissimam emanans,quod de fonte Laodiceno scribit Strabo l.16.cuius aquæ primum haustæ falsissimæ, exinde dulces atque potabiles.

Varia genera tristitiæ quæ Religiosum non dedecent. Primum genus bonæ tristitiæ.

Siphonum primus, veterum recordatio peccatorum est, quibus & solis quidem deplorandis à Creatore tristitiam naturæ inditam SS.PP.
2.Cor.7. voluêre, dicente Apostolo 2. Cor.7. *Quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.*
S.Chrysost. hom.5.ad popul. Rationem suo ingenio dignam affert Chrysostomus hom.5.ad Popul. cum dicit: *nullum in mundo damnum tristitia reparatur, nisi solum id, quod ex peccato contractum est, quare nulla in re melius impenditur, quam hîc: omnia namque reliqua non solum non maiore reparantur, sed augentur, & crescunt; damnum verò peccati, tristitiâ reparatur.* Vnde hom. 18. ad popul. *audiui multos apud seipsos dicentes, quæ* Id hom.18.
vtilitas quod dolui? nec pecunias recuperaui, & me ipsum læsi.

Simile. Similitudine rem illustro: alexipharmaca sunt non pauca à medicorum filiis reperta,sed ob illos tantum morbos, quibus pellendis idonea sunt, quæ si aliis applicueris, frustra es: puta medicamentum lippientibus oculis curandis inuentum, nullum alium morbum curabit, non febrim, non arthritidem, non pestem; certâ itaque experientiâ edoctus nullas ex iis, quæ in vitam nostram incurrunt, ærumnas tristitiâ expelli, sed solum peccatum pro certo habeas, ideo tantum illam factam esse. Percurre si lubet singula: excæcatus es, fleuisti: æs perdidisti,fleuisti,num vel pecuniam, vel oculorum lumen recuperasti? minimè.Quin damnum magis aggrauasti. Peccasti? Deum offendisti? & ritè plorasti? reconciliatus es. Qui sic? verbo Domini exploratum est 3.reg. 21. *Scidit Achab* 3.reg.21.
vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, ambulauit dimisso capite, & humiliatus est coram Domino, & non induxit malum in diebus eius.

Sed aurea oris aurei verba hîc non prætereamus:tristitia ob id nobis data est, inquit, non vt in morte, aut alia re doleamus, sed vt deleamus peccatum, quasi morbi illius remedium, sicut ergo remedium lippitudinis eam tollit, non alios morbos; sic tristitia peccatum tollit,non alias ægritudines, v.g. pecunia quis mulctatus est, doluit, non emendauit: filium amisit, doluit, non resuscitauit mortuum: contumeliis affectus est, doluit,non reuocauit contumeliam. Infirmatur, dolet, morbum non aufert, imò auget: at peccauit quis,tristatur, peccata deleuit: nam quæ secundum Deum tristitia est,pœnitentiam in salutem stabilem operatur: ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, à quo nata est.Sicut ergo vermis ex ligno nascitur & illud rodit & concidit, suam ab ipso originem habens, sic & tristitia de peccato nata, peccatum absumit.

Huc animum aduerterat Regum prudentissimus Philippus II. Hispaniarum Monarcha, intumuerat illi diro apostemate affectus poples à sola nouacula sperabatur Regi salus, incidendum ergo in tot neruorum confinio porrigitur vlcus: Princeps filius,hæc oculis libare vix sustinens, ah,

Regis Philippi 2. Hispan. Regis prudens apophthegma.

ah, inquit, mi Domine, ac Pater. nunquid incisionem hanc grauiter sentis, & doles? grauius, respondit, animæ meæ plagas, quas ei peccata mea inflixêre sentio & deploro.

Prudenter sanè, & cum fructu: eiusce modi namque tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur, non iã tristitia, sed lætitiæ seges.

Secundum genus bonæ tristitiæ. *S. Iudas.* Siphone altero, *Peccata* fluunt *aliena*, quibus alij homines in *epulis suis maculæ*, vt S. loquitur Iudas, *conuiuantes sine timore, dominationem spernunt, maiestatem blasphemant, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, quibus procella tenebrarum seruatur in æternum*. Res tristis, ac sanguineis lachrymis deploranda! quam qui non sentiat, quod solatium charitatis, quam societatem spiritus, quæ viscera miserationis dixerim in eo reperiri? contrà verò his condolens, at- *2. Cor. 11.* que ingemiscens cum Paulo 2. Cor. 11. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalisatur, & ego non vror?* omni die ac horâ charitatis legem dicitur adimpleuisse & quanto cum gaudio! quod certè nisi sentias, non explicâris.

Patet in Samuele, quem Saulis peccata ad fletum, & luctum immane quantum impulerunt. Nec minus *Dauid Rex Psal. 118.* in Dauide, dum diceret psal. 118. *defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* q. d. tanto dolore afficiebar, vt etiam tabescerem, & languerem præ zelo, cum viderem homines, etiamsi inimicos meos obliuisci verborum tuorum, id est, tam vtilium præceptorũ tuorum de quibus illud Poëtæ liberè pronuntiaris:

S. Hieronymi de Sabiniano lapso. —— *Sua est quoque flere voluptas.*

Quorum vestigiis inhærentem Hieronymum quis miretur? dum eiusce- *1. reg. 16.* modi verbis suam super Sabiniano *Samuel super Saule penit.* lapso tristitiam declarat: *Samuel quondam lugebat Saulem, Paulus Corinthios in quibus audiebatur fornica-* *S. Paulus super Corinthium lapsum.* *tio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes quidem audiebatur, voce flebili* *2. Cor. 12.* *commouebat, dicens: ne cum rursus venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiis, quas gesserunt in impudicitia & fornicatione. Si hoc Propheta & Apostolus, nullâ ipsi labe maculati, beneuolâ in cunctos mente faciebant: quantò magis ego ipse peccator in te debeo facere peccatore, qui proditâ patris substantiâ, porcorum siliquis delectaris, & superbiæ prærupta conscendens, præceps laberis in profundum. Prò nefas! non possum vltra progredi. Prorumpunt lachrymæ ante, quam verba, & indignatione pariter ac dolore, in ipso meatu faucium spiritus coarctatur.* Sic ille, sat superque gnarus ac præclarè intelligens, cui lachrymas ac luctum tutò neque in cassum impenderis. Quod Ezechielis cap. 9. Do- *Ezechiel. c. 9.* minus prophetæ ostendit dum Angelum iussit signare Hierosolymis pios lugentes peccata populi; signo tau, quibus deinde à sex aliis parsitum voluit, reliquis omnibus non signatis, per Chaldæos occisis. Verba eius sunt: *transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa tau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et aliis, transite sequentes eum & percutite non parcat oculus vester, neque misereamini: omnem autem super quem videritis tau, ne occidatis.* Hic fructus tristitiæ huius, vt iure bono certoque iudicio *Iacoponus* *Tudertinus*, vir pietate, ac *Iacoponus Tudertinus tristabatur super pec. hominum.* cælesti quâdam prudentiâ clarissimus, nullâ se re magis cruciari diceret, quam dum intueretur diuinum numen tot tantisque in mundo contumeliis affici, offendique, quod absque mœrore & lachrymis tolerari non posse asseuerabat.

Equidem rogatus aliquando à fratre, quid adeò lachrymaretur respõdit, id se eò facere, quòd Amor non amaretur. Digna sapiente responsio, qui de vero ac iusta tristitiæ caussa solus potuit arbitrari.

Tertium genus bonæ tristitiæ. Tertium Siphonem agnoscit *Dilatio gloriæ cælestis*, ad quam, quisquis Deum non segniter diligit, vt lapis

ad

ad centrum rapi, inclinarique consueuit, si verò, quid viam obstruat, aut cursum remoretur, quantus hic mœror exsurgit ac dolor! restabitur id non effeminatus aliquis Sardanapalus, sed bellator fortis ac Regũ generosissimus Iesseius Dauid, cum prorogationem hanc sentiens exclamauit: *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, cum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam*, id est, laxaui menti habenas, vt pro libito indulgeat lachrymis & dolori, *cum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* id est, dum quotidie per circuitum omnia lustro, quærens quem diligit anima mea, & dicitur mihi à spiritu meo, à cogitatione mea, *vbi est Deus tuus?* vbi quæres, vt inuenias? quando venies & videbis faciem Dei tui? heu mihi, quia incolatus meus, vel vt ex hebræo vertit S. Hieronymus, *peregrinatio mea prolongata est, multum incola fuit anima mea*, id est, nimis longus fuit iam incolatus meus in terra aliena. Ita Dauid, ille vir secundum cor Dei, longè secius, quam plerique mortales, qui diligunt adeo peregrinationem suam, vt nihil tristius audiant, quam sermonem de discessu ab hac vita: quibus vt hebræos Babylone exulantes in opprobrium, sic & alios seruiuisse in exemplum euidenter patet, cum his aliisque threnodiis lamentarentur exilium suum: *super flumina Babylonis sedimus & fleuimus cum recordaremur Sion*: nouerant siquidem in persona Electorum, quam tristibus lachrymis digna res sit tanto tempore à patria exulare, quod vsque adeò *sanctus* ipse *Ignatius* pernouerat, vt quamuis vulgò tristitiæ foret hostis acerrimus, hanc tamen corde toto amplecteretur. Vnde identidem solitus in cælum suspicere, eò scilicet figens oculos, quo amor collimabat, vt mixta suspiriis desideria iacularetur, atque istinc, non autem ex ista infirma terrestri mole, nubibus euocatis, serenissimus ille vultus tacito imbre oculorum perfundebatur.

Ita Rex Dauid. Psal. 41. 4.

Ita exules hebræi. Psal. 136. 1.

Ita & S. Ignatius.

Eodem planè spiritu imbuta erat B. Theresia de Iesu, virgo sanctissima, quæ tanto videndi Deum ardore ac desiderio torquebatur, vt emori propè videretur, nec penes seipsam manere posset. Vulnerata siquidem erat, ac velut emoriens & morte quidem longè suauiore, atque optatiore, quam aliqua in hoc mundo est vita. Quam tamen à se tolli plagam ita non velle poterat, vt huic ipsa tormento ac vulneri omnes mundi voluptates ac delicias posthabendas censeret.

Quartus denique iustissimæ huius Tristitiæ Sipho est, *desiderium maioris sui perfectionis*, quo dum incenditur homo, factusque velut vir videns paupertatem ac nuditatem suam, ingemiscit, ac contristatus exclamat: *imperfectum meum viderunt oculi tui*, quasi dicat, vocasti me, oculis meis proposita est idea longè præstantissima, vt conformis efficiar imagini filij tui & configurer corpori claritatis eius, sed quam absimilis vultus meus! quam frigida & mortua imago sum, quam pridem viuere decuit, ac prototypo suo conformari. Senserat id magnus ille Gentium Doctor Paulus, cum altè ingemiscens exclamaret: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*. Rom. 7. 18. vnde præclarè magnus ille è Bætica formandis moribus Magister Ioannes Auila huiusmodi homines comparabat iis, qui inter somniandum magna quædam, ac multa se agere existimant, at vbi expergefacti sunt, eorum nihil, sæpe autem contraria omnia operantur, secundum illud Prophetæ: *sicut somniat esuriens, & comedit: cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius*. Isaiæ 29. 8. Quid lachrymis dignum? si hoc exineris, non video: quid animo liberali accidere queat acerbius? quid maioribus dignum lachrymis? non scio. Rem quidem iudicatam referet *Nonnus* magnus ille Edessenæ Ecclesiæ Præsul; ad synodum hic vnà cum pluribus Episcopis aduenerat Antiochiã, cum Pelagia pantomimarum prima

Quartum genus bonæ tristitiæ.

Ps. 138. 16.

Rom. 7. 18

Ioan. Auila.

Isaiæ 29. 8.

Nonnus Edessenus flet suam desidiam.

fortè in occursum eorum progressa, ira adornata & compta, vt nihil videretur super ea nisi aurum, margaritæ & lapides pretiosi, nuditas pedum eius auro & margaritis erat cooperta, maxima erat cum ea pompa puerorum & puellarum pretiosis vestibus amicta. Videbant eam Episcopi & tacebant, quasi à peccato grauissimo oculos auertentes. Beatissimus Nonnus eam respiciebat, vbi verò transiuisset ad Episcopos conuersus. quid putatis, inquit, quantas horas suo in cubiculo triuit hæc mulier, lauans, & componens se cum omni solicitudine animi & intentione ad speculum se ornans, vt pulchritudini & ornatui deesset nihil, quatenùs omnibus placeret, nec suis videretur esse amatoribus turpis? qui hodie sunt, & crastino non sunt? & nos habentes Patrem in cælis omnipotentem, donantem bene custodientibus legem suam promissiones, quæ habent diuitias cælestes & præmia æterna, quæ æstimari non possunt, non ornamus, neque detergimus sordes de miseris animabus nostris, sed dimittimus eas negligenter iacere. Mox ad cubiculum suum reuersus, iactauit se super paulmentum & faciem suam ad terram collisit, percutiensque pectus suum lachrymabatur dicens: Domine Iesu Christe, ignosce mihi peccatori, quia vnius diei ornatus meretricis superauit ornatum animæ meæ. Væ mihi peccatori quoniam ante Altare tuum adsisto, non offerens pulchram animam, qualem expetis à me. Illa enim promisit placere hominibus & fecit: at ego promisi tibi placere & mentitus sum, propter pigritiam meam, quæ dicens plurimum vlulabat. Ita Iacobus Diaconus in vita.

Atque hæc illa tristitia est quam in viro religioso cum deteges, non iam miraculum dices, sed auream quandam decentiam, secus, miraculum dicturus, virum inueniri eiuscemodi, qui hac careat ac destituatur.

Neque ideo hos, qui tales sunt, quis fortasse autumet excruciari animo aut affligi, vt ij, qui sæculi tristitiâ macerantur, cum enim secundum Deum se nouerint exerceri, vel ad augmentum meriti, vel ad fidelis experimentum amoris, patienter, imò suauiter ferunt laborem: amor siquidem Dei solus est, qui ad nomen difficultatis erubescit, nam, vt rectè *S. Augustinus, labores amantium non onerant, sed delectant, in eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipse amatur*, quod vel hinc discere liceat, dum vel maxime tristitiâ hâc vrgente loquuntur cum laude, mirabilia Domini exhortantes, & lætificantes seipsos in hymnis & canticis spiritualibus vt suggere illis amat Spiritus Dei: quamuis autem subinde suprà modum grauari videantur, ita vt fieri videantur sibimet ipsis graues, & velut tædeat illos huius vitæ mortalis: nihil tamen impium loquuntur, aut murmurant aduersus eum qui cibat eos absynthio: plus enim apud eos valent fidei nostræ rationes, quæ sperandarum est substantia rerum & æternorum persuasio bonorum nec dum apparentium, quam animi, corporisque præsens molestia, aut languor, vt hæc, qualiscunque demum tristitia, appellanda sit gaudium aliorum, qui extra Deum suas quærunt commoditates, millenis parasangis trãscendat, quod vt olim expertus fuit Augustinus, ita quoque posteris non abscondit, dum sic loquitur l. 9. c. 1. Confess. *Quam suaue mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat: eiiciebas enim eas à me, vera tu, & summa suauitas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior.* Caussam alio loco subinfert, dum ait: *non perdit ille lætitiam, sed mutat, à carne ad spiritum, à sensibus ad conscientiam, & citò sentit dulciores esse fructus iustitiæ, quam iniquitatis, & verius atque iucundius gaudere hominem de bona conscientia inter molestias, quam de mala inter delicias.* Cap. 16. de catech. rud.

Experta id sæpiùs Carmelitana virgo

S. August.

S. August. l. 9 Conf. c. 1.

Lib. de catechis. rudib. c. 16.

S. Theresia in patiendo hilaris. virgo Theresia fuit, præcipuè verò cum diuini amoris iaculo saucia, tantis doloribus obrueretur, vt iam iamque velut deficiens animam agere videretur. Intereà tamē lætantis animi dulcedo, quam dolor ille menti eius instillabat tanta erat, vt nec doloris finem, nec aliud quidpiam extra Deum velle, aut desiderare sibi posse iudicaret; hoc vnum exoptans, vt sapidam illam pœnam persentisceret continenter, quæ illi maioris gloriæ, lætitiæque segetem allatura erat, quam quæ omnibus iunctim è creaturis poterat progerminare.

Finio alteram hanc partem, appenso Ægypti spolio nequaquam indigno. Ita namque in hanc rem Romanus sapiens Annæus Seneca epistola 23. ad Lucilium suum, reapse ad Christianos omnes: *hæc ante omnia fac, disce gaudere, ad summa peruenit, qui scit quo gaudeat: securè gaudet, qui gaudium in Deo quærit.* Addo: Radix gaudij, tristitia secundum Deū: hanc riga lachrymis bonis, & perpetuæ flores lætitiæ decerpes honestissimo posteris miraculo futurus. *Seneca ep.23.*

In hunc itaque modum vtriusque Tristitiæ nostræ tum bonæ, tum malæ naturâ, atque indole perspecta, hoc vnum ad Apophthegmatis nostri plenum commentarium restare videtur, vt tam de fugiendæ huius modo, quam de illius consequendæ methodo, industriâque disputemus, in quo nos istud compendij facturos video, vt dum primum obtinuerimus, alterum eâdem operâ fuerimus consecuti.

Primum contra tristitiam Remedium. Oratio est. Ad primum itaque quod attinet, hic nobis vsuuenire animaduerto, quod & alibi Apostolum suggessisse memini, *non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit*: certandum itaque hîc est, hostis namque animæ tristitia est, de qua Eccli. 38. *à tristitia festinat mors, & cooperit virtutem.* Item 25. *Tristitia cordis flectit ceruicem, & omnis plaga tristitia cordis est*, qui omnem dicit, nullam excipit. Et Apostolus 2.Cor.7. *Sæculi tristitia mortem operatur; induenda ergo armatura Dei, vt possimus resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare* Eph.6.13. *2.Tim.2.5* *Eccli.38. & 25.* *2.Cor.7.* *Eph.6.13.*

Ab Oratione itaque ordiendum est, ita suasit S. Iacobus c.5.13. *Tristatur aliquis vestrum, oret*; inde, ab oratione scilicet arma mutuetur, quibus Tristitiæ mortifera iacula retundat: Ita Dominus Iesus Rex & legifer noster, dum nocte illâ funestâ & luctuosâ, cum facta est crudelissimis latronibus experiundi potestas, vtrum Dei patientia plus posset, an plus hominum posset audacia, lethali ex tormentorum imminentium æstimatione & pauore, oppressus tristitiâ, ad orationem confugit, & pro mœroris atque angustiarum incrementis, orationi instabat constantius, ac factus in Agonia prolixius orabat, donec viribus auctus discipulos compellans, *surgite*, inquit, *eamus*, generosè hostibus occursurus. *Exemplum Christi Domini.*

Cum fumus acri suo vapore cubiculum impleuit, ac lachrymas præsentium oculis excussit, fenestram aperis, vt recens aër subintrans, nouam respirandi libertatem infundat; ita & tu quisquis fumoso tristitiæ tempore arctari te, opprimiq; senseris, in oratione cor Deo aperi, vt spiritum attrahas, quo, nouo velut solatio reuiuiscas iuxta regium Psaltem ps.76.2. *In tribulatione mea Deum exquisiui, manibus meis.* id est, ad supplicandum compositis & extensis, *nocte contra eum, & non sum deceptus: renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & consolatus sum*: & ita profecto fieri amat, neque enim Dei manus abbreuiata est, quod vel ab vno Godefrido Peronensi liceat didicisse: nobili admodum stirpe hic oriundus S. Bernardo se adiunxerat, ab illo sacri Ordinis habitum accepturus, eiusque Institutis ad virtutem formandus: Cum ecce sub prima tirocinij sui initia, ingenti quâdam nube tristitiæ obrui, mœrore contabescere, palamque profiteri omnibus, actum de se, deinceps ad mortem vsque non fore lætum aut iucundum. Latere id non potuit Bernardum, qui statim ad orationem confu- *Simile.* *Psal.76.2.* *Godefridus Peronensis, oratione S. Bernardi à spiritu tristitiæ liberatur.*

confugiens pro Godefrido supplicat: consederat is iuxta facellum graui sopore mersus, super saxum & obdormiuerat.

Finiente Bernardo preces suas, euigilat quoque Godefridus, exclamans: abite mœrores & tristitiæ, ex hoc momento ad mortem vsque lætus & hilaris vitam traducam. Ita scilicet Deus qui corda hominum scrutatur & renes, inuocatus succurrit, aquasque amaras in vinum optimum lætumque commutat.

Vnde patet quam grauiter illi decipiantur, qui pro remedio tristitiæ ad consolatiunculas externas captandas ex vano risu nugaci confabulatione, fugacibus ac fallacibus oblectamentis huius vitæ confugiunt, quos Iessæus Dauid psal. 4. his verbis rectè perstrinxit, dicens: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Sunt autem hi multi, quos ipse paulò ante in eodem psalmo reprehenderat: *filij hominum*, inquiens, *vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Non enim foris, vt in eius loci expositione loquitur Augustinus, quærenda est lætitia, vt fit ab iis, qui adhuc graues corde diligunt vanitatem & quærunt mendacium, sed intus, vbi signatum est lumen vultus Dei: in ipso corde, vbi habitat charitas, in illo cubili, vbi orandum est.

Psal 4.

Secundum Remedium tristitiæ. Consideratio eiusdem malignitas.

Venio ad secundam armaturam, quâ mens nostra instructa noxiam hanc tristitiam certius debellet, quæ erit considerata eius, perspectáque malignitas, vtpote quæ minimè contenta vnam hominis partem, aut membrum pessumdare, sed omnes animi, corporisque facultates destruit ac corrumpit, dum intellectum atque memoriam obnubilat, sanguinem inficit, ossa emedullat, neruos debilitat, in summa ita hominem exsiccat, omnemque vitæ calorem depascitur, vt sensim ad mortem deducat: vnde rectè admodum *Salomon* humanæ sapientiæ pelagus & magnū portentum, Prou. 25. de ea sic pronuntiauit; *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia nocet cordi.* Prou. 25.

Ratio autem est, quia sicut tinea & vermis lignum sensim sine sensu arrodit, & tandem penitus consumit: ita pariter Tristitia cor nostrum tam corporale cum toto corpore, quam spirituale, puta mentem, ita sensim siue sensu rodit & cruciat, vt tandem interimat & absumat.

2. Sicut tinea in ipsa veste, & ex ipsa: ac vermis in ligno, & ex ipso generatur: Ita Tristitia in corde & ex corde nascitur, ibique nutritur, vt S. Gregorius testatur.

3. Vestimentum tinearum esu arrosum, nullius pretij, vel honesti vsus esse potest: lignum vermibus corruptum, non ædificiis, sed ignibus deputatur, ita & anima edacibus tristitiæ morsibus exhausta, teste Ioanne Cassiano, foras eiicitur atque in tenebris sepelitur. Quibus omnibus se facilè expediet, quisquis attentè hæc voluerit perspexisse; *Tristitiam siquidem detexisse, fugasse est.*

Tertium Remedium contra tristitiam, pax & quies conscientiæ.

Tertium denique Armaturæ genus quo victoriam de tristitia reportemus, eamque procul à nobis excesse faciamus, tranquillata piaculari noxarum pœnitudine conscientia est Deo opt. max. suauitatem inducente, quæ mœroris nubem discutit, siccat oculorum imbrem, gaudium exsuscitat, animumque demulcet.

Laboriosa res, fateor, & cum labore animum cruciante coniuncta, vnde multis fugienda, ac declinanda videatur, qui vix æquo animo pœnam molestiamque salutent: sed errant illi & solenniter quidem, quis namque guttulâ absinthij, oceanum mellis nolit à se esse redemptum? Strato leone dicebat olim Sampson in problemate suo, *de forti egressa est dulcedo:* ego autem hic sine ambiguitate dixerim ex amaritudine suauitas & incredibilis dulcitudo. In quã tem præclarè Ennodius l. 5. p. 15. *Apud Deum bilaritas lachrymis obtinetur, & mœror transit in letitiam.* In quam sententiam etiam S. Basilius ita

Ennodius l. 5. ep. 15.

S. Basilius hom. de grat. act. ita scripsit hom. de grat. act. *Anima quae semel modis omnibus desiderio se adstruxit sui conditoris, iamque insuevit oblectare se illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium animique sui iucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari propter multitudinem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius, quae aliis moerorem afferunt, & tristitiam in cumulum sibi vertet & laetitiae accessionem,*

Nescio an magis hic gratulari debeam eruditissimo Abbati Ruperto quod nobilissimam hanc nobis animaduersionem, vt praeclarissimi ingenij sui foetum protulerit, an verò nobis, qui eadem ad victoriam longè pulcherrimam incitamur? *dum ait* l. 2. de Trinit. c. 24. *Cunctis aquis, quae in hoc orbe terrarum sunt inesse naturalem salsedinem: ceterum dulcedinem veluti exugere è fonte Paradisi, de quo in genesi cap. 2. tamquam ex magni corporis terra manna: atque ex eodem fonte, largas fundi potabiles, & agris foecundandis aptas aquas.* Quae fortè non omnes Physicorum filij admiserint, sed Theologiae Christianae Patribus hoc certum & constitutum est, in amaritudine lachrymarum, quas metanaea fundit, existere è diuino quodam fonte mirificam suauitatem, qua cor moerens humanissimâ laetificet consolatione, *dulciora, namque sunt gaudia poenitentium, vt aiebat S. Augustin. quam gaudia theatrorum.* (Rupert. l. 2. de Trinit. c. 24. — S. August.)

Fons autem & initium illius suauitatis, est diuinus motus, quo voluntas afficitur, succendens in ea viuos igniculos deuotionis, vnde ex ardore caritatis, & effusione piarum lachrymarum, vnguentum fit mirandum in modum suaue, cuius odor cor hominis laetificat.

Quartum remedium contra tristitiam ex pensio damni quod infert. Quid ni & quarta Armatura accedat, quâ pugilem nostrum contra nefariam hanc tristitiam decertantem liceat obarmasse? nimirum, *damnorum ingentium* quibus hospites suos afficere solet iusta *expensio*; praeiuit regum sapientissimus *Salomon*, cum eam desiccare ossa: Prouerb. 17. deiicere spiritum cap. 15. cordi nostro nocere c. 25. asseruit. Secutus est Siracides Eccli. 25. omnem plagam appellat. cap. 38. homicidam vocitat, & cap. 30. vtilitate cassam traducit: vnde non rectè minus quam verè S. Ioannes Chrysostomus epist. 8. ad Olymp. *Tristitia,* inquit, *animarum crudele tormentum est, dolor quidam inexplicabilis & iudicium omnium iudicio vindictâque deterius. Nam & vermi similis est venenato: non solum carnem, sed & animam ipsam perimens: & tinea non solum ad ossa, sed ad corda pertingens: & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, sed vires animae consumens: & iugis nox, ac tenebrae profundae & tempestas, & turbo febris non apparens, omni igne validius incendens, & pugna requiem non habens.* (Prou. 25. Item 27. — Eccli. 25. Item 38. Item 30. — S. Ioan. Chrysost. epist. 8. ad Olymp.)

Veteri Episcopo recentiorem adiungo, Halitgarium sc. Cameracensem qui sic scribit lib. 1. de 8. principal. vitiis c. 1. *De tristitia nascitur malitia, pusillanimitas, desperatio, torpor circa praecepta vagatio mentis circa illicita,* &c. quod nec Aristotelem latuisse, ethicicorum lib. 10. satis demonstrat, vbi posteaquam docuisset *mentis delectationem perficere operationem, sapientissimè subiunxit, tristitia verò corrumpit,* quo fieri solet, vt homo tristis in via perfectionis lentius progrediatur, in ea facilè offendat, aut subsistat, vel etiam retrocedat à tentatione, vel à casu in tentationem, difficilius liberetur. O triste, atque intolerabile tristitiae malum! & cuius hoc deamet? foueat, ac velis, remisque fugiens non auersetur? (Halitgarius l. 1. de 8. vit. c. 1. — Aristoteles l. 10. eth.)

Accedit post hanc vitam in piacularibus flammis vel de tantillo certum supplicium: testatum id nobis reliquit nuperrimè illa Forentini Carmeli nobilissima plantula B. Magdalena de Pazzi; Vita excesserat istic sanctimonialis quaedam, magna dum viueret virtutum famâ celeberrima, & animam eius Magdalena precum suarum suffragiis comitari non desinebat, cum ecce die quodam (Poena reseruata in purgatorio. — Magdalena de Pazzi.)

dam dum sacro instat operi, eam videt magnâ luce præfulgentem ac purpureo pallio circumdatam ad se introire. Magdalena non insueta eiuscemodi fauoribus à sponso decorari, congaudere illi oppidò, ac felicitatem gratulari: ad quæ mox anima, cælestibus quidem se gaudiis, gloriâque potiri, sed posteaquam næuum intemperantis cuiusdam tristitiæ, quem ante in hac vita contraxerat piacularibus flammis, quinque horarum spatio eluisset. Obstupuit Magdalena, & vel tantillæ tristitiæ quam alterius commiseratione assumpserat, labem cœpit detestari.

Felices nos, si eam non segniter fuerimus auersati: ne aliquando nobis contingat quòd in defuncta illa factum deploramus: si namque ista, ceterum innocentissima, omnisque sceleris purissima, ac tot, tantarumque virtutum meritis locuples, hinc rogum subierit, quid manere nos queat, qui toties nos eiusmodi tristitia opprimi, ac grauiter angi sinimus ac commoueri? certè leuius nihil, si non acerbius quidpiam ac durius, propter ingrati animi noxam, formidandum.

Peroratio ad Lectorē. Et erit etiamnum inuenire quempiam, qui Ignatium miretur aut tacitus arguat, dum Religiosum virum tristem, pro miraculo habendum censeat? miraculo, inquam, religiosum statum non tantum non ornante, sed plurimum deuenustante, vbi tot illi suppetunt rationes gaudiorum, tot viæ, atque illicia semper in Domini collætandi?

Est itaque, vt vir sanctus dixit, miraculum & quidem non leue, aut satius prodigium, vir religiosus & tristis, qui aliud quærere non debeat, quam Deum: apparet si quidem alius quàm sit, nec enim Religiosum dici congruum est, qui, quod Religiosi est [lætari in Domino semper] nec facit, nec, à se ritè vt fiat, gnauiter obtinere contendit: vti & aliud miraculum est, neque priore leuius, aut impar, quo eum, qui omnia alia quærit præter Deum videris posse lætari, cum tot habeat causas, vt suprà vidimus tristandi: *contrariorum namque*, vt Philosophus ait, *contraria est consequentia.*

Finio, & cum Iesu Sirach auditorem Ignatij, supremum hîc alloquor: *Tristitiam igitur non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo*, affligendo te, eò quod consilia tua felicem successum non habeant, aut negligantur, aut ab aliis, præsertim æmulis tuis reprobentur. *Iucunditas cordis hæc est vita hominis*, addiderim & Religiosi, *thesaurus sine defectione sanctitatis*, scilicet eam fouens atque conseruans, *exultatio viri est longæuitas*, lætitia enim & exultatio facit hominem longæuum, tristitia verò facit eundem breuis æui. *Miserere itaque animæ tuæ placens Deo & contine*, ab immoderata sc. Tristitia, *congrega cor tuum in sanctitate eius*, Deo, eiusque voluntati inhærendo in quo omnis sanctitas consistit, quod si feceris, *omnem tristitiam longè dispelles à te. Multos enim occidit Tristitia, & non est vtilitas in ea* Eccli. 30. 21. & seqq.

APOPH-

APOPHTHEGMA SEPTIMVM.

Dixit aliquando, se facta duarum rerum optione, vt vitâ vel confestim excederet, cæli securus, vel superstes, sed non proinde securus aliquamdiu degeret: in hanc partem iturum esse, dum præclarum aliquod operæ pretium Deo, ad salutem animarum, facere interim liceret.

Iacobus Bidermannus l. 2. c. 3. Nicolaus Lancicius c. 12. gl.

Commentarius.

Sionis Rex Dauid cæli gaudiis obiter prælibatis, altum suspirans, *quam dilecta*, inquiebat, *tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Sic cælum ardebat Regum optimus & vatum Rex, vt animo tantum non linqueretur. Sed vnde in rege hoc tam æstuans cæli desiderium? cælestem patriam de longè conspexerat, scintillam animo conceperat, quo fiebat vt eiuscemodi flammas eructaret.

Psal. 83. 1.

Bonis ac Iustis videndi, fruendique Dei insitum desiderium.

Cum ad Xerxem Persarum Regem delatæ essent ficus Atticæ venales, quæ dulcedine ceteras omnes longè superabant: negauit Rex illas se gustaturum, dum victor regione ista potitus esset, quæ fructus eiuscemodi ferret. Ita Dauid, ita cum Dauide cæteri omnes, quotquot cælestis gloriæ promulsidem ore diluto prælibarunt, desistere nequeunt, donec plena eiusdem possessione mentem explerint.

Fuit ea certè Dei ac Domini Seruatoris nostri certa mens, sensusque perspicuus, dum, vt suos præcipuis cæli desideriis incenderet, tanto frequenter verborum apparatu, tot similitudinibus de medio sumptis vtebatur, ac super iisdem non rarò auditores suos examinans, intellexistis subiungebat, hæc omnia? quo innuere desiderabat optimus Magister & rei pondus, & suam in ea persuadenda voluntatem, ita, vt eos nequaquam esset habiturus insontes qui muneri hîc suo defuissent, piaculari quodam carcere desiderij, post hanc vitam illis reseruato, qui dum viuerent ad Dei conspectum, ac gloriam tepidius anhelassent, nulla, istic pœnâ aliâ præterquam damni grauius plectendi, vt scribit Card. Bellarminus l. 2. de purgat. c. 6. Abbas Blosius in Monili c. 13. Beda, & nuper sanctimonialis quædam à morte, duabus longè dissitis personis idem denuntians, ob vnam sc. hanc causam horis duabus se à Dei conspectu sequestratam esse. Sed omnem hîc proprij commodi gustus atque emolumenti rationem sepono, solam Dei gloriam, cui nos omnes augendæ procreati sumus, intueor, quæ id vel maximè à nobis exigere ac postulare videtur; si enim verum scripsêre subtilis Scotus, Thomas Card. Caëtanus, aliique, Actum caritatis in quouis Beato appretiatiuè & substantialiter esse perfectiorem quouis actu cuiusuis viatoris: ex clara ratione consequentium ducitur, centies centena millia actuum amoris Dei, quos in hac vita elicimus, imò quos omnes ac singuli, quotquot ab Adamo, vsque ad supremum mundi diem progeniti fuerint, efformârint, ad perfectionem vnius, quem beatorum minimus breuissimo temporis elicit mo-

Purgatoriũ desiderij Bellarminus l. 2. de purgatorio c. 6.

Scotus in 4 dist. 49. q. 5. Caëtanus 1. p. q. 12. a. 2.

momento, nequaquam accessuros, vnde iustissima de caussa fieri debeat, vt quisquis verè perfecteque Deum diligere voluerit, ad locum illum singulariter aspiret, eoque, quam citissime poterit, desideret peruenire, vbi breuissima temporis morula plus in eius amore promouerit, quàm in hac vita diutissimo tẽpore laborãdo. Accedit certissima ab omni seruitute peccati exemptio, quam omnes, qui Deum syncerè amant plurimis redemptam velint, atque ea de caussa ad illam horam mirificè anhelent, vt de *B. Alduncia* Castellana Virgine, scribit Ioan. à S. Maria, cui dum suprema hora imminere denunciaretur, gaudio exiliens exclamasse fertur: & hæc vltima hora est, quâ Dominus à famula offendi queat. Ad hæc idem præclarè perspexerat Beticæ prouinciæ gemmula, digna felicis æternitatis annulo *Sancia Carillo*, quæ diuinitus accepto nuntio, intra annum se cum Domino futuram, cælique gaudiis à Deo suo donandam: vsque adeò affligi, eiulatus edere miserrimos cœpit, præ gloriæ istius desiderio tantopere dilatæ, vt nulla res eam recreare, nulla à molestiis abstrahere posset; vnde dicere, queri que iugiter audita: quod genus patientiæ huic moræ sufferendæ satis esse queat? O carcer! ô captiuitas! ô vita, quantum mihi es martyrium! ô infinitæ bonitatis abiisse! quando me demergam in te? ô Deus! quando dies bonæ æternitatis aspiciam: currite tempora, ite veloces dies, vt hora illa appropinquet, quâ vallem hanc lacrymarum deserens, ad cælestia tempè proficiscar, vbi sub vmbra eius, quem amaui æternum quiescam. Ita P. Martinus de Roa in eius, quã Hispanicè conscripsit, vita.

B. Aldócia.

Sancia Carillo.

Martinus de Roa in vita Sâcia.

Certè de P. Ioan. Bapt. Sanchez scriptum reliquit P. Ludouicus Pontanus, tanto illum Dei videndi post hanc vitam desiderio flagrasse, vt dicere soleret, si certò sciret se die illa non moriturum, fatis id fore, ad eum de vitæ statione deturbandum.

Ioan. Bapt. Sanchez.

Quod & de Raymundo Lullo refert Carolus Bouillus, quem tanto immodicæ huius cupidinis æstu flagrasse testatur, vt dum sese corporis huius nexibus ab amati præsentia aduerteret detineri alienatus à sensibus palpirantis cordis concitatiore motu, tantum non exspiraret.

Raymūdus Lullus.

Quod licet ita se habuerit in his, aliisque non paucis, reperti tamen in vtroque sexu fuêre præcipui, qui Deo propter Deum carere deliberati, diuturniorem vitam laboribus plurimis exercitam citæ morti præhabere non dubitarunt. Iucundum id in duabus sacri Amoris AmazonibusS. inquam Theresia de Iesu, & V. Maria Diatia spectare fuit; quarum prior moriendi voluntate non modicâ succensâ ad dilecti sui tutum conspectum, per mortis ianuam admitti præoptabat, quod cum ante fieri non posse videret, quam hoc ipsam carcere mors educeret, & hanc nullâ sibi procurare vitæ liceret, viuens quotidie moriebatur, quapropter quoties horæ signum dabatur, internâ quâdam voluptate is eam demulcebat sonus, quòd hoc sibi pacto Deum crederet reddi propiorem, nec continere se poterat quin instantissimis precibus mortem à Deo flagitaret, vt ex epist. patet, vbi sic scribit: *equidem nullum interim dum viuitur, remedium comperio: hinc à Domino ipsa ardenter efflagito, vt me ab omni malo liberet. Et quodnam quæso, carissimæ filiæ, in hac vita bonum reperimus, cum tam magno excellentiâque careamus bono, & ab ipso absentes simus? Libera me Domine ab hac vmbra mortis*, Mox verò in cantum effusa carmen composuit, cuius id erat exordium, *Rean te mis ojos dulce Iesus. Videant te oculi mei suauissimè Iesu.* Cum autem intimos animi eius recessus hæc oda feriret, adeo sensus expers mansit, vt velut exanimis cubiculo efferenda esset, & in lectum reclinanda, durauitque hæc mentis eius alienatio in posterum vsque diem.

Fuêre tamen non pauci qui Deo carere propter Deum libenter sustinuerunt.

S. Theresia mortem optabat quo citius Deũ videret.

Hic B. Theresiæ sensus erat, hæc animi eius de rota hâc re sententia. Contra verò Ven. Maria Diatia, pro maximis.

Maria Diatia præoptabat diutius viuere.

Ad plura pro dilecto sufferenda.

maximis, quæ à Deo acceperat, patiendi desideriis, cum esset octogenaria morbis plurimis, grauissimisque molestiis exercita, longiorem optabat vitam, vt plura pro Domino ac Creatore suo pati posset, cupiebatque sibi exilium hoc proferri, vt melius de Redemptore mereri posset, persuasa in hac vita se posse aliquid Deo dare, tolerando multa pro eius amore ac studio aduersa, at in altera non nisi præmia præteriti laboris accipere posse, cum verò sat temporis supersit ad fruendum Deo per totam æternitatem, æquum esse vt multa hic patiamur propter dilectum, vt ei magis placeamus, ac magis deinde accepti eum aliquando læti videamus. Graues profectò, dignæque sapientibus sententiæ, quas cum P. Ludouicus de ponte, nostri temporis Rupertus ad veræ rationis trutinam expendisset, hoc de illis iudicium tulit: Pia, inquiens, harum erat Ascetriarum contentio, habebatque vtraque propositionis suæ fundamentum bonum, quamuis MariæDiatiæ magnopere foret securum, cum non propriis viribus, sed diuinæ gratiæ imiteretur, cuius magnificum sanè donum, & in primis singulare est, multa pro nomine eius & amore pati, iuxta sapientissimum magni Apostoli pronuntiatum: ***vobis donatum est pro Christo, non solum, vt in eum credatis, sed vt etiam patiamini pro illo.*** Philip. 1.29.

Phil. 1. 29.

Eiusdem planè mentis atque consilij fuisse legitur B. Magdalena de Pazzi, quæ neutiquam animo acquiescens in ea, quam cum Domino pactionem iniuerat, de remittendo nũtio omnibus, pro eius dilectione, solatiis, insuper magnis à Deo precibus contendebat seriùs ad cælum euocari, vt tanto amplius, atque opportunius patiendi pro Domino, eiusque gloriam exaugendi tempus consequi posset, quod istic nequaquam repertura esset.

Idem spiritus erat Magdalenæ Pazzi.

Et plures id quidem reapse testati sunt, quemadmodum de S. Dunstano Cantuariensium Archiepiscopo scribit Osbertus. Anniuersaria Dominici Ascensus celebrabatur memoria, cum in Ecclesia sua Christi gloriam ac triumphum contemplatus, ingentem videret cãdidatorum hominum turbam, auro, gemmisque splendidam ad se descendere, audieratque; quid sibi nomine Christi Domini nostri ac Seruatoris afferrent, scilicet, vt secum in cælum abiret, ad idem festum maiori istic solennitate celebrandum. Quibus cum meritas ipse grates pro tanto officio persoluisset, respondit: sibi ad populum die ista, verba esse facienda, de gloria ac triũpho Christi, methodoq; eodem, quò processerat, feliciter aspirandi, atque ideo non posse se impræsentiarum ipsos comitari. Cælites hâc eius excusatione admissâ, virum laudarunt, vtque in proximum sabbatum se ad iter compararet, monuerunt; admisit vir sanctus conditum: quo illucescente, ad Domini gloriam, quam ad honorem eius tamdiu distulerat, feliciter migrauit.

Idem sentiebat S. Dunstanus

Quid ni magno huic Præsuli subiungam virum præcellenti religione ac caritate præditum, Antonium scilicet Gonsaluium, genuinum S. Francisci Assisiatis filium? qui tanto animarum zelo efferbuit, vt dicere solitum ferant, cælesti se paradiso pedem, si intulisset, quantociùs elaturum, vt vnius peccatoris exomologesin excipere posset. Ita Lucas Wadingus Annal. to. 2. ad an. Christi 1248.

Item probabat Antonius Gonsaluius.

O bonum, sanctumque desiderium! gratum, acceptumque Deo, vtile ac quæstuosum desideranti votum! menti namque, vt bene S. Gregorius hom. 15. in Ezech. ***sponsum suum fortiter amanti; vna solet esse consolatio, si per hoc, quod ipsa à Dei visione differtur, aliorum animæ ad cælestem sponsum amoris facibus inardescant.*** De quo dicitur in Canticis: ***fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.*** Flores sunt animæ, bonum iam inchoantes & cæleste desiderium redolentes. Mala autem de floribus, sunt perfectæ iam mentes, quæ ad fructum perueniunt boni operis. Quę ergo

S. Gregor. hom. 15. in Ezechiel.

Cant. 2. 5.

ergo amore languet, fulciri quærit floribus, ſtipari malis, vt in bono opere proximis vtili ac fructuoſo quieſcat.

Quamuis S. Ignatius auide ad Deum anhelaret, prorogari tamen trãſitum ſuum ad Dei gloriam patienter ferebat.

Et inter huiuſmodi quidem S. Ignatium excelluiſſe, vitæ eius ſcriptores teſtantur, quem licet, ob prædictas cauſſas, ad beatam illam, omniſque perturbationis expertem vitam iugiter anhelaſſe monſtrarint, ita vt quoties de morte ſua cogitaret, temperare ſibi à lachrymis præ lætitia non poſſet, ſi quando autem grauiorem incidiſſet in morbum, conceptâ migrandi ſpe, abſtraheretur illico à ſenſibus, non ſine magno valetudinis detrimento, vt mentem à cæleſtibus rebus interim auocare medici iuberent. vitæ tamen huius prorogationem, ſpe diuinæ gloriæ per heroica Chriſtianæ pietatis opera amplificandæ, tuliſſe fortiter, imò non ſegniter ambiuiſſe, iidem docuerunt.

Etiam cum incertitudine propriæ ſalutis.

Sed hoc nequaquam contentus Ignatius fuit, magnarum quippe hic vigor eſt mentium & valdè fidelium feruor animarum, nunquam ab amãdo deſiſtere, nec metam amori figere, donec aut defecerit, quod ament, aut defuerit quod impendant, ita namque Iacobus Bidermannus, accuratus ille rerum ab Ignatio geſtarum ſcriptor lib. 2. cap. 3. de co teſtatum reliquit: ſub annum M. D. XLI. menſe quinctili, pro re nata dicentem audiuimus, factâ duarum rerum optione, vt vitâ vel confeſtim excederet, cæli ſecurus; vel ſuperſtes aliquamdiu, ſed non proinde certus, degeret; in hanc ſe partem iturum eſſe, dum præclarum aliquod operæ pretium Deo facere interim liceret, periculo præ obſequiis contempto. O nobile ſanctioris conſilij decretum! Amorem ſæculis omnibus deprædicandum! ſed quo incentiore ſic pectus Ignatij credimus inflammatum? neque enim per has hiemes talia graſſari incendia conſueuerunt. Non alio itaque quam terreſtri illo Seraph. Paulo, inquam Apoſtolo ac gentium doctore, quem Deus in hũc mundum miſit cæleſtibus facibus incendendum, ſibique Ignatius ſumpſerat imitandum, cui dum optionẽ Dominus dediſſet, vel confeſtim in cælum proficiſci, vel cum incertitudine, vt S. Ioan. Chryſoſt. ſcribit, iſtuc poſtmodum pertingendi, hominum ſaluti diutiùs ſubſeruire; poſtremum mente quâdam generoſiſſimâ elegit, de quo ipſum loquentem Apoſtolum operæ pretium fuerit audiuiſſe.

Coarctor, inquiebat, *è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos. Et hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum & gaudium fidei.* Phil. 1. 23. Super quibus quam piè, quam doctè, atque eloquenter aureum illud os, omni græcorum opulentiâ prẽtioſius, Ioannes, inquam, Chryſoſtomus auditus fuerit, & nos dum eundem hîc audiendo proſequimur, poterimus iudicare.

In Epiſt. ad Phil. c. 1. hom. 4.

Nihil, aiebat, Pauli animâ beatius, quoniam nihil etiam magis „ generoſum. Nunc verò contra de „ omnibus dici poteſt: Nihil nobis „ infirmius, nihil miſerius. Propterea „ omnes horremus mortem, partim „ quidem peccatorum multitudine „ grauati, quorum ego quoque vnus „ ſum, partim verò vitæ cupidi, & „ mori miſerum ducentes, quibus vtinam nunquam adnumerer. Ani„ males enim ſunt, qui hunc timo„ rem formidant. Ergo hoc quod o„ mnes horremus, ille optabat, eoque „ incumbebat, dicens: *diſſolui multò* „ *magis melius, & quid eligam igno*„ *ro*. Quid ais? Cum hinc abiens ad „ cælum ſis migraturus, & cum Chri„ ſto futurus, ignoras quid eligas? ſed „ longè nos abſumus à Pauli anima. „ Quis enim fuerit, cui ſi hæc verè „ offeratur conditio, non illam quã„ primùm arripiat. Certè, inquit, ig„ noro. Sed quemadmodum minimè „ noſtrum eſt poſſe illud dicere: *cu*„ *pio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*; ita „ cum id aſſequi liceat, minimè no„ ſtrum

„ strum est, hic manere velle. Sed „ vtrumque Pauli est & beatæ illius „ animæ. Quid est quod dicis? nosti, „ ac pro comperto habes, futurum te „ esse cum Christo, & hæsitas, ac di- „ cis, quid eligam nescio? neque hoc „ tantum, sed etiam hic manere eli- „ gis? manere, inquam, in carne: „ Quid ita? nonne acerbam vitam „ ducebas? in vigiliis, in naufragiis, „ in fame, & siti, & nuditate, in cu- „ ris, & solicitudinibus, cum iis, qui „ infirmabantur, infirmabaris; pro- „ pter eos qui in scandalum incide- „ bant, vrebaris. In multa, inquis, pa- „ tientia, in tribulationibus, in ne- „ cessitatibus, in angustiis, in plagis, „ in carceribus, in seditionibus, in „ ieiuniis, in castitate; quinquies qua- „ dragenas, vna minus, accepi, ter „ virgis cæsus sum, semel lapidatus „ sum, nocte & die in profundo ma- „ ris fui, periculis fluminum, pericu- „ lis latronum, periculis in ciuitate, „ periculis in solitudine, periculis in „ falsis fratribus. Nonne cùm tota „ Galatarum gens ad legis obserua- „ tionem reuersa esset, clamabas, di- „ cens; *qui in lege iustificamini, à gra- „ tia excidistis?* quem tunc luctum „ non hausisti? & adhuc moribun- „ dam hanc vitam desideras? Tamet- „ si autem nihil horum tibi accidis- „ set, & omnia quæcunque rectè per- „ agebas, quiete & cum voluptate „ peregisses, nonne tamen oportebat „ incerta futuri temporis pertime- „ scentem, ad portum aliquem con- „ tendere? Ecquis mercator naui ve- „ ctus, innumerabilium thesaurorum „ plena, si liceat subire portum ac „ requiescere, mari adhuc iactari ma- „ lit? Ecquis Athleta, cum liceat co- „ rona potiri, adhuc certare postu- „ let? Ecquis pusil cùm coronam „ possit induere, malit rursus in cer- „ tamen descendere? & suum ipsius „ caput concidendum præbere? Ec- „ quis Dux qui à bello cum gloria & „ trophæis liberari queat, & cùm Re- „ ge in Regia? quietus degere, seque „ oblectare, adhuc & sudare præo- „ ptet, & in aciem prodire? quomo- „ do igitur tam acerbam vitam vi- „ uens adhuc vis in terris manere? „ an non tua sunt ista verba? *Timeo „ ne fortè cum aliis prædicauero, ipse re- „ probus efficiar:* si nihil aliud præter- „ eà caussæ fuisset, hæc satis erat, quo „ liberatio desideraretur: si innume- „ rabilibus bonis præsens vita abun- „ dasset ab hac tamen liberari optan- „ dum erat, ad Christum, quem de- „ siderabas, intuendum. O Pauli a- „ nimam! nihil illi par aut fuit, aut „ futurum est. Times, si in hac vita „ permaneas, quid futurum sit: innu- „ meris malis implicatus es, & ta- „ men recusas apud Christum esse. „ Recuso, inquis, idque propter „ Christum vt, quos illi paraui ser- „ uos, firmius in illius amore stabi- „ liam: vt ex agro, quem plantaui „ fructus exstare faciam. Non audi- „ stis, me non quærere, quod mihi „ vtile sit, sed quod proximis? Non „ audistis, mihi in optatis fuisse ana- „ thema fieri à Christo, quo multi „ ad illum venirent? Qui illud elegi, „ non multò magis hoc eligam, vt „ damnum ipse ex hac mora & dila- „ tione faciam, quo illis aliqua ad sa- „ lutem accessio fiat? Quis loquetur „ potentias tuas, Domine, qui Pau- „ lum minimè latere siueris, qui ta- „ lem virum orbi ostenderis? Lauda- „ rint te omnes Angeli vno animo „ cum astra fabricatus es, & solem, „ sed non perinde atque eo tempo- „ re, quo nobis totique orbi Paulum „ ostendisti. Hinc terra facta est „ splendidior cælo; pulchrior hic so- „ lis lumine splendidiores emisit ful- „ gores lætos radios effudit, quibus „ hominum corda in sui imitatio- „ nem pellexit. Et hos inter eximium S. Ignatius sortitus est locum, *qui non timidè, nec dubitanter asseruisse aliquando auditus est; si eius sibi fieret optio, vel è vestigio ad beatum Domini conspectum hinc emigrandi, vel diutius hic ad Dei hominem proximique vtilitatem remanendi, etiam cum incertitudine propriæ salutis, hoc se præ altero, nullâ interpositâ morâ, electurum esse.*

O dignum tanto doctore discipu-

 lum!

lum! Vocem ſanctam ac ſalutis pleniſſimam, quæ ſimulatque ex ſanctiſſimo loquentis ore profuſa eſt, ipſos quoque angelos, mirâ voluptate perfudit. Fuit tamen ex auditoribus iuuentus non nemo, qui obſtrepere illi viſus eſt, non tam obtentâ ratione materiæ, quam bonæ præcautionis ſollertiâ, quâ id, quod poſteris forſan mouere poſſet maleſtiam, ab ipſo planè initio eneruaretur.

Obiectioni ſeſsatu. Vixdum enim feruentis animi ſuſ ſ nſum ſuper hac re ipſe protulerat Ignatius, cùm quidam, & quæ, inquiebat, hæc foret prudentia, Pater, tanto ſeipſum propter alienum commodum periculo exponere? Cùm ſedato inprimis animo vir ſanctus repoſuit: *quis mortalium eſt Principum, qui, oblata videns ſtipendia tantiſper à milite differri, quoad pluribus illa titulis promereatur, non obſtructum ſe viciſſim credat ad eadem illi vel tutò conſeruanda, vel etiam duplicanda? Et Principes igitur noſtri hoc ſoleant: negligeret Deus? aut beatitudinem vtique ſuâ cauſâ dilatam pateretur amitti? Alius hæc deliria ſomniet: animum ego, vt hæc de Deo, Principe tam facili ac munifico, credam, inducere non poſſum.*

Quâ faculâ Chriſtianus noſter Alcides vniuerſam hanc titubandi hydram feliciſſimè adußit: & erit etiamnum, qui vano pauidus terriculo, à præcelſis filiorum Dei cogitationibus degeneret? Eſſe quidem non debeat: veruntamen cum id fieri ſubinde lugeamus, ne hic fortaſſis eueniat, dandam mihi operam eſſe exiſtimaui, quâ ſumma illa capita, quibus ceu propriis quibuſdam fundamentis contrà ſentientes innituntur, claris demonſtrationibus eneruē.

Contrariis argumentis ſatisfatis. Primò. Ad primum itaque quod ſpectat, Actum ſcilicet Charitatis in patria eſſe ſubſtantialiter perfectiorem eo, qui elicitur in via, ac proinde ceteris omnibus poſtpoſitis illuc feſtinandum eſſe, vbi maior Dei gloria obtineri poteſt. Fateor, eſt illa Ioannis Scoti, Caëtani, aliorumque ſententia; contrà verò ſentiunt Vaſquez 1.2. diſp. 2. c. 2. Torres, Suares, Tannerus, aliique complures docentes Actum charitatis in via & in patria non differre ſpecie, neque in perfectione eſſentiali, ſed indiuiduali tantum, adeò vt cum dicitur Actus caritatis in patria eſſe perfectior, quam is, qui in via elicitur, non de perfectione eſſentiali intelligendum ſit, ſed de indiuiduali, qua efficaciter beatus in patria placere Deo vult, ſine vllo prorſus defectu, etiam veniali. Quod lege ordinariâ hîc fieri non poteſt: contra quod gratioſè opponi ſolet, habitum charitatis in via creſcere & augeri poſſe phyſicè, & in ſua reali entitate per operationes honeſtas, non modo ipſis ſuperiores, ſed etiam æquales, vnde fiat, vt per eiuſmodi creſcant iuſti viatores in ſanctitate, & per illos etiam acceptentur ad maiorem gloriam obtinendam in cælis: quod non ſolum de accidentali gloria, ſed de præmio beatitudinis eſſentialis accipiendum eſt: cuiuſmodi nihil in patria reperitur, vbi non eſt locus merendi, nec ſacramenta percipiendi. Vnde porrò ſequitur multos in terris habere intenſiores actus charitatis, quam multi in cælo: ij, ſcilicet, qui cum ſola caritate accepta in baptiſmo, iſtuc pertigerunt, cum multi in hac vita charitatem in baptiſmo acceptam plurimis heroicis actibus fecerint auctiorem.

Adde quod in beatis, actualis dilectio proportionetur habituali, contra verò fiat in via, vnde fieri poteſt vt actualis dilectio ſit magis intenſa, quam habitualis, ratione auxiliorum, quæ in via conferuntur, fiatque vt charitas habitualis in hac vita, in aliquo Iuſto fiat intenſior, vt antedictum eſt, quam in aliquo beato, & ex conſequenti dilectio quoque actualis, vt in beatiſſ. Virgine Deipara patet, quæ tam habitualem quàm actualem hic habuit intēſionem præ omnibus beatis, etiam ſimul ſumptis.

Cum itaque in via intenſius poſſimus amare Deum, quam in patria ab aliquibus fiat, & in charitate creſcere, quam diu viuimus, & habitui hic

hîc comparato responsurus sit actus in patria; non video quid per longiorem vitam [seruato tamen semper feruenti illius desiderio] perdamus, cum eam ad multa pro Deo Domino ac Seruatore nostro sufferenda, siue ad animas illi lucrandas, producere exoptamus.

Secundo. Venio ad secundum. Qui cæli aditum sibi oblatum quacunque ex causa recusat, differtque in aliud tempus, plurimis se peccatis intereà exponit quod charitati repugnat, &c. Ita nonnulli.

Resp. suscipere aliquod officium, quantumcunque necessarium proximorum saluti, cum euidenti periculo perdendi propriam, non licet.

Si tamen periculum sit remotum, & probabilius creditur euitandum tum grauis necessitas proximi videtur præponenda.

Quod autem ad venialia peccata attinet, si periculum sit remotum, vel peccata quæ timentur leuia sint, à quibus vix retardabitur propria perfectio, videtur ingens proximorum profectus præponendus, qui aliàs impediretur.

Ratio est, quia sine illis leuibus peccatis non viuitur, nec tenemur eorum periculum tanti facere, vt eius vitandi caussâ magnum aliquod bonum omittamus. Aliàs qui communiter non orant sine distractionibus in quibus venialiter peccant, nunquam deberent orare, præsertim quando ad hoc non obligantur, quia diu orando exponunt se periculo venialiter peccandi, per culpabilem distractionem, quod absurdum est, Nec Religiosus statum monasticum deserere, vt graui parentum inopiæ succurrat, quod impium est.

Ergo, inquiunt, charitas inclinat ad minorem sui perfectionem. Negatur consequentia, quia non inclinat ad opus, ex quo per se sequitur minor perfectio propria, nec vt opus eo modo fiat, vt hæc sequatur: sed solum vti fiat, quatenus est promotiuum honoris Dei in proximo, etsi ex operantis negligentia, sequatur minor eius perfectio.

Ad hæc, omittere licet sine peccato, ad quod lege caritatis non tenemur, vt S. Paulus fecit, dum beatitudine ad tempus voluit carere, ad proximi vtilitatem, quia non tenebatur ex caritate erga seipsum, velle sibi beatitudinem pro illo tempore, quò & *S. Martinus* spectabat, dum verba hæc aurea moriens effudit: *Domine si adhuc sim populo tuo necessarius non recuso laborem*: lubens cælesti gloriâ carebo. donec gregem, quem mihi commisisti, lupi faucibus ereptum seruâro. *Sulpitius in vita.*

Tertiò. Superest tertium, quo vniuersum charitatis regnum violari contendunt, quid enim, inquiunt, cum incertitudine salutis suæ viuere velle, vbi iam tibi cælorum valuæ apertæ sunt, aliud est, quam æterno se exitio obiicere? quam enim incerta, ac periculis plena grauissimis hic sunt omnia!

Resp. Oblatum quidem ad cælos ingressum ex naturâ suâ securiorem esse, tamen in eo, qui ex parte sua habet firmum & efficax desiderium, saluandi animam suam, aliunde posse compensari.

Primò, ex eo quod res dilata soleat magis desiderium excitare.

Secundò, cum talis necessariò valdè apprehendat sublimitatem gloriæ cælestis, & pericula animarum, quas cupit adiuuare, excitatur apprimè ad illa in se deuitanda, & magnam cæli æstimationem concipiendam, ita vt non facilè permissurus sit se decipi, sed è contrariò ad Deum fugiturus, quoties graue aliquid ingruerit, propter quem in illud se coniecerit: vnde fieri amat, vt Deus tali maiora gratiæ præsidia impertiri soleat, qui propter suam gloriam eiusmodi pericula suscepit, ne damno sit cuipiam, Deo suo generosè seruiuisse. Atque ita patet caritatem, dum ex talibus causis aliquem ab ingressu cæli procrastinat, atque inter huius vitæ pericula detinet in terris, nec inclinare ad minorem perfectionem, quia non inclinat ad minorem voluntatis

luntatis nostræ eum diuina coniunctionem, nec etiam ad id, ex quo sequitur necessariò minor perfectio, cum homo possit absolutè vtrobique se Deo vnire, & quod eius caussâ distulit; magna cum fiducia, superatis omnibus periculis exspectare: Dominus enim supponit manum suam.

Psal. 36. 24.

Magnę huius Philosophiæ nequaquam ignarus S. Ignatius fuit, dum, vt ante vidimus, cęlestem hunc suum Aphorismum, eisdem pene argumentis adstruere visus fuit, quibus hic eū varij Theologi confirmarunt: præcipuè verò magna in diuinum præsidium fiducia, quo suis fretos consiliis largâ solet munificentiâ redhostire.

Filij Ignatij hunc spiritum hæreditarunt.

Transiit à parente in filios idem sensus, atque iudicium, quod vt Deus omnibus perenne velit; ac stabile, supplici, magnaque prece rogandus est: vnum autem è plurimis qui ex hac schola posteris præluxêre, adducam, cuius ceteri exemplo Patrem studeant æmulari. Erit autem hic Henricus ille Walpolus, qui Anglicanam Crucem glorioso suo sanguine purpurauit, cuius grauissimum, omnique laude dignissimum hoc votum fuit; quod & laudabili admodū mentis constantiâ exsecutus est. Si

Henricus VValpolus salutis animarum per studiosus.

„ verè, inquiebat, Deum amas, certè „ nihil tibi adeo graue esse potest, „ atque summam illius maiestatem, „ etiam in minimis offendere, nec „ quidquam tantopere expetes, at- „ que remedium aliquod, quo securus esse possis, te nunquam amplius „ Deum offensurum, quod cum in „ hac vita haberi non possit, conti- „ nuò clamabis cum psalmista: *heù* „ *mihi, quia incolatus meus prolongatus* „ *est*: cupio dissolui, quis mihi dabit „ pennas? Magnum quidem est pro „ amore Dei laborare, dolores, & „ tormenta tolerare, magnum, ani- „ mas lucrari, magnum, in religione, „ cum continua sui victoria viuere: „ si tamen hæc fieri non possint, quin „ Deum meum offendam, mallem „ his omnibus missis citò mori, quam „ cum quotidiana, Dei in quantum- „ uis exiguâ offensione, hæc omnia „ præstare: Si tamen Deus huius mi- „ seriæ conscius velit vitam procra- „ stinare, & me in calamitatis valle „ diutiùs exercere, veniat labor, car- „ ceres, tormenta, crux, craticula, „ leones, veniant tandem quæcun- „ que venire possunt: imò ex animo „ precor te, bone Iesu, vt veniant, & „ per vulnera tua, & sanctorum tuo- „ rum suppliciter peto, vt ab hac ho- „ ra, in qua hæc scribo, incipiant, & „ ad vitæ meæ terminum perdurent. „ Permitte me pro te torqueri, disse- „ cari, flagellari, cædi ac dilaniari; „ nihil recuso, omnia amplector, o- „ mnia sustinebo, non quod ego pul- „ uis id valeam, sed quod omnia pos- „ sim in te, & sine te nihil. Foue in „ me hoc desiderium & propitius „ largire, desiderij effectum. Ita Henricus cuius vtinam spiritus hæredes, ex eiusdem sanguine fœcundo illo virtutum semine, plurimi nascantur.

Psal. 119.

APOPH-

APOPHTHEGMA OCTAVVM.

QVotiescunq; sublatis in cælum oculis astra aspiceret quod sæpè faciebat, & diu; has voces iterabat: heu! quam sordet mihi terra, dum cælum aspicio.

Petrus Ribadeneira lib. 5. c. 1. Daniel Bartolus lib. 4. n. 28. Ludouisius in panegyr.

Commentarius.

Contraria iuxta se posita magis elucescunt: & quare



QVod veritatis ille Philosophus Aristoteles, vt eum Plato nominare solebat, ille, inquam, singularis ingenij acumine prædirus Megistanes lib. 2. de cælo, scriptum nobis reliquit? *Contraria iuxta se posita magis elucescunt;* huc facere in primis spectareque iudicaui, vtpote eiusce modi explicando huic nostro apophthegmati fundamenta subiiciens, quibus & tota interpretationis eius, atque expositionis œconomia insistat, vt vberrimi, lectissimique fructus ex ea aliquando colligantur.

Primò in Naturalibus liquet.

Et primò quidem ad dictum illud Aristotelis placitum, quod attinet, in rebus id naturalibus agnoscimus, contrarium namque Physicum, dum obsidetur à suo contrario, vehementius agit, viresque suas per viam antiperistasis fortius ad pugnam intendit, tum ob præclusionem respirationis, quæ poros stringit, atque adeo calorem, frigusque, ne exeat, prohibet; tum etiam ob vnionem seu constipationem partium calidarum vel frigidarum inter se, quæ simul concurrunt, vt irruant in hostem, vel vt validius eidem obsistant.

Si calcem infusâ frigidâ succendi videmus, aliaq; eiusce modi sexcenta.

Nec tantum ratione antiperistasis, contraria iuxta se posita magis in rebus naturalibus elucescunt, dū sese mutuis actionibus interimunt; sed & omne contrarium in contrario serenius elucet. Ita namque ignis, qui naturâ suâ lucidus est, magis in nocte, quam interdiu conspicuus fit.

Naturalibus affinia sunt artificialia, ars siquidem naturæ simia est, vnde fieri amat non rarò in picturis, vt quæ penicillo diligenter elaboratæ sunt, splendorem plurimum accipiant præ illis, quæ rudi, atque impolito, & contra, hæ ab illis arguantur. Vnde apud plutarchum legere est, pictorem quendam, cum olim gallos infeliciter & imperitè depinxisset, puerum assidere tabellæ iussisse, qui veros, viuosque gallos, procul inde, quam longissimè posset, abigeret; ne, si illi propiùs accessissent, imperitiam artis suæ demonstrassent: contraria namque iuxta se posita magis elucescunt. *2. in Artificialibus.*

Sed neque his contrariorum vis atque potestas exhausta est, in rebus quoque moralibus dominatur, dum hic virtutum splendor eo fulgentiùs elucescit, & contrà, vitiorum caligo sordidius obtenebrescit, quo propinquius hæc ambo sese respiciunt, & ad inuicem conferuntur: Ita, bene natus, malè viuere turpissimum: generis namque claritas, quasi fax addita facit, vt nobilium errata, plus habeant dedecoris, quam plebeio genere prognatorum. Eodem refero id, de quo nobis hîc sermo est, atque in numero Ignatianorum Apophthegmatum, nequaquam postremum locum obtinet: *quam sordet mihi terra, dum cælum aspicio.* Vbi particula illa, quàm, pro valdè, posita rem propositam auget, auctamque confirmat, ex eo vim suam, atque energi, iam sortita, quod contrarium contrario, *3. in Moralibus quoque patet.*

cælum

cælum scilicet terræ in oculis ac mente sanctissimi, prudentissimique viri oppositum hanc directè ac legitimè inferret consecutionem. Ad quod obtinendum maximè iuuisse Ignatium crediderim rerum cognitionem habuisse, non eam deprauato hominum iudicio conformem, sed secundum ipsam veritatem & doctrinam, legemque euangelicam earundem substantiam penetrasse, certò sibi persuadendo, honorem, voluptates, & diuitias minimè esse id, quod videntur; non esse vera bona, vti stultus mundus prædicat, verum merissimam vanitatem & inane nihil. Ac licet boni quoque nomen, titulusque illis tribuatur; mala tamen potiùs dici mereri, ob ingentia, quæ ab iis accipimus detrimenta: malos enim nos faciunt, iudicium adimũt, in via virtutis impediunt, peccatis occasionem præbent, atque in multa incommoda, & vitæ huius miserias nos inducunt, quod nec gentilibus ipsis ignotum fuit.

Hæc oppidò callebat Ignatius, hæc secum meditari frequentius studebat. Erat, nec sera potuit ignorasse posteritas, cum quictum silentium contineret omnia & nox in suo cursu medium iter haberet, vigilabat Ignatius, neque enim dormire illum diuinus amor sinebat, & pro more conscensâ turri domesticâ, vnde circum latè terras, camposque despectans cælestibus mentem cogitationibus oblectabat, istuc animum inferre satagens, quo subsequi corpus nequibat.

Nec mora, idem oculos pascere, quod fauciebat, cælum, iam montes tenuari, & altæ decrescere oculis turres, iam tanta, quanta mundi machina in punctum vanescere, cælestibus sedibus comparata: donec impatiens, quibus æstuabat, diutius ignes cohibere, in hæc verba prorupit: *O Israël, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Magnus & non habet finē. excelsus & immensus*: hæc, si fortè nescis animæ, tibi patria est, terra exilium, felices quibus ex hoc in eam liber transitus fuit, datumque ab vbertate domus illius inebriari! quot nobis interim obstacula vel maximè amantibus superanda! quot tædia ferenda! quot nauseæ exsorbendæ! O patria! ô exilium! Patria pulcherrima! exilium fœdum ac miserandum, *ô quam mihi sordet terra, cum cælum aspicio*! quas voces à Paulo cæli incola edoctus fuit, qui sibi redditus, & hortorum viridaria, & regũ palatia & honorum insignia omnia arbitratus est vt stercora, vt ne oculo quidem dignaretur lumen omne, quod bonis caducis & mortali pulchritudini mundus aspersit. Ita & noster.

(Baruch 3. 24.)

Sapis proinde *Ignati*, & verissimè sapis, præeuntibus magnis illis sanctitate ac prudentia mystagogis, quorum iam sapientia dominium astrorum est consecuta, quos inter eminere dixeris orbis vniuersi Magistrum IoannemChrysostomum, *dum*, inquit, *dulcis præsens vita est, & multæ plena voluptatis, non tamen omnibus: sed iis tantum, qui illi sunt affixi; quod si quis in cælum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet ac nullius pretij existimabit. Nam & corporum pulcritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur, cùm verò aliud præstantius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intueri voluerimus, & cælestis*, regni speciem considerare; confestim nos huius sæculi vinculis dissoluemus. hom.66. in Ioan.

(*Vilia terrena omnia præ cælestibus.*)

(S. Ioan. Chrysost. hom.66. in Ioan. SS.PP.Iudicium.)

Quid autem magnus Aurelius Augustinus? In aureis & hic sententiis suis audiendus, num. 15. *Mirabilis*, inquiens, *est fabrica mundi, sed mirabilior fabricator. Et malè occupatur creatis, qui à creatore discedit: cui si inhæserit, inferiora calcabit ne quod dilexerit contra naturam, conuertatur in pænam.* Nec abludit S. Paulinus, dum sic epist.4. loquitur ad Seuerum: *Omnia sub sole vanitas. Proinde super solem veritas. Ita qui in veritate consistunt, etsi intra mundum viuant habitatione corporeâ, tamen suprà mundum sunt conuersatione*

(S. August. in sentent. n 15.)

(S.Paulus ep 4.)

uersatione cælesti : & astrorum choros, vel cælorum polos, euolantes spiritu scandunt, & superuadunt, celsioresque elementis agunt: vnde Guarrico teste Abbate serm. 4. de S. Bened. fit, *vt nihili reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna : influentibus siquidem diuinis*, vt ait S. Ambrosius l. 3. de Virg. *corporeus peregrinatur affectus, & vsus ille exterioris hominis exolescit.* Et quid mirum id à nostris visum probatumque, cum & ab ethnicis ac Christianæ fidei exsortibus fuerit intellectum?

Guarricus serm. 4.

S. Ambr. lib. de Virginit.

Ita namque Romanæ eloquentiæ parens Cicero, in vigilanti illo somnio Scipionis : *ipsa terra ita mihi parua visa est*, inquit, *vt me imperij nostri, quo quasi punctum eius attingimus, pœniteret, quam cum magis intuerer, quæso, inquit, Africanus, quousque humi defixa mens tua erit? nonne aspicis, quæ in templa veneris?* Et inferius: *sentio*, inquit, *te sedem etiam nunc hominum contemplari ac domum : quæ si tibi parua, vt est, ita videtur, hæc cælestia semper spectato, illa humana contemnito.* Quocirca Plotinum legimus lib. 3. à viro probo & sapiente exigere solitum obliuionem rerum inferiorum & terrenarum, vt dumtaxat memor sit altissimarum & diuinarū.

Ethnicorū super eodē sensus.

M.T. Cicero in somnio Scipionis.

Sed præclarè admodum Seneca lib. 1. nat. qq. in proæmio : *Virtus*, inquit, *quam affectamus magnifica est, non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat ac præparat ad cognitionem cælestium, dignumque efficit, qui in consortium veniat Dei. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanæ dum calcato omni malo, petit altum. Tunc iuuat inter sidera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram, non illud tantum dico, quod egessit, & signandum monetæ dedit, sed & illud quod in occulto seruat auaritia posterorum. Nec potest antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia & tonsiles siluas, & deriuata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, & terrarum orbem superne despiciens, angustum & magna ex parte opertum mari, etiam quâ exstat, latè squallidum, aut vstum, aut rigentem. Sibi ipsi ait: hoc est, illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur. O quam ridiculi sunt mortalium termini!* Deinde cum formicis homines componens : *Cum te*, ait, *in illa verè magna sustuleris, quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, dices : it nigrum campis agmen. Formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Punctum est istud in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis.* Ita Romanus sapiens, nec insipienter ad rem nostram, atque è sensu suo, quod vtinam Christianus Asceta non segniter post S. Ignatium Antiochenum Martyrem æmuletur, cuius aurea hæc apud S. Hieronymum verba inuenies : *Nunc incipio Christi esse discipulus nihil de his, quæ videntur* [addiderim, & quæ audiuntur, gustantur, sentiuntur ac possidentur, quorum eadem hîc ratio ac causa est] *desiderans, vt Iesum Christum inueniam.*

Seneca l. 1. nat. quæst.

S. Ignatius martyr. Antiochenus.

Magna quidem profanis oculis, & ad veram lucem caligantibus hæc oblectamenta possint videri ; re tamen vera futilia sunt commenta, si cum iis comparantur, quæ suis illorum omniū conditor reposuit Deus. Fac tamen ista ad stuporem excellere, vt ex æquo cum ipsa natura decertent omnia, altius enim ascendere posse sperandum non est, vilescent tamen hæc vniuersa simul atque illorum, quæ nec oculus vidit, nec in cor hominis ascenderunt, vmbra aliqua per speculum vel in ænigmate contemplantis, oculis fuerit obiecta. Instruat profana Babylon mensas suas, totamque superbiæ suæ pompam explicet ; purius ex ipso fonte libentur aquæ.

Maior sensibus renouatio è cælo quam ex terra.

S. Dorothio cum Theophilo colloquiū.

Testis prodeat Cæsariensis Theophilus, qui cum Dorotheam adulta hieme ad cælestis sponsi nuptias cruentâ morte properantem in hanc sententiam cum sponso colloquentem audisset. Tibi bone Iesu, tibi dilecte mi, oppignoratam pono animam : tu illam dignare cælestibus thalamis : deduc illam ad nuptiales epulas,

epulas, in tuis illis æternum amœnis cælorum viridariis, ille non absque sarcasmo: age bella Christi sponsa, & cum ad sponsi tui paradisum perueneris, rosas mihi ac mala inde transmitte. Faciam, inquit, illa, omnino faciam. Nec mora. Vix ad cælestes nuptias introducta erat Christi sponsa, vix à supplicij loco digressus Theophilus, en tibi è beatis mentibus cælestis genius, latus Theophilo pulsat, & in partem seducto suauissima eloquentia rosas porrigit ac mala, & confestim ex omnium se conspectibus subducit. Tum ille priori suâ dementiâ castigatâ, cælestisque conuiuij apophoreto degustato; me, me, adsum, inquit, duc lictor: Christianus sum, iunge funeta. Quid moraris? ad nuptialem mensam cum Dorothea votis omnibus, affectuque contendo. En voluptas, en fructus cęlestis thalami: quid tale spectauit vnquam infamis Babylon? Promat cetera si velit, vilescent vniuersa, vel hoc ipso quod lucem aspicient.

Promat vnguenta, & quidem secundum Athenæum, suis membris aptata singula: nos curremus in odorem vnguentorum sponsi cęlestis, cuius vel nomen velut oleum effusum, nescio qua suauitate, vel in hoc exilio in antecessum delibutos ad se rapit vniuersos.

Promat illa profanum suum melos, obtundet verius quam recreabit auras: dubitas? Franciscum Assisiatem consule, cui vel in antecænium obiter audita diuina cithara, angelico plectro pulsatâ omnem animi mœrorem abstersit, vt cum regio Psalte iure potuerit exclamare: *O quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* (Psal. 30. 29.) Vbi candor lucis æternæ, sed quē non capit locus; dulcis melodiæ sonus, sed quem non rapit tempus: aromatum suaueolentia, sed quam nō spargit flatus: mel & manna, sed quod non minuit edacitas: Cuius cum vel stillam vnicam S. P. Augustinus meditando delibasset quasi ebrius exclamauit: *O Anima! si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare vt Christum in gloria videre possemus, nonne erat dignum pati omne quod triste est?* serm. 57. de SS. (S August. serm. de SS.)

Et fieri potest, vt rebus hisce ita se habentibus, & omni ptocul dubitatione sic constitutis, tanta esse possit hominum dementia, vt circa Babylonis triclinia micas & frustula mendicet, opiparis, nec vnquam desituris aulæ cælestis epulis despectis?

Fit tamen: & quam dixeris caussam? neglectam vtriusque sortis contentionem. Sed mussitantem audio: Omnis comparatio odiosa est: quare? quia veritatem aperit: & veritas odium parit; sed apud iniquos rerum æstimatores: rectum iudicium iudica, & veritas non displicebit, nec temporale ac caducum, cum solido ac sempiterno ad certi discriminis cognitionem componere pigebit.

Dicere lubuerit Annæo Senecæ in Troade: (Seneca in Troade.)

Nemo se credit miserum, licet sit.
Tolle felices, remoueto multo
Diuites auro, remoueto centum
Rura qui scindant opulenta bobus,
Pauperi surgent animi iacentes:
Est miser nemo nisi comparatus.

Cur & ego similiter dicere verear: Nemo terrena sapiens ac profanæ voluptatis inhians deliciis, errare se cogitat, quamuis vel maximè aberret. (Terrena voluptas cælesti comparata vilescit.) Tolle memoriam cælestis gloriæ, remoue cæleste manna, gaudia non desitura sepone, & certus esto, quo inanes illas voluptates, ac populares honores abundantius fueris assecutus, tanto arbitrabere te feliciorem; contra verò, cælestes expende gazas, ac nunquam desitura gaudia reuolue, & desipient ista omnia, & nihil te tanget aut afficiet ex iis, quæ ante tantopere arridebant.

Notarat id elegantis ingenij & admirandæ doctrinę antistes *Bernardus*, cum epistola 114. sic ad Amicum de proposita materia scribit: (S. Bernardus ep. 114.) *Omnis iucunditas comparata mœror erit, omnis suauitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò*

stremò quod aliquem delectare possit, molestum. Ita namque fieri amat, vt contentione institutâ inter diuinas illas, quas pietate & virtute præditis voluptates Deus reseruat, & profanas illas, quibus hoc tempore se immergunt, atque adeo ingurgitant abiectissima ventris mancipia, clarissimum nobis suauissimumque lumen suboriatur. Quid tibi, inquit *S. Ioan. Chrysostomus, de præsentibus iucundum videtur? nonne lauta mensa? nonne diuitiæ?* hęc tamē suauia, si interiori voluptati comparentur, amara videntur.

S. Ioan. Chrys.

Est miser nemo nisi comparatus,
Nemo sic felix nisi comparatus.

Siluanus Abbas.

Testis erit Siluanus Abbas, ille, inquam, de quo legimus post longam diuinarum rerum contemplationem, cum iam mentem à rerum humanarum contagiis penitus auocasset, oculos studiosissimè comprimere solitum, ne, vt aiebat, rerum infimarum deformitas, cæleste illud spectaculum perturbaret.

Sed, quid ais, vir sancte, deformis tibi videtur hæc rerum vniuersitas nobilissimi architecti tam nobile monumentum? Fateor, inquit, esse tale ac tantum, vt nulla id assequi possit industria, nulla eloquentia satis pro dignitate explicare; sed tamen hæc tam formosa, Deo tam vilia sunt, vt iuratis etiam eius hostibus communicentur, ne dicam in eorum vsus prodigantur: O quantò nobiliora sunt ea quæ electorum sorti, atque hæreditati reseruantur?

Horum pretium si quæ alia, nouerat Mater illa Machabæorum suprà modum mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens, cum adhuc superesset adolescentior, sic eum legitur allocuta: *peto nate, vt aspicias ad cælum & terram* [Istud scilicet æstimando, hanc verò contemnendo] ita fiet vt non timeas carnificem istum &c.

Machab. 2.7.20.

S. Prosper lib. de præd. c. 40.

Super quo eleganter S. Prosper, Præclara illa femina suo nos admonet exemplo perennia contemnere, appetere sempiterna, velocius finiēda finire, quo possent certantes atque vincentes illud apprehendere, quod non habet finem.

Quam bene intellexerat hæc Ignatius, cum diceret: *fordet mihi terra dum cælo aspicio!* hoc est: mi Deus summè, præpotens Domine, quid velim ego? quid possim præterea appetere extra te, præter te video nihil: hic tum erat in Ignatij pacatissimo pectore sensus, quem sic Poëta expressit:

Vos astra testor, agmen in cælo vigil,
Orbisque sempiternis erratis chorus,
Diuinitatis intimæ scena extima:
Dum vos auaro sæpe conspectu fruor,
Dedisco rerum pretia: Nunc gemmæ iacent.
Iam pallet aurum, non habet flores humus.
Et quæ placebant ante, nunc sordent opes.

Publicarat id dudum ante S. Præsul Fulgentius ex Augustini schola, dum Romanâ visâ magnificentiâ non potuit sensa animi sui subticuisse: *quam speciosa*, inquiens, *est Ierusalem cælestis, si ita fulget Roma terrestris: & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas, diligentibus vanitatem, quenam præstabitur sanctis diligētibus veritatē?*

S. Fulgtius cælestia terrestribus antepo...

Quare merito S. Ludouicus Episcopus Tholosanus Caroli Siciliæ Regis filius, regnum terrenum splendidam vocitabat seruitutem: *si domum*, inquiens, *at paternum regnum contemplor, parum id est contemplanti ingentia illa spatia, quæ sursum sunt, in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit super se:* adeo verum illud Bernardi epist. 3. *æternis inhianti fastidio sunt transitoria:* quod dum facit Ignatius, charitas illi terram vniuersam præ cælo videri despicabilem, dum noctibus integris cælestes orbes atque astra contemplans illas iterabat voces: *heu quam sordet terra, dum cælum aspicio!* Charitas illius corpus sustollens, ac lumine circumfundens, corde, labiisque Seraphicis ad animæ suæ dilectam exclamare cogebat: *O Domine, si te homines*

Item sensit S. Ludouicus Tholosanus.

Idem indicauit S. Bernardus. Idem fecit S. Ignatius.

homines nossent! Charitas illum à sensibus abalienans Ignatium rapiebat Ignatio, vt eum aliquando nobis redonaret in exemplum. Beatos, si quod ipse sensit, ac dixit, omnes pariter sentiamus! Concludo cum Anicio Manlio Torquato li. 4. metr. 7.

Boetius lib. 4. metro. 7.

Ite nunc fortes, vbi celsa magni
Ducit exempli via! cur inertes
Terga nudatis: superata tellus
Sidera donat.

Huc nos mater Ecclesia inuitat, identidem suis occinens:

Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Quod nesciat finem pati.

Sublime, celsum, interminum. Verbo vno cælum est:

Cælum in alto situm est. Probat id primò vox Angelorum in Christi natiuitate canentium: *gloria in Excelsis Deo.* Conforme est quod canit Dauid

Psal. 113.

psal. 113. *Cælum cæli Domino.* Gentiles quoque id crediderunt, cum cælum ad similitudinem excelsi montis in Thessalia, cuius vertex adeo extollitur, vt nubes transcendere dicatur, Olympum vocarunt. Hinc & diabolus Dei simius in Excelsis locis coli voluit, cumque à Christo adorari se cuperet, assumpsit in montem excelsum valde, sed Excelsa ista Regum pietas abstulit, & victoris Christi pedibus substratus satanas est, cælo nos largiter inuitante, ac longè maiora his, quæ deseruerimus, munificè deferente.

S. Leo serm. 2. de Ascens. Dom.

Sursum itaque vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad æterna prælectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent: & ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur, vt peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. D. Leo serm. 2. de Ascen. Domini.

Multi terrena sapiūt.

Sed quam vereor, vt hoc, quod hactenus ex mente S. Ignatij ad illustrandum eius Apopthegma produximus non perinde à multis auditum intelligatur, atque ipse in se sensisse, cum diceret visus fuit, ita namque peruerso hoc morum, & amorum sæculo terrena sapimus, vt cælestia negligamus, Aratores Ægyptios æmulati, quorum nemo istic cælum aspicit, omnes verò Nilum.

Et quæ caussa? Cælum alibi, hic Nilus terram irrigat, aquis non supernè, sed infernè affluentibus abundanter. Ita nobiscum agitur, vbi dolor, ibi manus: ibi oculus, vbi questus.

O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes!

Quoties his occinnisse crediderim Euangelicum vatem *Isaiam: leuate in excelsum oculos vestros & videte:* non vtique quæ sensum deprimunt, sed in altum attollunt, vel ipsa erecti hominis forma nos inuitante, iuxta veterem poëtam: Isaiæ 40. 26.

Ouidius Metamorphoseo l. 1.

Pronaque cum spectent animalia cætera terras
Os homini sublime dedit, cælumque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Vt meritò pius ille Claraualensis Abbas ad caduca malè depressum increpans: *non pudet te*, inquit, *erecto vultu cælum suspicere, & deiecta mente repere in terra?* Filium Regis Iaponiæ, eâ lege educari legimus apud *Solerium* lib. 1. cap. 6. vt ne pedibus quidem terram contingere possit, quia hæres futurus regni, quod terrenum & caducum est: quantò maiore studio atque solertia, nobis à terrena concretione recedendum erit, qui hæredes lecti sumus *regni cuius non erit finis?* quas voces, quoties sub sacrificio recitari audiret B. Virgo Theresia mente excedebat, oculis, vt pium credere est, deuotæ mentis volatum subsequentibus. Et huc medicus nos Tobię piscis adducit, quem *Franciscus Valesius* in sacra sua Philosophia cap. 42. Callionymum fuisse tradit apprimè ad curandos oculos idoneum, quem Græcia Vranoscopum, seu speculatorem cæli appellat, quod inter omnes pisces insignem in capite oculum gerat, quo marinis fluctibus superior, cælum spectet,

Solerius l. 1. c. 6. de filio Regis Iaponiæ vetito terram pedibus contingere.

S. Theresia raptus ad mentionem cælestis regni.

Franciscus Valesius de Cæli mo.

ſpectet, & contempletur; vtinam, quod ab homine diſcere refugimus, iuxta Saluatoris noſtri conſilium, qui iam ad volatilia cæli, iam ad lilia agri auditores ſuos remittebat, vel à fluuiali piſce condiſcamus. Fuit certè id votum oratoris aurei Ioannis Chryſoſtomi, qui nos omnes in turbulento hoc rerum mundanarum oceano Vranoſcopos eſſe deſiderabat, vt cælum perpetuò contemplaplantes eius amore illecti, terrena omnia deſpiciamus: Quod profectò ignoraſſe non dixerim, tot viros illuſtres, qui Caltham, florem aureum in veræ virtutis imaginem, hac addita epigraphe: *non inferiora ſecutus*, aſſumpſiſſe leguntur: cui enim ceteros inter flores omnes colore, naturâ, imitatione, cum ſole maior ſit conſenſus & affinitas, non video: dum quoque verſus illum adcomitatur per ortum & occaſum, pro eiuſdem aſcenſu, & declinatione folia ſua pandere & contrahere non intermittens: ad cuius exemplum dum veræ laudis, atque ingenuæ, memorabiliſque virtutis ardore ſuccenſi id aſſequi pro viribus laborant, quid aliud dixeris voluiſſe euidenter exprimete, quam cogitatus ſuos omnes, affectiones, & vota, actaque omnia cæleſti illi, ac ſublimi ſoli Iuſtitiæ, vni Deo, ac ſoli optimo, maximoque eſſe intenta: dumque conſtanter hoc agunt, an non cum ſeraphico Ægidio ſuccinere poſſunt: *Vna vni*: vel cum beato Arſenio: *Ibi, Vbi*. Ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia. Non quæ forinſecus nos breui titillatu afficiant, ſed intrinſecus penetrando in ſe nos ipſa conuertant, terrenis auulſos, cæleſtibus inſerendos.

Ibi noſtra fixa ſint corda vbi vera ſunt gaudia.

Ter felicem, beatamque illam animam, quæ cum S. Ignatio cæleſtia contemplando, terrenis ſpretis cælum ita fieri ſatagit: ſi namque Ariſtoteli, qui pro ingenij acumine, rerum naturalium cauſſas, naturaſque perſpexerat nec minus eodem, quæ ad mores hominum attinent, non ſegnius aſpexit, dicere libuerit: *intellectus intelligendo fit omnia*: quid ni, ſi cælum attentè quis contempletur, cælum fiat? primum dixerit Ariſtoteles & fidem inuenit, cur eam negauerimus Auguſtino, qui alterum non minore fidentiâ adſtruxit? ille, inquam, apex Ingeniorum, naturæ vltimum operæ pretium, ſæculorum omnium ſtupor, facultatis diuinæ Magiſter Auguſtinus: & quid ille in hanc rem? *Corda fidelium*, inquit, *cælum ſunt, qui in cælum quotidie eriguntur.* ſerm. de redempt.

S. Auguſtinus ſerm. de redemp.

Non pote melius, atque ſuccinctius: vtinam id mens noſtra ſpiret, reſpiretque aſſiduè, quo certius id nobis eueniat, quod ſuo ille in SS. PP. collationibus, apud Roſweydum diſcipulo pius vates occinuit: *Cogitatio tua ſemper ſit in regno cælorum & citò in hereditatem capies illud.* Nec diffiteri potuit id Seneca, dicens: *ſurſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſſionem animus admittitur:* at ita minimum ſecum ex corpore tulit, ſi ſordidum omne deterſit, & expeditus, leuiſque emicuit. Dixit hoc Seneca, ſed fecit Ignatius: quid ni præeuntem ſequamur? ille ſordentem terram deſperit & Chriſtum conſpexit. *Omnia* ſiquidem, ait Eccleſiaſtes, *ſub ſole vanitas.* Proinde ſuper ſolem veritas: atque ita, qui in veritate conſiſtunt, etſi intra mundum viuant habitatione corporeâ, tamen ſuprà mundum ſunt conuerſatione cæleſti. Aſtrorum choros, vel cælorum polos euolantes ſpiritu ſcandunt & ſuperuadunt, celſioreſque elementis agunt, non ſubditi rebus, & vſibus elementorum, ſed affixâ in Chriſto vitâ, ſuperiores mundo fiunt. Quod dum experitur Ignatius hoc ſuo nos Apophthegmate ab aſpectu præſentium in ſuſpectum ſollicitat æternorum.

Collat. SS. Pat.

Nat. q. 4. c. 1.

S. Paulinus epiſt. 4. ad Seuerum.

APOPHTHEGMA NONVM.

IN omni sermone, vt accepimus, & verò praxi ipsa tantopere nostris commendare solebat vsum spiritualium exercitiorum vt in hoc Armorum spiritualium genere tractando (quod Dei gratia, ad ipsius obsequium tantopere conferre dicebat) dexteritatem habere possint.

R.P. Claudius Aquauiua in direct. Proœmij §.4.

Commentarius.



Rma spirare, ac prælia ne mireris Ignatium. Quid enim à milite aliud exspectes? ita namque fieri amat.

——— *quod medicorum est.*

Horat. flaccus epist. 1. *Promittunt medici: tractant fabrilia fabri,*

vt author Venusinus Horatius est epist. 1. Nec malè aduertit Sex. Aur. *Propertius lib. 2. & 1.* Propertius, cum ita cecinit lib. 2. elegia 1.

Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oues.

Qualis Miles fuerit Ignatius. Et miles Ignatius, vt ante, ita & post fuit: quamquam non talis posteà, qualis antea fuerat: antè Martis Gradiui pullus, pòst tiro factus Christianus, de profano religiosus miles, ac triarius mox futurus, qui Iesu signũ, vexillumque ad labores, persecutiones, sanguinis denique effusionem, mortemque sequatur.

Et superior quidem illa militaris professio, antequam ad Deum è mundo conuerteretur Ignatius, eiusque rei peritia, & affectus fecêre vt inde suas cogitationes ad militiam spiritualem transferens militaribus quoque metaphoris frequẽtius vteretur.

Fuit autem is prouidentiæ diuinæ singularis instinctus, qui cum disponat omnia suauiter Ignatium à sæculari militia, ad aliam meliorem atque sanctiorem traduxit, quemadmodum piscatores Apostolos, è lacu Galilææ traxit ad aliud piscationis genus, priore longè nobilius, cum dixit illis: *venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum:* vnde quoque factum, vt ille pro thorace, susᶜepto sacco, approbaturus Deo in monte serrato sua nouæ rudimenta militiæ, totam noctem, equitum more, in armis antè Dei genetricis imaginem vigilârit, deinceps nil nisi sacram militiam melioribus præcordiis spiraturus. *Ignatius nouus miles pro ara Virginis excubat in morem veterem peruigilio vtiendus.* Sed vti solis lumen à primo sui exortu, subobscuri quidpiam trahit, ita & Ignatij militia non nisi sensim in perfectum diem accreuit: patuit, cum jam de monte descendens obuium habuit maurum canem, impium ac perfidum, cerberum, inquam, Deiparæ Virginitati oblatrantem, eam scilicet à partu libatam fuisse, rabidè vlulantem; cùm, pristino illo martiali spiritu subblandiente, non minus animo quam itinere biuius hærere cœpit, secum agitans, an atrocem adeò blasphemiam inultam patiatur. Sed caue, Ignati, coërce machæram, non hæc esse debent nouæ militiæ tuæ tirocinia: ad longè dissimile bellum destinaris; non tibi galea post hac, non lorica, non ferro pugnandum; hoc à te mater non admittit obsequium, cuius filius olim districti à Petro gladij officium reiecit. Rectè id quidem:

dem: & probauit consilium Ignatius, manum cohibuit: ad spiritualem militiam totâ mente, animoque grassari cœpit, quod non obscurè aliis, aliisque modis, ad omnes palam fecit: primò dum contemplationis de regno Christi capita traditurus, Christum adduxit Imperatorem, mortales omnes ad vexillum suum in bellum spirituale aduocantem.

Deinde cum ordinem à se instituendum, Societatem, è re militari ductâ metaphora, voluit appellatum: quasi cohortem aut centuriam, aut legionem conscriptam ad pugnandum cum hostibus spiritualibus, victoriæ de dæmone, mundo & carne consequendæ cupidam, & animarum prædæ faciendæ inhiantem: quod Petrus de Ribadeneira, qui cum B. Ignatio diu vixit, atque intimos eius sensus introspicere, atque eruere potuit in libro, quem de instituto Societatis scripsit, disertè tradit, dum scribit nostrum ordinem non esse cœtum hominum, qui sunt sodales Iesu, nisi tamquàm milites, qui sub vexillo Domini Iesu militant, quem habeant pro Tribuno, ac duce.

Tertiò, in Instituti formula, quam obtulit primùm Paulo III. probandam, deinde Iulio III. confirmandam, cuius hæc prima verba sunt: quicunque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare &c. ac sæpè aliàs eadem formula professorum cœtum atque ordinem Iesu Christi militiam appellat.

Quartò in epistola de perfectione, siue de virtute discretionis, complures habet metaphoras & sententias militares. Modo enim dicit viles existimandos nos esse, si minus fortiter pugnemus ad nostri victoriam, & regnum cælorum obtinendum quam miles honoris & prædæ popularis causâ. Modo docet stipendia militiæ spiritualis esse dona omnia naturalia & supernaturalia, quæ nobis largitus est Deus, proinde turpissimum esse, tot stipendiis acceptis nolle pugnare. Modò scribit non oportere nos nimio pondere armorum onerari, ne nobis eueniat, quod Dauidi, qui Saulis armis indutus pugnare non poterat. Denique in familiari sermone frequentissimè, dum instituti sui consilia, industrias ac procurationes, quod identidem factitare solebat, exponeret: Prætermitto cætera, de vno commemoro, quod præsenti hoc nostro Apophthegmate refertur, & Ignatium spiritualem fuisse militem satis ostendit: de expedita agendi ratione, ac via, quâ ad præstitutum sibi finem Societas perueniat, sermo erat, potuisset vsitatis verbis, dilucidè ac clarè mentis suæ sensa aperire, noluit tamen, sed translatis vsus est, & militari quidem vocabulo Armorum, vt spirituales suos milites ad insignem reportandam victoriam sic informaret vsum, inquiens, suorum spiritualium exercitiorum, eiusmodi genus Armorum esse, in quo tractando dexteritatem habere debeant, quotquot sub vexilla Iesu, æternæ vitæ stipendia secum velint promereri. Quod nemini mirum videbitur, si penitius naturam eius perfectionis voluerit intueri, ad quam vocati sumus, & insuper alios debemus adiuuare.

Vsus spiritualium exercitiorũ armorum genus quibus suos milites vult Ignatius.

Fieri quidem possit, supremum numen, pro Dominij sui plenissimâ potestate, in hominis quoque animum, absque eius conatibus illabi, vt in Saulo factum credimus, id tamen ordinariâ lege Deus facere non consueuit, nec sua in hominem; tum ad salutem eius & perfectionem, tum ad suam ordinatã gloriam procurandam, dona saltem illustriora, conferre, nisi ipse homo se à terrenæ infirmitatis concretione abductum, atque ab infimarum rerum contagiis diuulsum, ad Deum propius admoueat, cum eo familiarius agat, & rationis ac gratiæ beneficio, quarum solus hîc capax est, diuinæ quodammodo naturæ particeps fieri contendat. Quod licet omni eâ functione, quâ mens in Deum erigitur fieri queat, potissimum tamen id fieri, obtineriqùe

Laus spiritualium exercitiorũ S. Ignatij.

tinerique credendum est, eo exercitiorum spiritualium modo, quem superiore sæculo diuina bonitas per sanctum Ignatium labenti mundo infudit. Fuisse quidem semper in Ecclesia Dei, spiritualia exercitia non inficior: at qui tamquam duces ac magistri dirigerent alios ex professo, ab omnibus negotiis secedentes, & meditationum cursu ad artem redacto informarent, nulli, nisi me fallit opinio reperientur: aut certè, quo tempore Societas constituebatur, hoc studium pene desierat, ac cessârat. Restaurauit Ignatius, & præstantiore fortassis idea, formaque luculentiore, quam antè fuerat vsurpatū.

Verùm antequam de hoc pluribus agamus, altiusque in hoc mari prouehamur, commeatu opus est, intelligentiâ scilicet caussæ nominis, finis, Authoris, rerumque non absimilium: quantò namque harum nobis clarior notitia illuxerit, tantò quoque exercitiorum vsus facilior, & tractatio futura erit vtilior.

Sciendum itaque, maxima inter beneficia, quæ S. Ignatius Societatis Parens, in hanc Religionem à se, diuinâ ope institutam contulit, principem locum habere, opulentissimam quandam rectissimi, ac diuinissimi studij hæreditatem: in cuius possessionem dum viueret, tamquam donatione inter viuos, Societatem immisit: moriens eidem testamento reliquit, eâ lege, vt in perpetuum veluti res pretiosissima in ordine toto, atque in vsu posterorum conseruaretur, ac quasi vnum è ministeriis erga proximum exerceretur.

Quid exercitiorum Sp. nomine intelligendum. Et nomen quidem ei exercitiorum spiritualium dedit, quo duo nobis voluit significari: Primum, secessum quendam ab hominibus, iisque omnibus negotiis, quibus homines communiter solent distineri, in quo, sibi, Deoque vacans anima, per crebras meditationes, lectionem piorum librorum, conscientiæ discussionem, culparum confessionem, corporis afflictationem, aliasque spirituales actiones excolitur, purgatur & quasi exercetur, alicuius rei gratia, quæ pondus non leue, ac momentum apud homines solet obtinere cuiusmodi sunt, status vitæ electio, seu rationis viuendi permanentis; reformatio morum, ac vitæ; purgatio, refectio, & compositio animi; renouatio feruoris; sui perfecta cognitio, susceptio magnǒ muneris, vt gubernandi alios, concionandi diutius de rebus diuinis, præparatio ad Sacerdotium, primum sacrificium Missæ, vota substantialia religionis, professionem solennem, excessum è vita, & plura eiusmodi.

Secundum, quòd eiusdem vocabuli notione designari voluit, libellus est quidam à se conscriptus, atque editus, in quo, siue doctrina, siue ars tradendi, faciendique istæc exercitia spiritualia, cum summis capitibus meditationum, instructionum, contemplationum &c. continetur, qui liber felicissimis auspiciis primus inter omnes Societatis libros typis excusus fuit.

Vtraque acceptio rei conuenit, tam ea, quæ de spirituali secessu ad meditandum agit, iuxta quam vulgò dicimus, quempiam facere exercitia vel excolere animum, renouarique spiritualibus exercitiis: quam illa quæ ex libelli istius directione, de meditationibus ipsis in secessu faciendis tractat, quâ significatione Magister spiritualis alicui domestico, vel extraneo exercitia tradit. Quare ambas quoque S. Ignatius suo Apophthegmate comprehendit.

Sed qua ex caussa, meditationes has in secessu frequentandas, siue secessum ipsum cum prædictis meditationibus complurium dierum, exercitia spiritualia appellamus?

Author nobis est huius appellationis S. Ignatius, cuius ipse causam lib. Exercit. annot. 5. suis verbis expressit, quorum hæc summa est; per quandam analogiam exercitia dici, conscientiæ discussionem, meditationem, contemplationem, orationem mentis & oris. Vt enim ambulatio, cursus, saltatio sunt corporis exercitia; *Causa appellationis.*

exercitia: sic illæ mentis & voluntatis actiones sunt, quædam animæ exercitia: adiungitur autem, nec incongruè, spiritualia, vt sine amphibologia, mentis & animæ exercitationes, non corporis, esse intelligantur, quæ hic traduntur: quod ratio non vna multiplici suffragio comprobare videtur.

Prima causa. Primùm ex eo quod viri Religiosi priscis sæculis Ascetæ nominati inueniantur, ducta ab athletica professione metaphora, in qua pugiles variis corporum suorum laboribus ad vires augendas exercebantur, vnde Ἀσκηταὶ latinè vertunt exercitatores, hoc est, qui se exercent, Ἀσκητήρια athletarum gymnasia, exercitatoria: quamquam & exercitotes & exercitoria reddere possemus.

Secunda causa. Secundùm, ab antiquioribus Magistris spiritualibus suadetur, qui has ipsas pietatis actiones exercitia appellatunt, testis vnus ex multis S. Hieronymus in epist. ad Demetriadem: *optimum*, inquiens, *est ergo huic operi matutinum tempus, id est, meliorem diei partem deputari, & vsque ad horam tertiam, quotidie in cælesti agone certantem, hoc velut spiritualis quodam palestræ gymnasio exerceri.* Matutinam quotidianam orationem exercitationis nomine designat. *S. Hieron. Ep. ad Demet.*

Tertia causa. Tertium ex scriptura, cuius vel sola authoritas rem absoluit, ac potissimum Dauidis, Regis optimi ac Prophetæ illuminatissimi, qui sæpius in psalmis testatur *se exerceri in mandatis, in adinuentionibus & Iustificationibus Dei.* psal. 76. quæ dicta Cornelius Iansenius Gandensis accipit de exercitatione, quæ in meditatione consistit & cogitatione non de illa, quæ in operatione virtutum: quod S. quoque Ambrosius sensisse videtur, dum verba hæc eiusdem prophetæ psal. 118. *& exercebar in iustificationibus tuis*, exponens, sic scripsit: *qui autem meditatur, & diligit, & actus suos leuat, vt faciat, quæ placent Deo, is debet non negligere, nec transcurrere mandata Diuina; sed exercere se in his, immorari plurimum, Iustificationes Dei crebro reuoluens solicitæ me.* [?] *affectu.* Ex quibus liquet exercitationem hanc adeò Prophetæ regio familiarem, non corporis fuisse, sed mentis, persimilem nostris spiritualibus exercitiis, vsque eo, vt inde merito illa denominentur. *Psal. 76. Psal. 118. S. Amb. in Psal. 118.*

Exigere hîc videri posset, nostræ scriptionis ordo, de Authore horum exercitiorum breuem instituere disputationem, idque eo magis quòd superioribus annis inuentus fuerit non nemo qui fœtum hunc legitimo parenti sublegere ausus fuit: & fecissem id certe non inuitus, nisi pari pietate & eruditione scriptor, ac sacræ per Italiam eloquentiæ insigne ornamentum R. P. Ioannes Rho aduersus Pseudo Constantinum quendam id abunde præstitisset; cum enim ille libellum hunc nostrum exercitiorum mole quidem exiguum, scientia verò interioris disciplinæ maximum, fructibus insuper, qui ex illo ad omne genus hominum solent prouenire, insignem, liuido oculo inspexisset, atque eo, non abs re, Societatem nostrám, velut proprio, ac domestico armamentario gloriari aduertisset, nactum hîc se existimans, quo ei incommodare posset, quam oderat, nullum non lapidem mouere cœpit, vt de tam opulenta S. Ignatij hæreditate eam deiiceret posset: sed frustrà fuit, cum admota ad radicem securi, falsitatis hanc siluam longè, lateque excaudicans, prædictus Pater ostendit, Ignatium diuino magisterio edoctum, libellum hunc aureum, ac planè diuinum litteris consignasse probauit: vnde factum, vt quamuis calumniator in machinis suis, quibus veritatem conuellat, substruendis, morosissimè ac diutissimè fuerit muginatus, nihil tamen confecerit omnino, nisi vt suam in disputando prodiderit insipientiam, & palmarem in calumniando ostenderit malignitatem; nequidquam intereà tam sancto operi, quoad existimationem, aut vsum decedente, vt vel inde appareat negotium esse diuinum, quod insectatio- *Exercitiorũ defensio.*

ribus proficit, quantòque acriùs oppugnatur, tantò fortiùs conualescat, quæ si ab ouo, vt aiunt, quis intelligere desideret, hyperaspistæ Achatem adeat, à quo de summa re fusiùs poterit edoceri: nobis impræsentiarum suffecerit ea retulisse, ac pro folio Sybillæ recitasse, quæ tres illi viri, vt dignitate amplissimi, sic authoritate ac fide summi Franciscus Sacratus Archiepiscopus Damascenus, Antonius Mazanedus, & Ioannes Bapt. Pamphilius posteà Innocentius X. Ignatianis gestis ritè cognoscendis Pontificiâ authoritate præfecti, in grauissima illa relatione, qua de Ignatij sanctimonia, Pontificem certiorem fecerunt, recitasse leguntur: Magna, inquiunt, fuit rerum spiritualium cognitio, quam habuit in suis exercitiis spiritualibus faciẽdis B. Ignatius, atque ita auditi Testes ex certa scientia candidè ac fideliter deposuerunt.

Quæ exercitia, cum facta fuerint eo tempore, quo dictus B. P. idiota erat, & litterarum ignarus, vtique cogimur fateri, dictam cognitionem & lumen supernaturaliter infusa potiùs, quam acquisita fuisse, vt de scientia S. Bonauenturæ dixit Panuinus in relatione eius Canonizationis p. 1. a. 2.

Quibus licet Constantino, & omni penitùs dubitationi abunde fieri debeat satis, ad maiorem tamen eorundem euidentiam ac perspicuitatem, quia de cognitione & lumine supernaturali isthic mentio infertur, traditionem quandam subiungam, nec eam quidem leuem aut incertam, sed virorum grauium testimoniis firmatum, Ludouici præsertim Pontani, quem nostri temporis iure dixerimus Rupertum, qui sanctè asserit cap. 43. §. 2. vitæ Baltass. Aluarez, eam se hausisse auribus ex ore Ioannis Soarij Præpositi Prouincialis, verba eius, relatu Ludouici, sunt hæc: *P. Noster Euerardus mihi dixit Romæ ex traditione haberi, P. Iacobum Laynium dixisse, Deum, Dominum nostrum exercitia Patri nostro S. Ignatio tradidisse.* Idem Ludouicus refert quoque reuelationem ab Angelo Gabriele factam in Hispania anno 1600. personæ cuidam altissimæ orationis, extraordinariis fauoribus spiritualibus cumulatissimæ, exercitia nostra facere paranti, de cuius syncera veritate, inquit, cum aliquid dicit, habeo eam moralem certitudinem, quam in huiusmodi rebus homo habere potest. Illa, inquam, mihi dixit, quæ subiungo: Intellexerat homines Societatis ad hæc exercitia obeunda se colligere, pro more Societatis recepto: quare & illa in domo sua se voluit colligere, vt eadẽ faceret, modo quo posset.

Exercitia à Deo tradita S. Ignatio.

Ludouicus Pontanus c. 43. §. 2. vita sinet. Aluar.

Cumque cœpisset, manè quodam inter orandum, mentis oculis vidit ad se venientem Angelum, insignis cuiusdam maiestatis, quâ dum non parum turbaretur, dixit ei ille, Archangelum se esse Gabrielem missum autem à beatissima Virgine Deipara, ad significanda ei quædam, quorum notitia vtilitatis foret non paruæ. Illa hæc audiens obstupuit magis, & pro insigni animi sui demissione, cõtractior, ab Angelo petiit, vt priusquam mandato referret, ipsam permitteret ante cum Domino fusiùs agere. Placuit Angelo cautela, sanctaque reuerentia: Quapropter eo, quasi præsens istic non esset, prætermisso, ad Dominum precabunda accessit, magnoque animi sensu miseriam illi suam ac vilitatem repræsentans, petiit amoueri à se se quidquid diuinæ suæ voluntati displicere posset: quod dum magnâ contentione & perseuerantiâ rogat, audit internam Domini vocem dicentis, vt quæ Angelus dicturus esset, audiret. Securior itaque monente Domino facta, genua flexit, & magna cum reuerentia, quod cælestis nuntius dicendum habebat, excepit, qui nomine cælestis Reginæ, in hæc ei verba locutus est:

Apparitio Angelica circa exercitia S. Ignatij.

„ Exercitiis, quæ facere cogitasti
„ per mentis ratiocinationes, & meditationes, magnitudinem Dei &
„ infinitorum bonorũ, quæ per Christum vobis communicantur (in

cum

„ eum ferè modum,quo fiunt in So-
„ cietate) singulare obsequium Re-
„ ginæ nostræ præstabis : significat
„ enim tibi,se fuisse, & esse tamquam
„ patronam & fundatricem illorum
„ Societatis exercitiorum ; seque a-
„ diuuisse ac docuisse S.P.Ignatium,
„ vt ita fierent;ideoque hoc nomine
„ initium se dedisse huic operi : imò
„ & se toto tempore vitæ suæ in san-
„ ctis huiusmodi exercitiis fuisse oc-
„ cupatam.

Magna horum exercitiorum laus atque præstantia,quod eorum author instituendorum S. Ignatio Christus fuerit, adiutrix virgo Mater, & etiamnum Patrona perseueret:& fauet Paulus Papa III.qui pietate & sanctitate plena hæc exercitia esse dicit in Bulla super eis à se expedita.

Atque hic est ille spiritualium exercitiorum libellus,qui tum summorum Pontificum, tum virorum sanctitate, atque eruditione illustrium testimonio probatus, commendatusque; tam multos è vitiorum cœno abstraxit, tot nouis alumnis religiosos ordines amplificauit, tam exactam ipsis religiosis familiis disciplinæ veteris obseruantiam, amoremque restituit, vt meritò inter adiumenta à Deo Christianæ reipub.hoc tempore suppeditata, connumerari possit. Ita Nicolaus Zambeccarius Consistorialis aulæ Romanæ Aduocatus,vtriusque signaturæ referendarius, & sacræ Congregationis super Episcopis & Regularibus Secretarius coram Gregorio XV.in publico Consistorio verba faciens perorauit.

Et mirabimur adhuc S. Ignatium exercitia hæc tam in spirituale adiumentum nostrum, quam proptium ministerium, in omni nobis sermone tantopere commendasse? solenniter sanè desiperet, quisquis ita sapere velle videretur:Non ita Maiores nostri,& quotquot ea vsu aliquando cognita habuêre, qui Patris consilium, sententiamque secuti, toto pectore in ea ab initio incubuêre; vnde tantum quoque operæ suæ pretium retulerunt, quantum orbis nouit vniuersus, & quamdiu stabit, non desinet intueri. His Societas vti primum coalita, ira & perfectam, creuit in arbacem, quæ tales vbique fructus protulit, qualibus cælestis ille paterfamilias sua gaudet horrea replere. *Exercitiis his Societas coalita, & prouecta.*
Et bene quidem supradictus ordo sibi constat: cum enim sancta hæc exercitia tota referantur ad inferendas virtutes in animis, & vitia exstirpanda, nemo est qui possit eorum percipere vim, gustumque sentire, nisi in eis prius elaborarit. Atque ita videre est homines quosdam eximiè doctos, qui exercitiorum res, quamuis tam claræ, catholicæque sint, intelligere non possint,quas tamen alij qui eas ad vsum referunt, nullo negotio comprehendant; aliisque cum fœnore communicent.

Longè nimirum aliud est scire literas, quam res percipere spiritus, quæ præter litteras actionem,orationisque vsum, ac virtutum postulant ceterarum. Quare ad primum quod attinet semper in Societate vsus horum exercitiorum tum ad vires animi vel colligendas, vel reficiendas fuit, vt patet in S. Francisco Xauerio qui quadraginta ipsos dies, iustum exercitiorum terminum, in agro Patauino antequam primum sacris operaretur, expleuit, in quo secessu, consilioque Alphonsum Salmeronem socium habuit, testibus Tursell. & Ribad. Gonzalus Siluer ia in Indico collegio Cocinensi, cui præerat à Paschate pauciores volebat esse conciones, vt concionatores ipsi secreto cubiculo abditi per dies aliquot agerent cum Deo, atque ex animo depellerent, si quid sordium esset ex hominum consuetudine contractum, tum vt rerum diuinarum contemplatione diuitias illas sibi acquirerent, quibus posteà alios locupletarent,vt author Nicolaus Godignus est lib.3.cap.1.Nec prætereundum quod de eodem Franciscus Sacchinus tradit tom.2.lib.4.hist. eundem cum ad prædicandum Euangelium in regno Monomotapæ proficisceretur, in ipso nauigio, quo vehebatur,

S. Fräciscus Xauerius exercitiis operã nauat *Alphonsus Salmeron.* *Gonzalus Siluetia.*

batur, à conſpectu vectorum, nautarumque ſeceſſiſſe in puppim, veloque ſe incluſiſſe, vbi octo integros dies in magna ciborum abſtinentia, precibus aſſiduis, lectione rerum earum, quas viri ſancti ſtrenuè patrarunt, conſumpſiſſe, itaque ad grauiſſimam expeditionem, quæ morte pro Chriſti fide finita eſt, peridoneum ſe reddidiſſe.

Balthaſſar Aluarez. De Balthaſſare Aluarez, qui anno decimo quinto ab erectâ Societate eam ingreſſus eſt, ſcribit Ludouicus Pontanus, conſueuiſſe eum ſemel annis ſingulis, minimum ſe per octo vel quindecim dies colligere, vt exercitia pro more Societatis perageret.

Quin & Aragonicæ prouinciæ viſitator factus, antequam viſitarionem ſuam in vnoquoque collegio inchoaret, per dies octo recipere ſe ſolebat ad ſpiritualia exercitia obeunda, quo tempore nolebat quemquam ſibi loqui. *Petrus Caniſius.* Quin & P. Petrus Caniſius ſedulam dabat operam ne vllo anni tempore deficerent, qui domi in illa ſe ſalutari palęſtra exercerent; cum diceret, ſicut B.P. per eas meditationes propriam illam quaſi indolem ſanctitatis ac formam hauſerat, ita fore vt eius filiis, ſi accuratè conquirerent, per eadem ſubſidia ſpiritus, idem impertiretur.

Quanta cura Societas ſuis omnibus exercitiorum vſum commendet. Atque ita mos ille ſalutaris vigebat quidem, ſed nihil certi definitum erat, quod omnes adſtringeret. Quapropter ſexta congregatio generalis cum videret aliquid conſultò ſtatuendum eſſe, vt exemplis ac monitis maiorum noſtrorum omnes inſiſteremus, decreuit ſeceſſum decem, octóue dierum in ſingulos annos, per hæc verba: Noſtri omnes quotannis continenti octo vel decem dierum ſpatio ſpiritualibus exercitiis vacent. Exinde illorum vſus ſummopere noſtris à congregatione commendari cœptus: præcipuè verò ſuperioribus, vt non modò cæteros exemplo ſuo præeant, ſed omnibus ſuperatis difficultatibus tempus ſingulis commodum attribuant, quo cum fructu exercitia peragātur. Dec.48.Can.9.

Solicita inſuper de hac re, quam tanti iudicat momenti eſſe Societas, in ſeptima denuò congregatione, tale decretum edidit, detur opera vt annua exercitia ſpiritualia, 9. canone congregat 6. præſcripta, exactè ab omnibus fiant, omni omnino excuſatione & occupatione ſepoſita ac ſuperata, ita vt neque negotiis, neque confeſſionibus eo tempore diſtineantur: ſeruata etiam, in illis proportione, methodoque, quibus integra exercitia fieri conſueuerunt, pręſertim quod ad receſſum ab omnibus ſpectat. Dec.21.§.4. In monitis quoque generalibus §. 20. eadem hæc recollectio repetitur & inculcatur. Tanti ponderis, iuxta mentem ſanctiſſimi fundatoris, Societati res ea ſemper viſa fuit, nec minus cordi & amori ſociis omnibus ſtetit, qui tum Patris optimi conſiliis, tum matris piiſſimæ deſiderio facientes ſatis, ſpiritualia hæc exercitia annis ſingulis, & quoties vſu venit ſtrenuè obeunt, & ni faciant, totius Societatis præpoſitus Generalis debeat admoneri, vt P. Vincentius Caraffa ſeptimus Societatis, præpoſitus datis literis ad vniuerſam Societatem ſtatuit in hæc verba: *Superiores commoditatem ſubditis præbeant exſoluendi hoc debitum, vt eâ ratione hauriant de cælo omnes lumen, opemque ad laborandum fructuoſius in beneficium animarum, & coronæ propriæ augmentum;* *Vincentius Caraffa in epiſt. encyclica.* denique ſub finem anni commonefaciant me, quinam ea non peregerint, & ob quam cauſam, meminerintque ſuperiores locales non poſſe in eo ſe diſpenſare, iuxta præſcriptum canonis 16. Congregationis 8. generalis.

Quin & aliis in hanc rem datis, voluit, vt qui hoc anno exercitia ob grauiſſimas occupationes obire nequiuerint, ea ſequenti anno compenſent bino ſeceſſu, ne aliquando fieri deſinat, quod ſemper fieri, tantopere vniuerſæ intereſt Societati. O beatum ſtudium! felicem aſceſin! cui Deus tam ſingularem curam per

ſuperio-

ſuperiores impendit, tam lætos donat ſucceſſus.

Et quorſum hæc? vt non tam ipſis ſolis exercitantibus, quam cæteris ſuo tempore ab iis exercendis bene fieri poſſit, hoc eſt, vt noſtri, primum in ſe ipſis frequenti vſu exercitia hęc excolentes, idoneos ſe magiſtros reddant, qui eadem poſteà cum fructu ſæcularibus tradere poſſint: ſatis enim conſtat in vrbe vbi exercitia ciuibus tradita ſunt, rem, Dei beneficio multa cum ædificatione, magno eorum emolumento, & conſolatione ſucceſſiſſe: quod dudum ante proſpectans Ignatius ſuos imprimis hoc armorum ſpiritualium genere tractando eſſe voluit excellentes, quo clariſſimas de hoſte victorias queant retuliſſe: alios autem tam ſanctis conſiliis, ac conatibus obſequentes, ſecuros faciens, nunquam tam ſancti operis pœnitudine quempiam, dum ſapiat, eſſe ducendum: contrà verò, *lætaturum coram Domino, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores, captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia.* Iſaiæ 9. quod non præſentibus modo, coram inculcabat, ſed abſentibus quoque per literas conſulebat, quarum vnius caput, ad rei, de qua agimus, confirmationem proderit intellexiſſe. Ad Emmanuelem Mionam ſacerdotem grauiſſimum, quo vſus ipſe quondam Compluti Confeſſario fuerat, Pariſios ſcripſit his verbis: *Magnopere aueo cognoſcere quemadmodum res tibi proceſſerit: neque id ſanè mirum, cum tantum tibi in re pietatis, nempè, vt parenti filius, debeam. Cuius etiam egregio amori, tamque prolixæ voluntati, quam in me habuiſti ſemper, ac reipſa comprobaſti, vt reſponderem, atque in hac vita aliquam gratiæ partem referrem, rogaui te, vt ad menſem exercitia ſuſciperes, ſub eo quem nominaui: atque adeo facturum ipſe te recepiſti. Precor igitur id ſi expertus es, ac probaſti, ad me preſcribas ad Dei obſequium. Sin autem expertus nondum es, per eiuſdem amorem ac reuerentiam, & acerbiſſimam necem, quam cauſâ noſtrâ obiit, peto, quæſoque, vt in ea te des. Tum verò ſi te facti pœnituerit, præterquam quòd pœnam nullam recuſo, putato me planum, atque irriſorem, & quidem perſonarũ, quibus tantum debeo. Iterum, atque iterum & quoties valeo ad Dei obſequium idipſum flagito, ne ad vltimum diuina maieſtas requirat ex me, quod non vrſerim, neque cunctis meis viribus poſtularim, id quod in hac vita equidem poſſum ſentire, & excogitare, optimum, tum vt homo ſibi ipſi proficiat, tum vt fructus ferat, proſitque, ac proficiat aliis multis. Quod ſi priorem ob cauſam neceſſarium tibi non ſentias, præclarâ cum æſtimatione comperies, quantum ad poſteriorem conducat. Venetiis Kal. Nouemb.* 1536.

Iſaiæ 9.

S. Ignatij epl. ad Mionam de vſu exercit.

Et hanc B. Patris cohortationem, commendationemque exercitiorum haud fruſtra fuiſſe docuit eiuſdem Mionæ ad Societatem ipſam acceſſus, magnoque cum exemplo præſtantis virtutis in ea peracta vita.

Quanti referat ſub perito magiſtro exercitia facere.

Quod verò in eadem iſta epiſtola S. Pater expreſſerit ſe ei nominaſſe virum, ſub quo exercitia ſuſciperet, ſuâ non caret ratione; parum namque fuerit, ad vberem ex eis capiendum fructum legiſſe ea, aut euoluiſſe, niſi ſtrenuum & in rebus ſpiritualibus verſatum inueneris Magiſtrũ, quod ex doctrina S. Ignatij peruidiſſe & obſeruaſſe S. Carolum Borromæum author eſt Guiſſanus, cum vir tantus Magiſtri perſpecta ſiue neceſſitate, ſiue vtilitate, quotieſcunque ſecederet ad ſe colligendum, atque exercendum diſcipulum ſeſe humillimum faciebat alicuius docti, ſpiritualiſque magiſtri: quales fuerunt Ioannes Bap. Ribera in primis exercitiis Romæ: Antonius Valentinus, magiſter nouitiorum, verè ſpiritualis, & multorum annorum in ordine noſtro exercitator ad ſeceſſum Camaldulenſem, & Franciſcus Adornus in ſeceſſu poſtremo varalli, de cuius dexteritate ac ſapientia multa tradunt S. Caroli vitæ ſcriptores, ad quam illi dexteritatem nunquam perueniſſent, niſi antè in iis tantopere ſibi à S. Patre commendatis, accuratè ſe exercuiſſent, eorumque

S. Carolus Borromæus requirit directorem.

rumque vſum valde familiarem, mentem perſpectam, cognitamque virtutem habuiſſent.

In quo ſita ſit requiſita dexteritas tradendi exercitia.

Atque hoc eſt de quo nobis diůinum hoc Apopthegma mentionem facere, vtque in imitando nequaquam pigritemur ſtimulos ſubdere voluit: ego currentibus viam aperiam, dum paucis in quo dexteritas illa ſita ſit connitar explicare.

Quiſquis itaque in hoc Armorum ſpiritualium genere tractando induſtrius, dexterque voluerit inueniri.

Primò totum librum exercitiorum accuratè perlegerit, Annotationes & regulas probè calleat, neceſsè eſt.

Prius exercitia in ſe expertus ſit, vt rationem reddere poſſit, & dextrè tradere.

Prudens ſit, diſcretus, moderatus. in ſermone, ſuauis potius, quam auſterus, gratus ad hæc exercitanti eſſe conetur.

Sit in eo grauis maturitas, temperatâ humilitate religioſâ.

Sibi multum diffidens, in Domino fidat plurimum.

Singula exercitia, antequam ea tradat, aliquantum ipſe meditetur, vt melius alteri imprimat.

Iunioribus, aut non ingreſſuris electionem, exercitia tradiderit, ante, quam grauiores exerceat.

Sic ei, quem exercet, ſatisfaciat, vt in aliis ſimile deſiderium ſe exercendi excitet.

Proponat exercitanti eorum exempla, qui magno cum fructu, ſuique ſatisfactione exercitia obiêre, abſtineat tamen ab iis, qui Religionem ingreſſi ſunt, ne idem ſibi timens, illa fugiat.

Licet quo exactius ordinem libri exercitiorum ſeruabit, hoc magis concurret Dominus, tamen prudentiæ eius, pro varietate tam perſonarum, quam ſpirituum, plurima relinquuntur.

Ante exercitia, quid directori agendum cum exercitante.

Poſtquam exercitans ad eum locum venerit, in quo ſe ſtatuit colligere, adeat eum inſtructor, & explicet ei negotij quod aggreſſurus eſt momentum, ideoque hortabitur ad ſeriò implorandum Dei auxilium, interceſſionem Virginis Mariæ, Angeli cuſtodis & aliorum Sanctorum.

Item vt magnam in Deo ſpem collocet, qui cum fugientes perſequatur, multò magis ſpontè accedentes, & quærentes ſe amplectetur.

Vt autem fructum vberiorem & perſeuerantem capiat, incitabit eum ad deuotiones aliquas his diebus ſuſcipiendas, v. g. recitandi Roſarium, litanias &c. aliquarum corporis afflictionum, & ſimilium vſum.

Cùm verò ex hiſce exercitiis rectè obitis iacitur non tantum fundamentum ſpiritualis vitæ, ſed magnus quoque in ea profectus ſiat, hortetur exercitantem, vt diuinæ gratiæ alacriter, fortiter & diligenter cooperetur: tum quia res hæc in ſe ardua eſt, tum quia fortè vltimum tempus ei à Domino conceſſum ad vitam rectè inſtituendam, & deliberandum de iis, quæ ad hoc conferunt, quare omnes vires contendat.

Quibus præmiſſis antequam fundamentum tradat, explicet ei primam & quintam Annotationem, & ex ſeptemdecim illam admonitionem de animo aperiendo candidè Directori, ex quo nihil præter ſingularem cordis ſui quietem, & fructus vberrimos ſit relaturus.

Aduigilet porrò, vt additiones decem accuratiſſimè ſeruentur, habitâ tamen ratione complexionis vniuſcuiuſque.

In tradenda meditatione, breui declaratiunculâ, rei ſeriem enarret, vt ſecundâ annotatione ex viginti præſcribitur, quod ſcripto fieri ſolet, ne memoria exercitantis fatigetur.

Quid ſub ipſis exercitiis.

Cum nullæ ſpirituales animi commotiones exercitanti incidunt, percunctetur, an, quando, & quomodo exercitia obeat, additiones obſeruet.

Deſolato & tentato mitem ſe præbeat, & ſuauem 6. Annot. ex 20.

Spiritualium rerum inexpertum, moleſtiâ. ſc. anxietate, pudore, timore nimiâque mundani honoris ratione præpeditum, iis regulis ſolis dirigat, quæ in prima hebdomada, de cogno-

cognoſcendis ſpiritibus dantur, omiſſis iis, quæ in ſecunda adhibentur Annot. 9. ex 20.

Si exercitans tentationibus iactetur, boni ſpeciem præ ſe ferentibus, eum muniat regulis ſecundæ hebd. de diſcern. ſpiritibus.

Caueat ne feruentiores, promiſſo aliquo, vel voto ſe inconſultò, aut præcipitanter obſtringant.

Stet in æquilibrio circa ſtatum exercitantis, ſinatque vt citra medium, Creator ipſe cum creatura rem tranſigat.

Quotidiè ſemel vt minimum, exercitantem adeat. Ex naturâ rei matutinum tempus viſitationi aptiùs, quamquam ſub veſperum ſæpè maior neceſſitas.

In viſitatione inquirat de modo in meditatione habito, diſcurſibus, voluntatis motionibus, conſolationibus, & quibus in punctis?

Si recta omnia, non valdè laudet, ſed eum doceat ex conſolatione fructum decerpere, deſideriis & firmis deliberationibus adnotatis, nec diu cum illo maneat.

Si exercitans aridus & deſolatus, percunctetur, quî Additiones obſeruârit, conceptus aliquot obiter indicet, ad longanimitatem hortetur, & fiduciam in Deo habendam, præcipuè verò ad humilitatis affectum, & ſubiectiones erga Deum. Caueat verò ne exercitanti ſuſpicionem ingeneret, quòd minus bonam de eo habeat opinionem.

Si accidat exercitantem ad aliquid minus rectum affici, v. g. beneficium, commodi cauſſa, ad oppoſitum eum inclinet, vt iam nil deſideret alia ex cauſſa, quàm diuini cultus & honoris.

Si exercitans fuerit matrimonio iunctus, non dabit ei integra exercitia, ſed meditationes aliquot primæ & ſeqq. hebdomadarum, idque in ipſius domo. Vt in remotiore illarum parte ſe colligat, vnde non niſi ad diuinum officium, aut meditationes accipiendas egrediatur.

Iungi his poterunt aliqua quædam exercitia, vt triplex orandi modus, & ſimilia.

Diriget autem his exercitia ad familiam Chriſtianè regendam liberos educandos, &c. redditibus iuſtè, piè, ac ſobriè vtendum, de quibus propriam aliquam directionem illi tradere poterit.

Si fuerit exercitans Eccleſiaſticus ſæcularis, eum diriget Inſtructor vt cognoſcat obligationem ſuam ex vi ſtatus.

Prauos affectus, vitiaque exuat, contrariiſque virtutibus ſtatui neceſſariis ornetur, memor ſe Eccleſiæ, Deique cultui conſecratum, beneficiorum prouentus rectè diſpenſet.

Zelum Dei habere ſtudeat iuxta talentum, vires, & officium.

Vix autem fructuoſiùs opera ponitur, quam cum Religioſis, iis maximè, à quibus vtilitas in alios deriuari poteſt; quare ſi is anteà nullum meditationis vſum habuerit, inſtruetur vt ſæcularis, maximè ſi liberior, laxiorúe vixerit, exercebit eum inſtructor diligenter in prima hebdomade.

Si autem orationi mentali deditus fuerit, prima hebdomada breuiùs percurratur, immoreturque diutiùs in meditatione vitæ Chriſti.

Examina huic ab initio explicabit.

In prima hebdomade, in ſua vocatione confirmetur, regulaſque plurimi vt faciat, & obſeruet, edoceatur, intelligatque cauſſas, cur hactenus minùs profecerit, ad quem finem, & meditationes & examina diriget.

Zelum concipiat iuxta Inſtitutum ſuum iuuandi tam fratres, quam proximum, opere & exemplo, quod certo ſibi perſuadeat numquam futurum, niſi ſe ipſe ante reformârit: quare materiam circa quam hæc reformatio fieri debeat, intelligat neceſsè eſt, quæ hæc ferè erit: Paſſiones non bene domitæ, mali habitus, peruerſæ inclinationes, tentationes ab extrinſeco prouenientes; miniſteria religionis ſuæ, omnes denique actiones, quas vir prudens velit ordinatas: ad quod proderit plurimum ſi exer-

citans magnam sui acquirat cognitionem, defectuum suorum multitudinem ac grauitatem ratione status & obligationis.

Quid post exercitia. Peractis exercitiis, priusquam dimittat exercitantem, commendabit.

Primò hoc fundamentum vitæ spiritualis, quod iecit, vtque accipiat, tamquam beneficium longè maximum, sibi peculiari amore à Deo concessum.

Secundò, Dei maiorem, ne si deinceps non vixerit, vt iam intellexit, grauiùs ob ingratitudinem puniatur,

Tertiò, seminis huius spiritualis diligentem conseruationem, ne volucres id comedant, aut spinæ suffocent.

Quartò, deuotionem in vsu meditandi quotidie, per horæ saltem dimidium, examine faciendo, per quadrantem, singulis octiduis confitendo & communicando, confessarium stabilem assumendo, cum bonis conuersando, in humilitate, patientia, charitate proficiendo.

Et hæc qui pauca illa de multis sunt, quæ S. ipse Ignatius, & Claudius Aquauiua, Iulius Nigronuo, Antonius le Gaudier, Zacharias Trinckellius aliique post illum fusiùs sunt prosecuti, quæ si quis sibi titè habuerit perspecta, eoque spiritu rem hanc fuerit complexus, quæ ille iuxta B. P. Ignatij sanctissimum desiderium præsenti hoc nobis Apohthegmate exptessum dexteritatem illam in hoc armorum spititualium genere tractando feliciter fuerit assecutus! Ad quod cum omnes genuini eiusdem Patris ac Matris Societatis filij, semper & vbique terrarum, in quibus eos contigerit, Dei Domini ac Redemptoris nostri vineam excolere, aspirarint, atque etiamnum feruentissimè coaspirent, tenebrarum principe nullum non lapidem mouente, vt iniectis vndequaque temoris callidè, dolosèque gloriosis cœptis obsistat, factum est, vt & ipsi in omnem se partem versantes, ad hostis maligni conatibus resistendum, strophas eius, ac technas magna sui parte irritas reddiderint & cassas.

Exercitiorum liber à Paulo III. approbatus. Primò dum Pauli III. Pontificis maximi auctoritate spiritualia hæc documenta approbari, confirmarique fecerunt: quod dictus Papa post accuratum examen præstitit in hunc „ modum. Nos qui documenta & „exercitia huiusmodi examinari fe„ cimus, & relatione desuper nobis „ factâ, eâ pietate ac sanctitate ple„ na, & ad ædificationem & spiritua„ lem profectum fidelium, valdè vti„ lia, & salubria esse & fore compe„rimus, documenta & exeroitia, prędicta omnia & singula in eis con„ tenta, auctoritate Apostolicâ, te„ nore præsentium, ex certa scientia „ nostra, approbamus, collaudamus, „ ac præsentis scripti patrocinio cō„ munimus: hortantes plurimum in „ Domino omnes & singulos vtriusque sexus Christi fideles vbilibet „ constitutos, vt tam piis documen„ tis & exercitiis vti, & illis instrui „ deuotè velint. Datum Romæ XXXI. Iulij M. D. XLVIII.

Exercitia Indulgentiis plenariis à Pontificibus benefitiata. Et sufficere quidem poterant hæc sanctissimi Præsulis tam grandis amoris, ac studij plenissima verba ad omnem vim aduersariam amoliendam, nisi quorundam tepor & ignauia vlteriora remedia exigere visa fuissent. Quare, cum ea hominis natura atque indoles sit, vt quæstus ac compendij fructibus tam in spirituali, quam corporali studio plurimum trahatur, quod vnum hic deesse videbatur, ad eandem Sanctam & Apostolicam sedem iidem accesserūt, humiliter supplicantes, vt quæ superioribus annis prædicta Spiritualia exercitia à S. Ignatio non tam proprio studio, aut experientiâ, quam diuino hausta magisterio sanxerat, cōmuniuerat, ac probârat, cælestium quoque Ecclesiæ thesaurorum elargitione eadem collocupletare vellet: cui petitioni Sanctissimus Dominus Paulus V. Pontifex Maximus XXIII. May, reuocans religiosorum omniū Indulgentias, & eis nouas tribuens, inter cætera largitur plenariam Indulgentiam iis religiosis, qui hæc exercitia

ercitia fecerunt, cum ait, iis verò „ qui de fuorum fuperiorum licentia „ à negotiis per decem dies alieni „ in cella commorabuntur, aut ab a- „ liorum conuerfatione feparati in „ piorum librorum, & aliarum rerum „ fpiritualium lectionibus operam „ fuam dederint, addendo fæpè con- „ fiderationes & meditationes my- „ fteriorum fidei Catholicæ, diuino- „ rum beneficiorum, quatuor nouif- „ fimorum, paffionis Domini noftri „ Iefu Chrifti, & aliorum exercitio- „ rum, orationum iaculatoriarum, „ aut vocalium, faltem per duas ho- „ ras in diem, & noctem orationibus „ mentalibus fefe exercendo, facien- „ do eo tempore confeffione genera- „ lem, aut annuam, vel ordinariam, „ & SS. Euchariftiæ Sacramentum „ fumpferint, quoties id egetint, pro „ quolibet prædictorum exercitio- „ rum plenariam fimiliter omnium „ peccatorum fuorum indulgentiam „ & remiffionem mifericorditer in „ Domino concedimus.

Verùm cum hæc gratia ad folos fe religiofos extenderet denuò ad eandem fedem recurfum, quæ priùs indultum omnibus Chrifti fidelibus per octiduum fe colligentibus fecit cōmune, fuit is Alexander PP. VII. qui Patrum precibus benignè annuens refpondit in hæc verba: Cum ficut nobis exponi nuper fecit dilectus filius Gofwinus Nickel Præpofitus Societatis Iefu, perfonæ eiufdem Societatis quotannis, & plerumque plurimæ aliæ, fiue Ecclefiafticæ, & aliorum ordinum & congregationum regularium, fiue Laicæ exercitiis fpiritualibus à S. Ignatio, dictæ Societatis, fundatore inftitutis, in domibus eiufdem Societatis per octiduum vacare confueuerint. Nos, qui probè fcimus, quantopere conducant exercitia huiufmodi dirigendis in viam Domini & confirmandis in illa Chrifti fidelium mentibus, deuotionem eorum, qui operi adeo pio & falutari vacauerint, cæleftium Ecclefiæ thefaurorum elargitione magis incitare volentes, de omnipotentis Dei mifericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoftolorum eius, authoritate confifi, omnibus & fingulis Chrifti fidelibus, tam prædictæ Societatis, aut cuiufcunque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, quam aliis quibuflibet Ecclefiafticis, & Laicis, qui in domibus memoratæ Societatis exercitia prædicta iuxta laudabilem eiufdem Societatis confuetudinem per octidui fpatium quantocunque peregerint, & interea temporis verè pœnitentes & confeffi Sacrofanctum Euchariftiæ Sacramentum fumpferint, quoties id egetint, plenariam omnium peccatorum fuorum indulgentiam, & remiffionem mifericorditer in Domino concedimus. Præfentibus in perpetuum valituris.

Dat. in Arce Gandulphi Alban. diœc. fub an. Pifc. die XII, Oct. M. DC. LVI. Pont. noftri an. tertio.

Atque ita debellatū effe cū græcis, vt Liuianis verbis vtar, credere licuiffet, nifi octo ille dierum feceffus, plurimis annis vifus effet, quin & nō paucis, tùm propter negotia, tum verò publica officia, fuprà facultatē effe, vt de impoffibilitate quærerentur.

Quid autem hîc facro fpiritualium exercitiorum amore flagrantes animi, ac tantæ pietatis promouendæ ftudio incenfi; quid, inquam, tentaffe arbitreris?

Eft aliquid prodire tenùs, fi non datur vltrà:

Canebat ille, probarunt certè hi: ne forte grauiffimis rerum fufceptorum oneribus preffi, vel plurimis occupationibus implicati, tanti huius boni particulā fraudarentur quate modum inuenerunt; quo & hi pro temporis fui ac facultatum modulo poffent exerceri. Fuerunt ifti ab annis aliquot fapientiffimi quidam ac religiofiffimi Patres, qui in Collegio noftro Salamanticenfi, omnium cupientes faluti deferuire, traditione exercitiorum primæ hebdomadis, feu viæ purgatiuæ, per vnicam tantum diem, vberrimos fructus retulerunt, vt magna eorum pars tam

Breue cōpendium exercitiorū pro occupatis.

nobilium, quam ciuium, militum, opificum ac mercatorum, qui ea obierunt, vitam in melius commutârint, plurimi religiosam vitam, omnibus posthabitis, sint auspicati. Methodus autem, quam eis proponebant erat huiusmodi:

Pridie Director cum exercendo agit, eumque disponit efficaciter explicatione fundamenti exercitiorum de vltimo hominis fine:

Ipso die horâ 4. surgit. A medio 5. vsque ad medium 6. Meditatio de peccatis.

Si quis meditandi ignarus, hæc tria obseruat: legit, cogitat, loquitur: hoc est meditationem in charta traditam legit attentè, donec occurrat, quo moueatur, aut debeat moueri: tum hæret paulisper cogitando de eodem: denique loquitur Deo, de illo, quo motus fuerat. In quo cum sibi fecerit satis, pergit ad legendum, cogitandum, loquendum circa sequentia, donec hora labatur, quâ transactâ, notat breuiter ea quibus motus fuit & pia desideria, ac proposita circa illa, vsque ad sextam.

Hora sexta, visitatio instructoris: Colloquium de tollendo malo successu meditationis & promouendo bono.

A medio septimæ vsque ad medium octauæ meditatio de morte.

A medio octauæ vsque ad medium nonæ, præparatio ad Confessionem generalem.

A medio nonæ vsque ad nonam Auditio Missæ.

A nona vsque ad decimam præparatio ad Confess. general.

A decima ad vndecimam. Meditatio de Iudicio. Annotatio.

Horâ vndecimâ, visitatio Directoris. Colloquium de reformatione, vitæ, mediis, & regulis opportunis.

Horâ duodecimâ Collatiuncula modica.

Horâ primâ, Consultatio cum Deo, de mortificationibus assumendis, de spiritu bonis operibus renouando, de optimo vitæ statu ineundo, de mediis, singulis hebdomadibus Instructore adeundo consulendo, &c.

Horâ secundâ, Meditatio de Inferno. Annotatio.

Horâ tertiâ præparatio ad Confess. General.

Horâ quartâ Meditatio de filio prodigo.

Horâ quintâ dispositio sui vltima ad perfectam Confess.

Horâ sextâ Confessio.

Horâ septimâ de Purgatorio vt ad pœnitentiæ opera incitetur.

Et hæc potissimum ea fuêre quibus hactenus diuinæ huius ascesios magistri spiritualium exercitiorum vsum, sibi à S. Ignatio tantopere commendatum prouehere, ac magnâ cum dexteritate tractare visi sunt, vnde tantus quoque eorum fructus apparuit, quantùm passim, diuinâ gratiâ succurrente, in omni hominum genere ad maiorem Dei gloriam effloruisse videmus, atque intelligere nos indies gaudemus.

Fructus exercitiorũ. Vtque hinc exordiar, nunquid luculentissimo Petri de Ribadeneira testimonio constat primos illos socios atque adiutores constituendæ Societatis, per exercitia illis tradita ad studium perfectionis fuisse allectos? per quos deinceps par gratia ad omnes fuit deriuata: vnde si quis ea cum Ludouico Strada, viro è S. Bernardi familia eximio, tirocinium toti humano generi institutum appellarit, noui ac paradoxi dixerit nihil: hoc sanè citra omnem asseruero dubietatem, fœcundum Societatis semen meritò esse appellanda. *Exercitia S. Ignatij, tirocinium humano generi institutum.*

Vastissima enim sint licet flumina, fonti tamen originem suam debent & perennes aquas; magna lateque diffusa Societas est, at sanctis hisce exercitiis ortum suum progressumque attribuat necesse est: quantumuis enim semen cum arbore sua, fons cum flumine suo comparatus, exiguus videatur, stat tamen, stabitque perpetuò veritas & semen hoc, & fontem tantæ caussam esse magnitudinis & proceritatis Ignatij libellus mole quidem paruus, dictione

planus

planus & facilis eſt, quem ſi non guſtes, ſi in ſuccum tuum non conuertas, neque artis, neque ingenij, neque doctrinæ ſingularis, fortaſſis etiam contemptu magis quam laude dignus apparebit: ſed interiore guſtatu deceptus, acer eſt, potens eſt, ac tantæ vbique virtutis, vt nullum animorum languorem non exigat, nullam duritiem non frangat, nullam non promoueat veritatem. Experrus id ipſe in variis cùm viueret Ignatius fuit, qui nec pauci, neque vulgares fuerunt quos ſanctis hiſce exercitationibus erudit & adiuuit, chorum autem ducere viſus eſt S. Franciſcus Xauerius, qui dum hiſce ſub S. Patre operam nauat, nunquid tanto prolixiore & fidentiore animo ſeſe in ſinum eius proiecit, quanto anteà anguſtiore & obſtinatione viſus fuerat refugiſſe? vt eiuſdem mox propoſiti, eiuſdemque factus particeps mentis, conſimilis etiam fundamenta poneret ſanctitatis?

Exercitia ut proſint non obiter tractanda.

S. Franciſcus Xauerius per exercitia ad Deum conuerſus.

Gaſpar Contarenus accedit, patricius ille Venetus, ex Senatore Cardinalis ætate ſuâ ingenij & doctrinæ facilè Princeps, qui non modò ſub S. Ignatio Magiſtro ſe exercuit, ſed etiam tradita ſibi exercitia, ſua ipſe manu perquam accuratè deſcripſit.

Gaſpar Contarenus.

Nec Petrus Ortizius Caroli V. Imperatoris ad ſummumPontificem legatus refragabitur, qui tanto animi fructu, virtutiſque acceſſione, quadraginta dies, ſalutaribus his meditationibus vacauit, vt quamuis Chriſtianam Philoſophiam multò ante profeſſus, tamen ſe tam demum verè philoſophari cœpiſſe fateretur.

Petrus Ortizius.

Hi primarij fructus fuêre, quibus ſecundarij filiorum eius manu collecti, non malè reſpondent. Teſtem aduoco Sacerdotem ſcenicum populi Senenſis publicum offendiculum, quem cæleſtis hæc exercitatio ita permutauit, vt iniecto ceruicibus fune, in ſuggeſtum aſcenderit, & à frequentiſſimâ multitudine, veniam indignæ ſacerdote leuitatis petierit, tam ardenter, vt excuſſerit illicò lachrymas populo, cui ſolitus fuerat riſus & cachinnos mouere, ſeque non abdiderit in ſacrum ordinem FF. Capuccinorum, vbi reliquam vitam in ſumma religione traduxit. hiſt. Soc. 1. p. n. 71.

Sacerdos Senenſis ſcenicus conuerſus.

Huic adiungo nobilem adoleſcentem Meſſanenſem, quem nec duriſſima in triremibus, inter mancipiorum fœces ſeruitus flectere potuerat, his autem præſidiis adhibitis, indomitam ferociam ſubitò vertit in ſuauiſſimam animi manſuetudinem, intractabilem ingenij duritiem, in commodiſſimos mores. Annal. Soc.

Iuuenis diſcolus conuerſus.

Sed non omnes arbuſta iuuant, humileſque myricæ.

Quapropter paulò maiora canamus, quibus non iam grauium noxarum reos è gurguſtio vitiorum proſperè hâc viâ egreſſos [quamquam ea res minimè leuis ſit] recolamus, ſed & viros probos & integros, eos in virtute progreſſus feciſſe, quibus & hic incredibilem nominis ſui famam, & gloriam deinceps conſecuti fuerint ſempiternam, oſtendamus.

Et chorum quidem hunc ducet S. Carolus Cardinalis Borromæus & Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui etiamnum penes Auunculum ſuum Pium IV. Summum Pontificem Romæ degens, in Vaticano, ex his ipſis exercitiis & initia, atque incrementa admirandæ & numeris omnibus abſolutæ hauſit ſanctitatis, adeoque bis quotannis eadem iterabat, ſemper aliquo è noſtris præſente, à quo non tantum quoad interiores animi motus, & exteriores actiones dirigeretur, ſed ipſa etiam meditationum puncta, ante quamlibet meditationis horam, ſibi tradi volebat, quod & immediatè ante mortem præſtitit pro felice ex hac vita, ad æternam illam & felicem emigratione, vſus hac in re operâ Confeſſarij ſui, ac Patris ſpiritualis Franciſci Adorni, in cuius manibus ſanctam & immuneris meritis plenam Deo animam reddidit, & cui ſtatim glorioſus quoque apparuit, mortemque eius breui ſucceſſuram veriſſimè prædixit: quorum

S. Carolus Borromæus his promotus ad magnam ſanctitatem.

 omnium

omnium teſtes luculentiſſ. Carolus Epiſcopus Nau. & Petrus Guiſſanus.

Georgius Radziuilus Cardinal. cum fratre exercitiorũ fructum expertus.

Cardinali adiungo alterum Cardinalem, Carolo Georgium Radziuillium Vilnæ Epiſcopum, qui poſtquam cum fratre Staniſlao in villam Iulij III. ſeceſſiſſet, vt his meditationibus animum exercerent à P. Achille gagliardo inſtructi fuerunt; eo ſucceſſu, quem Polonia deinde obſtupuit vniuerſa, cum iſtuc reuerſi, fructum quem hauſerant per omne regnum diffuderunt. Cardinalis enim in hæreticorum acriter incubuit reductionem: Staniſlaus in mores ſibi ſubditorum ad omnem honeſtatem reformandos.

Bartholomæus Torres Canarienſis Epiſcopus exercitiis excultus.

Quid autem de Bartholomæo Torres dixerimus viro ſapientiſſimo & diſputationibus Theologis de SS. Trinitate editis claro! qui vt ſcribit Orlandinus p. 1. lib. 13. n. 35. his ſemel Compluti Meditationibus excultus, finem nullum ea dilaudandi, ſuiſque commendandi facere ſolebat, ſummam refert prædictus author ego ſummulam ex eo: ſic expertus

Teſtimonia illuſtre eiuſdem.

illa loquitur: *Me quidem profiteor,* inquiens, *Compluti ad eam formam exercitum; ac Deum teſtor, triginta annis, quibus verſor in ſtudiis ſapientiæ, & permultis, quibus Theologiam doceo, nunquam ad meam vtilitatem didiciſſe tantum, quantum me exercitia diebus paucis docuerunt. Quod ſi cupiam Doctorum, cui ſua placeat ſcientia, mirum fortaſſè accidat, experimentum appello, tenet idem, atque exiſtimabit idem.*

Addo cognitos mihi permultos, qui exercitationes illas ſuſcepêre, multiſque me meorum auditorum, cum religioſis, tum ſecularibus perſuaſiſſe, vt eas ſuſciperent, nec tamen cognitum quempiam, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palámque prædicauit. Nihil omnino è mortalibus rebus voluiſſe ſe iis ante latum, à quo nequaquam ablufit Epiſcopus Baſileenſis, qui poſtquam anno 1606. iiſdem exercitiis inſtitutus fuiſſet, abiens ſic locutus eſt: Si PP. Soc. in me nihil aliud contuliſſent, quam hoc cæleſte beneficium, id vnum facilè æquaret omnia quæ ego huius Collegij Bruntrutani auctor præſtiti Societati. Annales Soc.

Ludouicus Granatẽſis exercitia laudat.

Neque hic mutus Ludouicus ille cognomento Granatenſis fuit, ex Dominicana familia nobilis Eccleſiaſtes & ſcriptor, deque tota Chriſtiana re libris ſuis doctiſſimis ac piiſſimis optimè meritus, dum in hunc modum, teſte Manriqueſio, locutus eſt. Tantum doctrinæ ſpiritualis à documentis, & exercitiis illis hauſi, vt vita tota non ſufficiat, ſcribendo illa, quæ in illis mihi aperuit Deus.

Nec dubium quin gratum ei in cęlo, quo virum optimum frui confidimus, acciderit, paris ſenſus atque iudicij nactum fuiſſe Auguſtiniani ordinis Theologum eximium Auguſtinum Caruajalium.

Auguſtinus Caruajalius exercitiis expertus approbat.

Is cum ſolis Occidentis Indiam peragraſſet & in Hiſpania variis muneribus cum laude perſunctus eſſet, Italiæ quoque cœnobia ſui ordinis iuſſu ſummi Pontificis viſitaſſet bononiam tandem ab eodem Pontifice viſitator Apoſtolicus miſſus, ad S. Iacobi cœnobium in veterem diſciplinam reſtituendum, non aliis id præſidiis facere aggreſſus eſt, quam piis his Societatis commentationibus: quibus cum ipſe per menſem ſe exercuiſſet, teſtatus eſt candidè, ſe, quamdiu in religione vixiſſet, rationem aliquam, quâ rectiſſimè incederet, ſemper optaſſe, eamque nunc demum à ſe cum in hæc S. Ignatij exercitia incidiſſet, repertam eſſe, quam, deinceps quoque libenter in alios deriuauit.

Et manum quidem hic de tabula tollere decreueram, cum aurem mihi vellit ſapientiſſimi Pontificis Pauli III. adhortatio quâ in ſolemni ſuo diplomate, quo ſpirituales Ignatij exercitationes ad perpetuam rei memoriam ratas, ſanctaſque eſſe voluit, vſus fuiſſe legitur, in hæc verba: *hortamur plurimum in Domino omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus Chriſti fideles, vt tam piis documentis & exercitiis vti, & illis inſtrui velint:* ergo & alterum

Mulieres quoque Pontificia in dictio exercitiis excolenda quo modo ac cautelà?

terum hîc sexum minimè negligendum Papa sensisse visus est, quod & Claudius Aquauiua prudentiæ ac sanctimoniæ laude celebris,in suo ad exercitia S. P. Ignatij directorio benè aduertit, dum cap.9. §.16. nobis modum præscripsit,qui cum feminis, quarum aliquæ interdum expetunt exercitia, debeat seruari. maximè si iudicio bono, ac rerum spiritualium capaci præditæ, tantum otij domi habeant,vt exactè omnia, aut maiorem partem facere possint, obseruato tamen eo, quod prudentiæ est, vt ipsæ in Ecclesiam veniant ad accipiendas meditationes, & ita cautè procedatur,ne vlla suspicio aut scandalum sequatur,& voce potius,quam scripto meditationes dentur, aut certè ad librum remittantur, quâ cautione ac prouisione dextrè adhibita plures ex eo sexu repertæ sunt quæ magnum operæ suæ pretium referentes diuinam gloriam tam in seipsis, quam aliis ad se spectantibus promouerunt.

S. Theresia exercitiis adiutat.

Principem hic locum sibi meritò vindicat S. Teresia de Iesu Fundatrix discalceatorum fratrum & monialium, quæ teste Francisco Ribera l.1.c.8. partem spiritualium, exercitiorum cum generali confessione peregit, atque ab eo tempore, quoniam insignem fructum eorum gustârat, ac rectè perceperat, tantum in via perfectionis progressa est, vt omnium in se conuerterit oculos, & admirationem.

Vrsula de lichtenstein à Petro Canisio exercitiis exculta.

Nec sacros inter parietes,hos tantùm fructus ab eis credideris educari, testis est Vrsula de Lichtenstein Georgij Fuggeri vxor,à Petro Canisio ab hæresi cõuersa, quæ his ab eodem exercitata,facta fuit forma matronalis in omni genere sanctitatis.

Itē Sibylla Eberstein.

Item Sibylla Eberstein è Comitum familia Marco Fuggero nupta, ab eodem Patre Lutheranismo erepta, eisdemMeditationibus crudita summos fructus tulit, vt Sacchinus auctor est.

Item Magdalena Vlloa.

Quid autem de Magdalena Vlloia vidua præfecti aulæ Caroli V. dixerimus? quantò illa cum fructu exercitiis à P. Balthassare Aluarez exculta!quot illa Collegia, quot Xenodochia exstruxit, dotauit! nullum à se mendicum ter licet de die accederet indonatum dimittebat, sexdecim aureorum millia tradidit duobus Patribus ad redimendos è turcica seruitute captiuos,mille aureis annuis, & centum libris parum quandam è meretricio emersarum domum instruxit,maximum autem donum quod fecit ipsa, fuit, quam Deo suo quotidie in spiritualem hostiam, & proximo in corporale subsidium offerebat, toto namque propemodum anno occupabatur emendo panno, & lino, quibus pauperes vestiebat. Cæteras prætereo, has ratus ad fructuum vberrimorum lectissimorumque copiam vel manu feminea ex spiritualibus his exercitiis collectorum sufficere, vt quisquis ille fortasse fuerit, mirari desinat S.P. Ignatium eorum vsum suis tam impensè commendasse, atque in hoc spiritualium Armorum genere tractando, quod Dei gratiâ ad ipsius obsequium tantoperè conferre cernimus, tam exquisitam dexteritatem ab eisdem postulasse,quàm longè vberrimi, lectissimique fructus, tanta copia, abundantiaque solent inuestire; vno tibicine, quem ex quarta parte Historiæ Societatis desumpsi rem firmo.

Fructus nobiles exercitiorum.

Laus magna exercitiorum.

Nobilis erat Asceta Romanus,qui mirabatur cur Societas concionando, & aliis ministeriis operam tam multiplicem adeo laboriosè impenderet,cum hoc vno armorum genere [exercitia spiritualia intelligebat] si seriò vteretur,breui totũ posset mundum virtuti subiugare. Et ita est fietque non dubiè,cum suus Apophthemati cesserit locus, quamuis tamen & tunc aliis nequaquam suus fuerit denegandus: neque enim solo gladio bonus miles pugnare consueuit.

I 4 APOPH-

APOPHTHEGMA DECIMVM.

Sui integra traditio & obsequetia, magnum compendiũ.

PAucissimos aiebat esse, qui intelligant, quid illis Deus faceret, si se totos ei permitterent, atque ab operante eius manu duci se sinerent, ac gubernari.

Daniel Bartolus l.4.§.36. Andreas Lucas lib.5. c.31.

Commentarius.



TObiam iuniorem in vrbem Rages, Medorum metropolim peregrinãtem, Deus voluit viæ ducem, quem confidenter sequeretur, adsciscere: cui dum se regendum, seruandumque committeret, non tam incolumis reuerteretur ad Patrem, quam magnum insuper illud operæ pretium, quod illi constituerat, reportaret. Et erat illud nequaquam vulgare, sed planè eximium, quo tùm familiæ splendor, parentis incolumitas, futuræ coniugis salus; tùm verò fortunarum reductio, periculorum depulsio, & magna gaudiorum seges continebatur. Fecit Tobias quod iussus fuerat, & personatum Angelum qui se Azariam, magni filium Ananiæ, ferebat, ducem nactus, eidem se, suaque liberrimè commisit omnia: nihil eo faciliùs, atque sequaciùs, obsequentius erat nihil, quare & probis eius consiliis adiutus, & in re medica eruditus, contra dæmonem instructus, matrimonij leges edoctus, immanem cetum, vranoscopum ex vndis emergentem, seque inuadere conantem strauit, opulentum connubium apud Raguelem inuenit, piscis iocinore Asmodæum fugauit, felle cæcitatem ab oculis parentis, magno miraculo, dispulit: in summa bonis omnibus cumulatus fuit, labentemque familiam pius filius erexit. Quãta ex vna obsequentia, suique integra traditione compendia, ac quæstus quibus, vt verosimilius est, frustratus cum suis Tobias fuisset, si vel ducem hunc reiecisset vel monitis eius malè commodus, ac morosus obsecurus fuisset. Ita siquidem hodieque fieri amat, dum nostris consiliis præfidentes, Deo nos integrè in hac via permittere, aut ducem rationem penitus seque formidamus, plurimis mox damnis, ac pœnis à Domino castigandi, quod vt à Colossensibus suis gentium Doctor Paulus auerteret, sic pro eisdem diuino numini calidissimis votis legitur supplicasse, dum ait: *non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius*; vbi pendo ly *impleamini*, non enim dicit Apostolus, vt cognoscatis eius voluntatem, sed, vt *impleamini*, illud enim incipientium est, hoc perfectorum: quare cum Colossenses adhuc imperfecti essent, vt eos ad perfectionem erigeret, non ait, vt cognoscatis, sed vt *impleamini*, quo, vt benè ex Chrysostomo notat Theophylactus, neque eos omnino imperfectos, neque absolutè significat fuisse perfectos, quod & hinc liquet, cum non dixerit vt accipiatis, sed, vt *impleamini*: habetis enim, sed nondum totum. Coloss.1.9

Et quo modo id fieri postulabat? infrà expressit: *gratias*, inquiens, *agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine*. Hæc via & ratio perueniendi ad impletionem hanc diuinæ voluntatis, lumen, inquam, illud clarissimum, quo illustratus homo, impletur practicâ cognitione Dei, cuius sanctissimæ

Pellenda cæcitas qua præpedimur

Col.1.12.

ſimæ voluntati, niſi quis penitus obſecundârit, nunquam fecerit ſatis.

Vtinam lumen hoc pro ſplendore ac dignitate ſua ſic omnes admitteremus, qua nobis ſupernè illuceſcere datum eſt! Verum quæ non minima hîc generis noſtri labes, atque calamitas eſt necdum ij eſſe deſimus, quos Paulus Apoſtolus in Epheſiis
Eph 4.18. ſuis depinxit his verbis: *ambulantes in vanitate ſenſus noſtri, & tenebris obſcuratum intellectum habentes, propter cæcitatem quæ in nobis eſt.* Vnde non immeritò cæleſtis ſapientiæ collyrio
Remedium duplex. opus ſit, vt videamus: Et ad illud quidem quod attinet duplex inuenio corporale vnum, ſpirituale alterum: iſtud ex ſaccaro, aqua roſacea & tuzia. Confici tradunt, quæ ſymbola ſunt tum dulciſſimorum Dei attributorum, tum mordicantium extremorum, quibus vita hominis claudi ſolet, ac plurimum valent ad conficiendum collyrium ſpirituale, quo mentis oculos expurgemus, vt veram virtutis ac ſalutis viam, repreſſis inordinatis affectionibus, quæ viſum animi offuſcant, poſſimus inuenire. Et tale quidem collyrium in præſenti hoc S.P. Ignatij Apophthegmate, ſi nobis dixerim offerri, neutiquam, vt mea fert opinio, aberrârim, in quo ſi mordicantia quærimus, an non pungere dixeris quod audis, raros admodum reperiri, & te vnum fortaſſis inter eos, qui intelligant cùm ſe totos Deo non permittant, quantis diuinæ gratiæ amitrendæ periculis exponantur? *Omnis ſiquidem peccans ignorans.*

Contra verò, quanta in eo ſuauitas ac dulcedo! dum per eos, magna atque præclara innuit Deum ac Dominum noſtrum præſtiturum, qui ſe totos ei permittunt, & ab operante illius manu duci ſe ſinunt, ac gubernari.

Bonum itaque ac panchreſtum Ignatii collyrium eſt, quo inuncta, vel ipſa cæcitas lumen recipiat. Sed
Empyricorū placitum. quod empyricus monet, *medicamenta calore iuuanda ſunt:* idem hîc vſuuenite cómperio; præſtabit autem id varia, nec præceptorum abſimilis. Ratio, quæ voluntatem inflammans, eam proliciat ad aſſenſum, nec vſquam ſinat veterno, deſidiaúe torpeſcere.

Sit itaq: prima: *quia ſic vult Deus.*

Vera Ratio, & vna illa ac præcipua humanarum actionum amuſſis *Vera ratio cur totos nos Deo tradere debemus.* ſic vult Deus, qui ſolus atque indiuiſim coli deſiderat, iuxta ſanctiſſimi ac diuini oris ſui effatum non vnò in loco repetitum: quam etiam vnicam illam cauſſam S. opinatur Auguſtinus cur Romani Deum Hebræorum colere detrectarint, quòd ſolus coli vellet. Si ſolus coli vult & ſolus amari volet, & ſingulariter quidem atque excellenter: vnde S. Hieronymus epiſt. 19. ad Euſtoch. *Nihil,* inquit, *S.Hieron. Ep 19. ad Euſtoch.* *Saluator medium amat, & ſicut frigidum non refugiens, calidis delectatur: ita tepidos in Apocalypſi euomere ſe profitetur,* hoc eſt, ſumma omnia requirit, in amore teporem auerſatur, qui medius eſt, & feruorem inter & frigus, quod in vtroque teſtamento ſatis oſtendit, dum iuſſit amari Deum ex toto corde, animâ, mente, intellectu, virtute, fortitudine, ac denique omnibus viribus noſtris, perſpicuè declarans nolle ſe pro maieſtate ſuâ hoſpitari in particula humani cordis, cum toto opus ſit, nec ſine graui eius iniuria fieri poſſe, vt tantundem dæmoni, quantum Deo tribuatur, qui cor ipſum, ſed integrum præcatur, *fili, inquiens, præbe mihi cor tuum.* Cum *Prou 23. 26.* igitur æquemus Deum nobis, ſeu potius dæmoni, iuſtiſſimè Deus deſeret partem, cum ei debeamus plus quam totum. *Simplex natura,* inſit S. Ber- *S.Bernard.* nardus *ſimplicitatem cordis exquirit? quemadmodum & cum ſimplicibus ſermocinatio eius; vir duplex animo inconſtans eſt. Ve autem peccatori terram ingredienti duabus viis, nemo enim duobus Dominis poteſt ſeruire, quare ſi maledictus, qui facit opus Dei negligenter,* qui fraudulenter fecerit, quid merebitur?

Quærendus itaque veraciter, quærendus integrè, vt nec pro illo aliud nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud conuertamur; Tur-

Turpe siquidem atque indecorum est, rem tanti momenti, quanti obsequium est magni Dei, aut languidè nos aut per partes tantum aggredi, nec integrè Deum sequendo, partim nostram, partim illius voluntatem explere: dimidium Deo, alterum verò dimidium nobis ipsis seruando, vbi traditionem perfectam esse oportear, cùm dominium Dei sit absolutum, nec corriualem admittat: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus,* inquiebat S. Iacobus cap. 2. *Bonum* enim, vt Aristoteles l. 2. Eth. c. 6. docet, *ex integra causa est, malum autem ex quouis defectu.*

S. Iacobus c. 2. Aristoteles 2. eth. c. 6.

Accedit, nec cor humanum par esse duobus amoribus sinu suo excipiendis, quod vel Alexander ille Macedonum Rex non malè aduertit cum Dario Regi inter pacis conditiones Asiæ dimidium offerenti respondit, *nec mundum duos soles, nec Asiam duos reges ferre.* Vti nec cor hominis duos singulariter dilectos: quod oraculo firmare prophetico difficile non erit; quid namque aliud spectasse credideris Isaiam, dum sic c. 28. locutus est: *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat:* Cor, stratum est, vbi dilectus quiescit & somnum capit: augustius est, quam vt duos capiat dilectos, alterum decidere necesse est, dum alter eodem recipitur. Pulchrè admodum hæc commentatus Gilbertus Abbas, ad huius illustrationem loci, & strati, sic scribit: *Breue & angustum cor hominis ad concipiendas verbi Dei delicias, etiam cum in illas totum extenditur. Quo modo non multò breuius, si fuerit ad alia distentum? sufficiat dilecto tuo, vel breuitas ista. Noli illam magis breuiare, lectulum communicando alteri. Bona quidem hæc breuitas lectuli, quæ nescit nisi dilectum suum, id est Christum suscipere. Felix cor! cui, quod solari horologio ritè inscribitur, diuinus amor insculpsit: Vni soli seruio.* Nulli alteri luci, siue ea lunæ sit, siue stellarum, quantumuis luculenter vsum præbet horologium; tale & cornostrum esse debet, vt per omnes dies, horas, & momenta candori lucis æternæ, nocte ac die suos ei radios benignè subministranti se totum conformet, vnde Theodoretus miris laudibus, quod Regum optimus Dauid, de se testimonium tulit, extollit: *Confitebor*, inquiebat ille, *tibi Domine in toto corde meo*, vt nulla eius pars alieno Domino queat inseruire; proprium namque perfectorum hominum est, totum cor Deo dicare, & omnem mentem ipsi consecrare: qui enim partitur cogitationes in mammonam & Deum, in Christum & aurum, in præsentem vitam & futuram, non potest verè dicere, *confitebor tibi Domine in toto corde meo*: quo tantopere sapiens ille idiota Ægidius, S. Francisci Assisiatis socius afficiebatur, vt cantillando ingeminaret frequentius: *vnum vni, vnum vni, vnum cor vni Deo.* Ad quod dudum antè mellifluus Bernardus, suos his verbis impellere solitus fuerat, dicens: *existimet homo quasi ipse sit solus & Deus: ad quem apicem, eodem Doctore*, qui Bernardum deinde erudiit, ascenderat Arsenius, cum splendido illi muneri, puerorum nempè principum Arcadij & Honorij magisterio atque insuper ipsius Theodosij se gratiæ subduxit, inquiens: *Non possum me diuidere Deo, & hominibus*, q. d. non possum regis gratiam & Deo simul aucupari, simul aulæ & cælestibus deliciis vacare: quod deinde de se Seraphicus ille Doctor Bonauentura non erubuit profiteri, dum sic parte 2. c. 2. Stimuli sui, legitur esse locutus: *Non possum Domine intendere mihi & tibi*, vsque adeo verum est, quod olim cecinit Satyricus;

Dictum Alexandri Regis.

Isaiæ 28. 20.

Psal 9. 2.

Dictum sapientis fratris Ægidij.

Item S. Bernardi. Item Arsenij.

Item S. Bonauenturæ.

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Venio ad damna, quæ non infœcunda hinc vena pullulare noscuntur: &, quod mirandum, non vnius quidem faciei, tàm propriæ siquidem personæ incommodantia, quam alienæ, quod in duabus illis meretricibus ad tribunal adolescentis Salomonis constitutis, animaduertere est, quarum

rum dum altera infantem diuidi voluit, tam sibi quàm alteri ereptum iuit, quod & hic vsu venit, simul enim vt diuidere affectum cœpérimus nec Deo, nec nobis fecerimus satis, cum vnum tantum singulariter atque excellenter amari natura patiatur: atque hinc illæ lacrymæ quas tristis illa Cyrilli Alexandrini, sed vera prolicit sententia: *quod si diuidamur, etiam iuxta vocem psalmistæ, partes: vulpium erimus*: hoc est, condemnabimur, facti consortes Herodis, qui ex interpretatione S. Hieronymi dictus est vulpes.

S. Cyrill. in c.10. Oseæ c.4. Diuisio animi noxia.

Obiectio.

Sed dices fortasse, non secuturum interitum ex hac diuisione cordis, per quam non adorantur idola; produco Pauli testimonium de diuisione remorante perfectionem, & ianuam multis miseriis recludente; *qui cum vxore est, solicitus est*, inquit, *quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*. Hoc est, teste S. Hieronymo in multas solicitudinum partes, miseriarumque distractus est.

Responsio. *1. Cor. 7. 33*

Nec enim solum coniugium hîc culpari velim, sed & maximè Amorem proprium, & comitem illam vitiorum intempestiuam quorundam amicitiam accuso, quibus diuisio hæc non segniter procuratur cuius author mihi S. Basilius est. lib. de vera virg. vbi longam instituit disputationem aduersus virginem quandam, quæ Deo seruire ac placere se dixerat, & tamen comam struere, vario vestium ornatu ac cultu corpus expolire studebat, vt hominibus placeret, quam verbis Pauli diuisam pronuntiauit: *Possibile*, inquiens, *non est, & interna curare, quo modo placeas Deo, & foris ad voluptatem spectatorum, velut in scena comi.* Omnibus notum est, inquit *S. Cæsarius* Arelatensis, quia *amor amore vincitur*. Et teste *S. Bernardo solet amorem amor expungere*, quod *S. Basilius*, præceptum dilectionis pertractans, his verbis explanat: *hoc autem*, inquiens, *quod ex omni dicit, diuisionem in alia nullam admittit. quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum necesse sit, vt adimas ei, quod totum est, ideoque pauci ex omnibus amici Dei appellati sunt, quia pauci indiuisi.*

S. Basilius lib. de vera Virg.

S. Cæsarius *S. Bernardus.* *S. Basilius.*

Pellendus itaque è sella cordis, quicunque huic vnitati obsistens diuidi cupit, quod absque damno maximo fieri non potest. Misit olim non semel auditores suos Christus seruator ac legifer noster ad animantium scholam, vt qui homines audire detrectabamus, modo volatilia cæli, modo iumenta, boues & asinos auscultaremus. Num igitur Pharisæis nostris iniuriam facere dicêdus sim, si ad equos ablegem, à quibus, vni Domino soli se submittere condiscant? neutiquam opinor: tolutim ergo huc pedes agglomeret notissimus ille ab Alexandro Bucephalus, qui phaleratus nullum præter Regem sessorem admittebat, quapropter & ab eodem, magnifico funere elatus, ad sepulturam datus fuit.

Ad animantium scholā mittitur homo vt se Deo soli discat tradere.

Bucephalus equus Alexandri.

Accedat & alter, ille, inquam gradarius, quem cum ad Corinthum Ioanni Pontifici vir nobilis, caussa itineris, commodasset, quo vxor eius mansueto vtebatur, posteà remissus, ita ferox euasit, vt posteà semper Dominam expulerit à dorso suo, solum deinceps Christi vicarium, vt cœperat, laturus.

Alius Ioannis Pontificis.

Sic agendum: Dei, summi Regis obsequio addictum, nec alium subinde sessorem admittere, nec operam partiri decet, quo fiat, vt rectâ per viam virtutis incedens, vni, quod necessarium est, se totum permittat, Deo in gloriam, sibi verò futurus in salutem.

Et hæc omnes videmus, ac pro ea, qua bestiis parte antecellimus, comprobamus, & tamen non rarò deteriora sectamur, quæ caussa? fraus ingens, atque nefarius dolus, quo falsi, deceptique Deo nos totos, re nullâ retentâ, tradere formidamus, existimantes nimis quam horribile, tristê, & arduum esse decretum illud, nunquam & nusquam suæ obsequendi voluntati, cui vires nequeant sufficere humanæ: tametsi illud quidem non sit eiusmodi, sed ob inertiam & cæcum

Qua causa dimissionis cordium. cum nostri amorem ita esse videatur, quod haud malè depinxisse mihi visus *Seneca* fuit, cum de iis loquitur, qui à gloriosis virtutum facinoribus, & honestâ contentione decedunt: *non*, inquit, *quia difficilia sunt, non audemus; sed quia non audemus, difficilia sunt*: *Seneca.* Quapropter nequaquam mirandum dixerim, si istius generis homines lenti, ac socordes sint, nec se totos Deo, eiusque vicariis permittant, cum neque virtutis potentiam ac dignitatem, neque Diuinam in superiore præsentiam considerent, sed suam vel carnis concupiscentiam, vel imbecillitatem ac propensionem attendant, vnde continuò in ore habent, *non possumus*, non suppetunt vires; sed cum iugum omne ægrè patiuntur, nec vltro se illis addicunt, quæ sunt cum labore coniuncta, *non possunt*, quia nolunt: in quos bellè cadit illud Romani sapientis: *nolle in causa est, non posse prætenditur*, vt iam non simpliciter sed ficti ambulent cum Deo, quem tamen fallent nunquam, vtpote qui intimos cordis recessus penetrare consueuit: neque enim beatum illud sanctæ conformitatis cum diuinâ voluntate connubium, iis in rebus consistit quas secare in partes, & diuidere possumus, integras requirit, & indiuisas: quare vti falsum est, sicut bene Ioannes noster Eusebius aduertit, mortuum esse quempiam, nisi in eo cessent actiones omnes (si enim vel vnica supersit, mortuus dici nullo modo potest) ita prorsus, cum quis rem vllam vel minimam Deo subtrahit, non ei se totum permittit. Miseranda enimuerò res est, inueniri quosdam, qui post varios impotentis animi coërcitos motus, regulæ alicui tenaciùs adhærescunt, nec eam reliquis, non quia non possunt, sed quia nolunt, adiungunt, de quibus id liberè pronuntiaris, quòd de eo homine, qui postquam pro incomparabili thesauro soluerit ducatos mille, renuat deinde superaddere reliquum adhuc denarium vnum, illiusque causâ resiliat à contractu; quid autem de eo aliud dixeris? quam solenniter cæcutire, qui in meridie videat nihil.

Generoso itaque animo opus est, vt optimi Patris voluntatem integrè amplectatur, sibique persuadeat, difficultatem quidem se aliquam in eo sensurum, sed donec sibi vim intulerit, vt vincat. Deoque se penitùs tradat, cuius illa, teste Ludouico Pontano in secretioribus schedis, nota vox erat: *memor ero tui, si tu oblitus fueris tui.* *Ludouicus Pontanus.* Et rectè id quidem, est enim illud cuiusdam ex antiquioribus Ascetis nobile pronuntiatum: *hominem dum seipsum debellat, tristitiam sentire, & laborem; verum vbi Christum repererit, non iam laborare, sed rosæ instar efflorescere, & veluti cælo nubilo & caliginoso lugent omnia, ac tristantur, sole autem oriente discussis tenebris illustrantur; idem hic solitum vsuuenire.* *Sententia antiqui Patris de vi sibi inferenda ad virtutem.* Vtinam hæc, vti grauissimæ rationi consentanea sunt, ita & suum apud nos inueniant locum, atque ab ea nos infamia absoluant, quam incurrisse non paucos è nostris lugemus, dum ethnicos, aliosque à sacris nostris alienos, id duce naturâ, curasse legimus, quod nos maioribus longè fulti præsidiis, & summâ incuriâ negligimus, & turpi inertiâ finimus præterire.

Vnum pro multis ne prolixior sim, in testimonium adduco; erit autem is *Epictetus* è stoica schola Philosophus, moribus vtilis prudentiæ plenus, qui hierapoli originem ducens Romæ Epaphrodito cuidam Neronis familiari seruiuit, atque ad Marci vsque Antonini tempora peruenit, Domitiano autem imperante, eius dominatu offensus, Româ Hierapolin migrauit, ratus, quòd apud Tragicum legitur, patriam esse cuiusque, vbi quis rectè ageret. *Epictetus moralis Philosophus l.3. Enchirid.c.26.* absolutissimus hic igitur moralis disciplinæ, si verba spectes, magister, vt eum Origenes appellat, sic in rem nostram lib. 3. Enchiridij cap. 26. philosophatur: *Qui Deo se adiunxerit, tutò transiturus est huius vitæ iter. Quid verò est, quòd appellas sese Deo adiungere? vt quod ipse*

ipse volet, ipse quoque velis, & quod nolit, ab eodem ipse abhorreas. Ac deinde se discipulo in exemplum proponens, sic loquitur l.4.c.7. *Ei quod accidit semper acquiesco melius enim est, quod vult Deus, quam quod ego volo. Adsum ei seruus & minister, adeoque pedissequus, ad eadem contendo nec alia expeto: idemque quod ipse, volo ego quoque, & sentio.*

Idem l.4. c.7.

Et alibi, exoptans integram hanc cum diuina voluntate coniunctionem, de qua possit sibi sub mortis tempus gratulari, ita scribit lib.3.c.5. *Vtinam loqui cum Deo sic possim: num tua praecepta praetergressus sum? num appetitionibus, quas à te habeo, ad alia obtinenda sum vsus? num sensibus aliter? num anticipatis notionibus? aliquando accusari te: aut reprehendi tuam dispensationem? Ægrotaui, quando tibi visum fuit.* Sed & alij: *at ego patienter, Inops factus sum, cum tu ita velles, sed gaudebam. Non praefui gubernando, aut gessi magistratum, quia noluisti, ideo ne expetiui quidem, nec vidisti hanc ob caussam me tristiorem. An occurri tibi aliquando parum læto vultu? semper paratus, si quid mihi mandes, si quid significes. Nunc ex conuentu illo, si vis me decedere, decedam. gratias verò ago tibi, quod me tuum conuentum celebrare permiseris, atque inspicere opera tua, ac voluntati tuæ in omnibus obedientem feceris. O vtinam hæc cogitantem, hæc scribentem, hæc legentem mors opprimat!* Nec his contentus breui compendio eadem discipulo inculcat: *Oculos in Deum attolle, ac dicito: vtere me Domine, ad quæcunque velis, tecum sentio, nihil eorum detrecto, quæ tibi videantur, quæcumque velis age; vis me imperare? in priuata vita agere? exulare, pauperem esse diuitem? ego tibi pro omnibus his apud homines assentior.*

Idem l.3.5.

Documenta epicteti ad discipulum.

Quid ad hæc cogitas, aut dicis lector? totum reuolue Taulerum, Susonem, Lanspergium, Rusbrochium, Cassianum, qui omnes hac de re fusè lateque commentati sunt, & si plus inueneris, quam gentilis ille, demens sim: an illi amplius à Christianis vel perfectissimis ausi sunt postulare? non credo.

At, inquies, fortassis hæc tantum verba sunt, non opera: audi vnum ex eius discipulis, Demetrium nomine, à quo, cum ex tempore, duo eius filij, patre inscio essent mortui, vnam tantum de Diis exhibuit querelam: non sibi anteà dixisset, vt perlibentissimè eos daret: *vnum*, aiebat, *Dij immortales, de vobis queri possem, quod non antè mihi voluntatem vestram notam fecistis, prior enim ad ista venissem, ad quæ nunc vocatus adsum. Vultis liberos sumere? illos vobis sustulistis: vultis aliquam partem corporis? sumite, non magnam rem promitto, citò totum relinquam. Vultis spiritum? quid ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis, quod dedistis, à volente fertis, quidquid petieritis; quid ergo est maluisse auferre, quàm tradere, quid opus fuit auferre, accipere potuissetis, sed, nec nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi renitenti: non cogor, nil patior inuitus, nec seruio Deo, sed assentio.* Dixitne? amplius *Iob*, quàm ille seruus diaboli? Nunquid & Zenon Philosophus, qui, dum è gymnasio domum rediens cecidisset, digitumque sibi fregisset, quasi Deorum voluntatem ex signo auguratus, nolle sc. eos vt diutius viueret; illicò exclamās dixit en adsum, quid me, oro, voces? Domumque perueniens se fune suspendit, ex falsa deorum suorū deceptus opinione. Quid? ne Christiani Deo Domino suo, qui tanta, ac talia pro eis volens, lubensq; sustinuit, & perfectissimo atque integerrimo sacrificio redemit, se magis permiserint aliquando, non dixero ad ardua illa, atque extrema facinora designanda, sed corde integro atque indiuiso ei seruiendum, qui tapinam odit in holocausto? vnde nec benefacere iis assolet, nec eiuscemodi mentis ac corporis solatia impedire, vt facturum fuisse, nemo bonus ac pius ambigit, si totos se ei permisissent, atque ab operante eius manu gubernari siuissent: vsque adeo; vt luculentus sit error, & insania, ob eum solum metum, ne quis in anxie-

Demetri Philosophi resignatio in aduersis.

Zenonis Philosophi obsequētia.

Christianorū tepor, & inertia.

tate & mœrore vitam degat, omnimodam hanc, integramque, sui ipsius in manus Dei oblationem intermittere. Quod quamdiu fiet, carendum semper erit fauoribus cælestibus, & dulcedine illâ inexplicabili, quam Deus voluntatis suæ studiosis impertiri consueuit: totum ille se nobis impendit, & superimpendit liberalissimus, cur nos igitur dimidios ipsi tradamus? Execranda sanè blasphemia testantium duplo nos amplius valere, quam immortalem Deū, cum iustissimo, nobisque vtilissimo contractui assentiri recusemus, qui est, vt nos totos Deo demus, qui se totum nobis prior donauit: quod vti Zelotypæ illi diuini numinis maiestati displicuit semper, ita & nunquam non ab eadem debitis pœnis castigatum fuisse in confesso est: testabitur autem id nobis vnus è multis admirabilis ille Brasiliæ Ecclesiastes Iosephus Anchieta è Societate Iesu, de quo Sebastianus Beretarius lib. vitæ eius 4. scribit, cum Bahyense collegium sui muneris obeundi caussa [præpositus enim erat Prouincialis] inuiseret, Ioannem quendam Fernandum cæmentarium fabrum, virum integritate vitæ & pietatis studio in primis probandum in Societatem admisisse, qui septimo exin die, à suo in Societatem ingressu ægrotus, præsente Iosepho sacerdotibus reliquis, aliisque multis è collegij fratribus, qui suis precibus abeuntem animam iuuarent, excessit è viuis, quando P. Iosephus exurgens, magno cum animi sensu, cunctis audientibus, in has voces erupit. *Viri fratres, huic homini, quem nunc ipsi, ex hoc loco spiritum ante oculos nostros in Dei manus reddidisse spectauimus, cum totâ vitâ fabrilem artem exercuerit, maximamque eius partem matrimonio coniunctus, Deus septem dierum spatio religionis, religiosæque vitæ præmium repræsentauit, quoniam penitus se toto cordis affectu ei permisit, vt in postremo generalis iudicij die, existat in iudicium, & damnationem multorum, in studio suæ religionis torpentium, quorum nonnulli adsunt in hoc cætu: qui cum annis multis in religione versati fuerint, nunquam tamen Deo se totos crediderunt: quapropter meritò religionis præmio frustrabuntur.* His dictis e cubiculo excessit, attonitis cunctis, pallentique vultu relictis. Quo visa est diuina prouidentia hunc delegisse, vt homo, rudis & operarius, multis parum de sua religione solicitis, ac multorum annorum laboribus perfunctis, vt ipse Iosephus testatur, paucorum dierum spatio anteiret. Tritum est enim, non quantum ipsi facimus, sed quantum ipsius caussa volumus, Deum spectare. Sic latronem ob maleficia in crucem actum, cum breuissimo illo tempore, se Christo penitùs dedisset, cælestis cum eo beatitudinis, illo ipso die consortem factum esse. Nemo ignorat: contra verò, alios, huius defectu multis calamitatibus implicitos salutis suæ periculum incurrisse, iuxta P. Iosephi prædictionem, quam tametsi non statim, haud tamen ita multis pòst annis non inanem fuisse constitit; cum vnus aut alter eorum, quos suo sermone perstrinxerat, quique rei tùm interfuerant, à sua postmodum vocatione defecisse notatum est.

Doctrina & prophetia P. Iosephi Anchieta. Sebastian. Beretarius l. 4. Vita.

Meritò igitur sanctus noster Ignatius, hoc suo nos Apophthegmate admonitos esse voluit, ne dimidiata tantùm ex parte Christum amantes, & Deum honore debito, & ipsos nos speratâ dudum salute fraudemus, in quo, vt pius Pater ac Doctor, ipse quoque præcedere visus est, cum non verbo magis quam opere quæreret, in rebus omnibus, quod perfectissimum esset, sed quod diuinæ eius maiestati maximè ex illis probaretur, neque vlla in re propriæ morem gereret voluntati, verum vbique quæreret, illud quod eidem maximè aduersaretur: adeò vt fateri non subterfugeret, duarum sibi rerum optione propositâ, quarum vtraque foret æquè Deo grata, eam se certò electurum, quæ laboris plus, molestiæque haberet, non modo vt Dei faceret voluntatem, sed vt ne faceret suam: quod

S. Ignatius in Deum totus resignatus.

vt integrius exſequeretur, pro ſtulto ſe quandoque gerere non dubitauit: nihil de ſe reliquum ſibi reſeruando, quod ad ipſam quoque vitæ ſuæ vſuram extendebat; nullum quippe opus, quantumlibet arduum ad Dei gloriam in ſe recepit, quod non vel vitæ pretio ſibi præſtandum eſſe decerneret. Vt non verè minus, quam diſertè, Franciſcus Maria Cardinalis à monte in relatione facta, coram S. D. N. Gregorio Papa XV. ſuper vita eius & ſanctitate dicere potuerit: *neque verò tantummodo cuſtodiuit cor ſuum ab iis, quæ ſunt contra dilectionem, ſed etiam à ſeipſo amorem omnium rerum, quæ Deus non ſunt prorſus abiecit, atque in eundem tranſtulit Deum; omnemque affectionem ad Dei dilectionem referre conatus eſt, ne modica quidem ſublecta*; vt nulli iam mirum videri debeat talia ac tanta Deum Dominum noſtrum per Ignatiū operari voluiſſe qui ſe totū ei ſic ante permiſerat. De inſtituta fundataque Societate ſileo, quod opus tamen decumanum verè dixeris, ad incredibilem penè eiuſdem progreſſum, quem ductore Ignatio feciſſe legimus, tranſitum facio, de quo Marcellum II. Pontificem maximum dicere ſolitūm accepimus, indultum ei fuiſſe, vt inter omnes quorum opera in inſtituendis Ordinibus, diuina ſapientia aliquando vſa eſt, nemodum viueret, tantam familiæ ſuæ, quantam ille, viderit dilatationem. Fuerunt aliæ fœcundæ quidem, & ſub ortum ſuum, inſtar fontium recens prorumpentium è terra qua patuit, via, ſe diffudêre, ſed Fundatorum auſpiciis plæreque vix aliquot regnorum fines, paucæ vnam orbis partem exceſsêre: vbi Ignatius vbique gentium nón ſedes modo, ſed & prouincias habuit.

Quantum viderit Ignatius Societatis incrementum.

In Europa nouem, vnam in Aſia (ſed quam vaſtam!) Indiam vltimos hominum Iapones complexam: vnam item in Africa, Æthiopiam: Braſiliam in America poſtremam. Quibus quid additura eſſet dies, nec Ignatium diuina bonitas, nec ſuos Ignatius celauit, fortunante Domino ſeruum ſuū, facientem omnes voluntates eius. Et quid aliud ſub tali magiſtro didiciſſe exiſtimes diſcipulos? *Non poteſt filius*, inquiebat Chriſtus, *facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit hæc & filius ſimiliter facit.* Ioan. 5. 19. Si grandibus parua, diuinis humana componere liceat, bona tantæ maieſtatis venia, atque inuiolata eiuſdem reuerentia dixerim, quod Ignatium facientem diſcipuli viderint, hæc & eos ſimiliter feciſſe, teſtem locupletiſſimum, atque certiſſimum appello S. Franciſcum Xauerium, pene parem magiſtro diſcipulum, quam autem hic in perfectiſſima ſui ipſius abdicatione, atque integerrima in Deū tráſcriptione Patrem, ac magiſtrum ſuum imitatus ſit, heroica eius in Indiam atque Iaponiam diuino nutu ſuſcepta expeditio docebit.

Ioan. 5. 19.

S. Franciſcus Xauerius totum ſe Deo permiſit.

Via longa & incerta, barbararūm gentium peragratio haud minus periculorum habebat, quam ærumnarum, haud procul patria iter habendum in Luſitaniam, vbi mater, propinqui ac neceſſarij minimè deuij, & propter Indiæ longinquitatem nunquam dein viſendi, vrgente legato viæ duce, vt eos ex itinere ſalutaret. Luſitaniam attigerat; cum nouæ, nec iam à carne, ſed dæmone, inſidiæ: vigili an ſopito incertum, obiecta eſt ſcena perampla multiplicium ærumnarum, quas in India ſubiret, quæ vel ſingula ſufficerent etiam robuſtiſſimo ad ſuccumbendum, non tamen Xauerio qui nihil de ea quam ſemel Deo fidem dederat minuendum ratus, totum ſe ei permittens, atque ab operante eius manu volens gubernari periculis contemtis, matre, propinquiſque inſalutatis, difficultatibus omnibus ſuperatis ſe operi ad quod vocabatur accinxit, ad populum terribilem perrexit intrepidus, ad gentem annis iam mille quingentis doctrinam cæleſtem exſpectantem Parauis, Malais, Iais, Acenis, Mindanais, Iaponibus primus omnium eandem nuntiaturus: & quo fructu? quē Deus per illum facere deſtinârat: laborat

Quāta per S. Franc. Xauerium Deus operatus.

K 2

borat Annalium fides, vt tot animarum millia, quæ cælum ipsi accepta refert, vnius hominis laborem esse persuadeat, sed eius qui se totum ei permiserat, fuit, per quem magna facere solet qui potens est Deus. Contendit Thomas Bozius lib. 6. de sig. Eccl. ab omnibus simul hereticis, qui, iam inde à Simone mago primipilo suo, innumera millia conficiunt, non tot traductos esse ad legem Christi, qualemcunque ipsi fingunt, quot ab vno Xauerio ad Christum, annis vndecim esse perductos: vt, dum nonnulla ex iis Ignatius Iulio tertio Pontifici maximo referret, lacrymas is præ gaudij voluptate tenere non potuerit, quæ verosimiliter impedita, ac retardata omnia fuissent, si Franciscus Xauerius vel ad carnem & sanguinem respiciens, vel amori proprio indulgens, vocanti se Deo subtraxisset.

Thomas Bozius to. 1. l. 6. c. 3. signo 28.

Tanti est virtute integrâ Deum sequi, quo te haud dubiis signis vocat. Finio commentarium sanctissimo epiphonemate, quod Christus Dominus dilectissimæ sponsæ suæ Birgittæ accinnit his verbis: *Perfecta charitas illa est ad Deum, quando homo sibi de se nihil relinquit, sed ad omnem virtutem se dilatat. Felix anima quæ ita suis se rebus spoliat pro Deo, nihil ei negando, quo ille delectetur.*

Epiphonema Christi Domini ad S. Birgittã super hac re signanter.

Et quid ni speret, qui talis est illam certam quâdam proportione mercedem, quam Deus Pater, coram eadem Birgitta Deiparam alloquens, his verbis expressit? *quia tu mihi nihil negasti in terris, ideo ego tibi nihil negabo in cælis.* Hic Apophthegmatis nostri probè intellecti, nec minùs vsurpati sit fructus.

APOPHTHEGMA VNDECIMVM.

INcredilis, aiebat, rem esse solatij, diligenter secum expendere, quoties diuinis epulis accumbimus, non Christi Domini solùm, sed & matris eius Deiparæ Mariæ carnibus nos refici, ac cibari.

Ex Commentario secreto S.P. Ignat. Paullus Barrij p. 2. Philagiæ.

Commentarius.



Su, ac grato experientiæ beneficio discimus, in magna domo præter vnum Patrem familias, qui caput est, & princeps, matrem quoque aliquam esse oportere, non solùm ad liberos gignendos, sed ad eos deinde lactandos, atque alendos: quod, vt hîc fieri amat, sic & in domo Dei, quæ est Ecclesia, locum solet obtinere; etsi enim communis omnium parens Christus Dominus est, qui suo nos omnes sanguine regenerauit, decuit tamen, suam quoque matrem esse, quæ ad spiritualem hanc vitam, aliquid ipsa quoque, virtutibus, officiis, meritisque suis conferret: hæc autem non alia est, quam mediatrix illa cæli ac terræ Maria, quæ cunctis id, non secùs ac clara quædam ac fœcunda Margaritaria Concha, sufficere consueuit. Et rectè id quidem, neque enim, vt hactenus vulgò creditum est, de rore supernè illapso, digestoque in concha, coalescere solent gemmæ, sed de lacte matris suę, vt curiosè obseruat Anselmus Boëtius, lapidarius insignis, cuius & similitudinem referunt & colorem: quò clariùs propositam rem intelligas, Gemmam illam eucharisticam, quâ nos beatissima hæc Concha felicitare solet, formatam esse de lacte ac

Concha Margaritaria Maria.

ac sanguine dulcissimæ matris suæ, sanguine, scilicet, in vtero: lacte, extra eum, vt sic in illis crescamus in salutem, cuius ratione omnes nos infinitis partibus magis ei deuincimur, quam vlli ex margaritiferis testis, quòd clarissimam nobis gemmam, suo in sinu effingant: quare non abs
S. August. re à S. Augustino *mater membrorum omnium saluatoris appellatur*.

Beneficium ingens, atque immortale! quod nolim intelligas factum ex sola diuinæ, humanæque naturæ in Christo consociatione, cuius sedula & obsequens administra fuit; sed & insuper ratione Sacramenti, in quod, ipsam certo quodam modo, Doctores plurimi tradunt influxisse.

Quod vt clariùs perspiciamus, positâ, facilioris doctrinæ gratiâ, nobilissimi elogij veritate, quod *Angelicus Doctor* sanctissimo Eucharistię Sacramento attribuit, cùm id vocat *diuinæ donationis complementum*, sciendum est, Patrem æternum desiderantem nobis filium suum penitùs dare, filium verò eidem planè donationi consentientem, modum debuisse reperire, quo dari singulis, atque ab eis incorporari posset, in quo non Patrem ac filium solos licet ille primus donationis auctor, hîc verò donum ipsum esset, habemus agnoscere benefactores, sed & matrem, quæ in donatione huius rei, quæ illi cum Patre & filio ratione maternitatis communis erat, debuit consensisse, quod SS.PP. iudicio sufficiens erat, vt vnà cum Patre dici posset filium in ara Crucis obtulisse, & ex consequenti, eundem nos quoque in Ven. Sacramento ex dono matris possidere; tùm quòd illud sit complementum prioris donationis, in quam anteà consenserat, tùm quod res donata ad eam spectabat, quam nobis filius nunquam dedisset, nisi illa consensisset, cùm in eius vtero hominem induens, eius se cõmiserit potestati.

Ratio institutæ eucharistiæ, quæ Sacramentũ est. Sed & alia est ratio, quæ se hisce adiungit, nimirum, cùm virgo primaria censeatur caussa instituti admirabilis huius Sacramenti, necesse habuisse hîc non minimâ gratiâ atque authoritate pollere: licet enim in solatium suorum, quos in hoc mundo orphanos relinquebat, istud instituisse dicatur, iuxta sanctissimi oris sui effatum Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*, omni tamen procul dubitatione asserendum est, plus ad matrem dilectissimam, quam ad cæteros omnes respexisse, quæ eius absentiam grauiùs latura erat, quam omnes simul vniuersi, vt, scilicet, illa post Christi Passionem moras suæ beatitudinis, hâc escâ confirmata, faciliùs ferre posset. Matth. vlt.

Altera ratio. Atque hinc nouum quoddam argumentum exsurgit, quod non parum me iudice, Christum Dominum permouit ad Sacramentum hoc condendum tantopere siquidem arrisit Christo, modus ille, quo Incarnatio in Virginis vtero perfecta est, & Verbum Dei eodem exceptum, tantopere sibi placuit, vt eiusdem repetendi atque iterandi nouam rationem excogitârit: nimirum semetipsum, Sp. sancti operâ, sub speciebus panis & vini denuò contegendo, ad eum modum, quo in Mariæ visceribus tectus, & olim fuerat clausus. Cum enim præcipua & nobilissima Christi opera fuerint Incarnatio & mors, vtriusque similitudinem, & perfectam Imaginem in hoc vno sacramento voluit exhibere: nam corpus ac sanguinem secundum verborum vim secludens ac separans, mortem adumbrauit; at se totam sub speciebus illis concludens Incarnationem retulit, per quam in Virginis vtero nouem mensibus delituit, quo in hospitio, vt antè dixi, tantoperè sibi complacuit, vti, cum iam inde ac posteà maior natu, non posset iteratò in ventrem ingredi, vt Nicodemus benè animaduerterat, aut renasci, excogitauerit modum, quo iterum primam illam domum posset repetere, ita vt vir ætate prouectus, eadem ingrederetur Mariæ viscera, & in eisdem hospitaretur, quemadmodum olim fuerat ingressus, & id qui-

dem toties, quoties Virgo Eucharistiam sumeret, quod, vti apud *Metaphrastem* legimus, quotidie, iuxta morem primitiuæ Ecclesiæ faciebat: *ad diuina*, inquit, *mysteria quotidiè accedebat, & filij corpus, quod prius in vtero gestauerat, sæpè visceribus inserebat.*

Metaphrastes.

Quæ licet omnia eiusmodi sint, vt mentem nostram, animumque in vsu sanctissimi huius sacramenti nata sint erga Virginem maximoperè inflammare, nihil tamen æque præstare id arbitror, quàm, quod verè ac realiter in hoc Sacramento nobis caro & sanguis eiusdem Virginis donetur, *cum*, teste *Arnoldo Carnotensi* lib. de laud. Virg. *vna fit Maria, ac Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: vnitas siquidem diuisionem non recipit, nec secatur in partes, & licet ex duobus factum sit vnum, illud tamen vltrà scindi non potest*: quod & S. Bernardin. tom. 1. serm. 61. prudenter aduertit, dicens: *de carne Virginis benedicta, & in parte corporis eius excisa, consistit, perficitur & terminatur totum decus ac pondus Sacramentorum.*

Arnoldus Carnotensis l. de laud. Virg.

S. Bernardinus serm. 61.

Mirandum in modum illustrari hæc veritas amat cæremoniâ quadam Græcorum, quam in liturgia sua, nonnihil à nostra differente, vsurpant: neque enim hostiam consecrandam ad altare deferunt paratam, & expeditam, vt à nostris sacerdotibus fieri solet, sed de pane magno istuc allato, in cuius vmbilico imago Christi Domini crucifixi cernitur, exscindunt, reliquum verò panem in eulogiam post sacrum iis, qui Christi corpus non sumpserunt, distribuunt, de qua cerimonia scribens S. Germanus lib. de myst. Contempl. rerum Eccles. sic inquit: *Magnus ille panis, de quo hostia sumitur, figura est, intemeratæ Virginis Mariæ, de cuius medio Christi corpus sumptum est, & quamuis per hanc separationem acceperit aliam hypostasin in qua subsistat; nihilominus caro est, & substantia Virginis, non minus quam hostia, pars est substantiæ magni illius panis,* &c.

Liturgia Græcorum.

S. Germanus lib. de myst. contempl.

Ex quo id sequitur, quòd non Christus in SS. Sacramento sit cum sanguine, corpore, anima, ac diuinitate sua, habens etiamnum in sacratissimo corpore suo eandem substantiam, quæ fuit ante in corpore beatissimæ Virginis, nos in S. Communione, non tam habere carnem & sanguinem filij, sed & matris, quia caro Christi, est caro B. Virginis: imo ipsa caro Christi, antequam in Incarnatione à B. Virginis carne decideretur, & daretur Christo, fuit propria caro B. Virginis, eiusque anima informabatur & animabatur, sicut ergo recipimus in Eucharistia carnem Christi, ita & recipimus in eadem carnem B. Virginis Mariæ.

Et hæc pia illa consideratio est vti apertè constat ex commentario eius manu exarato, in quem per singulos dies, quænam rerum spiritualium sensa habuisset, quas illustrationes diuinitùs accepisset referre solitus erat, hæc, inquam, illa consideratio est, quæ gloriosum nostrum Patriarcham S. Ignatium diuinis epulis accumbentem tantis ac tam dulcibus gaudiis, solatiisque implebat, vt nullâ linguâ satis explicare posset: expendebat namque vir sanctus ac prudens filium partem esse matris suæ, quem dum in Sacramento susciperet, non eius solum, sed & matris se carne saginari; quo fiebat vt ardentissimo suo desiderio satisfieri non parum lætaretur, quo hactenus præ sua in Christum, eiusque matrem dilectione suauissimè flagrârat: quamuis enim in vniuersa Hispania pro magna sanguinis nota, & familiam dedecore indicaretur, habuisse maiores è Iudaico genere profectos, S. tamen Ignatius, quamuis hâc labe eius familia infecta fuerit nunquam, multis tamen audientibus dicebat, se singularis diuini beneficij loco habiturum fuisse, si Christi Domini, eiusque beatissimæ matris, secundum carnem, quodammodo consanguineus, etsi remotus, esse potuisset. Quod ex ardentissima ergà Christum dilectione, & mattem eius

Consideratio pia S. Ignatij.

Optabat S. Ignatius Christi Domini ac matris secundũ carnem cõsanguineum fuisse.

eius amore, tantò animi ſenſu ac pietate proferebat, vt à lachrymis non temperaret: cuius vna ratio, ac fundamentum in Virginis Maternitate poſitum eſt, quòd meritò nobis ad eius gloriam, reſtat examinandum, videndumque preſſiùs, quid Medici doceant, atque Philoſophi infantibus à matribus ſuis præſtari, quod cum & indubiè Chriſto filio ſuo à B. Virgine præſtitum ſit, rem omnem nobis claram faciet, ac reddet manifeſtam.

Quid infantibus à Matribus in vtero præſtatur.

Notandum itaque primò Philoſophos, ac Medicos non eodem hîc ſenſu ferri, aliis volentibus membra fœtus immediatè ab anima matris efficienter organiſari, aliis, à ſemine id fieri aſſerentibus. In illud verò conſentire omnes, materiam corporis à matre ſuppeditari.

Secundò Franciſcum Iuſtinum docere, in fœtus nutritione, quamdiu manet in vtero materno, ſanguinem immediatè ſub eadẽ numero forma ſuſtantiali, & accidentalibus omnibus, aut ſaltem pleriſque, ſine noua concoctione è venis matris tranſire ad venas fœtus.

Tertiò, Alexandrum Aphrodiſæum apud Auerroën in I. de gen. cap. 5. comm. 38. Hugonem à S. Victore part. 6. de Sacrament. cap. vltimo. Petrum Lombardum 2. diſt. 30. cap. vlt. & penultimo, tenere, carnem in prima generatione acceptam, nullâ ratione dilabi, ſed ad finem vitæ integram permanere.

At S. Bonauenturam, S. Thomam, Scotum atque Richardum, admittere quidem carnem in prima generatione acceptam poſſe diffluere paulatim, ſed negare tamen totam poſſe defluxiſſe, niſi quis ad extremam ſenectutem peruenerit, vnde Franciſcum Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 1. a. 2. docere, cùm Chriſtus mortuus ſit in flore ætatis, totam ferè materiam à Chriſto in conceptione acceptam remanſiſſe.

Quartò, quamuis in corpore adulti multum ſit, cuius materiam mater non ſubminiſtrarit, nec organiſauerit: totum tamen illi certâ ratione debere referri acceptum, quia prima illa membra, quæ organiſauit anima matris, aut ſemen, cauſſa ſunt, cur per nutritionem, quæcunque adiiciuntur, talia eſſe poſſint; cum nutritio, vt definiunt Philoſophi, nihil aliud ſit, quàm augmentatio viuentis per aſſimilationẽ ſubſtantiæ & quantitatis denuò parte ad illam quæ præceſſit.

Quintò ac poſtremò multorum eſſe ſententiam, quod anima matris vniat animam fœtus actiuè, & efficienter corpori.

Vnde hæc ſequuntur: Primò, Beatiſſimam matrem non tantum ſuppeditaſſe materiam corpori, & diuinis membris Chriſti, ſed eam etiam vel immediatè, vel per puriſſimum ſanguinem ad illud myſteriũ à Spiritu ſancto acceptum, organiſaſſe.

Secundò, eundem numero ſanguinem, qui fuit in venis beatiſſimæ matris, iam in venis Chriſti exiſtere, &, vt habet cõmunis & certa Theologorum ſententia, immediatè hypoſtaticè verbo vnitum, ab omnibus adorandum eſſe, vt Deum, cum ipſum in ſe includat, noſque in Ven. Euchariſtia ſumere illum eundem numero ſanguinem ſub eadem numero forma ſubſtantiali, & accidentali, ſub qua fuit in benedictis venis beatiſſimæ Matris Mariæ.

Tertiò, magnam eius corporis partem, quod iam ſedet ad dexteram Patris, & adoratur vt caro Dei, beatiſſimam Matrem efficienter organizaſſe: imo quidquid in illo corpore eſt, aliquâ ratione ab illâ eſſe cauſatum.

Quartò, cùm vnionem animæ Chriſti ad corpus produxerit effectiuè, conſequens eſſe, quod hominem illum, qui eſt Deus, in eſſe hominis efficienter conſtituerit.

O quæ gloria, quæ dignitas, ac charitas Matris Dei! vultum illum in quem deſiderant Angeli proſpicere, illa produxit? oculos qui longè clariùs ſole, cælum illuminant, ipſa produxit: illum, quem proſtrati adorant

omnes cælestium hierarchiarum spiritus, in cuius nomine genuflectunt omnes, illa produxit: O quantùm nos illi sumus obligati! illos pedes pro nostra salute toties fatigatos, genua in oratione pro nobis flexa, pectus quod toties pro nobis ingemuit, oculos toties lachrymis perfusos manus, pedesque clauis confixos ipsius sunt, ipsa nobis produxit: parum dixi, illam eandem carnem ipsa nobis in Sacramento sumendam, & cum sua quidem, modo ante dicto, præparauit; nam vt bene S. Augustinus in psalm. 98. *De carne Mariæ carnem Christus accepit, & ipsam carnem Mariæ nobis manducandam ad salutem dedit. Caro enim Christi*, vt alio loco dicit lib. de assumpt. c. 5. *quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, & potenter super omnes cælos ascensione glorificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta.* Quibus consentit Petrus Blesensis in tract. de Euch. c. 1. *Eadem*, inquiens, *caro est tunc de Virgine nata, & caro nunc verbo vitæ de pane sacrata.* Quantum gaudium ac solatium omnibus diuino hoc epulo fruentibus! dùm hinc lactantur ab vbere, inde pascantur à vulnere.

S. August. in psal. 98.

Idem lib. de assumpt. c. 5.

Petrus Blesensis de Euch. c. 1.

Veteri quondam lege carnalibus vetitū Iudæis hædum coquere in lacte matris suæ, lex illa nunc desiit, coquitur hædus, coqueturque quamdiu mundus stabit in sanguine matris suæ, nec vllum scitum adeò, ac lautum embamma inuenire est quo diuinis hic sapiat cibus, dum eo pascimur, qui nostri similis factus, hædo se voluit comparare, quam dùm vnà cum lactè matris eum manducamus.

Verè proinde ac sanctè pronuntiasti, Ignati, dùm id nolis prudentissimo tuo Apophthegmate testatū esse voluisti, nullum, quod huic comparari queat solatium ac gustum inueniri, dum sacris his epulis animum reficientes expendimus, non filij solùm, sed & matris nos carnibus saturari; quod te profectò non ex libris, sed ex vnctione Spiritus sancti, internaque experientia, & vsu crediderim didicisse: vtinam & idem nobis omnibus pro tua in nos paternâ beneuolentiâ, Matre Virgine apud filium intercedente, aliquando impetrâris! cum quibus non iam per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem perpetuò deliciaris. Intereà quod partium nostrarum fuerit, nequaquam intermittentes, quoties in vmbra, donec nobis dies plena elucescat, sacra hæc mysteria frequentabimus, post munerarium filium, Matrem beneficam meritis, debitisque gratiis prosequemur, à qua, & per quam tanta nobis priuilegia coruscarunt, vt benè, prudenterque nos monet B. Petrus Cardinalis Damian. ser. de Natiuitate Virginis: *hîc*, inquit, *dilectissimi fratres, hîc rogo perpendite, quam debitores simus huic beatissimæ Dei genetrici, quantasque illi post Dominum gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fasciis cinxit, quod maternâ curâ nutriuit, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in sacramento redemptionis nostræ haurimus. Impar est illi omne humanæ linguæ preconium, quæ de intemeratæ carnis suæ visceribus cibum nobis protulit animarum.* O donum ingens! & nullo satis iudicio æstimandum! de quo sic mellifluus Doctor *Bernardus*, hom. 3. super Missus: *Cùm Deus sit cum omnibus Sanctis propter concordiam voluntatis; specialiter tamen cum Maria, cum qua vtique tanto ei consensio fuit, vt illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi coniungeret, ac si de sua, Virginisque substantia vnum Christum efficeret; vel potiùs vnus Christus fieret: qui etsi nec totus de Deo nec totus de Virgine; totus tamen Dei, & totus Virginis esset, nec duo filij, sed vnus filius vtriusque.*

B. Petrus Damian. serm. de nat. Virg.

S Bernard. hom. 3. super Missus.

Consentit Bernardo Bernardinus: *Virgo*, inquit, *vicinissima fuit filio Dei per carnis identitatem: quia eadem caro, quæ fuit Virginis Matris, facta est caro filij Dei.* Optimè profectò, si enim Laban ad Iacob nepotem ex sorore, dicere licuit, Genesis 29. *Os meum, & caro mea es*; & Iudæ de Ioseph

S. Bernardinus.

Genesis 29. Item 37.

ſeph.c.37. *Frater enim noſter eſt, & caro noſtra*: quantò magis hoc dicere poteſt. Virgo ſanctiſſima de filio ſuo, qui non ſolùm ex puriſſimis ſanguinibus eius ſolius, ſine viri ſocietate carnem accepit, ſed eandem ſemel aſſumptam ſubſtantiam nunquam dimiſit, nec continuâ actione caloris naturalis reſolutam perdidit, ſed eandem omnino ſemper conſeruauit, quod ex temperatiſſimo cibò, quo vtebatur Christus, & ex ſpeciali prouidentia & voluntate eiuſdem factum. Suarius noſter tradit, vnde quoque fit, vt in Ven. Euchariſtiæ Sacramento, non vnius filij, ſed & Matris carne veſcamur: quod denuò eruditiſſimus *Petrus* Card. Damiani confirmat his verbis: *manat aliquid ex vberibus Virginis, & in carnem vertitur Saluatoris, vnde illud abſque vlla dubitatione, & non aliud nunc de ſacro altari percipimus, dùm eius ſanguinem in Sacramentum noſtræ redemptionis haurimus*. hom. 1. de nat. Domini.

Tom 2. in 3. p diſp. 2. ſect. 2.

Petrus Damiani. hom. 1. de nat. Domini.

Quinto gaudio delibutam fuiſſe exiſtimamus Virginem, dùm filium lactans, hæc conſideraret, lac illud ſc. quod paruulo inſtillabat vertendum in ſanguinem, quem ſuo tempore in ſalutem humani generis eſſet profuſurus. Augebat gaudium dùm expenderet idem lac, quod filius ſugebat, puratum animarum delicias in Euchariſtiæ Sacramento futurum: Vnde quicunque Chriſti carnem edit & ſanguinem bibit, poſt Deum Virgini gratias referat, neceſsè eſt. Nec mirum: ſi enim Virginis vbera tantoperè extulit Euangelica illa Marcella, quæ necdum Chriſti carnem ederat, nec ſanguinem biberat; quantis par eſt à nobis eadem celebrari, dùm Euchariſticæ menſæ accumbimus? in qua nobis caro eius & ſanguis in cibū propinantur & potū. Ita certè nos docet Richardus à S. Laurentio l. 1. c. 2. de laud. D.V.M. expendens prædictæ mulieris verba: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*. Luc. 11. 27. *Quòd ſi*, inquit, *beatificat eam mulier, quæ adhuc carni & ſanguini eius communicare non meruit: longè à nobis beatificanda eſt, qui de eius carne & ſanguine reficimur in altari*. Beneficio ſanè quoties ad ſacram ſynaxin accedimus, vel maximè, memorando!

Gaudebat B. V. lactās filium dum conſiderabat lacte iſto nos paſcendos ac redimendos

Virgini Matri à communicantibus gratia referenda.

Richarius à S. Laurētio l. 1. c. 2.

Sed paulùm id, ac modicùm; cùm citrà verba ac ſermonem conſiſtere amat gratia: vltrà tendere oportet.

Ac primò, cùm optima hæc Mater cæleſtem hunc panem hunc ad animarum noſtrarum nutrimentum, non abſque ſuis quoque impenſis præparârit, quid aliud ſingulis materni cordis ſui motionibus deſiderare cenſenda eſt, quàm vt eo frequentiùs vtamur? quo namque hæc eius verba tendere aliàs videantur? quæ diuina ſapientia ex eius olim perſona ſanctiſſimè profudit. *Venite*, inquiens, *comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*. Prou. 9. 5. & iterum Eccli. 24. 26. *tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*: Quibus verbis Dei mater deuotos ſibi inuitat, vt impleantur generationibus ſuis, benedicto, inquam, fructu ventris ſui. Benè itaque ac prudenter à nobis factum fuerit, pronis auribus, ac mentibus tam ſplendido inuitamento obſecundare.

1. Gratitudo frequentiùs tanto beneficio vti.

Prou. 9. 5. Eccli. 24. 26.

Secundò, priuſquam huc nos inferamus, Virginis opem, auxiliumque imploremus neceſsè eſt, cuius exemplum in S. Ioannis Chryſoſtomi Liturgia nacti ſumus, vbi talem omnibus ad diuinam menſam appropinquantibus precandi formulam præſcribit; *Fac me Domine, per immaculatæ, ac ſemper Virginis Mariæ interceſſionem dona tua dignè ſuſcipere, vt mihi non ad condemnationem, ſed ad vitam proueniant ſempiternam*.

2. Virginis opė imploratâ ad ſacram Menſā accede.

Nec abſimile eſt quod domi in P. Claudio Aquauiua Quinto Societatis noſtræ Præpoſito Generali diuina nobis bonitas oſtendit, de quo ſic Franciſcus Sacchinus in eius vita ſcriptum reliquit.

Exemplum Claudij Aquau. ex Franciſco Sacchino.

Diligentiſſimè ſe ad ſacrum præparabat, donec veniret ad illud S. Bonauenturæ: *cum fueris totus alte-*

ratus,

ratus, & diuinus effectus, ita vt nihil videas nisi Deum, tunc accedas. Ibat ad altare cum hac oratione ex S. Bernardo, quam olim obseruauerat in P. Benedicto Palmio, cum ei ministraret. Erat autem eiusmodi.

„ Per te accessum habemus ad filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua, culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati, copiosa caritas tua, nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo filio nos repræsenta. Fac, ô! benedicta per gratiam, quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, vt qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes nos faciat gloriæ & beatitudinis suæ Iesus Christus filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen. Ita ille: alij, Virginis fauores, quos hic experti sunt, recensebunt, cuiusmodi fuerint.

Quanto auxilio communicaturis ad sit B.V.

B. Hermannus.

B. Hermannus Steinfeldiensis Canon. Præmonstratensis, qui dum sacris ad honorem Virginis operatur, eam vidit, cum aureo calice, in cuius medio crux erat aurea, adstantem, ac denique, diducto pectore suo, vnà cum Calice & Cruce in illud se recipientem. Surius in vita cap. 42.

S. Siluester, qui dum nocte precibus incumbens à Deipara visitur, atque ab eadem interrogatus an corpori dilecti filij sui communicare desideraret? Aiens: ab eadem propriis manibus eodem impertitus est, simulque lumine scientiæ maximæ, vt exinde omnia scripturæ mysteria penetraret. Andreas Fabrianensis in vita.

Ciuis Panormitanus.

Erat Panormitanus vir primarius, qui cum statuisset die sequenti communicare & ineunte nocte ad multas horas acerbo lateris dolore correptus esset, qui certo communionem impediturus erat: Ad B. Virginem conuersus, age, inquit, Domina, tuo mihi fauore fiat, vt ad templum ire & communicare queam: posteà, nec deprecor, dolor redeat, hoc tantùm indulge. Mirum dictu, vix hæc dixerat, somno sopitur, cum ante nec oculos conniuere potuisset, & duas post horas somno ac dolore solutus, expergiscitur; mox ad templum vadit, communicat, tabellam suspendit, eo certius, quod quindecim dierum spatio talis morbus curari solitus non esset. Ita diuinis, suisque epulis magna Virgo ac mater ritè inuocata, reficere nos studet. Annales Soc. Quid autem dixerimus de Cardinale illo Hispano, quem Ioan. Eusebius Birenberg. cap. 23. scribit sub vltimum morbum, vitæque extrema eo deductum fuisse, vt ad sacrum sumendum viaticum os aperire nullo modo posset, quando è cælis adfuit Maria, virgineaque manu sua clientis labia disiunxit, osque aperuit, ipse autem Christi corpore pastus est. Fortunatus Cardinalis; non tam à purpura celebris, quam à Christi & Matris eius carnibus memorandus.

Et sanè ad hoc quod attinet, non mea solius, sed plurium aliorum vtilis, veraque sententia est, synceram ac feruidam Virginis huius inuocationem, per merita dignissimi sui apparatus, quo Deus eam, vt primam disposuit, ad filium suum dignè suscipiendum, maioris fore efficientiæ, quàm aliud quodcunque humana diligentia à nobis excogitatum.

3. Imitatione virtuti B. V se præparare conuenit ad Euchar.

B. Petrus Damiani serm. de nat. B.V.

Tertiò denique & vltimò illæ nobis imitandæ veniunt virtutes, quibus ipsa in hoc opere eluxit. nam vt bene B. Petrus Cardinalis Damiani sermone de natiuit. Virg. *mirabile quidem fuit Christum concipi in vtero carnis, sed non est inferius, si in pectoris ergastulum deferatur,* cum ex sententia,

Communicans similis Virgini matri Christum vtero recipienti.

tia, iudicioque S. Thomæ Aquinatis, opusculo de sanctiss. Sacramento, is qui illud suscipit similem se faciat Virgini Matri suo verbum æternum vtero excipienti: vnde, quis non videat? quantâ illi obligatione deuinciantur, vt quotquot istud participant, illi, quàm proximè studeant assimilari, dum sordibus omnibus atque inquiramentis exuti, corde puri, oculis simplices, auribus circumcisi, innocentes manibus, intellectu synceri, voluntate feruentes, totius se fonti sanctitatis immergant, quo fiat, vt ingens illud, iucundumque solarium ex carne filij, matrisque in diuino hoc Sacramento suauiter participata, quod Ignatius sensit, nobisque omnibus gustandum proposuit, omnes mirificè hic experiamur: vnde mira quædam affinitas, & velut quædam necessitudo cum beatissima Virgine Maria, non tantum secundùm spiritum, & mystica solam, sed & realis secundùm corpus, naturamque exsurgat. Nullus enim homo propinquior est affinitate alteri, quã nobis sic coniugatur Maria. Qui corpus Christi suscipit in Eucharistia, vnione quadam reali, fit vna caro cum Christo; vt non sit vnio alia, & coniunctio tam propinqua & similis inter homines, etiam maritum & vxorem; quare etiam putare nos possumus affines Matri ipsius Christi, & reputare eandem habere carnem. Maior namque coniunctio physica & realis inter Deum & hominem talem exsurgit, quam inter illum & patrem eius: qualis ergo erit affinitas quam contrahit cum matre ipsius Dei? Quæ maior vnio creata & realis potest esse, quam est inter verbum diuinum & sacratissimam humanitatem Christi, ex Mariæ visceribus acceptam? & quæ vnio consanguinitatis potest esse maior, quam fuit inter Christum & Mariam? Igitur affinitas & coniunctio secundum naturam nostram, quam habemus cum beatissima Virgine excedit vna omnes hominum affinitates: quare si homines solo titulo consanguinitatis & propinquitatis se iuuat, & ad se inuicem pro auxilio accurrunt, cur non, post sacrosanctam synaxin, accedamus ad Mariam, cum qua iam maximam necessitudinem contraximus, & propinquitatem?

Quanta & sacra communione affinitas exsurgat inter B. Virginem & communicantem.

Hæc tua, magne Ignati, scita fuerunt, atque dictamina, dùm apud nos degeres: hæc vota, non dubia postquam nos deseruisti, cumque locum non animum mutaueris, Deo vicinior iam factus, effice in nobis quod docuisti.

APOPHTHEGMA DVODECIMVM.

CVm ex eo quæsitum esset, quænam obedientiæ foret dignitas, atque præstantia? quemadmodum, inquit, in hominum vita, duæ sunt hominibus proposita ad beatitudinem viæ, altera peruulgata & communis, quæ diuinis præceptis seruandis continetur: altera illorum tantum, qui Christi consilia toto pectore complectuntur, quæ via Religionis est; sic in ipsa Religione duo sunt obedientiæ genera, quorum alterum imperfectum est, alterum perfectum, in quo vis obedientiæ elucet. Imperfecta obedientia malè oculata est; perfecta, sapienter cæca: illa iudicium suum de imperatis rebus sibi seruat; hæc iudicium proprium non habet: illa in alteram propendet partem; hæc in neutram potiùs mouetur: illa mandatis paret, iudicio repugnante; hæc iudicium iudicio, voluntatem suorum superiorum subiicit voluntati, atque hanc virtutum omnium ducem ac Magistram, humilitatis filiam, nutricem caritatis, Iustitiæ comitem, securæ mentis iuge conuiuium dicebat.

Ribadeneira l.5. c.4. Oliuerius Manaræus in epist. ad Nic. Lancicium. Maffellus in M.S.

Commentarius.



Laus Obedientiæ.

QVantus omnium laudibus ac testimoniis ornata semper fuerit virtus Obedientiæ, pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena est exemplorum nouitas, atque vetustas. Illam certè à clarissimis viris, qui iudicio atque sanctimoniâ floruêre, incredibiliter commendatam, & singulari præconio affectam vbique est inuenire: illam in templo pietatis, velut in summo tholo videre consecratam. Illius splendor in tenebris quoque gentilitatis emicuit, præsertim in eorum hominum cœtu, qui sapientiam, & honestæ vitæ genus professi sunt: inter eos autem qui Christianis legibus, sacrisque ritibus inaugurantur de admirabili eius dignitate tot ac tanta axiomata, tot veluti de cælis allata celebrantur oracula, vt neminem vel ab ea alienissimum de amplissimo dignitatis eius gradu dixeris posse dubitare; inter quæ dum non imprudens, neque inconsultus, præsens hoc S. Ignatij Apophthegma recenseo, nescio quid in schola Christianæ sapientiæ dici de illa possit illustrius. Alibi hominem se præstitit Ignatius, hîc verò perfecti consilij Angelum, dùm Obedientiam tam scitè atque absolutè depinxit, vt, si ab illo discesseris, nullus queat perfectiùs eam expressisse. Eximia sanè species est, formaque longè præstantissima, quam nobis exhibuit, quâ nescio, an vlli inter omnes virtutum apices debeat cessisse obedientia? Sacrificium fortasse nominabis, cui debeatur hic principatus: sed quid de eo in diuinis monumentis Dei spiritus

tus dicat, priùs attende: *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs, vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.* 1. Reg. 15. 22.

1. Regum 15. 22.

Quod dictum Catholicæ Ecclesiæ Patres semper suspexere, & commendatum egregiè ad posteros transmiserunt, quos inter sapientissimæ pietatis Antistes Augustinus sic loquitur: *Obedientia commendata est in præcepto, quæ virtus in creatura rationali mater quodammodo est omnium, custosque virtutum.* Et magnus ille Venetorum Patriarcha Laurentius Iustinianus vitæ sanctimoniâ, doctrinâque clarissimus: *sicut sine duce,* inquit, *non confiditur de victoria, ac sine gubernatore non peruenitur ad portum: ita absque obedientia impossibile est in huius vitæ pelago non periclitari: ista enim hominem facit triumphare.*

S. August.

Laurent. Iustinianus

Vnde luce clarius patere arbitror quam solenniter illi desipiant, qui obedire vile quiddam & abiectum esse autumant, cùm non tantùm ipsius rei naturâ, sed prudentum omnium opinione pulchrum honestumque creditum sit, quod vel vnius Aristidis Atheniensium quondam iustissimi suffragio velim confirmatum, qui dum, teste Plutarcho, ad Marathonem esset Prætor, cum Miltiade, aliisque simillimæ dignitatis, & vicissim ad Prætores singulos, quotidianâ mutatione, summa potestas circumferretur, vbi ad eum vices rediêre, Miltiadi imperium concessit. Id Collegæ mirabantur, minimeque probabant, quod cum posset imperare, & aliis præesse, subdi potiùs alieno imperio voluisset. Resciuerat Aristides, cùm magnificè illos docuit, atque sapienter, non esse turpe obedire prudentibus, eosque sequi, sed amplum & salutare. Hallucinatus fuisse hac in re forte aliquibus videatur Aristoteles, dum 6. Politic. cap. 2. contendit seruile esse viuere, non vt velis, ad libertatem namque pertinere, ex animi sui sententia viuere arbitratus. Quamquàm hoc dictum non deprimat laudabilem obedientiam, quæ in virtutum studiosis liberrima est: sed seruilem abiectionem notat, quæ cùm omnis honestatis expers sit, cogi debet, & vi potiùs, quàm suâ sponte ad officium trahi.

Obedire gloriosum est.

Explicatur Aristoteles, visus contra sentire.

Sed quidquid tandem Stagyrites ille Peripati Magister voluerit, inter Christianos ab alieno pendere imperio, nutuque virorum prudentium vitæ suæ cursum moderari, nobile, & diuinæ cuiusdam libertatis argumentum, habitum semper fuit. Quod & ipse Deus qui ante, Prophetis atque Doctoribus lumen ac vocem infuderat, ad virtutem hanc mortalibus commendandam notasse voluit, cùm iam inter homines homo factus, eandem tùm verbis, tùm exemplis iustissimè consecrauit. *Et erat subditus illis.* Luc. 2.

Et ad verba quidem quod attinet, infinita dixerim ea, quibus obedientiam suasit. Ex vno, sed multis antistat, audire vos reliqua ac discere cogitate. Iam suis communis mundi magister ad omnem virtutem patefacere aditum cœperat, cum interea quæ beatissimæ vitæ, salutisque præsidia sunt, statim petendâ esse ab æterno Patre obediētiam iudicauit, & eâ quidem tam claram, atque insignem, vt certare, contendereque cum cælesti videatur & beatarum mentium obedientiam adæquare: *Fiat voluntas tua,* inquiens, *sicut in cælo, sic & in terra.* Optimè! est enim propria virtus Angelorum obedientia, quod ab aureo ore commendatus orator serm. 30. de diuers. sic expressit: *Quid precipuum in Angelis & magnificum videmus? profectò, quod cum omni cura obediant Deo: quod David etiam admirando dicebat: potentes virtute facientes verbum eius: huic enim bono nihil æquale est, etiamsi millies incorporei sint: hoc namque maximè beatos illos efficit, quòd obediant preceptis Dei, quare cùm ad eos nos mittat Christus, insigne nobis imitandum exemplar ostēdit.*

Lucæ 2. Doctor à Christo Domino obedientia suadetur.

Matth. 6. 10. Obedientia virtus Angelica.

Chrysost. serm. 30. de diuersis.

Sed neque diuinus hic zelus illius, intra pauca hæc verba stetit, ad facta, exemplaque nobilissima se extendit

Obedientiã Christus facto docuit.
S. Ambrosius.

tendit: de quo est illud mellifluissimi Patris *Ambrosij*, qui mel ante habuit in ore, quam voces, grauissimum acroama: *Potestatis author, obedientiæ magister, ad præcepta virtutis suo nos informat exemplo*: atque ita penitùs res se habet, piæ omni quod vsquam ab omni memoria præbitum exemplum fuit: non enim is contentus in matris vtero, primoque conceptu obedientiæ votum nuncupasse, quo se æterno Patri ad mundi afferendam salutem obligârat, cùm lucem quoque non priùs videre voluit quã obedientiam. Neque enim domi suæ natus fuit, sed cùm prægnans mater ex Cæsaris edicto, se Bethlehemum contulisset, in ipso obediendi exercitio, primum inter homines voluit videri quo in natali, non aliam habuit obstetricem, quam obediẽtiam, illam suauiatus & arctè complexus est, vt deuotionis suæ dulcem nutricem futuramque comitem, cum qua tota vita versaretur, neque ante supremam diem, abdicâret: quod tantâ fide amoreque præstitit, quasi in ea virtute salutem omnem valetudinem, ac vitam suam collocatam arbitraretur.

Accedit, vt horâ prandij iam elapsâ oblatos ab Apostolis cibos non attingeret: vrgebant illi, instabantque vt comederit: quid ille? *meus*, inquit, *cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius.* Itane obedientiâ viuitur? vtique, sed quibus defæcato oris palato, spiritualis stomachus cibum appetit cælestem. Et talis quidem Christo cibus obedientia erat, hæc virtus illi propheticum mel, butyrum, nectar, & ambrosia erant. Obedientiam Persico omni apparatu iucundiorem existimabat.

Ioan. 4. 34.

Cibi varij diuersis palatis arrident.

Conuiuarum alij erga alias afficiuntur, ac propendent dapes, hi Phasidis auem, hi ostrea è Baianis æstuariis lecta, illi capum, isti anates magnâ appetentiâ, esurieque prosequantur, sic Achilles Leonum medullis: Latona porro, Tiberius Cæsar cucumere, Plato ficubus, Arcesilaus vuis, Philippus Macedo, filiusque eius Alexander pomis impensè delectati: At rex noster mundique sospitator Iesus, non alium cibum, quàm obedientiam appetiit, cuius vnius cælestem habuit orexin, ex hac inexplebilem cepit voluptatem.

Qualis obedientia Deo grata sit.

Sed nec solâ hâc suâ obedientiâ delectari censendus est, nostra quoque quam eius amore, atque imitatione homini exhibemus, ipsi grata, acceptaque est. Verum cùm dapes etiam exquisitissimæ, cibique solidissimi, si lauto, scitoque embammate, vel salgamo careant, aut destituantur, insipidi, atque iniucundi palato accidunt; idem hic vsuuenire credendum est.

Sua Christo obedientia cibus sapidissimus fuit, quia congruenti ac gemina quidem conditura ritè perfusus, sine qua nec ei sua potuisset sapere parentia, neque nostra ei aliquando arridere, aut dulcem elaborare saporem queat.

Addeo verum dixeris axioma illud in Apicij quondam schola, id est, coquina natum: condimentum siue embamma cibo gratiam, saporemque conciliat.

Ad Primum igitur ex gemino illo Christianæ obediẽntiæ embammate, quod attinet, propriæ voluntatis est Abnegatio. Ita magnus monuit *Gregorius, obedientia*, inquiens, *victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisque Deum citiùs placat, quantò ante eius oculos, repressâ arbitrij sui superbiâ, gladio præcepti se immolat.* Quo nixus fundamento magnus & ille veritatis Philosophus ac Phœnix ingeniorum S. Thomas Aquinas, pulcherrimâ quâdam subtilique ratione rem totam illustrat: Concesso, quod ex S. Augustino certum habendum est, Christiani hominis perfectionem in eo consistere, vt perfectè cum Deo, summo bono suo copuletur, in hunc modum ratiocinatur: *Inter virtutes morales tantò aliqua potior est, quantò quis maius aliquid contemnit vt Deo inhæ-*

S. Gregorius l. 35. Moral. c. 10.

S. Thomas Aquinas 2. 2. q. 104. a. 3.

inhæreat: sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo potest contemnere propter Deum, quorum infimum sunt exteriora bona? medium autem, sunt bona corporis: supremum, sunt bona animæ. Inter quæ quodammodo præcipuum est voluntas, in quantum scilicet per voluntatem homo omnibus aliis bonis vtitur. Et ideo per se loquendo, laudabilior est obedientiæ virtus, quæ propter Deum contemnit propriam voluntatem, quam aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia bona contemnunt. Additque paulò pòst, aliarum virtutum opera. ex eo vim gratiamque consequi &, esse meritoria apud Deum, quod fiant vt obediatur voluntati diuinæ. *Nam si quis*, inquit, *etiam martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc erogaret ad impletionem diuinæ voluntatis quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possent sicut nec si fierent sine charitate, quæ sine obedientia, esse non volet.* Hactenus ille 2. 2. q. 104. a. 3. Et nominis etymon rectè consentit, nam vt Seraphicus Bonauentura in Centiloquio sect. 44. *Quid est obedientia? spontaneum*, inquit, *& rationabile propriæ voluntatis sacrificium: vel, pio studio propriæ voluntatis abnegatio.* Et sanè destitui illum voluntate sua necesse est, cui aliusDei nomine & authoritate præsideat: quod veteres illi Iurisconsulti notarunt, cum inter Regulas Iuris, quartam hanc esse voluerunt: *Velle non creditur, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini.*

S. Bonauentura in Centiloquio sect. 44.

Regula iuris.

Ratio autem est, quod cum propria voluntas, pietatis labes, ac vitiorum omnium fons esse perhibeatur, omneque id quod ex eius arbitrio fit, alienum sit à cultu virtutum, vt S. Basilius scriptum reliquit, eam ante exui, tollique necesse sit, quam diuina ingrediatur.

Quænam sit propria voluntas.

In quem sensum prudenter aduertit S. Bernardus magnus ille admirandæ pietatis, doctrinæque antistes, cum docet eam dici propriam voluntatem, quæ non est communis cùm Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quid volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Cum hac itaque, quisquis verè obediens esse desiderat bellum suscipiat, necesse est: cum hac Christiano Herculi, velut in apto quodam Erymanthio, aut Lernæâ peste assiduè dimicandum est, canente classicum S. Præsule *Anselmo* de Incarnat. cap. 4. *Solius Dei est propriam habere voluntatem, id est, quæ nulli subdita sit: quicunque igitur propriâ voluntate vtitur, ad similitudinem Dei per rapinam nititur, & Deum propriâ dignitate & singulari excellentiâ priuare.* O scelus! hastâ, clypeoque fugandum, aut succumbendum: neque enim, vt S. Prosper, scriptum reliquit sententia 286 *fieri potest vt voluntas propria, non grandis ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat.*

S. Anselmus de Incarnat. c. 4.

S. Prosper sententia 286.

Sed neque hac impressione factâ hosteque fugato vir obediens plenam loquetur victoriam vltra pergendum est: alterum hic latere hostem crediderís, & priore illo quidem periculosiorem, cum hoc quoque confligendum est, sc. proprij iudicij, arbitriique sententia, quam nisi quisque infregerit, atque ab se abdicare didicerit, obedientiam mentiri potiùs, quam profiteri dicendus sit: & hoc altera sapidæ illius obedientiæ conditura est, de qua re planè eximiè nostri ordinis fundator Ignatius, à Deo lectus, ad virtutem hanc postliminiò, multorum mentibus restituendam, tum hîc, tum alibi disseruit, cuius cælestis omnino prudentiæ magnitudinem præstantissimi quique viri suspexerunt. *Aiebat igitur faciendum illi esse, qui ad huius virtutis perfectionem aspiret vt præter voluntatem etiam intelligentiam offerat Deo, nec solum idem velit, sed etiam idem sentiat, quod superior. iudicioque illius subiiciat suum, quoad potest deuota voluntas intelligentiam*

Altera conditio obedientiæ vt ea Deo grata sit.

S. Ignatij de re proposita iudicium.

 „ *infle-*

„ *inflectere, atque efficere, vt in hanc*
„ *potiùs, quam in aliam partē inclinet.*
„Cùm enim obedientia sit renun-
„ ciatio quædam integra, per quam
„ omni suo iure spontè decedit ho-
„ mo, vt diuinæ prudentiæ. superio-
„ ris sui ductu, gubernandum atque
„ possidendum vltrò se addicat, at-
„ que emancipet: negari non potest,
„ quin obedientia comprehendat
„ non solùm executionem, vt impe-
„ rata quis faciat, & voluntatem vt
„ libenter faciat, verum etiam iudi-
„ cium, vt quæcunque superior man-
„ dat, ac sentit, in quibus nulla sce-
„ leris contagio est, eadem inferiori
„ & recta & vera esse videantur, qua-
„ tenùs vi suâ potest voluntas intel-
„ ligentiam flectere. Cuius rei digni-
„ tatem & necessitatem etiam osten-
„ debat, quod iudicio suo quisque
„ falli & errare potest, & maximè in
„ propriis rebus atque negotiis, in
„ quibus meræ tenebræ sæpè oboriun-
„ tur, propter animi perturbationes,
„ quæ lucem & diem eripiunt, vt ve-
„ rissimum id vulgare dictum videa-
„ tur: *in causa propria neminem bonum*
„ *& æquum Iudicem esse posse.* Qua-
„ propter diuinum ac præstabile sa-
„ pientis oraculum est: *ne innitaris*
Prou. 3. 5. „ *prudentiæ tuæ.* Prou. 3. 5. Atque in
„ humanis quoque rebus sapientes
„ monent, esse verè prudentis in pru-
„ dentia sua non confidere, quâ mul-
„ ti ambitione elati, & superbia ge-
„ stientes ad indigna rapiũtur. Quod
„ si itaque è præceptis tum diuinæ,
„ tum humanæ sapientiæ, alterius
„ tametsi non superioris iudicium,
„ atque consilium propriis in rebus,
„ nostro anteponendum est, quantò
„ magis ipsius superioris, cui nos, vt
„ Dei vicem gerenti, ac diuinæ vo-
„ luntatis interpreti tradidimus mo-
„ derandos? Addebat, id ni fieret,
„ clarissimarum omnium virtutum
„ ruinam sequi, atque obsolescere,
„ quæ alioquin piam & deuotam o-
„ bedientiam comitari solent. Nam
„ vbi, qui obedit, iudicio à superiore
„ discesserit, continuò sentiet animũ
„ frangi & debilitari in exequendi
„ studio & celeritate, minui constan-
„ tiam, & fortitudinem in arduis re-
„ bus, cum iactatione animi, labefa-
„ ctari, hærebit dubius, an facere ex-
„ pediat, aut non, quod iubetur. Vn-
„ de perite obedientiæ soror humili-
„ tas, cum morosus ille obediens iu-
„ bentis consilio anteponit suum, &
„ fortè intimo in animo damnat su-
„ periorem, vt ineptum hominem,
„ vt præcipitem, vt rerum inscien-
„ tem. Intercidit læta pax, & animi
„ tranquillitas, diligentia perseue-
„ rantia, ardorque laudabilis: & suc-
„ cedunt in eorum locum dolor, mo-
„ lestia, remissio, nausea, inconstan-
„ tia, obmurmurationes, excusatio-
„ nes, aliaque eiusmodi vitia, quibus
„ obedientiæ prætium ac meritum
„ prorsus extinguitur.

Ita Ignatius in aurea illa sua de patendi virtute, parænetica epistola, cuius quot apices, tot perfectæ obedientiæ sidera videor intueri, vbi cũ inter religiosi hominis dotes vni huic virtutum omnium principatum sine vlla dubitatione concederet, volebat non nimis oculatam & prudentem apud semetipsam esse oportere, aut rationes rerum agendarum exquirentem: sed potiùs cæcam: ita tamen, vt si græcis licuit cæcos quosdam nominare πολὺ βλέποντας, multum & acutè videntes, cæca obedientia donanda eo nomine iure videatur, cum ea cæcitate nihil videatur luminosiùs & præstantiùs ad meritum, siue perfectionem posse inueníti: è diuerso, qui sapientes apud se esse volunt, atque aciem mentis intendere ad ea diiudicanda, quæ imperantur, in Cimmerias sæpè vmbras incurrunt, & illud patiuntur, quod intuentibus solem in Eclipsi euenire prodit Galenus, vt excæcentur quæ res vna sufficere abundè posset ad strenuam præclaramque operam nauandam omnibus, quotquot in hac acie velint esse victores. *Quenam obedientia cæca. Modus pl. mus.*

Sed acres sunt, inquies, hostium impetus, bellum graue, ac periculosum, arma formidanda: fateor, sed desidibus ac meticulosis, quibus si

fortè animus foret ea cominus intuendi, aut prudenter secum explorandi, non ea iam formidare decernerent, sed propulsare.

Verum quænam illa tela sunt, quibus hoc genus obedientiæ ab aduersariis oppugnatur? detexisse crediderim, vicisse erit.

Obiectiones contra cæcam obedientiam. Primum itaque quod aiunt, eiusmodi est: esse id proprium iumentorum, quæ non ratione, quam Deus humanarum actionum ducem esse voluit, sed externo freno regantur.

Quam verò procul hi à scopo deuient, dum cæcum id obedientiæ genus iumentorum proprium asserunt, vel inde patet, quòd verè sapientum iudicio, Sanctorum Patrum calculo, magni potiùs iudicij facinus, & altæ cuiusdam mentis opus dicendum sit, Dei causa iudicium suum deponere & sequi alienum: neque enim pecudum more virgâ, frænoque istuc adigimur, sed animo lubenti, ac sponte eò ferimur, alienis oculis fisi, viam captantes, in qua certò intelligimus sic nos errare non posse.

Clarum autem id fiet, si attentè perspexerimus, non desiderasse B. Ignatium à nobis obedientiam absolutè cæcam; sed adiuncto verbulo, dicendo: cæcam quandam obedientiam quo eandem restrinxisse visus est, vt significaret nequaquam se prætendisse obedientiam penitùs cæcam, sed certo quodammodo talem & certo nequaquam talem. Quis enim non videat subditum intelligere debere mandatum superioris, vt expleat, cùm enim ratione præditus sit, non potest, nisi illius ductu constanter obedire, quod in iumenta non cadit.

Secundò, displicere debet, an cuiquam peccato, id quod præcipitur implexum fit, vt ipse variis locis expressit, tùm, vt illo inuento, non obediat, tùm verò non inuento, obedientiam præstet.

Tertiò, si grauari se super vires existimet, minimè vetatur, quo minus ad superiorem referre id possit, proponere namque vt ait constitut. p. 5. c. 14. quæ in animo versantur, quæque in contrarium occurrunt, licitum est, animo & ante & post manente æquissimo, ad eam rem de qua agitur, suscipiendam, vel deponendã.

Regula S. Benedicti consentit. Quod & S. Benedicto probatum quoque fuit cap. 68. Regulæ, vbi dicit: si omnino virium suarum mensuram videret pondus operis excedere, impossibilitatis suæ causas ei qui sibi præest patienter & opportunè suggerat &c. Vnde liquidò patet qualis cæcitas in obedientia à S. Ignatio requisita sit, non quæ in brutis animantibus, aut insensatis iumentis, sed in homine ad omnem virtutem insigni reperiri solet, cæcitate hâc in eo potissimum consistente, vt homo non proprio iudicij sui lumine ductus, quod facere iubetur expendat, bonúmue id sit, vel malum, vtile aut inutile, sed omni cum simplicitate pareat, iustum ac bonum esse arbitretur, quod facere à superiore iubetur, non secùs ac luminibus captus non videt oculis suis, sed alienis, non seipsum ducit, sed ab also ductatur, ita & hic non fidit iudicio suo, sed superioris, non obedit, quia videt, aut iudicat, sed quia superior ita iudicauit. Et de hac loquitur B. P. cap. 1. p. 6. in hunc modum: *Obedientia tùm in executione, tùm in voluntate, tùm in intellectu sit in nobis omni ex parte perfecta, cum magna celeritate, & gaudio, & perseuerantia quidquid nobis iniunctum fuerit, obediendo, omnia iusta esse nobis persuadendo, omnem sententiam, & iudicium nostrum contrarium cæcâ quâdam obedientiâ abnegando, & id quidem in omnibus vbi definiri non potest aliquod peccati genus intercedere.* *S. Ignatij iudicium de cæca obedientia.*

Modus secundus cæca obedientia. Alterum verò in quo cæcam illam obedientiam S. Ignatius constituit, in eo situm est, vt rationem & causam cur ita imperet superior, subditus non exquirat, sibi credens salutare quidquid ille præceperit, nec de sententia eius iudicet, aut præcepta discernat, cuius officij est obedire & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse: *audi Israël, & tace*: Et hæc est

Hebr. 11. cæca illa obedientia Abrahæ, *quâ egressus est de terra & cognatione sua, nesciens quo iret*, vt ait Apostolus ad hebræos c. 11. Verus obediens caussas non requirit. prima hæc dæmonis techna est, quâ Matrem Euam nequiter circumuenit: *Cur præcepit vobis Deus?*

Atque hi duo illi modi sunt, quibus nos S. P. Ignatius in cæca obedientia non iumenta, sed viros desiderat esse perfectos.

Quomodo verus obediens iumentum dici queat. Quamquam, ad nomen Iumenti quod attinet, dicere quoque liceat, posse obedientes sacra quædam esse Iumenta, è quorum numero se Dauid esse sanctissimè fatebatur, cum ita Psal. 21. caneret psal. 21. *Vt Iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*: quæ verba sic commentatus legitur S. Basilius, S. Basilius in ps 21. *quemadmodum Iumentum obsequitur ei, à quo ducitur, nihil scrutans, quo ducatur: ita gratia tua gubernatus, sequar & ego, prouidentiam tuā haudquaquam curiosè inuestigans*: Quæ sanè obedientiæ perfectissimæ forma est. Felix itaque Iumentum, quod semper apud Deum est, nec fieret, nisi prærogatiua excellentissimæ dignitatis, obedientiæ hoc genus diuino Numini carum, acceptumq; foret.

II. *Obiectio contra cæcā obedientiā.* Altera, qua virtus hæc quatitur, sed non concutitur, Catapulta pessima est: Dementium, inquiunt, atque stultorum est; indignum planè hoc animante rationis principe, vt obstructo velut mentis & iudicij lumine, ad agendum feratur, hoc vno contentus, quod ab aliis præcipitur.

Responsio. Itane tu cæcam nostram obedientiam, ais stultitiam esse? & quid, enim apud Ethicos stultitia? nunquid melioribus neglectis deteriora sectari? & huius obedientes nostros insimulas? contra factum ab eis oportuerat, vt hanc à te infamiæ notam ferre promeruissent, qua nunc eos iniuria aspergis, ipse vel maximè eâ notandus es. Sed vt optimè *Salomon* Prou. 1. Prou. 1. *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt, dicentes bonum malum, & malum bonum*: Quid enim stultius? Viderat id, expertusque fuerat magnus ille gentium Apostolus *Paulus*, quare & de eo Corinthios suos admonere voluit, dicens: *Sapientia* 1. Cor. 3. 19. *huius mundi, stultitia est apud Deum, vnde & quæ stulta sunt mundi eligere voluit, vt eiusmodi confunderet sapientes, nam, vt aiebat, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Nemo igitur se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat vt sit sapiens*; atque hoc erat in quo ipse, nec insipiens, gloriabatur, dicens: *Nos stulti propter Christum* quis improbare ausit, quod tantus doctor, & Apostolus commendat? Huc certè respexisse dixerim *Ioannem Cassianum*, dum sic libro 4. Institutionum, Ioan Cass. l. 3. Instit. capite quarto monet: *Stultum te secundum Apostoli sententiam facias in hoc mundo, vt sis sapiens, nihil scilicet discernens, nihil diiudicans ex his, quæ tibi fuerint imperata: sed cum omni simplicitate, ac fide obedientiam semper exhibeas, illud tantummodò sanctum, illud vtile, illud sapiens esse indicans quidquid tibi, vel lex Dei, vel superioris examen indixerit*: eodem respexit S. Bernardus scribens in hunc mo- S. Bernar. dum: *Non disputat*, inquiens, *verus obediens, nec attendit, quale sit, quod præcipitur, hoc solo contentus quia præcipitur.* Et rectè id quidem, si namque Pythagoras suis præcepisse legatur *Pythagoras cæcæ obed. patronus.* discipulis, sic eius dictis acquiescerent, vt de eis neutiquam inquirerent, sed inquirentibus responderent: *ipse dixit*: Quantò magis Christi discipulis conuenit eius mandata per legitimos superiores edita, nullo modo discutere, sed eisdem tacendo obsecundare. In quem sensum B. Ioannes Climacus sic olim scripsit: *Obe-* Ioan. Climacus. *dientia est in examinatus, atq; indiscussus motus, spontanea mors vita curiositate carens, securum periculum, tuta nauigatio, sepulchrum voluntatis.* Optimè profectò & succinctè. Atque huc spectasse mihi visus *Humbertus* fuit, cum lib. 5. de erud. relig. p. 1. c. 1. sic scripsit: *Rara auis in terris discretio* Humbertus l. 5. de erudit. Relig. *ideo locum discretionis suppleat in vobis virtus obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum sit, faciatis.* Et

Et erit etiamnum qui sacratissimum hunc obediendi ritum abiectæ cuiusdam stultitiæ arguat; hoc est sapientem stultitiam, stultam ausit sapientiam vocitare ? nisi totus ipse desipiat, non credo.

III. Obiectio contra cæcã obedientiã. Sed & tertia in virtutem hanc tenditur ballista, periculum nempè quod hinc Christianæ reipub. imminere queat, dum quis nullâ adhibitâ consideratione, neque iis vllo modo expensis quæ imperantur, stolido quodam impetu ad agendum procedit. vnde & ab ignaris aut malitiosis superioribus opiniones malæ, tam contra mores bonos, quàm religionem spargi, propagarique queant.

Responsio. At neque hic accessus vim habere potest vllam, nam si in eo periculum est, fateamur oportet, multò esse maius in imperita atque indocta hominum multitudine, quæ parochos, aliosque publicè concionantes audire, sequique debet, nec tamen obligatur populus ad eorum doctrinam examinandam, sed vt ex euangelio, scriptisque Apostolorum liquet, audiendam, qui tamen si improbi vel ab hæreticis subornati forent, plurimos in fraudem inducere possent: & tamen nemo est, qui ob istud periculum, rectè ac sapienter dixerit, iis obedientiam adeo esse denegãdam. Quod si hic locum habeat, multò magis in religiosis familiis locum habeat necesse est, in quibus ex ea parte nullum queat periculum enasci, tum quia, vt plurimum, intelligentes viri sunt, qui ad gubernandũ alios assumuntur, quorum sapientiæ non facilè potest illudi, & in virtute prouecti, atque ad omnem honestatem diu multumque exercitati, vt de probitate nequeat dubitari. Meritò itaque hoc responsum concluserit S. Gregorius: *Vera*, inquiens, *obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit : nescit iudicare, quisquis perfectè didicit obedire.* (S. Gregorius.)

IV. Obiectio contra cæcã obedientiã. Denique & Balearis quædam funda est, quâ vel eminus cæca hæc obedientia ab hostibus infestatur: Cæcum esse, inquiunt, nec in somnis quidem appetendum, cum multis iraque magnis incommodis res nata sit implicari, quemadmodum viri sapientes indicârunt, vt eludendam cæcam illam obedientiam intelligamus, vnde cum *Artemidoro* notant varij, illud somnium quo quis cæcum se factum videt, graue esse militi, atque omnibus iis, qui in aula regia viuunt odiosum. Certè peius & miserabilius est, vt, qui militat in ordine religioso, velut in aula regis summi, cæco more viuat, & indigna patiatur.

Nihil agis inanis funda, quamuis bis, ter aut sæpius circum caput iacientis roteris, neque enim vitæ spiritualis Magistri, cùm in parendo exoculatam illam obediẽtiam commendant, docere vllo modo voluisse censendi sunt, paratum vnumquemque esse oportere ad omnia efficienda, quæ præpositus imperârit, siue bona illa sint, atque honesta, siue impia & rationis inimica. Est enim falsa & præpostera hæc opinatio, vnde in suis libris, cum hac de re disputant, semper adiungunt, tum demum esse obediendum, si nihil præcipiatur; quod summo omnium patri & Imperatori Deo contrarium sit, vnde fieri amat, vt virtutis huius splendor in dubiis maximè rebus eluceat, cuiusmodi quotidie plurimæ, in humanâ vitâ, propter incredibilem circumstantiarum varietatem occurrunt. In his itaque erit, vbi vir obediens loquetur victorias, nunquam suum iudicium superioris iudicio anteponendo, & quod modesti animi est, errare potiùs se, quàm illum existimando, quo fiat vt superbientis cogitationis motus sic comprimat, eruatque oculum scandalizantem, assumpturus mox prudentem, ne plusculum in negotio vidisse, quàm moderator ipse, appareat, cui certum est amantem hominis Deum, plus lucis & cognitionis tribuere ad res bene, sapienterque dirigendas, quàm illis qui se vltro ei regendos, ducendosque obtulerunt, an verò id malè cæcum esse, & incommodis infinitis obisci, Responsio.

obiici, dicendum sit, & non potiùs acutùm videre, aliorū esto Iudicium.

Itaque vt vno verbo dicam cæcitas hæc excludit prudentiam carnis, non verò prudentiam spiritualem & supernaturalem. Cum enim obedientia sit perfectissima virtus, non minus requirit ad suum perfectum actū, ducem prudentiam, quam aliæ virtutes morales, vt bene aduertit P. Suarez, sed hoc est ei proprium, quod iudicium prudentiale, dirigens illam fundatur magis in extrinseco principio & iudicio superioris, quàm in proprio & ideo quatenus excludit proprium, dicitur obedientia cæca: excludit autem proprium, quatenus vitiosum, aut imperfectum est non quatenus dicit omnem vsum proprij intellectus:

V. *Obiectio contra cæcă obedient.* Verùm vnus adhuc scrupulus superest, quòd B. Ignatius imitatus S. Bonauenturam, quædam nobis proposuerit cæcæ obedientiæ exempla, cum tamen res seu opera in eis præcepta, si per se & ex obiecto spectentur mala sint, & extra rationem, vt super aquas ingredi, leænam capere &c. quæ contra quintum præceptum tendere videntur, quæ ergo si nobis proponūtur tamquàm exempla imitanda, obediendum nobis erit, etiam

Responsio. in rebus apertè illicitis. Respondeo: in his & similibus exemplis duo esse distinguenda, vnum est finis à Spiritu sancto intentus: aliud est actio ipsa, seu materia, quæ præcipitur. Quādo ergo hæc exempla nobis proponuntur, fit, vt per ea intelligamus, quantùm Deo placeat obedientiæ cæcæ virtus. Nihilominùs tamen, non hæc nobis proponuntur vt imitanda, quoad omnes particulares circumstantias eorum, sed solùm quoad perfectionem, iuxta communes & ordinarias leges obedientiæ debitas. Vnde sequitur nihil hic absonum aut impium esse timendum.

Quæ cùm ita sint, certum hoc probatumque maneat cæcam hanc obedientiam bonam esse ac religiosam, quam præstantissimi quique sæculorum omnium viri, vt ab omnibus laudandam, æmulandamque suo calculo, id est veræ sapientiæ suffragio cohonestarunt.

Sed parum est hominibus probatam, cultamque fuisse, Deo placuit, acceptaque omni tempore fuit; & quanta, quàm copiosa, ac diuite mercede! Nec mirum: cùm enim es iustus sit, nec obliuisci queat laborum nostrorum, quos æstimat, ipsaque obedientia perdifficile quoddam & heroicum opus sit, nobilissimum illam animi partem, velut regio quodam dominatu præditam, quæ liberrima esse cupit, atque ab alienis imperiis soluta, vltrò alienæ, propter Deum, subiiciat voluntati; fieri non potest, quin magnis ab eo donis ac præmiis donetur. Auream dixeris catenam esse, vt variis annulis, sic è gemmeis quibusdam virtutibus cōpositam & contextam, quæ vt summi parentis filium deduxit in terram, sic homines in cælum attollat: vnde quantum inter obedientiam, ceterasque vitæ Christianæ virtutes discrimen existat, facilè datur perspexisse; nam aliæ quidem singulæ in definito quodam opere versantur, & augustis suis limitibus continentur, obedientia verò perfectum opus habet, plurimarum virtutum decore compositum, atque exinde amplissimo præmio dignum, vt S. Basilius prudenter annotauit, dicens: *Præmium obedientiæ maius debetur, quàm rectè facto cum continentia.*

Et mercedis quidem huius excellentiam sæpè lubuit admirari cùm nullam in aliquo præmiorum genere prærogatiuam reperi, quàm vir obediens non fuerit eminenter consecutus. Theodidactus ille Hussitarum Regulus Iob de communi loquens hoste diabolo: *non est*, inquit, *super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret, non fugabit eum vir sagittarius*; sed bene obediens. Quòd magnificè S. docuit Gregorius in hunc modum: *Cum hominibus propter Deum subiicimur, superbos spiritus superamus. Ceteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedien-* *Iob 41.24* *S. Gregorius in illū locum.*

obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt quia dum voluntatem suam aliisperfectè subiiciunt, ipsis lapsis per inobedientiam Angelis dominantur. Et sanè à spiritualium rerum magistris prudenter animaduersum est, nullam virtutem tam horrore dæmones, quam obedientiam, ad cuius splendorem, vt fulmine icti celerrimè diffugiant, qua presente ludificationes eorum omnes in fumum, nihilumque facessant.

Paulus simplex obedientiæ laude insignis super dæmonibus triumphat.

Ita de *B. Paulo*, cognomento *Simplice*; narrat Palladius, propter insignem suam obedientiam, quàm S. Antonio magistro suo præstiterat hanc à Deo gratiam obtinuisse, vt dæmonibus pro arbitratu imperaret, adeo vt multos vel sæuissimos, & immani audacia fruces, atque obstinatos, quique aliorum virtute præstantium virorum iussa, & adiurationes illuserant, ex humanis corporibus eliminaret.

S. Bernardus etiam mortuus obedit superiori.

Ad dæmonum victoria, ad eam quæ de morte refertur, transitum facio, & hâc obediens non semel est insignitus, auctor est Bernardus Britus, de suo patre ac fundatore sanctissimo *Bernardo Clarauallensium Abbate* scribens, cum mortuus tot miracula ederet, vt propterea concursus hominum diuina officia impediret, præcepisse ei Abbatem, vt cessaret à miraculis patrandis. vtrumque Sanctum illico obediuisse, nec vllum deinceps patrasse.

Idem facit monachus Carthusiēsis.

Simile præceptum Iancellinus ordinis Carthusiensis Prior generalis, cuidam defuncto suo monacho imposuerat, & illicò paruit vt scribit S. Antoninus: quod & de S. Francisco

Idē Petrus Caietanus discipulus S. Frācisci.

Assisiate legimus qui cum fratri Petro Caietano, secundo suo discipulo parem obedientiam imposuisset, paruit ille, & nulla dehinc miracula operatus fuit. Nec alteri sexui hæc gratia defuisse credenda est: certè author est Rudolphus Gonzaga, & Rebolledus clarissimi seraphicæ Religionis historici, Abbatissam quan-

Idē moniales S. Claræ fecêre.

dam cum simplicior à suis, quam vitæ ratio ac status exigerent, crederetur, nullam planè audientiam ab iis obtinere potuisse, iubebat, impetabatque pro tempore & loco varia, sed audire nemo, cum ipsa ad mortuas conuersa, sepultasque, præcepit eis vt exsurgerent confestim, suaque mandata, quæ viuæ respuerent, ipsæ exsequerentur.

Cum statim surrexêre defunctæ, & Antistitæ obediuerunt. Quo spectat iucundum illud Apophthegma vnius, è veteribus, monachi iam vità functi, quondam autem summa obedientiæ laude celeberrimi, ad cuius tumulum cum plurimi accessissent, magnoque beatissimæ illius animæ desiderio, quærerent quomodo sic mortuus esset? respondit de tumulo: obediens mori non potest. Et hæc gloria est obedientibus ei.

Obedientia mortem vincit.

Ab his ad primigenia naturæ initia, quæ elementa dicimus, naturalis sui admodum iuris tenacia descendo, super quibus cæca hæc nostra obedientia non semel triumphauit.

Obedientia de elemētis triumphat. 1. de Igne. In Guilielmo Aquitania.

Ignis auspicium dabit, confector is, & consumptor omnium audit, hîc tamen vitium suarum, naturæque oblitus Dominam agnoscit obedientiam. Magna scelera Guilielmus pari pœnitentia plectere instituerat, monachus sub Abbate factus, qui antè Aquitaniam, Prouinciamque Princeps rexerat, iubetur panes coquere: ad furnum itaque aduolat, fornacem succendit, rutabulo ignem circumagit, sed scopis carebat, quibus prunas euertat: hora prandij instabat, magis autem Abbatis imperium: insilit ergo in fornacem, melote pro scopis vsurus: tùm denique coctos panes fratribus nihilò tardiùs, quàm res poscebat attulit, nulla corporis, aut indumentorum parte læsâ, vt exoculatæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & post certamina coronatam.

In Anna de S. Bartholomæo Carmelitana.

Huic ex recenti memoria adiungo Venerab. Annam à S. Bartholomæo S. Theresiæ sociam, quæ seriò accipiens verba superioris iubentis digitum in ardentes prunas immittere,

tere, nihil tergiuersata illicò paruit, immersumque per aliquod temporis spatium, in igne detinuit, sed non tetigit eam omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit. Vitæ scriptor.

Eodem spectat quod in Chronicis eiusd. Ord. Carmel. l. 2. c. 35. nu. 3. legimus: In domo Pastranensi frater Alphonsus de los Angeles à superiore suo iussus lignorum cumulum incendere sine adhibito igne, aut candelâ, solo flatu aut ventulo; frigebat focus, neque incensionis spes vlla humanitùs apparebat: cum ecce sincera mente Alphonso obediente ac turgentibus buccis insufflante, in frigidis illis lignis flamma exarsit, ac luculentum ignem excitauit.

In Alphonso des los Angeles Carmelita.

Sed quid de aëre dicemus? cumne cæca hæc nostra obedientia exsuperárit? nullis certè repagulis stringi, concludique se patitur, cedit omnibus, vt excedat, hîc tamen sisti se, stiparique passus est, vt tantæ virtutis triumpho subseruiret: Bercharius Lexoniensis monasterij Abbas, antequam præesse cœpisset, singularem apud omnes obedientiæ suæ commendationem miraculo auxit, dum vinum de cado in amphoram trahens, ab Abbate vocaretur, relictâ amphorâ; cum epistomio festinus accurrit. Fluebat vinum, sed non diffluxit, aëre liquorem continente, ne extra amphoram exarbitaret, donec ille reuersus siphunculum epistomio obturaret, fluido sic elemento obedientiæ famulante.

Cæca obedientia imperat aëri.

In Berchario Luxoniensi.

Ad aquas descendo, quæ non minore prodigio virtutis huius triumphos Deo dante, auxerunt. An non mirandum, stupendumque miraculum, videre hominem corpore magnum, mole ponderosum, in liquidis vndis, velut in pauimentato solo incedentem? quod de Petro Apostolorum Coryphæo in Euangelio proditum est, cui cum ei à Christo in summo fluctu hærente, diceretur, vt ad se veniret, promptè obsecutus, in æquore, velut in foro vacans in metu, securusque sui aliquamdiu ambulauit, cum autem diffidere cœpit obedientiæ, mergi quoque ac cedit Matth. 14. 23.

Cæca obedientia de aqua triũphat.

In S. Petro Apostolo.

Idem instauratum miraculum in Mauro fuit, eximio illo, ac religiosissimo S. Benedicti discipulo, cuius virtus ad posterorum documentum S. Gregorij magni monimentis commissa fuit. Cum Placidus puer in profundum lacum cecidisset, iamque ab vnda in certam perniciem raperetur, miserans Benedictus, vade, inquit, Maure, & adolescentem è lethi faucibus, & medio ipso periculo libera. Maurus obedire assuetus, nihil apud se reputans aquam esse, non terram, quæ panderet ad Iuuenem pereuntem viam, cœpit ingredi super aquas, & eduxit è gurgite Placidum, saluumque in terram deduxit.

In S. Mauro Benedictino.

Postremò sequitur terra, lento quidem ea gradu, sed idoneo ad triumphum, quem præstabile hoc genus obedientiæ super ea non semel reportauit: Et primo quidem dum eam in cælum conuertit, homines edocens voluntatem Dei facere, sicut in cælo ita & in terra. Est enim propria virtus Angelorum obedientia, in qua præeunt mortalium studio & pietati, & velut coronam decoris ostentant, quæ in clato domicilio beatorum illi reposita est virtuti. In qua sanè principes illi magni excellunt, qui Deo seruiunt, in cælis gloriosa potentia dominanti, quod *Lactantius* verè & eloquenter notauit. *Quoniam*, inquiens, *vnum solumque officium est, seruire nutibus Dei, nec omninò quidquam nisi eius iussa facere, quos dum sequimur, an non terram in cælum commutamus?* Alter triumphandi modus est, quem virtus hæc de terra obtinuit, cùm in fructibus eius, arboribus ac plantis, imò & de pecoribus eius, atque animantibus dominatum reportat.

Cæca obedientia de terra victoriam reportat.

Lactantius firmianus.

Author Seuerus Sulpitius est Dialogo 1. de virtutibus Orientalium. Quidam, inquit, ad Abbatem recipiendus aduenerat cum ei lex obedientiæ proposita est, quam ille, ad omnia

Cæca obedientia de fructibus, arboribus, plantis atque pecoribus triumphat.

In monacho rogante aridum scipione donec iucresceret.

omnia paratissimns addixit : casu virgam storacinam Abbas manu ferebat, aridam illam atque exsuccam, hanc solo fixit, atque illi aduenæ id operis imposuit, vt tamdiu virgulæ irriguam aquam affunderet, donec lignum aridum in arente solo virescеret : paruit aduena, & aquam propriis humeris quotidie conuehebat, quæ à flumine duobus millibus passuum petenda erat. Iamque emenso anni spatio non cessabat labor operantis; tamen obedientiæ virtus in labore durabat, quin & insequens annus vanum quoque laborem elusit. Tertiò denique labente, cùm neque noctu, neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipse ex illa virgula arbucellam, quæ hodie intra atrium monasterij est, ramis virentibus, vidi, quæ quasi in testimonium victricis obedientiæ istic perseuerat. Ita præfatus author. Antiquo huic recentiùs aliùd subnecto : In conuentu Vallisoletano ordinis excalceatorum Carmelit.

In moniale Carmelitana Catharina de Assumpt.

Antistita subditam sibi monialem Catharinam de Assumptione dictam, ad hortum miserat cum palo sicco & arido, iusseratque in terram depangere, atque indies affusâ aquâ rigore, quod tantâ voluntatis suæ, atque iudicij submissione pia præstitit discipula, vt reuirescere ac florescere exsuccum istud lignum cœperit, ac suauissimos deinde fructus progerminare. Chron. Ord. l. 2. c. 17. a. 1.

In Sebastiano Dauino Soc. Iesu.

Prætermittere hîc nefas; nec immeritò duxerim, quod præstantissima hæc virtus obedientiæ in Sebastiano nostro Dauino, non ita pridem operata fuit: Lugduni in horto cum cæteris obambulans, iacentem temerè in via aridum ramum vt depangeret, atque affunderet tamdiu quotidiè aquam, donec virесceret iussus à superiore, nulla præabsurdi imperij interpretatione vsus, parere vt subitò cœpir, ita diutissimè summâ quâdam animi alacritate perseuerauit. Risum mouere poterat vanissimus labor, nisi admodum comprobasset euentus, vberem esse obedientiæ fructum illique ipsam parere naturam. Siue itaque ea ignoti ligni conditio fuerit, vt etiam aridum longâ irrigatione iterum viueret, siue quod verò propius, adolescentis obedientiam commendare voluerit Deus longos post menses rediit paulatim viror, & ramus, iam arbuscula in nouas se frondes, ignotique generis surculos induit, auctaque ad iustam magnitudinem nostris hominibus, qui eam obedientiæ arborem appellauêre diu exemplo & admirationi fuit. Annales Societ. Neque his à Terra obedientiæ factum satis; Animalia quoque sua impendat, necesse est, cuius idoneus nobis auctor fuerit Franciscus Sacchinus p. 2. historiæ Societ. l. 8. 136. vbi sic scribit: Granatæ in Prouincia Bætica in re haud magna, ingens obedientiæ simplicis, quam cæcam vocamus vis apparuit. Inter Nouitios erat Iurisconsultus, & Aduocatus anteà nobilis, Consaluus Esquiuelius nomine, qui culinæ ministeriis præfecto administer subiunctus, insigni alacritate feruens, in S. humilitatis opere versabat manus : verùm quo minùs interim animus in rerum diuinarum meditatione, sicut auebat, quiesceret, gallinarum quarundam irrequieto garritu perturbabatur. Quam molestiam ægrè diu perpessus, tandem Rectori significat : Rector interrogat, admonueritne eas vnquam, vt tacerent, aienti, & se cominarum iis sæpius, sed frustrà; teponit Rector : redi & adito aperto capite, & apposito ad os digito humiliter, ac benigne per Dei amorem precare, vt taceant. Subridere hic Doctor : atque, inquit, Rector, id age. Mira res! Gallinæ, vt cum maximè perstrepebant, infert se in medium scienter imprudens Doctor, vtque est iussus nudo vertice appellat, cum repente garrulæ aues obmutescunt, protensisque collis omnes immobiles conquiescunt. Quin etiam quæ in sublime, quasi chorum ducens, ascenderat, vocalior & molestior cæteris, desiliit in humum, silensque admiscuit se silentibus. Con-

Cæca obedientia de Auibus triumphat.

In Nouitio Societatis.

Ad Societatem accesserat.

ftitit bonus Tiro paulifper admirans; tum ad fpectaculum. tres alios è fociis aduocat qui eam rem contemplati Deo laudibus perfolutis, nouos ad fimpliciter obediendum impetus, ex obedientia indocibilium beftiolarum acceperant.

Nec abfimile eft, quod in Chronicis legimus Carmeliticis: habent excalceati Carmelitæ in vrbe Pa-
In tirone Carmelitano. ftronenfi probationis domum, in qua tirones fuos ad omnem virtutem, obedientiam in primis, exercent; contigit hîc fuperiorem inter eos in horto confidentem, eminùs auem fuauiter cantillantem audire, cùm ad vnum aliquem conuerfus, eam, inquit, ad me illico defer: paruit is actutum, & quo cantus illum ducebat, perrexit, & en nihilo commotior auicula teneri fe ab obedien-
lib 5. libello 14. n.4. te, fiuit, quam ipfe ad fuperiorem tulit, vetus fic renouans miraculum quod in vitis SS. Patrum de monacho in Scithi commorante refertur,
In vetere monacho. qui à fuperiore iuffus Leænam ad fe ducere, illam cœpit, atque perduxit. Exhorrebant magnitudinem periculi omnes, dum metuunt, ne non modò ille vnus, verùm etiam & multi alij, à beftia tam valente & feroci difcerpantur: ille timore vacuus & Deo fretus atque obedientia, vt hoftem in capitolium, fic leænam ad monafterium triumphans ducebat, iuxta magnum illud *Dauidis* elogium, *cum leonibus ludens, quafi cum*
Eccli.4 7 31 *agnis*. Eccli.47.3.

Æquo prolixior fiam, fi omnes triumphantis huius virtutis adoreas recenfere voluero, quibus diuina bonitas eam, velut præftantiffimis quibufdam honorare voluit donatiuis. Sed dicet fortafsè quifpiam, ita quidem effe, fed non minimum iftic difficultatis reperiri, quo non tam Indicium proprium, quàm metus quoque grauioris mali occurrentis fuperandus eft. Ad mitiora igitur venio in quibus & metus, moleftiaque minus, nec minus tamen gloriæ inue-
Exercitium cæcæ obedientiæ S. niamus. O quot indies cæcæ huius obedientiæ exercenda nobis occafiones offeruntur! in quibus citra fudo-
Ignatio propofitum, obitumque feliciter. rem, ac fanguinem victoria obtineatur, & negligimus! vtinam vel fequentibus exemplis pufillanimitas noftra languorque curentur! Initium duco à S. Ignatio, qui nos facro fuo Apophthegmate ad hoc genus victoriæ fuccendit: Intellexerat vir fanctus quemdam è fuis edito iam figno, paratum ad facrificium, & calicem manu tenentem è veftiario pedem efferre cœpiffe, cùm illicò per nuntium, poftquam è propinquo rem totam obferuaffet, iubet facro depofito ornatu, pallium fumere, foras prodeundi causâ: Inexpectatum id viro accidebat nuntium, & contra quam fecum ante conftituerat. Paruit tamen ille fine tergiuerfatione, ac palliatus patri confeftim apparuit. Tum Ignatius quærit ex homine, fitne ægrè paffus, in procinctu iam ad immolandum, fubitò fe iuberi facra deponere veftimenta, remque diuinam omittere ad exeundum foras. Cùm ille, fe ne tantulum quidem effe commotum, affirmaret. Atqui me, fcito, inquit Ignatius, non quòd te in præfentia opus habeam, fed periclitandi tui obfequij gratiâ id feciffe de induftria: & fic habeto, pluris te facrificio deferendo effe meritum, quàm fi id ipfum, vt deftinaueras, illicò peregiffes: nam etfi altaris myfterium tanti apud Deum eft, quanti profectò eft; tamen vt fcriptum legimus, *melior eft obedientia, quam victimæ*. Pet. Maff.l.3. de *1.Reg.15. 22.*
Vit. c.7.

Confentit cum facto, iudicioque S. Ignatij, quod Ioannes Rusbrochius religiofiffimus author, de præclara quadam Abbatiffa fcriptum reliquit: Die quâdam folenni omnes
Aliud cæcæ obedientiæ exercitium ab Abbatiffa monali propofitum. fefe moniales ad fufcipiendam facram finaxin difpofuerant, iamque in procinctu ad diuinam menfam acceffuræ omnes furgebant, cùm ftatim Abbatiffa vnam aliquam ex numero euocat, iubetque intermifsâ Communione ad culinam pergere, quæque ibi facienda effent, ftrenuè accurare; quæ mox, vt iuffa fuerat,

fine

ſine murmure, imò magnâ animi tranquillitate ad exequendum iniunctæ ſibi obedientiæ munus abſceſſit: cumque cæteræ iam diuinis ſacramentis paſtæ diſcederent, vox de cælo allata, omnium auribus inſonuit, virginem illam, quæ culinæ miniſteria peregerat, Sacramenti fructum, propter obedientiam veriùs, atque vberiùs eſſe conſecutam. O magnum obſequentis animi ſolatium! magnum ornamentum!

Vixiſſe olim verteres inter eremi incolas non neminem legimus, qui dum ſcriptione quâdam præpeditus à ſuperiore euocaretur, literâ etiam imperfectâ relictâ, actutum eò, quò ire iubebatur, aduolauit, quam reuerſus auro perfectam inuenit. Magnum id quidem perfectæ obedientiæ teſtimonium, maius tamen, quod in diebus noſtris Monaſterium Villanouanum Virginum Tereſianarum vidit, fortè choro aberat, quæ lectionem nocturni officij recitare debebat, cum Antiſtita, Annam de S. Auguſtino, vitæ ſanctimoniâ, & miraculis per Hiſpanias claram, iubet alterius vices ſupplere, & lectionem, nec præuiſam, nec præparatam publicè legere, quid agat? ſepoſito omni metu ad pulpitum parendi certa accedit, ſacrum breuiarium circumſpicit, ſed cùm id duas in partes diuiſum eſſet, contrariam imprudens in manus capit, aperit, & ecce quæ nuſquam ibi lectio excuſa erat, ſubitò tota litteris aureis deſcripta apparuit, ad maximam exactiſſimæ obedientiæ commendationem. Hiſtoria Ord.

Cæca obedientia præmium.

Aliud.

Atque hæc illa virtus eſt, quam nobis aureo hoc ſuo Apophthegmate Ignatius explicauit, identidem dicere ſolitus: *obedientis nomine indignum haberi oportere, qui legitimo ſuperiori non cum voluntate iudicium quoque ſubmitteret.* Vt Petrus Ioan. Maffeius teſtatum reliquit.

Quænam ſit perfecta obedientia.

Maffeius l. 3. c. 7. Vitæ eius.

Quantus autem ipſe in ea fuerit, & quàm præclarus artifex, luculenter admodùm teſtatur vna illa eiuſdem epiſtola ad Societatem in Luſitania, exarata, quâ omnes obedientiæ numeros, atque apices ita complexus eſt, vt nihil reliquerit inexplicatum neque enim vir ſanctus vt de S. Benedicto dicebat S. Gregorius lib. 2. dialog. c. 36. *aliter docere potuit, quàm vixit;* vnde fiebat, vt hanc ille virtutem, vti prior in ſe, ita & in ſuis exactam, abſolutamque, requireret, hanc ſuæ Societatis teſſeram eſſe volebat, notam ſanctitatis, hâc qui careret, cum altero tantum pede, dictitare ſolitus, inter religionis ſepta verſari, vt *P. Lud. Maſellus obſeruauit;* quapropter minimè quoque omittebat in tempore, quos idoneos norat, ad perfectum Iudicij holocauſtum abſurdis primâ ſpecie, atque intempeſtiuis imperiis exercere, eorumque patientiam ſanè quàm liberaliter, vt auctor eſt Orlandinus, experiri.

S. Gregorij l. 2. dialog. c. 36.

Ludouicus Maſellus in Comment.

Quanti S. Ignatius obedie̅tiam cæcã facere ſoleret.

Argumento eſt Sebaſtianus Romæus Collegij Romani Rector, quem domum Profeſſorum aduocatum iuſſit coquo inſeruire, & aquam ex longinquo ferre, aliaque inſignia ad laborem, atque humilitatem obire, quam ſeueritatem, abſolutamque obedientiam non exigebat Ignatius magis, quàm ipſe præſtabat, ſummorum iuſſa Pontificum planè tamquã Dei mandata excipiens, atque ad tenuiſſimum eorum nutum paratus, ſine vllo viatico, & inſtrumento, innixus baculo, quocunque mitterent pergere, vel ſeſe malè cohærenti nauigio, remiſque ac velis nudo ad oſtia Tyberina committere.

Sebaſtiani Romæi in parendo alacritas.

B. Ignatius cæcam obedientiã ſuo nos docuit exemplo.

Quòd ſi Patrem loquitur ſua proles, eius veſtigiis probè inſiſtens; quid de Alfonſo noſtro Rodriguez in præſentiarum dixero? cuius in obediendo ſimplicitas & accurata diligentia adeo eluxit, vt aliquibus videri poſſit, in ea fuiſſe nimius, ſi quid præter obedientiam, in obedientia vidiſſet. Nihil ei ſuccurrebat, niſi hoc tantùm vt iuſſa capeſſeret, non cauſſa, non finis, non fructus iuſſorum, nec iubentis perſona, ſed Deus, quem clarã fide, in ea cernebat, eum ferè in modum, quo illum vident in cælo Angeli quorum velox & carens argumentorum

Patrẽ imitatus eſt filius, Ignatiũ Alphonſus Rodriguez.

mentorum morâ, qui imitarentur obsequium, eos aiebat miraculo quodam diuinæ opis insperato, difficultates mandatorum, alioquin insuperabiles, expugnare; hinc ergo quod in obsequendo nihil attenderet, nisi obsequium, fiebat, vt multa ederet, quæ variis cautionibus attenti, imprudentiæ damnabant, vocabantque hanc iumentorum obedientiam, quæ nullius impulsu rationis solâ voce agentis gradum promouerent ac sisterent: ita illi: quàm autem rectè, collegeris ex sequenti. Erat, cum Alphonso inter suos de obedientia disserenti, pulchrè ista dicuntur reponeret Rector, ad rem, mi frater, & facta veniamus, iubeo te Indiam petere; hic statim rogatus, vale omnibus dicto, ad ianuam aduolat, campanam ad egressum pulsat, adest ianitor, quærit an patentes ad iter literas haberet, negantemque remittit ad Rectorem, vt eas peteret, redit, petitque tam candidè vt palàm esset, seriò petere; Itane sine viatico & literis ibas? inquit Rector; at ille ista in mentem sibi non venisse, nam si Deus mittebat, de his vtique visurum: hoc porro suum obsequendi genus, prouidentiæ diuinæ oculatissimæ secura fiducia fulciebat, à qua dum videret benignè incommodis occurri, quæ nasci potuissent ex cæca obediendi voluntate, vehementius in ea colenda confirmabatur, vt latè prosequitur vitæ eius scriptor Ludouicus Ianinus.

Videor autem hîc mihi, quisquis is fuerit, dum hæc leget, audire dicentem; de virtutis quidem huius necessitate, atque vtilitate se minimè ambigere, illud verò, vt modum eius assequendæ cognoscere queat, vehementer desiderare.

Modus obtinendi obedientiā cæcam. Huic ergo magnum illum obedientiæ Magistrum Ioannem Cassianum li. 12. de Institutis Renuntiantium capite 32. audiendum adduco, vbi posteaquam id, quod modo quæritur pertractasset, respondet in hæc verba: *Nec aliter hoc obseruari poterit, nisi ab eo, qui non solum se mortuum huic mundo, verùm etiam insipientem iudicarit, & stultum: vniuersa quæ sibi fuerint à superioribus imperata, sine vlla discussione perficiens, sacrosancta ea credens, ac diuinitus promulgata.* *Ioan. Cassianus l. 12. de Instit. renuntiat. cap. 32.* Quibus magnus ille *Leo*, verus rationum fidei dictus Aristoteles suffragatur his verbis: *nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus: vnde non desit humilitas, non desit mansuetudo, non vtique deerit Deo benignitas ad nos adiuuandos, vt animo non solùm æquo, sed perlibenti pareamus.* *S. Leo serm. 5. de Epip.*

Quæ verba dum S. Ignatius in laudata ante epistola fuse prosequitur, eisdem ego explicandis monita Ioãnis Auilæ [quem vnà cum S. Ignatio duas Spiritus Sancti citharas appellârim, quæ pari tono dispositæ, æquales quoque sonos edidêre] lubens subnectam, quibus Iacobum Gusmanum & Gasparem Loartem è sua disciplina ad Ignatium abeuntes comitatus fuit, nouerat eum Ioannes singularem perfectæ obedientiæ æstimatorem, qui suos parendi præstantia vellet excellere, quare sub postremum ab eis discessum, quod ante fecerat sæpè, idem voluit inculcatum: *hæreat menti vestræ*, inquiebat, *veteris illius Ascetæ dignissima vox: nego veni indicari, non iudicare: atque adeo ab iudicandis dictis factisque aliorum ita refugite, vt à re tanti periculi, quæ vos possit à gratia diuina deiicere. Credite superiores à Deo regi, consiliorumque suorum habere eos caussas & fines, qui vos lateant.* *Monita Ioan. Auila data discipulis ad Societatem euntibus, super obedientia virtute.*

Denique nihil iudicare optimum est: sed obiectare sibi: quid ad te? tu me sequere: nisi autem ita vos extricatis, nulla vobis quies erit, nec vita vitalis. Credite vos, & permittite vos totos obedientiæ, pro insigni eam habentes diuino munere, concesso mortalibus, ac sperantes eâ viâ fore, vt vos Deus regat. Quæ spes non hominis regentis niti sapientiâ, sed Dei optimi, maximique pollicitatione debet, qui humilibus præstò est. Perfruemini pace magnâ, multumque breui proficietis, si fiduciam in obedientia magnam locaueritis.

Nihil commoueat vos, quã tandem in

in re opera vestra adhibeatur. Etenim cùm ex conseruatione & incrementis huius familiæ, magnopere pendeat vtilitas animarum, quidquid ei conseruandæ ac promouendæ conducit, vel ipsum lances, patinasque purgare, id demum est animas conuertere, & summâ voluntate est peragendum. Cogitatione igitur à propriis ac certis abducta operibus, id curatè dumtaxat, vt pareatis, quodque vobis præcipitur, non tam propter ipsam rem agatis, quàm quia præcipitur, permagni æstimantes, quòd eius corporis membra vobis Deus det esse in quo suæ maiestati obsequium exhibeatur. Hactenus M. Ioannes Auila.

Quibus omne id, quod nobis Ignatius imitandum reliquit, copiosè repræsentat. Vtinam omnes rem tanti momenti ac ponderis, & pro dignitate tueri, & pro fructu, atque vtilitate suâ excolere non grauaremur, fieret profectò, vt ad veram perfectamque sapientiam nobis deforet nihil, cuius expertes esse nemo dubitat, qui in suo sensu pertinaces sunt, contra verò participes fieri omnes, qui faciles ac promptos ad exequendam doctrinam ac consilia prudentum se præbent. Et hic fructus est totius spiritualis disciplinæ: quod notasse visus est S. Bernardus, dum in mores asceticos trahit Domini verba ad Heuam, iuxta 70. Interp. *Et ad virum tuum erit conuersio tua*: vitum esse ait patrem spiritualem ac magistrum, conuersionemque fieri per obedientiam perfectam.

An obedientia cæca necessaria sit. Pro Mantissa vnum addideto. Dubium mouent aliqui de qualitate huius obedientiæ, quam ore S. Ignatij laudare instituo, sitne adeo necessaria vt peccet qui non obtemperet Magistro, quem non agnoscit superiorem præcipiendi facultate instructum? Cui duabus positionibus vbi respondero, finem commentarlo imponam.

Prior est: obedientia hæc aduersus spiritualem patrem, quæ ex numero est, consiliorum Euangelicorum necessaria interdum est ratione finis, quem assequi nequeas, nisi pareas. Quomodo enim ad terminum viatot ignarus itineris perueniat, si duci monstranti viam rectam, neque fidem habeat, neque illam capessat?

Posterior est, Interdum nisi obtemperes, peccas quod clarum fiet, si Magistrum tamquàm Medicum animæ tuæ consideres: de quo rectè *Seraphicus Bonauentura* lib. de sex Alis. *Necessè*, inquit, *est, eos magistro humiliter esse subditos, quia nisi quis medico obtemperârit, non poterit ab infirmitate sanari.* Idem de Medico spirituali dicendum, & plusculum interdum.

Author mihi est Ioan. Gerson, Doctor celeberrimus lib. de vita sp. l. 4. coroll. 8, Ad præsens Corollarium inducamus exemplum, iam inductum de Medico, cuius consilio aliquando parere debemus sub pœna peccati mortalis, dum ex transgressione sui consilij vel scimus, vel probabiliter, vel vehementer credimus nos inebriandos, & consequenter transgressuros legem Dei. Ad quorum explicationem dixerim peccare ægrotum, qui vel aliquid facit, quod medicus vetuerit, vel abstinet ab aliquo remedio, quod idem præscripserit, vnde sciat, vel probabiliter credat secututam diuinæ legis violationem. Similiter in animæ curatione, si medicus spiritualis interdicat tibi alicuius colloquio, & conuersatione vndè periculum animæ probabiliter immineat, quis neget, te peccaturum, si non optemperes? Bona ergò custos voluntatis est obedientia siue imperij illa sit, siue consilij siue subiectionis, siue solius, vt Sanctus Bernardus docet charitatis. lib. de vita solit. Notat is S. Elisabeth, dum à Magistro suo spirituali duas carissimas comites iussa à se dimittere, quòd vitæ spirituali impedimentum crederentur allaturæ, paruit: exercebatur enim hoc tam lugubri diuortio virtus obedientiæ, quæ illi ad sublimitatem diuinæ contemplationis acquirendam gradum erat factura. *Obedientia S. Elisabetha Thuringia princip.* Talis & B. Teresia fuit, quæ à conscientiæ suæ præside iussa aliquando librum, quem scripserat in Canticum

Obedientia S. Theresia. Salomonis, mirabili plenum sapientiâ flammis tradere, nihil omnino cunctata, nullo iussionis examine expenso, obediuit. Quæ nisi in his, atque similibus Dei offensam spectassent, non tantâ crediderim promptitudine in eiuscemodi obedientiam incubuissent. Quamuis potiores hîc partes, Amor sibi vindicaret. *Iusto*
1. Tim. 1. namque *lex non est posita*. 1. Tim. 1. lata non est ad eos coërcendos, ipsi autem sponte suâ se conformant legi, amore obedientiæ atque iustitiæ magis, quam timore pœnæ. Vnde pulchrè *S. Augustinus. Iustus nō est sub lege, quia in lege Domini est voluntas eius, qui enim in lege est, secundum legem agit: qui sub lege est, secundum legem agitur: hic ergo seruus est, iste liber, perfecta enim obedientia*, teste S. Bernardo, *legem nescit, ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis, in infinitam libertatem extenditur.* Et tales nos Ignatius desiderat, vtinam quoque inueniat?

APOPHTHEGMA DECIMVMTERTIVM.

DVm quendam in tradito sibi munere remissum, atque oscitantem inuenisset; quæsiuit ex eo, cuinam in tali ministerio daret operam? Deóne, an hominibus? Cùm ille se Deo vtique deseruire dixisset: plectêris igitur, inquit Ignatius, nam in rebus humanis minus accuratè versanti, iure forsan ignouerit quispiam: at immortali Deo ministrari negligenter, id verò nullo pacto ferendum est.

Ioan. Petrus Maffeius l. 2. vitæ cap. 3.

Commentarius.



Seruiendū Deo pro viribus. QVod sanctus olim Ignatius in socio prudens obiurgauit, hoc antè à diuinis Patribus, summis viris, tamquam virtuti inimicum, & quandam velut animi malaciam, quæ motum omnem & præstabilium actuum vim tollit inuenio castigatum: & rectè id quidem, tale namque hoc genus est desidiæ, vt eò veræ laudis, gloriæque expertes langueant, & hebescant: quapropter id quoque velut homine ingenuo, & liberaliter educato indignum repudiârunt omnium sæculorum prudentes viri, quicunque de moribus disputârunt, dum eos modò testudini, quod animal in primis tardigradum est, modo Dædali statuis similes dixerunt, quæ animam habere videbantur, sed profectò vitâ carebant: cadauera colorata, qui non tàm viuere dicendi sunt, quàm, vt glires, in desidiosissimo languore & inertia pinguefieri, vel certè vt bestia illa, quam alit Brasilia tarditatis admirandæ, vt quæ integrâ sæpè die se moliens, passus vix aliquot promoueat, & licèt fustibus vrgeas, nihil de gradu motam, potiùs confeceris, quàm vt insitæ tarditatis velit obliuisci: quod propriè est *in vano accipere animam suam*, vt Regius psaltes asserere Psal. 23. 4. non dubitauit, dum inter signa eorum qui ab æterno cælorum domicilio excluduntur, & hoc voluit recensere. In vano namque idem est quod desidiosè, sicut in hebræo legitur, vbi schaue, cassum & inutile sonat, nasa autem, quod interpres noster vertit accipere, etiam comburere significat, vt sensus sit, more fatuorum animam

animam ad perdendum accipere. Quænam itaque tanta erit languentis animi inertia, quæ nos tam magnis periculis exponat? quod certè præcauere satagens diuina Ecclesiastæ sapientia, clamitat, in hunc modum: *quodcunque facere potest manus*
Eccl 9.10. *tua, instanter operare.* Vbi illud instanter in græco est ὡς ἡ δύναμις σοῦ, *pro virili parte, quantum vires patiuntur,* neruorum omnium, ingenij & corporis contentione, vno verbo, quantum potes: sic namque homini, sic Deo satisfieri consueuit.

Intellexerat id secretorum cæli conscius S. Paulus Apostolus idemque summæ diuinitatis interpres, dum inter Apostolicæ vitæ insignia
2.Cor.12. ponit, *in laboribus plurimis.* 2.Cor. 12. Contra verò Regius hymnopæus de pigris illis ac delicatulis loquens, quorum in desidia ætas perit, hoc eis simbolum appingit: *In labore homi-*
Psal.72.5. *num non sunt*: Psal. 72. 5. torporis alumni, inertiæ discipuli, pigritiæ pulli, tarditatis asseclæ, opportunitarum vespillones, loripedes grallarij, quibus hoc vnum necessarium est vt intelligant, ac firmè, constanterque credant huius vitæ felicitatem honestissimis in laboribus esse collocatam cuius luculentum admodum in se
Exemplum Apostoli. exemplum idem Apostolus præbere visus est, dum sic de spargendo à se Christi euangelio, cui à Deo præpo-
2.Tim.2. 9. situs erat, scripsisse inuenitur: *in quo & laboro certando.* Suffecisse poterat ad indicandum laboriosissimum Apostoli animum, inuictamque laborum tolerantiam, si dixisset tantum, *in quo & laboro*, sed addere voluit *certando*, hoc est, vt strenuus pugil, & olympionices, totis viribus, neruorum omnium contentione, vegementi vtrique nisu, conatuque depugnās. Expenderat id Theodorus Studita gemmeus ille murus sanctimoniæ, impiorum barbariæ & crudelitati pro tuenda religione obiectus, dum animi fontes ferias, torpentis in opere desidiam appellauit quas procul à se facere omnes ij conati sunt, qui ad veram virtutem gloriamque contendere visi sunt, vt in *C. Mario* luce clariùs perspectum fuit, cuius hæc apud *Salustium*, imperatoria sanè
Aurea vox C Mary ignauiam damnantis. vox fuit, non tam chlamyde, quàm pallio sapiente digna: *nemo ignauiâ immortalis factus est*: quod in *Alexandro* Macedonum maximo, nec hostis negârit, quem nullâ re gloriosiorem exstitisse, quàm bellica festinatione, quâ consilia & apparatus hostium anteuertebat; litterarum
Alexandri magni in expeditionibus sedulitas. monimentis traditum fuit, quem ipsemet aliquando interrogatus, qua ratione tantum imperium sibi comparasset, respondisse fertur μηδὲν ἀναβαλλόμενος, nihil differendo. Idem M. Tullius in laudatione Pompeij expendit. *C. Cæsar* Dictator, vt scribit Suetonius, Pontico triumpho, qui tertius ei fuit, inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum, *ve-*
C. Iulius Cæsar in bello gerēdo expeditus. *ni, vidi, vici*: non acta belli significantem, sed celeriter confecti notam. Laudi summæ sibi duxit vir magnus in primis celeritatem militarem, non minimum rerum agendarum adiumentum: quid ni miles Christi sibi adsciscat celeritatem, quâ in bello spirituali hostium consilia, & impetus anteuertat. Talis fuit noster S. Ignatius, qui vsque adeo pro-
S. Ignatius procrastinationis & tarditatis hostis. crastinationem oderat, vt anticipari negotia mallet, vnde inter monita profecturis in Hiberniam Alphonso Salmeroni, & Paschasio Broëto data & à nobis posteris memoriæ commendanda, illud Orlandinus lib. 3. hist. Societ. §. 49. litteris commendauit: in negotiis conficiendis diem potiùs anticipandum, quàm prorogandum: vt si quid in crastinum sponsum esset, id hodierno die persolueretur. Caussam scitè exprimit
Seneca l. 2. de beneficiis Seneca l. 2. de benef. *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis citò facere. Qui tardè, & diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, & tempus & argumentum amicæ voluntatis. Tardè enim velle, nolentis est.* His itaque, aliisque inductus rationi-
Apophthegmatis verus scopus, bus S. Ignatius oscitantem; torpentemque in tradito sibi munere so-

cium commonĕdum ratus, ad veram diligentiam, quam græci ἐπιμέλειαν dicunt, in ministeriis nostris, actionibusque obeundam, id est, singularem quandam curam, qua res spirituales propter Deum bene fiant, nos voluit incitare; vt sæpè antè, dum voluit nos obire munia nostra, *cum omni diligentia in Domino.* Quamuis autem virtutum omnium Christianarum finis sit Deus; voluit tamen suos monere ad cautelam, tum vt vitium hypocritarum, qui ad se, suãque laudem ac gloriam conatus suos detorquenr, effugiant, tum ne torpori atque desidiæ aliquando succumbant, atque ita diuinam in se vindictam accersant.

Felices! quorum aures monenti patuerint, nec quoquo modo, siue ad consuetudinis vsurpationem egisse contenti, sed pulchrè, bene ac rectè, vt olim seruum suum Mosem erudiit Dominus, *iustè*, inquiens, *quod iustum est persequeris, vt viuas.* Potest siquidem quis agere iusta, sed ita malè, vt iniustè egisse dicendus sit, id est, malè: *neque enim*, vt author est S. Hier. epist. ad Paulinum, *Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse laudandum est:* bonum namque, teste Eliâ Cretense, *nisi bene fiat, boni nomen amittit*: quod & sæculi sapientes non ignorarunt, quos inter vnum Sinarum, seu Chinensium Legislatorem appello, qui suo in regno idem exoptans, populis præscripsit: Author est Nicolaus Longobardus nostri ordinis, qui anno 1598. isthinc in Europam scripsit, in eo regno ditissimo, atque amplissimo doceri pueros sex pręcepta, inter quæ illud numeratur proximũ postremo, *quemque bene facere officium suum oportere.* Vnde quid mirum spiritualis vitæ magistros, eodem, vt olim, ita & nunc constanter accessisse. Hieronymus Natalis vir in Societate nostra primarius, qui S. Ignatij iussu eandem per Hispaniam visitauit, illud crebris vsurpare sermonibus, nostrisque inculcare solebat, vti refert Alfonsus Rodericus p. 1. tract. 2. c. 2. nostram perfectionem & progressum nequaquam positum esse in multis extraordinariis, aut speciosis rebus agendis, sed in nostris ministeriis, & ordinariis exercitiis à regulis, & superiore præscriptis, bene atq; accuratè obeundis: congruenter vtique Aristotelis doctrinæ l. 3. Ethic. vbi explicans, in quo modus bene res gerendi situs sit, à diligentia pendere asserit, quam maximum etiam mediocris ingenij subsidium M. Seneca consueuerat appellare, dum latè patentem suis aperit ianuam veritati, vt S. Ambrosio proæmio in Luc. bene aduertit quod luculenter nobis testabitur ordinis & temporis nostri sidus Franciscus Suares, qui multum laborauit adolescens, vt in Societatem adscriberetur, quod ingenio tardiore, ac minus idoneo ministeriis ordinis nostri videretur. Adscriptus, initio studiorum, cum neque inter condiscipulos emineret, neque mediocris ingenij limites trãsiliret, ipse sui pertæsus, pigensque profectus exigui, contendit à superioribus enixè, vt ab iis studiis, quibus impar sentiebat ingenium, ne operam perderet, remoueretur. Abnuentibus illis, diligentia ingenium superante, peruenit eò doctrinæ, vt annos quadraginta partim Romæ, partim in celeberrimis Hispaniæ scholis Theologiam cum assensione omnium plausuque maximo explicârit, ac viginti quatuor iusta volumina, doctrinæ suæ monimenta, Ecclesiæ vtilissima post se reliquerit, vel sic, post fata sua, non malè superstes, causæque tanti sui profectus certissimus testis: qui simpliciter aliquando interrogatus, vt legitur in vita eius tom. 1. de gratiâ, præfixa, num tantam scientiam diuinitùs infusam accepisset, respondit: A se quidem id sapientiæ, quantulacunque esset Deo bonorum omnium fonti acceptum primum referri: studio deinde suo, atque sudori, quo vel infœcunda ingenia, si irrigentur, aliquem tandem fructum ferant, necesse est.

Nec his solùm diligentia necessaria est, sed & ingenio pollentibus qui nisi

Deut. 16. 20.

S. Hieron. ep. ad Paulin.

Hieronym. Natalis de re proposita iudicium.

Conuenit cum Aristotel. lib. 3. Ethic.

Francisci Suares in studiis diligentia ac magnus exinde profectus.

Etiam ingenio pollentibus diligentia necessaria est.

nisi naturæ bonitati eam adiunxerint, sæpè vel magnitudine scientiæ, vel facultate discendi à condiscipulis,qui singulari diligentiâ ingenium acuerunt, superantur, vel sic, pœnâ hâc illos Deo puniente, dum nimis ingenio suo præfidentes remittunt studium, curamque discendi aspernantur : quam ob causam nostri ordinis auctor tantopere suis diligentiam in constitutionibus commendauit. parte 5.c.6.§.2.

Quæ licet ita clara sint, vt ea nemo non videat, tam certa vt nullus addubitet ; tam honesta, vt nemo non ambiat;tam fructuosa vt semper vtilia sint;nescio tamen quî fieri soleat, vt in hoc æquore, seu terræ planitie sine calcaribus nostrates equi currere formident, vbi frænis potiùs illis opus esse debere existimârim : quare cum ita fieri amet, non omittam segni subdere calcar equo , & varium id quidem.

Incitamita varia ad diligẽtiam. Scriptura sensus.

Primum sit celeberrimus ille scripturæ locus è Ieremiæ vaticinio descriptus iuxta LXX. *maledictus , qui facit opus Dei negligenter.* Græcè *ἀμελῶς*, quo loco SS.PP. nos passim ad diligentiam inuitant, maledictionis metu iniecto, quam negligentibus comminatur S. Cyprianus, producens hunc locum. S. Ambrosius exigens festinationem in omnibus operibus Dei, communit hoc testimonio dictum suum S. Basilius sæpè hunc locum producit ad diligentiam suorum excitandam.

SS.PP. auctoritas.

Secundum calcar sit authoritas veterum Patrum,qui pariter diligentiam laudibus efferunt, & Christianos, atque Ascetas adhortantur ad eam in diuino famulatu exercendam S. Cyrillus Alexandrinus, *ab ignauia*, inquit, *alienos esse decet, nec vllam in agendo cunctationem admittere, qui Deo gratam & probatam vitam instituerunt*: mox damnans procrastinationem nautarum, qui ventorum secundorum opportunitatem negligunt,& agricolarum qui culturæ tempus otiosi prætermittunt, ex eis tarditatem Christianorum castigat l.2. in Exod. S. Dorotheus desectui diligentiæ assignat causam nostri regressus in via spirituali : hoc inquiens, inde prouenire, quia nullam de nobis curam,nullam de professione nostra rationem,nullam denique attentionem & diligentiam in corde geramus, serm.10.

S.Cyrillus Alexãdrinus l.2. in exodum.

S. Dorotheus serm. 10.

Doctrina Magistrorũ Spiritualiũ. Dionys. Carthus l. de reform. Can.

Tertium sit auctoritas Magistrorum Spiritualium Dionys.Carth.lib. de reform.Can. *Deus*,inquit, *maiestatis immensæ, in suo obsequio despicit indeuotum, euomit tepidum, negligentem & impium detestatur. Si principes sæculi huius exigunt sibi reuerenter & promptè seruiri à suis ministris, quantò magis Dominus vniuersorum*, &c. Auctor est Ioannes Boterus parentem nostrum S. Ignatium dicere solitum in negotiis decretis exequendis, vtendum ratione ac diligentia, perinde ac si non esset implorandus Deus in auxilium : Deum implorandum, atque ab eius benigna prouidentia pendendum æquè, ac si nihil esset in humana ratione, prudentiaque præsidij. Parte 1.l 2. dict. memoral.

Ignatij apophthegma de studio curaq; in negotiis expediẽdis. Ioan. Boterus p.1 l 2. dict. memoral.

Lucas Pinellus lib. de perfectione religiosa c.8. Idem probat exemplo boni serui, qui propter diligentiam ab hero diligitur,doceẗque non tantum in negotiis citò expediendis eam positam esse , sed etiam in eisdem bene atque opportunè faciẽdis.

Lucas Pinellus l de perfect Rel.

Denique Theodidactus ille Thomas cognomento à Kempis, in aureo suo libello, quo vitæ spiritualis succus nobis porrigitur, idem hac gemmula obsignat, dicens : *sine sollicitudine & diligentia nunquam acquires virtutes*. l.1.c.vlt.

Thomas à Kempis l.1. c.vlt.

His adiungere placet notabile dictum Siluestri Prieratis, ex ordine Prædicatorum viri doctissimi, de conuersis negligentibus, cuius doctrina conuenit aptissimè omnibus laicis religiosis, qui recipiuntur, vt aliis sociis laborantibus in vinea domini, seruiant : *magis*, inquit, *sunt in statu periculoso, quando circa exercitia corporalia sunt notabiliter negligentes, quia in dicto ordine ad hoc recipiuntur, & hac ratione licet eis eleemosynas or-*

Siluestri prieratis iudicium.

ſit, vigilat, præuenit neceſſitates, præcauet pericula, mundat, ſolatur flentem, cantuque ſomnum conciliat, lactat &c. vt infantulus adoleſcat: quò ſi naturalis amor, & feruor eam inclinent, quid ni doceat & nos diuinus feruor, ita vires & curas applicare ad opera Dei, vt diligenter fiant?

3. Dei præſentia menti obuerſa.

Tertium ſit Dei præſentia menti luculentet repræſentata; quis enim ſegniter diuinis miniſteriis operam det, cogitans, intelligens, credens ſe agentem à Deo videri, iudice, vindice, remuneratore. *Sicut oculi ſeruorum*, occinit *Dauid* pſ. 122. *ad manus ſpectant dominorum ſuorum, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum*. Super quo *Clarauallenſis Abbas, expedit omni animæ Deum ſemper attendere tamquàm proprium non modo adiutorem, ſed etiam inſpectorem. Quomodò enim negligens, poterit fieri, qui intuentem ſe Deum nunquàm deſinit intueri?*

Pſal. 122.

S. Bernardus.

4. Conſideratio damnorum ex negligentia emergentiū

Quartum denique comparandæ diligentiæ adiumentum erit conſideratio damnorum, quæ nobis infert negligentia, quorum alterum, ſpirituale, alterum temporale: omiſſo temporali, quod huc proprie non ſpectat, de priore dico cum S. Thoma 2.2.q.54. a.1. *Negligentia importat defectum debitæ ſolicitudinis: omnis autem defectus debiti actus, habet rationem peccati, & eo modo, quo ſolicitudo eſt ſpecialis virtutis actus, neceſſè eſt, quòd negligentia ſit ſpeciale peccatum*, vnde prodiit S. Dorothei grauiſſima cenſura initio ſermonis vndecimi, cùm ait: *Cauete ne vos ipſos negligatis. In maxima enim pericula plerumque nos adducit, vel minima negligentia*: in quo aſſentientem habet *S. Iſidorum* l. 3. ſent. c. 19. vbi ſic loquitur: *veraciter condemnamur, ſi per torporem ea, quæ bona ſunt, agimus*: de quo nullus mirabitur, qui vel ſupremis labiis attigerit, quod Rex Salomon magnum illud humanæ ſapientiæ pelagus, magnum portentum, nobis voluit inſtillaſſe: cùm ſic Eccleſ. 10. locutus eſt: *qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*. Expertus id ſuo damno Abbas Athanaſius apud *Ioannem Moſchum*, aliàs Euiratum in prato ſpirituali, qui cum in viſione patentem paradiſum conſpexiſſet, chorosque laudantium Deum audiiſſet, velletque ad eos intrare, audiuit ab Angelo hæc verba: *nemo piger huc ingreditur, ite, certate, ſæculi contemnite vanitates*: vt non ſine idonea ratione ac cauſa *Thomas à Villanoua*, quem nuper Alexander VII. Pontifex maximus SS. faſtis adſcripſit, dicere ſolitus fuetit, *malle ſe per clauſtrum videre oberrantem diabolum, quàm oſcitantem monachum*: vſque adeo S. Præſulem tum rei indignitas, tum iuſtum ſupplicium ac detrimentum affligebant.

S. Thom. 2.2.q.54. a.1.

Dorotheus ſerm. 11.

S. Iſidorus l. 3 ſent. c. 19.

Eccl. 10.

Ioan. Moſchus de Abbate Athanaſio negligentiæ ſua pœna dante.

S. Thomas à Villanoua de negligente monacho.

Quæ cum ita ſint, quis ſanctiſſimam B. Ignatij doctrinam ſapientiſſimo hoc Apophthegmate expreſſam, tam luculentis S. Spiritus teſtimoniis fultam, tot SS. Patrum decretis apptobatam tot ſæculi ſapientum, ac magiſtrorum ſpiritualium auctoritatibus confirmatam non deamet, ac totis viribus amplectatur? quo pœnas ac damna, quæ torpentibus certò denunciat, effugiens, promiſſa diligentibus præmia feliciter conſequatur.

APOPH-

lam cum æterna ſapientia conſenſionem, ſummam quandam atque eximiam hîc rebus noſtris detexerimus vtilitatem, dignam planè quæ noſtrum omnium oculis obuerſetur. Quid oculis noſtris, dico, id eſt Chriſtianis? prophanos & ethnicos appello, quibus ſuauiſſima ſempiternæ huius veritatis lux oculos tantopere perſtrinxit, vt non modò in ea ſibi ducerent ambulandum, ſed & alios eòdem rapere non formidarent. Vt Comicus ille Menander, Theophraſti diſcipulus, de quo illud Quintiliani exſtat teſtimonium l. 10. c. 1. Menander, meo quidem iudicio, diligenter ad cuncta, quæ præcipimus, efficienda ſufficiat, hic itaque ad rem noſtram ſic ſcribit:

Ἔργοις φιλόπονος ἴσθι, μὴ λόγοις μόνον.
Operibus laborioſus ſis, non ſermonibus ſolùm;
Φιλόπονος ἴσθι, καὶ βίον κτήσῃ καλόν.
Laborioſus ſis, & vitam acquires pulchram.

Et rectè id quidem, quo non malè, refero & illud

Μίχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ τοῦ πράττειν:
Quod ſuis occinebat Epictetus.

Quò præterea inter ceteros ſpectaſſe viſus eſt, & Siculus ille Theognis, qui Olympiade 70. floruit, ac varias inter lectu digniſſimas, vtileſque paræneſes, vnâ alterâque locutuleios illos amicos verbis liberales re parcos inſequitur, dumque montes aureos ſolent promittere, vix obolum donent; fucatum hominum genus, cui nemo fidere velit, aut queat, quâ farinâ cùm ex iis, qui ſe Philoſophos dicebant, nonnullos *Seneca* conſperſos notaſſet, ita lib. de beata vita, cap. 2. eos legitur fuiſſe allocutus: *Non præſtant Philoſophi, quæ loquuntur, nam ſi & paria dictis agerent, quid eſſet illis beatius?* Quibus non obſcure amorem illum, qui operibus magis, quàm verbis conſtat, beatitudinis ſeminarium appellat: quod noſtri, hoc eſt Chriſtiani, clariùs ſpeculati, feliciſſimè perfecêre. *Non iam verbis tantùm philoſophi, ſed & in operibus quoque, vt S. ait Chryſoſtomus decorum maximè obſeruantes.*

Seneca l. de beata vita c. 2.

opera verbis præſtãt.

S. Ioan. Chryſoſt.

Aduertere res ea S. Cyprianum è cæteris viſa eſt, dum verba hæc poſteritati tranſcripſit: *Philoſophi factis, non verbis ſumus*, cuius dum cauſam ex Cyrillo in medium adfero, Lectorem meum rogatum velim, vt, quod ille producit in cautelam, ſibi occini ſinat ad medelam; ita namque locutus eſt ille: *habent nimirum opera linguam ſuam, habent facundiam ſuã, etiam tacente linguâ: facta namque prædictis amantem probant. Habet ſiquidem Amor, pro menſura pœnas: caritas in vndis haurit incendia: equuleus Amori currus triumphalis eſt.*

S. Cyprianus.

S. Cyrillus.

Quod præclarè admodum S. Gregorius magnus expreſſit his verbis. *Nec ſibi aliquis credat, quidquid ſibi animus ſine operis atteſtatione reſponderit. De dilectione conditoris lingua, mens, & vita requiruntur. Nunquam eſt Dei amor otioſus, operatur enim magna ſi eſt, ſi verò operari renuit, amor non eſt.* hom. 3. in Euang.

S. Gregorius hom. 3. in Euang.

Quo, neſcio, quid ſignificantiùs adducere queam; eſt tamen & alius, Gregorius ſcilicet Nyſſenus, altero vt ætate ſuperior, ita & doctrinâ non impar, qui lib. de opificio hominis ita ſcribit: *Manus datæ ſunt homini, vt melius loqueretur: tunc enim melius quis loquitur, cùm manuum actiones, vocem comitantur, & pronuntiationem adiuuant, illarum quippe motus, rei, de qua agitur & vocis ſono conuenens, neſcio quid ſpiritus & vitæ habet: quiſquis igitur diligere ſe alium aſſerit, & in verbis ſiſtit, ſine manibus loquitur; verba eius quodammodò mortua ſunt, accedat operatio, quæ manuum ſimilitudine ſignificatur, & fiet vt melius loquatur.* Ita ille.

S. Gregor. Nyſſenus l. de opificio hominis.

Nec ſine myſterio præcepit olim Deus Gedeoni, vt eos tãtùm milites ad bellum ſeligeret, qui linguâ lambuerint aquas, ſicut ſolent canes. Iudic. 7. Seu vt legunt S. Auguſtinus, Origenes, & alij in bibliis Sixtinis citati, qui lambuerint aquas manu, & linguâ ſuâ. Et hunc eſſe germanum vulgatæ editionis ſenſum inde palàm fit, quod ſtatim ſubiungatur:

Iudicum 7.

Iubetur Gedeon eos milites adſciſcere qui aquas manu ad os proiecerint quare.

fuit

fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proiiciente lambuerant aquas trecenti viri. Quorsum ad bellum ille potiùs milites optantur, qui linguâ pariter, & manu vterentur? Origenes Adamantius homil. 9. in Iudices mysterium hoc loco agnoscit: *non*, inquiens, *absque sacramenti quâdam significatione hoc mihi videtur scriptum, sc. quod & manu & linguâ operari debeant milites Christi, hoc est opere & verbo.*

Origenes hom. 9. in Iudices responsat.

Eodem refero structuram illam mensarum, quæ in mystico Ezechiëlis templo viscebatur: *Labia*, inquit Propheta, *earum vnius palmi.* c. 40, v. 43. vbi non sine causa labia cum palmo, lingua cum manu coniunguntur, vt significetur amantium verba cum factis coniungenda. Neque solùm lingua cum manu coniungitur, sed etiam, quod plus mysterij continet, lingua manu, seu vt scriptura loquitur, labia palmo mensurantur, quia verborum regula & mensura non alia esse debet, quàm sanctimonia factorum: quod idem S. Mater Ecclesia nobis insinuat, cùm Sacerdotem sub sacrosanctæ Missæ sacrificio, dum Epistolam legit, admonitum voluit, applicandas ad librum manus esse, velut operi intentas. Quidquid igitur loquendo profers hoc vigilanter operare, vt vitam, quâ verba tua viuant, operibus impartiaris.

Ezech. c. 40. v. 43.

Non offerebantur Deo in sacrificium, Moyse iubente, pulli columbarum, nisi retorto ad collum capite Leuitici 1. 15. hoc est ore ad alas reuocato, quia vt S. Hieronymus obseruat, tales ei displicent amantes, qui linguam ad manum, verba ad opera non reducant. Cui expositioni suffragari denuò visus S. Gregorius magnus, dum homil. 7. in Ezechielem, *caput*, inquit, *ad pennulas retorqueri præcipitur, vt ea quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas: quid enim*, vt ait *S. Prosper, agat donum dilectionis, si beneuolentiæ solicitudo non vigilet.*

Leuitici 1. 15.

S. Gregorius hom. 7 in Ezechielem.

S. Prosper.

Clarè autem id à Deo Domino obseruatum legimus dum Salomoni instituendo magistrum delegit Prophetam, qui eum non solùm verbis, sed & factis diligeret, atque erudiret: misit, ait Sacer textus, Dauidne, an Dominus? dubium est: vterque fuerit, aptè ad hunc sensum: *misit*, inquam, *in manu Nathan prophetæ, & vocauit nomen eius Jedidia, Amabilis Domino* 2. Reg. 12. 25. Vnde apparet traditum fuisse Salomoni non in linguam, sed in manum Prophetæ, hoc est, non solùm ad verba eius audienda, sed facta persentiscenda. Verissimum enim illud est S. Episcopi *Valeriani* effatum: *citò sedet animis, quod docetur exemplis quia* vt scribit Seneca, epist. 6. *semper ampliùs credunt homines oculis, quàm auribus. exemplis, quàm verbis, quamquàm & ipse exempla, verba quædam sint & vocem edant, quæ audiri.*

Salomonem instituendo Deus ad faciendo quæ audiret.

2. reg 12. 25.

Quod probè callens eloquentissimus diuini codicis interpres *Hieronymus*. lib. 2. contra Iouinian. dicebat: *liceat taceamus sermone, habitu, loquamur & gestu.* Rationem dabat S. Ambrosius serm. 76. de SS. Martyribus. *Bene facere*, inquiens, *prima doctrina est: cessantibus enim verbis, hoc ipsum docet hominem opus optimum, quod videtur: quod etsi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungit. Quis enim bonum factum videns, non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito quodam magistro vtens, eius exemplo doceatur? dictis igitur facta præcedunt: imo sine factis dicta nihil prosunt. In Doctore* namque, vt bene aduertit *S. Augustinus molesta causa est, dicere, nec facere*: & quare? respondit Tertullianus lib. de patientia: *dicta factis deficientibus erubescunt.* Vnde factum, vt B. M. Petrus Faber primogenitus S. Ignatij discipulus, verba diuidere solitus esset, teste Ludouico Consaluio in verba verborum, verba cogitationum, & verba factorum, per quæ intelligebat exempla, nam & hæc instar verborum magis mouent iuxta mentem S. Martyris Ignatij, epist. ad Ephes. vbi sic scribit: *qui profitentur se Christum amare, non*

S. Hieron. l. 2. contra Iouinian.

S. Ambros. serm 76.

S. August.

Tertull. l. de patient.

Petri Fabri de dictis ac factis acuta sententia.

S. Ignat. Martyr Ep. ad Ephesios.

non modo ex iis, quæ dicunt, sed & ex iis quæ faciunt, cognoſcuntur: ex fructu enim arbor dignoſcitur. Præſtat enim amicum eſſe & tacere, quam loqui & non eſſe, non in ſermone regnum Dei, ſed in virtute eſt.

B. Franciſcus Borgia facta verbis antepoſuit. Schottus L.4.c.1.

Perſpexerat id, alteque imbiberat B. Franciſcus de Borja ille ex Duce Candiæ, Societatis Ieſu religioſus ſacerdos, dum Eboræ ſextâ feriâ aggregatis ſociis, vt more PP. Antiquorum collationes de rebus diuinis haberent, dicturus, ſententiam, *hoc tantum, opera,* inquit, *verbis præſtant,* ita aſſurgens omnium ordine pedes humi exoſculatus, ſocios, ad lacrymas, & admirationem excitauit. Potuiſſet, quâ erat prudentiâ atque faciendâ, de animi demiſſione, modeſtiaque appoſitè diſſerere, ſeque eius non minus amantem, quàm ſtudioſum verbis declamare, ſed opere maluit, magè præ illis, eloquente: quando cum Guarrico Abbate Igniacenſe, ſerm. 2. de Pentecoſte dicere poterat. *Suſpecta mihi conſolatio eſt: ſi dicam & non faciam; ſi ſuppetant ſuffragia linguæ cum deſint merita vitæ.*

Guarricus Abbas ſer. 2. de Pentecoſte.

Atque iſtud, crediderim fuit quod ſanctæ Virgini Thereſiæ Saluator Chriſtus tradidit, inter quatuor illos modos non poſtremum, per quos ſacer eius ordo quàm diutiſſimè conſeruandus eſſet, vti manu propriâ, ad perpetuam rei memoriam, in ea, quam de vita ſua, conſcripſit hiſtoria; ſub finem ipſa expreſſit, *vt magis Amorem Dei, operibus teſtarentur, quam verbis: ille namque, vt S. ait Ioan. Chryſoſt. certiſſimè Syllogiſmus concludit, qui per opera efficitur:* hæc namque ratiocinatio eſt, cui contradici non poteſt: vt non immeritò, quiſquis is fuerit apud Ouidium l. 9. Metamorph. ſibi applauſerit, dicẽs: *——melior mihi dextera linguâ eſt.* Et ſanè ita eſt, præ lingua fidem dilectioni faciet calloſa dextera, plena operum florentiſſimorum manus, quibus vel verba præuenit, vel certè conſtanter adimplet, quod omnis, cuicunque læua ſub parte mamillæ quid generoſius ſalit, neutiquam ſibi duxerit negligendum, ne vel à piis publicanorum manibus vapulet, qui ex ſermone Ioannis Baptiſtæ ad Hieroſolymitanum populum, intelligentes ſecurim ad arborem poſitam eſſe, ad eum acceſſerunt, quæſieruntque; Magiſter, *quid faciemus?* quæ verba *Hugo Carenſis,* qui primus Cardinalitiam purpuram in familiam S. Dominici intulit, obſeruans, *aduerte,* inquit, *Lector, non aiunt, quid dicemus? vel quid intelligemus? ſed quid faciemus?* Quod ex Iſaia confirmat. qui cap. 1. ſuos adhortans: *diſcite,* inquit, *bene facere: non autem bene dicere, vel bene intelligere,* quia licèt bonum ſit, non tamen ſufficit, iuxta S. Proſperum in Epigram.

S. Thereſia.

S. Ioan. Chryſoſt.

Hugo à T. Cara.

Non prodeſt cuiquam ſolis bona dicere verbis,
Vt pia mens habeat, quod bene lingua ſonat.
Nam fari rectè miſerum eſt, & viuere prauè:
Damnat notâ malũ regula iuſtitiæ.

Et tamen, quot hodieque ſunt, quibus illud magni Aquinatis Thomæ effatum conueniat: *Multi oſtendunt verbo amorem, ſed opere nihil:* ſimiles amicis illis, de quibus apud Ioannem Damaſcenum, Barlaam Ioſaphatam ſuum commonefacit, fugiendos docens, ni decipi velit, quod *Petrum Bleſenſem* non latuit, dum epiſtolâ 141. explicans hæc verba: *Vox quidem vox Iacob, manus autem, manus sũt Eſau,* ita ſcribit: *Eſt qui bene loquitur, ſed vocem nullũ ſequitur opus, quia vox eius, vox Iacob: manus autẽ manus ſunt Eſau: leuiùſque profectò extorquebis de manibus Herculis clauam, quàm de manibus eius nummum; quis hunc amicum dixerit? quem opera damnant; probatio dilectionis, vna ac ſola operis exhibitio eſt.* Quod vel ab Ariſtodemò Lacedæmonis Rege non piguerit dicidiſſe: gemellos ei ſua coniux vno partu filios ediderat, nec ab ea quid de primogenito reſcire, vt de hærede regni quid certi ſtatueret, maritus poterat, cum iis de ſapientum conſilio certos ex inſidiis arbitros obſeruare iubet, vtrum regina primum vberibus admoneret, vlnis exciperet, oſculis diſſuauiaret; dictum factum,

Petrus Bleſenſis ep. 141

Quomodo Ariſtodemi regis primogenitus cognitus.

& primogenitus ex amore nosci cœpit. Ita fit: Amor ab operibus manifestari solet.

Coniugalis fides amore cognoscitur.

Miratus id olim in mulieribus Bauaris fuit orbis vniuersus: amare eas viros suos lex sacra connubij iubebat, sed non ante creditum quam opere comprobassent: Guelpho Bauariæ Dux à Conrado Imperatore pugnâ victus, mœnibus oppidi Vinspergi se incluserat, sed fame compulsus deditionem facere, metuebat ne Imperator ob rebellionem in omnes grauiter animaduersurus esset, quo intellecto, feminæ, antequam portæ aperirentur, petiuerunt vt sibi saluis abire liceret, vnà cum iis rebus, quas humeris asportare possent: quod cùm à clementi Principe facilè impetrassent, & hostis aurum ac gemmas, reliquumque mundum muliebrem eas elaturas crederet. Matronæ illæ neglectis iis omnibus, maritos suos humeris exceptos ex oppido cunctis spectantibus & amorem laudantibus detulerunt: quasi triumphales coniugalis affectus quadrigæ, & Christiano matrimonio dignæ.

Motus certè hâc pietate Conradus Imperator Guelphonem cum omnibus suis incolumem dimisit, & cum eo amicitiam iunxit, an. 1140. Tanti fuit Amorem ex opere cognouisse.

Amor ex operibus liquet.

Vbi nunc Astrologi qui solis sibi veritatis arrogant enuntiationem? Amor omni Astrologo certiùs indicat. Chiromantæ manum inspiciunt, vt prospera vel aduersa denuntient, & manus & chiromantæ fallunt, sed opera manuum nostrarum sequentur nos, vnde in æternum læta, vel tristia, felicem aut infelicem exitum sortiemur, si vel opere dilexerimus & veritate vel contra: *Neque enim omnis qui dicit domine, domine intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei*, inquit Dominus, *ille intrabit in regnum cælorum*, istuc manum postulabit Iudex opera requiret, quibus amorem fuerimus contestati: Atque hoc erat quod senex ille in vitis SS. PP. vt annis, ita & virtutibus grauis, cunctis ad se visentibus occinere solebat: *non opus est verborum tantum: sunt enim verba plurima in hominibus tempore hoc, sed opera necessaria sunt, hæc enim Deus quærit, non verba, quæ fructum non habent.*

Matt. 7.2.

Senex in vitis PP. opera non verba à Deo requiri aiebat.

Quæ opera Deus requirat.

Rectè id quidem, dicet aliquis, sed quænam denique illa opera sunt quæ verum Dei amorem demonstrent? dicam breuiter post alios Christianæ sapientiæ Antistites, qui suum in hæc, atque similia digitum intenderunt.

Varia genera bonorum operũ.

Exactè propter Deum seruare præcepta omnia Dei, Ecclesiæ, Regularum, Superiorum, Confessariorum, PP. Spiritualium, Dominorum vota omnia religiosè obseruare.

Seruare consilia Christi, quantum quidem status cuiusque patitur.

Seruare scita & documenta Sanctorum quantum ratio suadet ac permittit.

Omnia proposita bona exsequi.

Audire & sequi bona amicorum consilia.

Parium & inferiorum voluntatem, dum fieri potest exsequi.

Omnes inspirationes internas in opus redigere, dummodo neque doctrinæ ecclesiasticæ, neque statui tuo repugnent.

Omnia bona exempla aliorum, quæ videmus, siue audimus ad maiorem Dei gloriam imitari.

Proficere semper magis, ac magis in virtutibus, in modo ac ratione perfectè in rebus omnibus procedendi, vt gustum inde & maius suum obsequium percipiat Deus.

Cauere peccatum omne, quantum quidem fieri poterit, ne quid Deo displicens committatur.

Cauere imperfectiones omnes, etiam non culpabiles.

Affici singulariter erga omnes aduersarios, & inimicos suos.

Res omnes purè propter Deum facere.

Tempus omne etiam minimum expendere in actionibus meritoriis ad Deum, & propter Deum.

Nullam

Nullam intermittere occasionem gratificandi aliis, eorumque bonæ voluntati, ac desideriis faciendi satis, eorumque maximè, à quibus iniuriam aliquando, vel molestiam passi sumus.

Sufferre amore Dei molestiam omnem ac dolorem.

Non quærere afflictionum ac Crucis leuamen, nec immoderatius de iis queri.

Indagare modos varios atque, industrias præpediendi Diuinas.

Offensas, cultumque ipsius propagandi, & vitæ perfectionem in aliis pro virili promouendi.

Sermones de Deo vbique pro tempore & loco, inferre.

Cum liberum est vtrumque, occupari potiùs spiritualibus ac supernaturalibus exercitiis, quam temporalibus, aut profanis.

Ita viuere, vt è re qualibet nostra, exemplum alij bonum accipiant, ad maiorem vitæ perfectionem, & ampliùs Dei obsequium incitentur.

Facere omnia, quæ Dei cultum respiciunt exquisitâ quâdam diligentiâ & feruore.

In rebus omnibus eligere id, quod perfectius est, ac cæteris paribus magis amori proprio displiceat, idque purè propter Deum.

Quibus, eorumque similibus Christianus id exercitator euincet, vt non iam cum Græcis, id est huius mundi amatoribus gloriam suam in lingua; sed cum Romanis, id est Deum verè diligentibus in hastis & mucronibus, bonis sc. operibus collocare dicendus sit. Claudo caput diserto Romani sapientis epiphonemate, epistola 20. *Illud itaque, mi Lucili, te rogo, atque hortor, vt philosophiam hanc in præcordia ima demittas: & experimentum tui profectus capias, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate, & cupiditatum diminutione: verba rebus proba: facere docet philosophia, non dicere: & hoc exigit, vt ad legem suam quisque viuat, ne orationi vita dissentiat: vt ipsa inter se vita; vnius sine actionum dissensione coloris sit.* (Seneca ep. 20.)

Maximum hoc est & officium sapientiæ, & iudicium, vt verbis opera concordent, vt & ipse vbique par tibi, ibidemque sis.

Quis hoc præstabit? pauci: aliqui tamen. Ita est, Seneca, & inter eos Ignatius fuit, qui nec proprio contentus bono, grauissimis sæpè verbis idem suorum auribus ingerebat, quo namque ipse plenus erat, eodem & alios sensu imbuere laborabat.

Cum enim Amorem magis ex operibus, quàm ex verbis pendere certò statuisset, diuina erga se beneficia communia & propria naturæ, gratiæque considerans, reputansque quid à se vicissim tot contestatus indiciis Amor exposceret, admouendas operi manus iudicabat. Deum intuendo, cuius Amor actuosus est: actum autem ab agendo dici nemo ignorat; vt intelligamus quidem nunquam Deum esse in potentia, sed eum esse quidquid esse potest, quod idem est cum ipsa actione: adeo vt si per abstractionem rationis, actionem à natura Dei liberet secernere, dicendum foret, quòd si Deus per naturam actuosus non esset, fieret actuosus per Amorem, qui ab operibus magis, quàm à verbis pendet: probatio siquidem dilectionis exhibitio est operis: *Amor namque operatur magna si est: si autem operari renuit, Amor non est*, vt S. Gregorius scriptum reliquit hom. 30. (S. Gregorius Magnus.) *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.* Ignis rex elementorum charitas virtutum, huius elementi miracula sunt agilitas, actiuitas, vis, vtilitas, eadem Amoris. Hinc Christus Crucifixus, quasi Seraph. alatus S. apparens Francisco, eidem quinque vulnerum suorum, quasi quinque incendij charitatis stigmata impressit. Impetus eius, impetus ignis, vt Symmachus vertit, siue vt Arabicus, extensio alarum eius, sicut alarum ignis: quis autem absconderit ignem? quod in Christo clarè eluxit, cuius si charitatem attendas non modo eum operantem, actuosum & officiosum re-

periES, fed etiam fatigatum corpore, tantóque magis fatigatum, quantò eius ardor inualeſcebat magis & ad meridiem properabat, *pertranſiit enim benefaciendo & ſanando omnes.* Id imitatus Ignatius fuit, qui, vt amorem, quo ſocium complectebatur, oſtenderet, ei ex morbo laboranti, à quo turpiter & flagitiosè ſpoliatus fuerat, præſto eſſet, Pariſiis Rhotomagum, tridui itinere, ſine vllo cibo & potu aduolauit: taceo reliqua, quæ vt ipſe conſtanter in ſeipſo expreſſit, ita deinceps in filiis, qui non ſudoribus ſolùm, ſed & ſanguine per centum hos annos copiosè profuſo idem egiſſe leguntur, feliciter eſt conſecutus: *maiorem quippe hâc dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Ioan. 15. 13. Ioan. 15. 13. id eſt, pro iis quos diligit, & loco Amicorum habet, etiamſi ipſi reuerà, eius non ſint amici, ſed hoſtes & inimici: quomodò Chriſtus vitam ſuam poſuit & in Cruce mortuus eſt pro omnibus hominibus qui primitùs erant peccatores, ideoque eius inimici.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVINTVM.

DEo frequentiſſimè colloquens, ex intimo corde dicebat: Quid ego, Domine, extra te volo, aut quid velim?

Ribadeneira l. 5. c. 1. Daniel Bartolus lib. 4. § 37.

Commentarius.

Deus omnibus ſufficiens.



NAE ſacer ille mundi naſcentis hiſtoricus Moyſes, appoſitè Deum, in Coſmopæia, אֵל שַׁדַּי El ſcaddai appellauit, vſitato cæleſtibus vocabulo, dignóque inprimis, cuius Etymon ac notionem, elucidando præſenti Apophthegmati præmittamus: quo habito, & illius ſenſus reddatur nobis apertior, dignitas fiat commendatior.

Inter alios itaque non paucos linguæ ſanctæ peritiâ clariſſimos viros, ſunt, qui vocem hanc compoſitam volunt ex שׁ ſcin articulo relatiuo, & די dai, id eſt ſufficientia: q. d. cui eſt omnis ſufficientia, abundantia, copiæ plenitudo, qui ſufficientiſſimus eſt, copioſiſſimus, atque abundantiſſimus, adeò vt, non tantùm per ſe, bonus omnibus affluat, ſed etiam aliis omnem ſufficientiam & abundantiam largiatur: qui ſolus atque vnus Deus eſt, *de cuius plenitudine, vt* Ioan. 1. 16. *S. Ioannes loquitur, nos omnes accepimus, atque indies copioſiſſimè participamus*: quo reſpexiſſe legimus Apoſtolum 1. Timoth. 6. cum ita ſcripſit: 1. Tim. 6. *Neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum*: quod & Rabbi Saa dias notauit, cum ſic locutus eſt: *Deus dicitur Scaddai, quia ipſe abundat, omneſque omnium creaturarum defectus ſupplet, verus* ἀυτάρκης, & παντοκράτωρ, id eſt ſibi ſufficiens & omnipotens, vt noſter vertit interpres. Rabbi Saadias. Ita hi, præter quos & alij ſunt, qui præmiſſam vocē deducant à שַׁד ſcad, id eſt vber, aut mamma, q. d. mammeus, ex Deo enim quaſi ex vbere bonis omnibus diſtento cuncti ſugimus, & lactamur.

Dicitur ergo Deus שַׁדַּי quod munificus ſit, efficax, atque omnipotens, quod ipſius curâ, prouidentiâ, bonitate, ac ſapientiâ cuncta exiſtant, viuant, & nutriantur, reſque omnes creatæ, de eius inexhauſtâ plenitudine exiſtentiam, vitam, operationes, bonaque omnia, tamquam de immenſo atque inexhauſto theſauro ſortiantur, vnde gentium Doctor Apoſtolus Paulus Act. 17. *Deus,* Act. 17. inquit,

inquit, *non est indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & omnia.*

Creatura non sufficiunt. Insanus proinde fit ac demens quàm maximè, quisquis eo præterito, ac deserto, per multa vagatus, requiem frustrà quærat, nunquam inuentutus!

Et quot, putes, huiusmodi? quos non dies vna, mensis, aut annus, sed plures nullo laboris sui fructu, inani studio ductos deluserunt hiantes! Causam quærimus? hi satiari opibus sperabant, & non erant illæ שדי scaddaj: isti voluptatibus explere animum laborabant, nec erant quoque שדי scaddaj: illis laus & gloria in amoribus erant, quibus votorum summa consequi nitebantur, & operam ludebant, non enim erant שדי scaddaj, vnde nec famem, nec sitim animæ, vt nunquam ante, explere potuerunt, vnus ille est qui mentem expleat, solus qui torrente voluptatis potare nos queat, magnus שדי quoniam apud eum fons vitæ est, ipse suis est omnia in omnibus.

Delectat gloria? alliciunt opes? *Gloria & diuitiæ in domo eius.*

Sap. 3 7. Oblectat forma & pulchritudo? *fulgebunt Iusti sicut sol in regno patris eorum.*

Sapientia fortassis te allicit? Audi qui penitius thesauros eius inspexit: *ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Rom. 11.

Rom. 11.

Fortè an deliciæ magnæ, grataque cupedia te morantur: attende quid de his non vana, sed certa admodum

Psal. 35. 9. scientia dictum sit: *Inebriabuntur ab vbertate domus Dei: satiabimur cum* apparuerit gloria eius, quod nemo hactenus de his, quibus stulta hominum insudat cupiditas, dixit vnquam, vel dicere poterit aliquando, quod in Alexandro illo Philippi filio comptobatum est; etenim cum

Vnus Alexander non sufficit orbis. aliquando Aristarchum dicentem audisset plures mundos esse, à lachrymis sibi temperare non potuit infelix Macedo quod necdum vnum occupasset; adeo vt necessè fuerit, magistrum eius Aristotelem de mundo vno librum conscribere, quo tamen iam velut subacto, cor eius vniuerso capacius, pluribus etiamnum mundis inhiabat, vnde *Iuuenalis* sat. 10.

Vnus Pellæo, iuueni non sufficit orbis.

Nec mirum; cum milleni, ac milleni his adiuncti cor humanũ nequeant exsatiare: quod disertè *Hugo Victorinus.* lib. 3. de animo, his verbis expressit: *Cor paruum est, & magna cupit: vix ad vnius milui refectionem sufficere posset, & totus mundus ei non sufficit.* Ac paulò pòst: *plus machinatur cor meum vno momento, quàm omnes homines perficere possent vno anno.* *Hugo Victorinus l. 3. de Animo.*

Rationem dat Augustinus. *Fecisti nos ad te & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* *S. August.* Nec disertè minus Bernardus, cùm dixit: *Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit.* *S. Bernard.* Mitaris? clariùs edisseram: quandoque homo voluptatibus & deliciis terrenis occupatus expleri videtur, vti ebriosus, dum affatim vino immaduit, auarus dum opimam hæreditatem creuit, sed frustrà est, satiari nequit, similis ollæ ferventi, quæ superabundare & effluere videtur; at vbi calor resedit & deferbuit, vix ad dimidium plena est. *Simile.*

Fuit cum Iessæus Dauid bonæ menti iam redditus, his, aliisque expensis similibus, clamitaret: *quid mihi est in cælo, & à te, Domine, quid volui super terram: Deus cordis mei & pars* mea Deus in æternum! Vbi in tem nostram expendenda sunt verba illa, à te quid volui super terram. *Ps. 72. 25.* Hebræus ad verbum; *tecum non volui super terram*; quasi dicat: Tu qui solus Dux fuisti meæ gentis, & non erat tecum dux alienus, satis superque me tueri, comitari, & lætificare poteris, proinde non est, cur in meam defensionem, lætitiamúe alterum requiram: defecit caro mea & cor meum, tui sc. desiderio, quando abes, tui gaudio & torrente voluptatis tuæ, cum ades.

Nisi fortè conqueratur, quod aliquando;

N 3

Querela Dauidis de Deo neglecto.

quando, cum rerum humanarum studio & cupiditati esset attentus, ipsius caro & cor extra Deum posita putrescerent, fluctuarent ac deficerent, vtpote quæ non essent in Deo solidata, qui firma ac solida ea reddere assolet, quibus adesse inuenitur. Ita Augustinus, prophetam seipsum incusare arbitratus, quòd aliquando in turpem Bethsabeæ amorem se abiecerit, Dei sui penitus oblitus q. d. teste S. Hieronymo: tam grandia mihi in cælis præparasti, & ego infelix in terris à te parua quærebam, deinceps profectò neque in terra, neque in cælo, alium præter te quæsiturus. Proinde rectè subiungit: *Deus cordis mei*: vbi hebræus legit, *petra cordis mei*, cui sc. firmiter adhæreo, in qua cor meum securè & firmiter quiescit, ita vt neque vagari extra te debeam, neque fluctuari, aut obrui, te Duce, ac comite, pertimescam.

Corrigit se Dauid.

Non ita semper locutus fuerat Dauid, sed postquam Dominus tenuit manum dexteram eius, & in voluntate sua deduxit eum, verba, quæ ante non nouerat, profudit. *Cœpit cogitare*, inquit Augustinus in ps. 7. tom. 8. *felicitatem cælestem, & arguere se, quia pectus fuit & terrena desiderauit, dicens quid mihi est in cælo & à te quid volui super terram. Comparauit voluntati suæ terrenæ, præmium cæleste, quòd accepturus erat, vidit quòd sibi seruaretur, & cogitans, atque æstuans in cogitatione eiusdem rei infallibilis & ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit; non dixit, illud aut illud mihi est in cælo: sed quid mihi est in cælo. Quid est illud & cùm non transit, quod habeo in cælo à te, quid volui super terram? seruas mihi tu in cælo diuitias immortales, te ipsum, & ego volui à te in terra, quod habent impij, aurum & argentum, gemmas & familiam, quæ habent & scelerati multi: hæc demens pro magno desideraui super terram, cùm seruet se mihi Deus meus in cælo.*

S. August. in psal. 7.

O veram, sanctamque philosophiam! magno dignam Augustino, atque omnibus ex amussim commendandam. Nota similitudine, quam S. Gregorius Nyssenus procudit, tract. 2. in Psal. 6. declaro: *Est*, inquit ille, *qui in carcere natus, tenebras illas, quibus innutritus fuit & educatus, eximij boni loco reputat & dilaudat: sed deinceps luminis aërem particeps factus, priùs illud iudicium suum condemnat, narratque qualibus spectaculis solis, atque stellarum, omnisque pulchritudinis, quæ in cælo conspicitur, præposuerit caliginem, cui assuetus erat, quod meliora ignoraret. Ita Dauid, cui Paulinum istud non malè accommodes, eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* Eph. 5. *quod in tenebris non vidit, in luce perspexit, errorem damnauit, ad veritatem accessit.*

S. Gregor. Nyssen. tract. 2. in psal. 6.

Eph. 5.

Hui! quantum in exemplum! nec segniter huc aduertisse animum suũ *Ignatius* visus est, cum postliminiò conuersionis suæ, Deo Domino colloquens, vt author est Petrus de Ribadeneira, exclamare solitus erat: *quid ego Domine extra te volo, aut quid velim*: cuius rationem teste Daniele Bartolo lib. 4. hanc addebat: *qui Deum habet, quamuis ille cæteris omnibus careat, nullo indiget: Deus siquidem omne bonum est, & omne bonum venit pariter cùm eo.*

S. Ignatius. Daniel Bartolus.

Vagus aliquando in viam cordis sui abiecit Ignatius, dum per plateas Babylonis aulam & castra secutus est, verum posteaquam caro eius accepto vulnere, ad Pompeiopolin defecit, Deum cordis sui liquidò agnouit, eumque in partem suam prudens accepit, identidem ingeminans: *mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in eo omnem spem meam: quid enim mihi in cælo est, & à te quid volui super terram!* Et rectè id quidem, vt author est S. Augustinus, quamdiu nempè ei non adhæsisti, Ignati, fluctuas. Ibi pone spem, præmitte ad terram viuentium hanc anchoram, vbi nondum hæres per præsentiam, inhære per spem, quæ non confundet. Id fecit, & mox vni Deo, nec alteri prudenter statuit adhærere. Dicebat *Aristippus*, mihi carne frui

Ps. 72. 28.

S. Augustinus.

Deus solus homini sufficit.

bonum

bonum est: dicebat *Zeno*, mihi mente meâ frui bonum est: dicebat *Epicurus* mihi indolentia frui, hoc est absentia dolorum omnium, gaudere bonum est. Melius, sanctiusque Regum poëta, & poëtarum Rex Dauid, non purpura sua regia quam diuino spiritu clarior, *mihi autem adhærere Deo bonum est*: quem cælestis illa anima Doctor gentium Paulus secutus, non eodem quidem sermone, sed sensu dicebat: qui casto quidem corpore & animo adhæret Domino, vnus cum eo fit, & spiritus est: non essentialiter, vt voluit Almaricus, & quidam malè Illuminati, teste Ruysbrochio; sed accidentaliter; vnus, inquam charitate, consensu, gratiâ, gloriâ, quæ hominem faciunt diuinæ consortem naturæ, & quasi Deum, vt S. Ambrosius, Oecumenius, & Anselmus Apostolum interpretantur.

Vtrumque autem Prophetam sc. atque Apostolum, Deo intus agente, secutus Ignatius, pretiosum separauit à vili: vilis siquidem Deo hic mundus est, cum omni eo, quod ambitu suo complectitur; pretiosa verò res Deus est; hunc itaque ab illo dum separat, quasi os Domini factus fuit, Deo Domino verba sua in ore eius ponente, quibus animum suum ab amore præsentis sæculi auulsum, atque hinc traductum integrè in Deũ, nobis aperiret, ac post Augustinum, 10. Confess. c. 28. in hunc modum loqui posset: *Cùm inhæsero tibi ex omni me, nusquam erit mihi dolor aut labor, & viua erit vita mea tota plena te: fietque, vt hoc tantum sciam, quia malè mihi fuerit præter te, non solùm extra me, sed & in meipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas sit.* Quid itaque iam extra te Ignatius velit super terram?

S. August. l. 10. Confess. c. 28.

An viuere? *Frustrà.*

Hec vita funus atrum,
Et vera scena fabula:
Mors prodit in theatrum
Vitæ per incunabula,
Datura mox reatum
Quem sexus omnis sentiat.

An Perennare? *Frustrà.*

vita naufragium est.

Hâc sorte nauigandum est
Vitæ viis fatalibus:
Omnes subire fundum
Vrgemus æquis legibus.

An quiescere? *Frustrà.*

Vita Cursus est.

Non hæc quietis exedra,
Nec destinata pergula.
Stadiodromus instat peruigil,
Et tempus, & necessitas.

An frui bonis? *Frustrà.*

Bona terræ sunt Acus magnetica, cælum indicant.

Hæc per suas figuras,
Per signa, per repagula,
Quid nos voles amare?
Clamant, ama cælestia.

An crescere in terra? *Frustrà.*

Quid est hîc crescere, nisi terram deserere?

Sic arbores, dum crescere
Solent, in altum porrigunt,
Tellure spreta, surculos:
vt quisquis in terra velit.
Creuisse, cælos ambiat.

An ergo iucundari in cælis? *Partim est.*

Quid Cælum sine Deo.

Romam quid absque Papa?
Quid dixeris Matritum
Absente Rege Ibero?
Quod absque sole mundus,
Sine Deo id esse Cælum

Totus fatetur orbis.

Ignatius Deo solo contentus. Hæc dixerat, hæc clarè perspexerat Ignatius, magnâ proinde confidentis animi securitate clamitabat: *quid ego Domine extra te volo, aut quid velim! quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* ac si dixisset: nullius prorsus alterius rei, nec cælestis, nec terrestris, sed tuo vnius desiderio teneor. Propriè ex Hebræo: *quid mihi in cælo? & tecum non optaui in terra,* siue vt legit Chaldæus: tecum socium non volui in terrâ. q. d. Cælum mihi sine te nihil est, tu verò solus mihi ex terra cælum efficies, dum in terra mihi adfueris. Quanta bona in vno bono! quod nobis annuntiatum est à prophetis, prædicatum ab Angelis, promissum à Patre, euangelizatum ab Apostolis, creditum à gentibus! Ps. 72. 26. *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum,* extra quê quid volo, aut velle queam, cum Quis fraudas? nusquam mihi bene sine te, nec malè esse tecum possit; & quo honore? *vt cum filio postea seruus sit: quem enim maiorem honorem accipere poterit* S. August. *adoptatus, quàm vt sit, vbi est vnicus, non æqualis factus diuinitati, sed consociatus æternitati,* vt loquitur Augustinus.

Beatos nos, longeque felicissimos, quibus nosse hæc, ante intelligere, & sperare datum est, si Patrem æquis passibus præeuntem subsequa proles non deserat, si quod opere non minus, quàm verbo docuit, & nos eisdem exprimere laboremus, quid inquam? laboremus? satagamus dicere debuissem: secùs, nos Propheta coarguat, de se suique similibus dicens: *non laboraui sequens te, neque enim est dolor in Iacob, aut labor in Israël:* cælesti illâ dulcedine, quæ de supernis affatim illiquitur, acerbitatem omnem diluente, molestiam temperante, duritiem leniente.

Quod autem de se hic dicere ex occulto, idem & de nobis, argumento S. Ignatius prædictum fructum expertus de eo scribit Petro Contareno. prognostico non obscurè portendere visus Ignatius fuit, dum ad nobilissimum virum Petrum Contarenum scripsit in hunc modum: *Etiam nunc bono Deo adiuti, felici pede procedimus, magis ac magis in dies singulos docente nos experientiâ dicti Apostolici veritatem: nihil habentes, & omnia possidentes: omnia scilicet, quæ Deus ac Dominus noster adiecturum se illis liberaliter promisit, qui præ omnibus quæsierint regnum Dei. Quod si quærenti primo loco regnum Dei, omnia tam munificè adiiciuntur; quomodo fieri poterit, vt aliquid eis desit, qui nihil aliud quærunt, nihil cupiunt præter vnum regnum Dei: Certè qui nec petunt benedictionem suam de rore cæli, nec de pinguedine terræ, sed vnicam & totam de rore cæli exspectant, non habentes cor diuisum, sed integrum superis affixum, quamuis possideant hic nihil, deesse tamen iis poterit nihil; cum Deum habeant, in quo bono, omnia, & πολλὰ quidem lateant bona.* Ita scripsit Ignatius non minore prudentia, quàm veritate: quod vt lectori meo placere non dubito, sic & modum quoque istud consequendi intelligere velle sat scio. Vix patitur vt longiùs differam docere tam sanctam tam proficuam, tam necessariam artem, quâ iuxta mentem Ignatij cælo etiam in terris nos donet. Illo itaque Doctore, qui vsque huc noster & Doctor fuit, vtemur, pleniùs siquidem nos operedocebit, quam voce, longum namque opus est per præcepta, breue & expeditum per exempla; *magisterij namque authoritas constat ex vita,* vt Diuus *Petrus Chrysologus* scribit, *& docere factis, sola est norma doctrinæ.* Serm. 176. S. Petrus Chrysologus serm. 176.

Quid ergo in præsentem hanc rem non tam dixit, quàm fecit Ignatius? quod vtique à regia Sulamitide apud Salomonem Cant. 3. dixecerat: dilectum, in quo vno quiesceret, dudum illa quæsierat, iam per noctem in lectulo, iam per vicos, & plateas Solimæ: nec inuenerat paululum verò cum pertransisset hæc omnia, inuenit illum; ita quoque diu fuit, quod frustrà quietem in terrestribus, & caducis quæsiuit. Ignatius, donec illa, in quibus operam malè posuerat pertransiit, cum nihil in Sulamitidi imitatur Ignatius.

vastissimo

vastissimo hoc mundi amphitheatro eius oculis obiiceretur, à quo non statim relictis omnibus in conditoris contemplationem converteret: Ita namque S. Rotæ auditores in relatione super eius Canonizatione, non rhetoricè, sed grauissimâ iudiciali sententiâ testati sunt: *neq; verò,* inquiunt, *tantummodo custodiuit cor suum ab iis, quæ sunt contra dilectionem, sed etiam à se ipso amorem rerum omnium, quæ Deus non sunt, prorsus abiecit, omnemque affectionem in eundem transtulit Deum illum omnino sequi decernens, etiamsi toto cælo, terraque priuaretur: vnde quoque statim ei terra sordescere, cælum splendescere, creata omnia vilescere, æterna, albescere, factumque,* quod in Sulamitide suspeximus; bonus sui testis existeret, dicens: *cum hæc pertransissem paululum, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Tot fortè oculis, quot stellis, tam quæ fugere conspectum nostrum, quam incurrere solent, me cælum alliciat, frustrà erit, neque enim cælū, sed cælestium conditorem amo: toto licèt auro suo mecum terra contendat, non illo tantum dico, quod egessit, & signandum monetæ dedit, sed & illud quod in occulto, posterorum auaritiæ seruat, nullam hîc amori meo labem inuret.

Testimonium S. Rotæ Romanæ.

Cant. 3. 4.

S. Bernardus.

Iesus sole serenior,
Et balsamo suauior,
Omni dulcore dulcior,
Præ cunctis amabilior.
Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mens mea deficit:
Solus amanti sufficit.

„ Accipiant alij à te tua dona, coro„ nas, torques & gazas: abundantiam „ vinî & olei, victorias ac triumphos, „ quæ copiosissimè pluis super iustos „ & iniustos, mihi autem tibi adhæ„ rere bonum est; datorem amo, da„ torem volo, non donum. Te amo, „ te diligo: quia si aliud præter te „ amauero, aut concupiero, non erit „ castus Amor meus. Si aurum ha„ beo; quid habeo, & quamdiu ha„ beo? si te habeo, veniunt mihi pa„ riter omnia bona tecum. Quid ita„ que est quod amo, cum te amo? „ Non speciem corporis, nec decus „ temporis, non candorem lucis, ec„ ce istis amicum oculis; non dulces „ melodias cantilenarum omnimo„ darum, non florum & vnguento„ rum & aromatum suaueolentiam, „ non manna & mella, non membra „ acceptabilia carnis amplexibus.

S. August. lib. 10. Cof. c. 6.

„ Non hæc amo, cum amo Deum „ meum, & tamen amo quandam lu„ cem & quandam vocem, & quen„ dam odorem, & quendam cibum, „ & quendam amplexum, cum amo „ Deum: lucem, vocem, odorem, ci„ bum, amplexum interioris homi„ nis mei: vbi fulget animæ meæ, „ quod non capit locus; vbi sonat, „ quod non rapit tempus; vbi olet, „ quod non spargit flatus, vbi sapit, „ quod non minuit edacitas, & vbi „ hæret, quod non diuellit satietas, „ hoc est quod amo, cum Deum „ meum amo. Et quid est hoc? inter„ rogaui terram, & dixit, non sum, & „ quæcunque in ea sunt, idem con„ fessa sunt. Interrogaui mare & a„ byssos, & reptilia animarum viua„ rum, & responderunt, non sumus „ Deus tuus, quære super nos. Inter„ rogaui auras flabiles, & inquit vni„ uersus aër cum incolis suis, fallitur „ Anaximenes, non sum Deus. Inter„ rogaui cælum, solem, lunam, & „ stellas, neque nos sumus Deus, „ quem quæris, aiunt. Sed dixi om„ nibus his, quæ circumstant fo„ res carnis meæ: dixistis mihi de „ Deo meo, quod vos non estis, di„ cite mihi de illo aliquid. Et excla„ mauerunt voce magnâ, ipse fecit „ nos. Et direxi me ad me, & dixi „ mihi: tu quis es? & respondi, ho„ mo. Et ecce corpus & anima in me „ mihi præstò sunt, vnum exterius, & „ alterum interius! Quid horum est, „ vnde quærere debui Deum meum? „ & renuntiabant pariter: non sumus „ Deus tuus, sed ipse fecit nos. Ipse „ suprà hæc omnia dans omnibus af„ fluenter, vnus ipse singulis prospi-

„ ciens

„ ciens sufficienter. Miraris inquit „ S. Bernard. serm. de SS. in sole „ splendorem, in flore pulchritudi- „ nem, in pane saporem, in terra fœ- „ cunditatem, &c. Sed à Deo hæc „ vniuersa donata sunt, nec dubium „ quin multo amplius reseruauerit „ sibi, quàm dederit vniuersis; Ma- „ gna mens, vbique præsens, infini- „ ta, suique ipsius, & omnium qui- „ bus datum fuerit, summa consum- „ matissima, ac iucundissima beati- „ tudo, digna profectò propter quam „ omnia detrimentum facias cum „ Apostolo, & arbitreris vt stercora, „ vt eam lucrifacias; neque enim in- „ tellectus & voluntas nostra inte- „ grè atque efficaciter possit Dei bo- „ num, quod in eius cognitione & „ amore consistit, sat prosequi, quã- „ diu proprio bono, plus æquo, cogi- „ tatione & affectu inhæreant. Ab- „ ducenda itaque antè ab omni alie- „ no amore sunt, vt purius atque li- „ berius in vno Deo quiescant: Ad- „ do, non posse tantam esse Dei æsti- mationem, cum quid creatum, vel præponitur, vel pari, atque adeo inordinato quodam affectu quæritur, quod in mystica illa muliere, quam beatissimus Ioannes Apocalypsios cap. 12. se vidisse commemorat, clarè monstratum est: fidelem hæc nobis animam repræsentabat: Lunam habebat illa sub pedibus: anima subiectas sibi res omnes temporarias, solo atque vnico contenta Deo, qui merces eius est magna nimis, dum à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ nihil præter Deum desiderat: quare & hyacintho calceari solet, qui siue flos, siue gemma coloris est aërij, vel sic desiderium cælestis conuersationis in gestante designans, vnde quoque laudantur gressus eius in calceamentis, ita tamen vt ea quatenus corio constant, hoc est terreno affectu, satagat exuisse: sic Moyses & Iosue suis illa soluere de pedibus iussi sunt, ne quid viso, vel gustato Deo cogitent, vel desiderent præter Deum; vnde & factum crediderim vt Ioseph Patriarcha diutiùs hæserit in carcere, quia spem suam in eo posuerat, cui se ante commendârat, liberationem eius è vinculis vaticinatus, vt SS. PP. Ioannes Chrysostomus & Ambrosius prudenter obseruant, solus namque Dominus spes nostra, atque vnica sit oportet; quod & mulieris istius Apocalypticæ caput, stellis duodecim coronatum nobis abundè repræsentat, ibi docens nostrum reclinandum esse caput, vbi nos stellæ, procul à terrenis abductos, rebus cælestibus solēt adoptare.

S. Bernard. serm. de SS.

Periculosũ est bipartito corde Deo seruire.

Et prorsus sic est: *Cum enim diligimus Deum*, inquit, *Cassiodorus* in ps. 33. *omnia in ipso reperimus. Vnus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium singulare! cur nos per diuersa fatigamus? ad ipsum festinemus, post quem cuncta bona vltra non quæramus, sed tenemus.* Pulchrè hoc sensu Bernardus. *Quid quæris extra illum? quid desideras præter illum? quid tibi placet sine ipso? ipse fecit omnia, ipse habet omnia; quodcunque bonum cupis, quodcunque pulchrum quæris, quodcunque dulce & delectabile requiris, totum in ipso inuenies, & in ipso perfrueris. Si gaudere vis, ipse gaudium est: Si te pugnare delectat ipse palma est. Si coronari vis, ipse corona est. Si vincere cupis, ipse victoria est. Si amas sapientiam, ipse fons sapientiæ est. Si charitatem vis, Deus charitas est: Si diuitias appetis, ipse diues est. Si plenitudinem quæris, omnis boni, ipse plenitudo est. Si gloriam, & honorem cupis, vera gloria, & summus honor Deus est. Si pacem vis, pax æterna ipse est.* Sic Bernardus sermone de miseria humana, quem aureâ hâc sententiâ S. Paulini obsigno, quam epistola quinta ad Seuerum, postquam amicum huiusmodi præceptis imbuisset, expressit: *Nihil habemus nisi Christum nisi Deum, & vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus: vt meritò illi Christus succenseat qui fonte relicto de riuulo bibat, nec sole contentus, sibi candelam accendat*: quod & ipse apud Matthæum cap. 17. perspicuè nobis ostendit, vbi requiem sibi optasse legitur Petrus conspecta

Cassiodorus in psal. 33. In Deo sūt omnia, illo habito habentur & omnia.

S Bernard. serm. de miseria hum.

S. Paulinꝰ ep. 5.

conspectâ gloriâ Magistri sui, non tamen in eo solo voluisse iucundari, sed & insuper in Moyse & Elia, cum Matth.17. diceret: *Domine, bonum est, nos hîc esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum: nesciebat enim*, vt S. testatur Lucas 1.9. Lucas cap. 9. *quid diceret* dum talia loqueretur: quare & statim quoque corripitur, quod tabernaculorum, numerum, tribus deferendum existimaret, vbi nihil, extra vnum Deum velle debuisset, eo vtique solo contentus de quo pater: Matth.17. *hic est filius meus dilectus*, non Moyses filius, non Helias filius, sed hic filius. Et sensit emendationem Apostolus: procidit namque in faciem suam, voce Patris, & filij claritate perculsus, sed eleuatus à filio, qui iacentes erigere consueuit, vnum ac solum vidit filium Dei: recesserant enim seruuli, vt solus Dominus, qui solùm designabatur filius, diligeretur. Sic igitur increpitus, correctusque est, qui alium præter Deum quærebat, aut alium simul cum Deo optabat, in quo solo ei liceat deliciari, qui gloriam desiderat aut quietem: *quamuis subinde inuenire est eiusmodi, qui obtinere à Domino temporalia, ac spiritualia concu-* S.Bernard. *piscunt, ait S. Bernardus, sed perfecta charitas solum sitit, quod suum est, tota desiderij vehementia clamitat, quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram.* Quod cum Ignatius noster, tam sui ipsius, quàm nostri omnium communi fructu, altè animo imbibisset, identidem ingeminare non destitit: *quid ego extra te volo Domine, aut quid velim?* q.d. non cælestia, non terrena, non aliud cupio, nisi te solum: Christus mihi præ omnibus est, quem qui inuenerit, omnia inuenit. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: ipsorum est Deus, in quo est regnum & beati- Matt.5.3. tudo nostra. Et rectè: quid enim quis vltra desideret? *affatim diues est*, in- S.Hieron. quit S. Hieronymus, *qui cum Christo pauper est.*

Perfectus seruus Christi nihil præter Christum habere debet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est; vnde ea animalia, quæ super terram reptant, & non tam terram calcant, quàm ipsi adhærent, immunda Deo reputabantur, neque eis vesci licebat, ne aliquid terrenæ huius affectionis comedentibus inhæreret: Infelices siquidem illi omnes qui cælestia negligunt, & corpus ac mentem per terram trahunt, quorum mens non est in æthere, sed in aëre, quorum Deus aut venter est, aut Mammona, sic namque Leuitici 11. legimus, *omne quod reptat super terram abominabile erit, nec assumetur in cibum.* Item, *quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, abominabile est*: Manibus incedit, qui manibus innititur, quique in illis spem positam habet. Quatuor graditur pedibus, qui in res, sensibus obnoxias incumbit, earumque occupationibus animum distendit: Multiplici pedum numero mouetur, qui rebus corporeis circumagitur, vnde quam sibi perniciem creet quisquis talis est, neminem latet, neque enim, vt Hesychius ait, *hominum est per terram repere, quibus concessum est, vt recti incedant, cælumque suspiciant.* Vbi nequaquam prætereundus nobis Seneca est veteris ille Philosophię genius & nouæ nequaquam ignarus. *O! quàm contempta*, inquiebat is li. 1. qq. nat. *Res est homo, nisi suprà humana se erexerit: virtus enim, quam affectamus, magnifica est, animum laxat, ac præparat ad cognitionem cælestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatam habet plerumque bonum sortis humanæ, dum calcato omni malo, petit altum & in interiorem naturæ sinum venit: tunc iuuat inter sidera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram. Nec potest ante contemnere porticus & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles siluas, & deriuata in domos flumina, quam totum circumeat mundum, & terrarum orbem supernè despiciens sibi ipse dicat: hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igne diuiditur: O quàm ridiculi sunt morta-*

Vt quipræter Deum aliud quærit.

Leuitici 11.41.

Leuitici 11.42.

Hesychius.

Seneca li. 1. qq. natural.

mortalium termini! sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita minimum secum ex corpore tulit, si sordidū omne detersit, & expeditus, leuisque, ac contentus modico emicuit. Quàm bene, atque in rem nostram Christianè Cordubensis hic Philosophus! melius tamen Gilbertus serm. 1. in Cantica: *Quantò*, inquiens, *fuerit expeditior animus, tantò impensior erit in illud, quod amat: animum cura implicat, quies explicat, explicita desideria, in quæ putas incrementa se dilatant? vt iam non solum id omne, quod Deus non est, facilè prætermittamus, sed & illo, quod est, contenti, incundique viuamus.*

Gilbertus serm. 1. in Cant.

Et de priore quidem dictum nunc satis: de posteriore verò quod addam, aliquodpiam reliquum est Iam Israëliticum populum in singulare sibi peculium ac nouam quandam hæreditatem adlegerat Deus, cum id præ omnibus vnum inculcare singulis cœpit, de cura sui tutò remitterent, fore se eis in patrem, cui priuati, publicique cura, studiumque incumberet; nec quidquam pateretur deesse. Nōn certum minus, quam magnificum promissum, quod dum S. expenderet Cyprianus, *homo*, inquiebat, *cuius Deus est, quid ampliùs quærat? Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus. Valdè enim mirum est, quod te solo sit Deus tuus contentus, neque velit aliam præter te hæreditatem habere, tu verò in eo non contentus, ad perituras inhies diuitias, & ad terrenas hæreditates aspires vt Deo solo, qui est* שדי *scaddai, id est, sufficiens, vel ipsa potiùs sufficientia, vber, & bonorum omnium fons vberrimus, nequaquam contentus viuas.*

S. Cyprianus.

Notam hanc sanctissimus Solymorum Rex Dauid effugerat, cum tota hac diuinæ munificentiæ perspecta æconomia, clamabat: psal. 72. *Defecit cor meum & caro mea: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, q. d. teste S. Hieronymo, *neque in terra, neque in cælo aliud præter te requiro.* Neque omittendus ibi Augustinus, cum ait: *inuenimus nostras diuitias, eligat sibi partes genus humanum. Quid ergo? nullum præmium Dei? nullum præter ipsum: præmium Dei, ipse Deus est: Mihi autem adhærere Deo bonum est: hoc est totum bonum; vultis ampliùs? doleo volentes. Deo adhærere nihil est meliùs: vni ac soli adhærere. Defecit caro mea, & cor meum, tuo sc. desiderio quando abes: tuo gaudio, & torrente voluptatis, cum ades.*

Psal. 72.

S. August. in dictum Psal.

Ita Dauid Abrahami exemplo eruditus, præmio inflammatus; Vilem ille Regis Sodomorum mercedem respuerat, ne propter lucrum potiùs, quam ex fraterna charitate pugnasse diceretur, cum Dominus ad eum: *ego protector tuus sum*: græcè hyperaspistes tuus, q. d. ego ipse qui sum Deus bonorum omnium oceanus, ero merces, præmium & beatitudo tua, quæ tuos labores longè exsuperet.

Gen. 15. 1.

Ne quis verò id testamenti veteris sorti indultum eat, quâ peculiari numinis beneficio in Domini hæreditatem adscripti erant; ad felicissimam temporum nostrorum conditionem oculos reflectat necesse est, qui sub nouo testamento degentes longè aliter, quam Iudæi, filij Dei nominamur & sumus, ac proinde in partem & hæreditatem suam ipse nos assumpsit, vnde liquidò teneamur, vt nulla pars nobis sit extra Deum, ipseque nobis sufficiat, qui se præ omnibus facturum satis addixit.

Clarè id perspexerat insignis ille Aquinatum Phosphorus Thomas, cuius nomen nō tam hominis, quam sapientiæ nomen est, cum Neapoli antè Christi è cruce pendentis simulachrum orans, delatâ ad se istinc voce audiret: *bene de me scripsisti Thoma*, quæ ergo erit merces tua? respondit: non alia, quam tu, Domine, tū enim es spes mea, amor meus, & omnia. Neque idem nescesse dixerim B. Ludouicum Caroli Regis Siciliæ primò, pòst S. Francisci, filium, quem abdicatis omnibus dicere solitum ferunt: *diuitiæ meæ Christus est: desint cætera: omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi inopia, secùs vberrima copia est.*

S. Thomas de Aquino contentus Deo solo.

S. Ludouicus Tholosanus nil præter Deū desiderat.

Quid

Quid aliud quæram, aut petam? quid sufficiat, cui Deus satis non est: Auarus profectò nimium, cui Deus non sufficit!

Nec verbis fusior, quàm factis Ludouicus fuit, *bonus* namque *vt perfectus Magister*, vt ait *B. Petrus Damiani fidem facit verbis opere meliore*, à Deo nihil voluit super terram: quo enim die soror in manum hominis conuenit, ipse virginitatem Deo despondit.

B Petrus Damiani.

Quis in eadem schola eruditam nuper abnuat V. Mariam Aurillotiam Parisini cæli Cynthiam, naturæ virtutisque Pandoram! Viro hæc nobili, in matrimonium data, ita marito placuit, vt Deo nunquàm displicere visa sit. Fuit, cùm à conscientiæ suæ præside asceticum quendam librum accepisset, quem dum non minore pietate quàm zelo euolueret, casu accidit, hanc eius oculis primam occurrere sententiam: *vehementer ille auarus est, cui Deus non sufficit*: quibus illa verbis velut totidem fulgetris siderata, totidem tonitruis perculsa, ita animo moueri cœpta est, vt iam non ea, quæ ante fuerat, esse sibi videretur, & quamtuis bona ac pia fuisset semper, longè alia meliorque appareret, verba hæc illi natare in labiis, ac feruore magno, & sensu non rarò ea transilire, dum vellet omnibus ianuis, ac fenestris ea videre inscripta ac lecta resonare, inter quæ ardere facies, scintillare oculi, vt quanto intus incendio arderent omnia, facilè esset coniectare, quodque mirabile dictu est, nec sine idoneo teste memorandum, manus eius, pedesque ambo, ac sinistrum latus sacris patientis Christi stigmatibus, veluti totidem huius veritatis sigillis, ac tesseris in hunc modum cœpta notari, vt feriis sextis ac sabbatis anno toto, atque omnibus per sacros vernæ inediæ dies manibus, latere, ac pedibus acerbissimos dolores persentisceret. Ita scribit R.P. Petrus Cottonus inuocato Angelo suo custode & tutelari illius in testes quod verum dicat. Vnde posteà factum est, vt marito morte sublato, ad Carmelitanum ordinem sese aggregârit, vbi, quam antè Dei sufficientiam experta fuerat, nihil extra Deum cupitura in finem vsque suspexit, Maria de Incarnatione, sanctiore vocabulo, deinceps compellanda: Andreas du Val Doctor Sarbonicus in vita. Quæ cùm ita sint, quid cunctamur relicta spe sæculi, vt verbis *Augustini* concludam, *conferre nos totos ad quærendum Deum & vitam beatam? Pereant omnia & dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad solam inquisitionem veritatis. Veritas est ipse Deus. In veritate cognoscitur & tenetur summum bonum, extra quod nullum sapiat bonum*, vt post Ignatium dicere aliquando liceat: *quid ego, Domine, volo, aut extra te quid velim?*

Maria Aurillotia, siue, de Incarnatione, eiusdem spiritus hæres.

l. 6. conf. l. 6. c. 11. sermone 54. de temp.

APOPHTHEGMA DECIMVMSEXTVM.

SVos identidem admonere solebat, ne quid inconsulto Deo aggrederentur, subiungens: nunquàm se ausum esse vllum cuiusquam ponderis, aut momenti negotium auspicari, nisi priùs recursum faceret ad Deum: & hic erat solemnis eius sermo.

P. Ludouicus Gonzalez in diario de vita, modo procedendi & dictis S. Ignatij: P. Oliuerius Manaræus in epistol.

Commentarius.

Quando consultandum & quare.



EVboliam, quæ à Latinis bona Consultatio dicitur, Prudentiæ filiam, Felicitatis prodromam, securum humanæ vitæ præsidium quisquis dixerit; næ ille verissimum pronuntiârit?

Proprium siquidem opus esse prudentis rectè consiliari, iudicare, atque præscribere, quod secundum veram, certamque rationem faciendum est, vt ad propositum finem bonum perueniatur, tum Aristoteles lib. 7. Eth. cap. 10. tum S. Thomas 2. 2. q. 47. & 48. haud semel docuisse visi sunt; non vt promiscuè consultatione opus esse velint, sed quandò ancipiti quâdam cogitatione distracti, nec clarè cernimus, quid facto opus sit, nec rerum peristases satis penetramus. Verùm quia multis sæpe imponit sui amor, ac præsumptio, arbitrantibus se clarè perspicere, quid agere conueniat, cùm re verâ non intelligant, iuuerit in rebus quibusque grauioris momenti suspectum habere iudicium proprium, ac meminisse hebræi Sapientis, qui Prou. 3. scriptum nobis reliquit. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, cùm indies inuenire sit non paucos, initio ratos nihil proposito negotio difficultatis inesse, mox neglecto consilio in multos se labyrinthos induisse; vnde se nunquam potuerint indemnes extricare: malo suo, sed serò edoctos, fatiùs longè fore Prometheum, quàm Epimetheum esse: erant autem hi duo fratres in eo discrepantes ab inuicem, quòd ille rebus agendis consilium præmitteret, iste posthaberet: huic omnia infeliciter, isti felicissimè cuncta euenirent, quod sapientissimus ille mortalium Salomon his verbis notauit, cùm diceret Prou. 2. *Consilium custodiet te*, siue vt ex Hebræo vertit Caietanus *Cogitatio custodiet super te*, hoc est, vt ipse interpretatur: Cogitatio velut custos vigilans super te erit.

Aristotel. 7. Eth. 7. S. Thomas 2. 2. q. 47.

Prou. 3. 5.

Prou. 2. 11

Vult siquidem cogitationes, & prudentis animi consilia in edito veluti loco posita esse, vt in speculâ, & vigilia quâdam consulari, quæ non modo ea, quæ ante pedes sunt, verùm etiam longè dissita prospiciant, vt virtus, pietas, atque religio in tuto seruentur & fiant omnia prudenter. Id, quoniam in humana vita res vna summi est momenti, ita latere non potuit Ignatium, quem Deus præsenti sæculo & morum Magistrum, & magnum gloriæ suæ excitauerat instrumentum: quare, si quod vas continet, idem & eructet, quis Apophthegma hoc ab eo profectum non suspiciat, quo nihil esse nobis agendum alicuius momenti dicebat, quin priùs per peculiarem recursum ad Deum, & breuem saltem mentis eleuationem, consilium ab eo imploremus, sicuti à Patre optimo & sapientissimo totam in eo fiduciam collocando, cuius vel tanta dignitas, fructus, atque necessitas in hominum vita existere solet, vt absque

Cōsultabat cum Deo frequenter Ignatius.

que eius vsu difficulter præstitutum sibi finem quis assequatur; cùm eo autem omnia feliciter succedant.

Et primum quidem ad dignitatem quod attinet, cum gentium omnium vocibus ac litteris, Diuinum dixero, satis superque censear dixisse. Quid enim potius? nunquid & istud à Deo inuentum, & ab eodem ante omnia maximo nostro commodo, bonoque vsurpatum? Ita namque magnus ille Dei Cancellarius Moses in Cosmopæja, postquam fecisse eum bestias terræ, iuxta species suas, iumenta, & omne reptile terræ in genere suo narrasset, *faciamus*, dixisse inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, volatilibus cæli & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*. Genes. 1. 26. Quid hoc innuit? faciamus: quis sic loquitur? Patet vtique ad filium suum, & Sp. sanctum, quasi collegas suos, eiusdem secum naturæ, potentiæ, & operationis, sacrum velut euocans senatum ad consultandum de re maxima, iuxta Concilium Sirmiense apud S. Hilarium lib. de Synodis.

Ipsius Dei exemplo.

Gen. 1. 26.

Vbi notandum, ad solum hominem, non ad alias creaturas producendas consilium præmisisse, vt homo mundum gubernaturus, sui artificis in seipso formando consilium imitaretur. Ita S. Gregorius Nyssenus lib. de opificio hominis cap. 3. & 4. *O rem*, inquit, *admirandam! Sol creatur nullâ deliberatione præcedente; eodemque pacto cælum: quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest. Ad solius hominis fabricationem, Creator ille rerum, quadam cum consideratione accedit: nam naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum, quasi diceret: creatus est homo cum consilio, vt cum consilio gubernaret, & ex sui molitione disceret, quo pacto, & ipse reliqua moliretur. Ne posteà id neglexisse pœniteat, quod Deum fecisse non puduit*: Fuitque res vna hæc adeo præstantioribus hominum mentibus insita vt duo illa prophanæ philophiæ lumina Aristoteles, & Plato, manibus, pedibusque in dictam sententiam migrârint, quorum hic consultationem vocabat rem quandam sacram: ille verò, vlterius progressus, consilium capere eorum, quæ inter homines sunt, diuinissimum esse volebat: verba eius in Rhetor. ad Alexand. hæc sunt: *Consiliari diuinissima res est, cùm inde quid præstantiùs & vtilius inueniatur*. Quod antè Socrates dictitare solitus, *Consilium*, inquiebat, *res diuina est*: & Iamblichus apud Stobæum serm. 3. vel sic credebat homines fieri simillimos Deo.

Greg. Nyss. sen. de opific. hom. c. 3. & 4.

Aristotel. in Rhet.

Socrates.

Iamblichus serm. 3.

Nec minus veteres illi Mythologi eruditam suam sapientiam doctis assueti sipariis obuelare, veritatem hanc attigisse visi sunt, cùm Iouem, quem summum rerum omnium Deû credebant, & excellentis vitæ imaginem esse arbitrabantur, vxores omninò tres habuisse dixerunt, quarum prima Metis, id est, consilium, è qua Palladem genuisset, ducem & genium Sapientiæ: altera Themis, vnde Eunomia, Dice, & Irene: Tertia Charis, siue gratia, vnde Amor, largitas, beneuolentia: quorum omnium Dion Chrysostomus Orat. de reg. longam disputationem instituit. Atque vt paulò etiam magis rem cælestem, & infimis hisce naturis superiorem innuerent, fulmen quondam Iouis dixêre consiliarium: & Ægyptiorum Sacerdotes, apud quos diuersorium quoddam habuisse eruditionem ferunt, stellas nuncupauêre consiliarias, consiliorum antistites, effectrices prudentiæ: quin & in Græcia multorum fuit opinio, Principem ipsum Deum quem nominabant Demiurgum, vt potentem rerum omnium ædificatorem, nihil sine consilio moliri & perficere, ac proinde in augusto illius solio, perpetuò ei assidere Dicen, & Eunomiam, quæ nunquam ab eius latere discederent: quæ è sacris Dei nostri monumentis ferè omnia ad consilij commendationem libata esse, vtpote lectis vel auditis à Græcis, Ægyptiisque Doctoribus, sancti Patres voluerunt.

O 2 Venio

Venio ad Euangelium, vbi Christum Dominum veræ Prudentiæ fontem, magnum illum consilij Angelum, vt eum propheta appellat non semel ita consultasse inuenio: vt discipulis, quos ad omnem virtutem instituebat, exemplo præiret, quod patuit, cùm è toto discipulorum numero, eligendi essent duodecim Apostoli, ne quid sensu videretur statuisse, solus in monte pernoctauit, vt paterno audito consilio, futuros Ecclesiæ vniuersæ Rectores designaret.

Necessitas consultationis.

Quæ cùm ita sint; atque eisdem consultationis dignitas satis superque probata videatur, ad eius necessitatem veniamus, quæ in humanæ vitæ decursu tanta est, quantam quis sibi queat de facili imaginari. Fraus enim & caligo in humanis sæpè rebus adeò dominantur, vt facillimè omnes, quotquot sumus in errorem impellamur: quod Aristotelem l. 2. Metaph. cap. 1. sic expressisse accepimus: *quemadmodum*, inquiebat, *vespertilionum oculi se habent ad diei lumen, ac splendorem, ita mentis nostræ aciem ad ea quæ alioquin per se clarissima sunt, se habere compertum est.* Quapropter velut ab arce quâdam sapientiæ hebræus vates c. 9. iure exclamârit: *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ*: adde, quod voluntas præcipiti sæpè affectione rapitur in damnum suum, & dum videtur sibi consulere, nocet: vnde luce clariùs patet quàm alienum consilium homini necessarium sit, ne res nostras velut naues ad scopulos allidamus, quod olim Regum ille sapientissimus Salomon amico dissuasum cupiens, *ne innitaris*, inquiebat, *prudentiæ tuæ*, quod maximè propriis rebus periculum non leue procreare solet, cùm animum vehementer feriant, & ob metum, vel cupiditatem sæpè inobscurent. Surgunt namque in voluntate non rarò turbulenti affectionum motus, contra rationem incitati, in mente paralogismi & fucatæ rationes, quibus nisi amicus consilij sui lucem, inter saxa Capharea, vti facem, attollat, de summa re actum necesse est vt lugeamus.

Aristoteles l. 2. Metaph. c. 1. — *Sap. 9. 14.* — *Prou. 3. 5.*

Obiectioni fit satis.

Neque hic mihi quisquam multo vsu comparatam experientiam, aut nobilis ingenij sui acumen obiiciat, quo ipse sibi sufficere arbitretur, nec alieno consilio opus habere, farfari hæc folia sunt, frustrà obtenduntur, *omnia*, inquit S. Bernardus lib. 2. de Conf. *illi desunt, qui sibi nihil deesse putat.* & S. Augustinus lib. 14. de Ciu: c. 13. *Vbi dixisti, meus sensus sufficit mihi, ibi defecisti: vbi tuo consilio placuisti, ibi periisti.* Nemo siquidem sibi satis est, nec duo oculi sufficerint ad humanarum rerum transennas penetrandas, quod sanè Ecclesiasticus c. 32. 42. clarè perspexisse dicendus est, cùm, tanto studio ac cura nos super hoc admonitos voluit dicens: *fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*, certam minatus pœnitentiam, nisi pareamus, *dissipantur siquidem cogitationes, vbi non est consilium.* Prou. 15. 22. Rectè proinde Horatius l. 3. Car. ode 4.

S. Bernard. l. 1. de Cõs. — *S. August. l. 14. de Ciuit. c. 13.* — Eccli. 32. 42. — Prou. 15. 22 — *Horatius l. 3. Car. ode 4.*

Vis consilî expers mole ruit suâ.

Fructus bonæ consultationis.

Vnde quales, quantósque fructus, dies omnis consiliosa nata sit protulisse, dignum operæ pretium fuerit indagare.

I. Fructus.

Et primus quidem ille fructus & verè eximius fuerit, quem suprà diuino oraculo expressit Sirachides Eccli. 32. 24. *Et post factum non pœnitebit*: è prudentis sc. animi consilio læta omnia, ac iucunda proueniunt: sicut è contrario, infausta solent pullulare. Quemadmodum enim in Iure canonico dicitur, *non præsumi bono exitu perfici, quæ malo sunt incohata principio*, ita fieri amat, vt quæ adhibito consilio negotia suscipiuntur ex animi sententia & optimo fine terminentur vtpote firmo ac solido nixa fundamento, quod ex arcanis linguæ sacræ mysteriis non obscurè demonstratur, quod enim Latini consilium id Hebræi סוד iesod, id est fundamentum & firmitudinem appellant, vnde consultare, dicunt fundare: nec procul hinc dis-

Eccli. 32. 24. — *Formula Iuris.*

cessisse

cessisse leges Imperatorias dixeris Cod. de rep. l. 3. dum sic locutæ inueniuntur: *dubium non est, omnia omnino, quæ consilio rectè geruntur, iure, meritóque effectu, & firmitate initi.*

Cod. de repub. l. 3.

II. Fructus.

Seneca l. 19 ep. 110.

Sed & alter hoc non inferior fructus existit, quem nobis Annæus Seneca lib. 19. ep. 110. sapienter aperuit; dum percunctanti Lucilio Balbo an deliberaturus sit sapiens? an in consilium aliquem aduocaturus? respondet: *sic illi opus esse alieno consilio, quomodo Medico, quomodo Gubernatori, quomodo aduocato & litis ordinatori. Proderit ergo Sapiens aliquando sapienti, suadebit enim: impetum illi dabit, occasiones actionum honestarum commonstrabit. Præter hæc, aliquas suas cogitationes exprimet, docebit, quæ inuenerit & quo animus eius excurrat. Præterea quarundem illi notitiam tradet: non enim omnia sapiens scit: etiamsi sciret, breuiores vias rerum aliquis excogitare possit, & has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur: atque ita incipiet alter sapere securior, & extra metum positus feriari: plus enim homines in alieno negotio vident, quàm in suo.* Ita ille; & optimè quidem. Verùm quod hîc moram nonnullam iniicere natum dixeris, vnum id videri, post consultandi dignitatem, ac necessitatem, affatim modò explicatam, liquere necdum satis, quid consultanti obseruandum sit, vt è prudenti consilio prædictos fructus capere suo tempore queat? cum non paucos sæpenumero inuenire fuerit, qui præclarum aliis consilium dare quidem possint, capere verò ipsi non possint, quod variis de causis accidere solet, quas nisi perspectas habuerimus, parum ex hac disputatione potuerimus profecisse. Fateor: atque ita rem se habere non inuitus in animum induco, quapropter, & quod defuerit, lubens supplêro.

Quid consultanti obseruãdum.

Ponenda itaque generatim omnibus sua animi pertinacia.

Secundò, coërcenda omnis turbulentæ mentis affectio.

Et ad primum quod attinet, inuenire quosdam est, ita in propria sententia obfirmatos, vt nullius vi rationis, ab ea, quam imbiberunt, deduci possint, quos Aristoteles olim ἰσχυρογνώμονας vocabat, obfirmatos & pertinaces; qui proinde necesse habent à seipsis discedere, si vim atque opem consilij velim experiri: quam ob caussam D. Thomas 2. 2. q. 49. a. 3. docilitatem non minimam Prudentiæ voluit esse partem; quod Platoni quoque visum fuisse testatum reliquit Macrobius lib. in som. Scipionis cap. 8. vnde Salomonis illa sapiente digna precatio: *dabis ergo seruo tuo cor docile*, ad audiendum sc. vt Septuaginta legunt quod penitus sibi in animum induxerat magno præstans ingenio ac spiritu Clarauallensis Bernardus, dum sic serm. 1. de natali Domini locutus est: *sola quæ ex Deo est Sapientia salutaris est, & pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis consilio, vel iudicio acquiescens.*

Quã noxia in omni cõsultatione sit animi pertinacia.

3. reg. 3. 9.

S. Bernard. serm. 1. de nat. Dom.

Deponet igitur pertinaciam omnem, suique opinionem, qui fructuosè de re sua volet consultationem instituere: atque hoc est quod gentium Doctor Paulus commendat, cum vult omnes nos *sapere & quidem ad Sobrietatem*, quod *S. Irenæus* vertit, *ad prudentiam*, cuius partes sunt, loco & tempore mutare sententiam, & cum ratione deponere. Neque enim leuitatis semper est pristinæ sententiæ mutatio, sed aliquando tum necessaria, tum præcipua in laude ponenda; quòd egregiè animaduertit S. Ambrosius in psal. 118. cùm dixit: *In melius mutare propositum, non leuitas, sed virtus, non culpa, sed gratia est*; nec aliud facilè inueneris, in quo tantum se Christi Seruatoris μίμησις aperire consueuit, quam si in vno hoc præstiterimus nos viros, dum iudicium proprium deserendo, alterius, licèt inferioris, ac subditi consilium sectamur.

Rom. 12. 3.

In melius mutare propositum non leuitas sed virtus est.

S. Ambros. in ps. 118.

Notasse hoc peculiariter, vt alia multa visus est mellifluus Bernardus cùm serm. 3. de resur. verba Matris ad filium ponderans Lucæ 2. 48. sic

Exemplum Christi.

S. Bernard. serm. 3. de resurrect.

inquit: *Attende quid fecerit magni consilij Angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris vnius, & pauperis fabri: inuentus enim in medio Doctorum, audiens eos & interrogans, quodammodo increpatus à matre est: Fili, quid fecisti nobis sic! at ille: quid erat, inquit, quod me quærebatis? nesciebatis, quod in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse! at illi non intellexerunt verbum, non capiebatur, in se descendit, ita vt esset etiam subditus illis.* Nihil meliùs: & illustrata S. Bernardi intelligentia, sensus est: quasi Matri diceret Christus, consilium meum est, vt semper sim in his, quæ sunt Patris mei, cuius voluntatem iudico esse, vt inter istos Doctores conuerser.

Hoc non percepit mater in illo, tunc, sed potiùs æstimauit voluntatem patris esse, vt ipse secum descenderet. Quod videns filius, magis iudicauit sequi consilium matris, licet ipsa non intellexisset verbum, quàm sequi suum, qui intelligebat verbum. O diuinum factum! & omni admiratione dignum! ipsa sapientia Dei magna, & infinita deserit consilium suum, vt consilium suæ creaturæ sequatur. *Quis iam non erubescat,* meritò exclamat, Bernardus, *obstinatus esse in consilio suo, quando suum Sapientia ipsa deserit! quæ sic mutauit consilium suum, vt quod iam tunc cœperat, ex tunc vsque ad trigesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit?*

Obiectioni respõdetur. *Sed fortè quærendum*, inquit Bernardus, *ab ipso est, quomodo voluntatem suam consiliumue reliquerit? nam si bonum erat cur derelictum? & si non bonum, quomodo suum? ô Domine*, inquit sanctus, *voluntas, de qua dixisti. vt fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? & si bona, quomodo derelicta? sic & consilium si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? & bona erant*, respondet, *& tius erant, neque minus tamen relinquenda, cur relinquenda? vt fierent meliora*, respondet Sanctus. *Vnde meliora? quia voluntas Christi bona erat*, ait, *qua dicebat, si fieri potest transeat à me calix iste: sed ea melior. quæ dicebat, fiat voluntas tua. Sic bonum erat consilium illud Christi, quod ait quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse: sed quia isti non intellexerunt, mutauit illud consilium in melius, sc. vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij consilij est. Exemplum enim dedit nobis, vt nos ita faciamus: nam ab initio nouerat quid esset facturus: sed voluit formam nobis huius humilitatis exhibere ad lauandam pessimam hanc proprij consilij lepram.*

Præclariùs dici non potuit: Bonum erat Domini Iesu consilium esse in his quæ Patris erant, sc. vt esset cum illis Doctoribus sed melius fuit consilium obtempetandi Matris voluntati, pro eo tempore: quæ cum non intelligeret verbum, secum descendere eum debere iudicabat: & vnde melius? vt ex hac humilitate ac proprij consilij abdicatione, suo nos doceret exemplo, animaretque proprium derelinquere consilium & nos curaret, quos venerat sanare. En cur meliùs? finis Christi & Patris nostra salus, quæ media propius ad istam, meliora erant: non equidem tantùm, secundum Bernardum, nobis Christi profecisset consilium, si ibi mansisset, quantum nobis eius profuit ad matris iudicium mutatio: quâ docemur, quâ curamur, quâ ad detelinquendum ptoprium animamur.

Sed ad alteram bonæ consultationis scopulum declinandum transeamus, turbidi sc. animi, mentisque concitatæ motiones: & has quidem luce clariùs patet consilio aduersari, nec posse qui imperiosissimas istas Dominas auscultate consueuit honestorum consiliorum fructu lætari, quod ratione dictante nemo non pridem perspexit: cum enim, vt Porphyrius authoritate vsus Homeri, prudentiam velit in sanguine consistere, sed liquido illicò, ac naturali temperatione moderato: quid de illo fututum dixeris, quem perturbatæ mentis cupiditas transuersum egit? non vtique prudentiæ, sed notæ *Quã noxia sit turbulenta mentis affectio ad consultatione.*

tæ temeritatis nomine insigniendum; animus itaque ante componendus, quàm aliorum sententiam cognoscere, æquatisque lancibus sapientiæ librâ expendere possimus.

Quinâ & quo ordine in consilium adhibendi. Et syrtibus his quidem tenui phaselo enauigatis insuper breuia quædam nobis fugienda video, ne in portu naufragium fecisse aliquando doleamus: neque enim si oratione patefactum est. consilium esse humano generi necessarium, & omnem in partem vtilissimum; consequitur, vt obuij omnes ad consultationem sine discrimine assumantur. Cautio adhibenda est, faciendusque delectus est, cum reperire sit non paucos, qui neque si velint, possint: neque si possint, aliquando velint dubitantibus recta consulere.

Atque hîc auriculam mihi reuelat S. P. Ignatius, magnâ vir prudentiæ laude insignis, quam vel ea præsenti hoc Apophthegmate notam omnibus fecisse liquet, dum, ne quid

1. Deus cõsulendus. inconsulto Deo aggredi quis præsumat, tantopere nobis esse voluit commendatum; ab hoc si quidem volens consilium præcipuè petendum esse, de quo cælestium illud monitorum effatum est: *Consiliarius sit*

Eccli. 6.6. *tibi vnus de multis*, Eccli. 6.6. is nempè est, qui suis lumen plenissimum lubens impertitur, viam tutam rerum gerendarum ostendit consiliumque suppeditet, quo recta ad felicitatem gradiamur: ex *ore* namque

Prou. 2.6. *eius prudentia & scientia*, vt Prou. 2. legimus, *procedit*: *apud ipsum*, in-

Iob 12.16. quit Iob c. 12. est *sapientia & fortitudo*, ipse habet consilium, & intelligentiam, imò prior nos ipse inuitat: *Nunc ergo*, inquiens, *filij audite me: beati qui custodiunt vias meas: audite disciplinam & estote sapientes, qui*

Prou. 8.32 *me inuenerit, inueniet vitam.* Prou. 8.32. Toto igitur animo, castissimisque precibus æterna inuocanda ac consulenda Sapientia est, quæ corda nostra regit, etiam quid sentire debeamus concedit. Ita Moysen fecisse legimus, non vno in loco: in cuius schola eruditus Iosue, quamuis exemplum magistri imitari cuperet, non vbique tamen fecit, vnde *Huius defectu Iosue punitus.* à Gabaonitis turpiter deceptus fuit, quod os Domini non interrogasset. Iosue 9. 14. Rectiùs Dauid, de quo *Iosue 9.14* Theodoretus q. 54. Diuina scriptura ostendit Dauidis pietatem, semper enim Deum sciscitans & aciem instruebat & quiescebat. Vnde sapiens audire, & oculos Dei in se vigilantes *Dauid laudatus.* persentiscere meruit, quia suos à Deo nunquam auertebat, quod psal. 31. sibi à Deo promissum expressit: *firmabo super te oculos meos*; vbi pulchrè *Psal. 31.* *Augustinus*: *non à te auferam oculos* *S. August. in dictum psal.* *meos, quia & tu non aufers à me oculos tuos.* Benè proinde idem monuit S. Pater.

Quis namque consiliarius prudentior Christo? quærimus consilium, habemus copiam, non sapientis, sed *S. August. serm. de 8. beatitud.* ipsius Sapientiæ, qui Christus est. Ergo dic, à te tibi lumen non esse, & clama quod scriptum est: *tu illuminabis lucernam meam Domine: lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas.* psal. 17. serm. 8. in Euang.

Atque hæc simplex illa directaque via est, quæ hominem ærumnis plurimis exemptum sospitet, necminus à fugillantis prophetæ opprobriis, ac minus tueatur, quibus olim præuaricatores perstrinxit: *Væ filij desertores,* dicit Dominus, *vt faceretis consilium, & non ex me.* Isaiæ 30. 1. dum ve- *Isaiæ 30. 1.* strum potiùs consilium, quàm meum sequimini, dum ab intimo mentis senatu, me excluditis, qui pro libidine, me præterito consilium initis: quæ certè vera, sanctissimaque caussa fuit, cur orthodoxorum Patrum eloquentia tantopere perstrinxisse hoc visa, auditaque sit, ne quis Deo inconsulto quidpiam aliquando, si saperet, auspicaretur, vbi magni illius *Gregorij Nazianzeni* docta authoritas primùm in oculos meos incurrit, dum ad eruditum quendam scribens nobili familiâ genitum, sed mundi vanitatibus irretitum, quem Deo lucrari cupiebat, sic loquitur: *monet Salomon eum consilio vinum bibere: ego* *S. Gregor. Nazianz.* *autem consilio illo nonnihil immutato,*

hoc dico, cum Deo consilium cape, & ab officio minimè aberrabis. Et rectè quidem ac prudenter, omnium namque functionum nostrarum regula, & amussis, quæ viri boni officium dirigat, & moderetur, Dei nutus est, atque voluntas, iustissima, inquam, creatoris voluntas, quæ lumen nobis præferre debet, ad negotia tum suscipienda, tum refutanda: quàm explorare nihil aliud est, quàm attentiùs & animo syncero considerare, quid eius lex, ratio, conscientiaque à nobis exigant, cuius aliquando rationem sumus reddituri.

Epictetus Enchiridij c.39.

Rubore vel inuitus suffundor, cum Epictetum aliquem Euangelij expertem, sed eiusdem conscium veritatis, Enchiridij sui capite 36. sic lego scribentem: *magno animo Deos, vt consiliarios accedito: deinde si quid consilij datum fuerit, memento quos in consilium adhibueris.* Viderit ergo Ethnicus, vbi Christianus caligabit! Dij prohibete nefas.

Exemplum Scipionis Africani.

Scipionem cognomento Africanum legimus non ante ad negotia vel publica, vel priuata iuisse, quàm in cella Iouis Capitolini aliquamdiu constitisset, vota superis faciens pro sapientia obtinenda; vt Plutarchus author est.

Item Regis Cyri.

Viderat id ante hunc Cyrus, dum Cambysem filium adhortans, ne quid publicè aut priuatim inconsulto Numine ageret, non absimili dicitur affectu fuisse locutus.

Quod itaque natura, ratio, Deus: velle, docere, probare visa sunt, quid mirum tanto iudicio ac feruore S. Ignatium, quem Deus vltimis hisce temporibus morum arbitrum destinârat, complexum fuisse, de quo id non verè minus, quàm clarè *Nicolaus Orlandinus* historiæ Societatis lib. 16. nu. 106. in hæc verba testatum reliquit: *hoc habuit eximiè B. P. vt ratione plurimum & consilio vteretur, crebrò vsurpans: à belluis hominem ratione differre.*

Orlādinus l.16 n.106 hist. Soc.

Et sanè, vti, incuria & consulrandi negligentia vitiorum omnium seminarium, ita cura, & consideratio cunctarum est parens, custosque virtutum, quibus dum Ignatius operam impendit, ab eis se liberum præstitit, quæ solent homines in præceps abripere, cum rerum illecebræ caducarum, consuetudo sensuum, prauæ vulgi opiniones, dæmonum instinctus hominibus non parum queant incommodare, quos hâc viâ longe à se propulsauit, vt teste Ludouico Consaluio in Diario, non domesticis solùm, sed exterorum plurimis stupori, & de magna constantia, quam in prosequendis negotiis ad diuinum obsequium adhibebat admirationi esset, cuius aliam inuenire caussam non poterant, quàm multam illam communicationem, & consultationem, quam habebat cum Deo, priusquam quid statueret, aut determinaret.

Ludouicus Consaluius in Diario.

Et rectè id quidem ac sanctè: qui enim sic constitutus est, vt nihil sibi aggrediendum ante existimet, quam Deum suum consuluerit, cuius vnam ipse voluntatem explere desiderat, næ! ille fausto alite processurus est, nec vnquam eum Dominus deseret, sed lucem ei suam copiosè depluet, sine qua, licèt alioquin perspicax, erroribus se multis implicârit. *Bonus Israël Deus; sed quibus? inquit Augustinus* cap. 16. Enchirid. *rectis corde: & qui sunt recti corde? qui voluntatem suam, ad Dei voluntatem, eâ priùs consultâ, dirigunt.* Id egit Ignatius, vtque alij non cunctanter agerent, verbo, exemploque laborauit.

S. August. Enchir. c.16.

Quæ tamen non sic intelligas velim, vt Deo solo consultore vtendum sit, ac nullus præterea alius in consilium adhibendus, quod nec Ignatium fecisse legimus, sed è contrario, frequenter cum viris prudentibus consultasse. Cuius ipsi in Moyse grauissimum exemplum sacræ litteræ exhibebant: erat is non solùm Dei spiritu plenus, sed insuper quotidiè loquebatur cum eo, habens illum & fidum consiliarium & adiutorem, imò conductorem, qui non obstante consilium à prudente petiit, quo in agendo regeretur, Hobab sc. filio Raguel Madianitæ cognato suo nu. 10. 31.

2. in consilium adhibendi viri prudentes.

Mirum

Mirùm autem conſideranti Moyſis qualitatem, eiuſque familiaritatem cum Deo, & maximè, cùm caſtra ſine Dei nutu nõn mouerentur, nec metarentur: & tamen conſilium hominis exquiſiuiſſe, dicendo ad illum: *noli me derelinquere: tu enim noſti, in quibus locis caſtra per deſerta ponere debemus, & eris ductor noſter, cumque nobiſcum veneris quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus eſt Dominus, dabimus tibi.* Super quo laborioſiſſimus & doctiſſimus ſacrorum librorum ſcholiaſtes Nicolaus Lyranus in gloſſa morali ſic ſcribit: *quamuis enim Deus eſſet Deus illius populi, tamen cùm hoc, Moyſes volebat habere directionem hominis periti.* Ex quo docemur, quòd licèt nos Deus dirigat in via morum: tamen non debemus negligere adiutorium humanum; in hoc namque *homines Dei adiutores ſunt*: vt primæ ad Corinth. 3. legere eſt, imò quò homines ſapientiores ſunt, hoc magis eorum expetere conſilia debemus, quorum ſæpè ore Deus hominibus loquitur, quod vel in Dauide patuit, ſapientiam conſiliis vtente, præſertim Chuſai, & Achitophelis, de quo annales ſacri ſic loquuntur, *conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum*: Chuſai quoque præſtabili iudicio Princeps, mirando conſilio ſuo Regem à periculo certiſſimæ ruinæ ſeruauit, quam ob cauſam honorifico nomine fuit à Dauide appellatus filius Ieminei, hoc eſt, filius dexteræ, vt ait S. Baſilius in pſal. 7. Nec à bono patre ſapiens filius procul diſceſſit: Dei nutu ædificare hic templum ſtatuerat, cùm à Rege Tyri virum expetiit eruditum, cuius conſilio omnia agere poſſet: Quis iſtud cùm Abulenſi non miretur? Qui conſilium petit Salomon eſt, humanæ ſapientiæ pelagus, & magnum portentum: ad quid petit! ad templum ædificandum, cuius deſcriptionem & prototypon à Patre acceperat 1. paral. 28. *Dedit autem Dauid Salomon filio ſuo deſcriptionem porticus & templi*, quam ei declarauit eſſe deſcriptionem Dei: *omnia venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exemplaris*; ad quid ergo alios requirit? ſuperflua quippe videtur diligentia. At non Salomoni, qui vel propter hoc ſapientiſſimus eſt iudicatus, quòd, vel ad perficiendum quòd acceperat, prudentis conſilio opus ſe habere non ignorabat.

Num. 30. 31. — *Nicolaus Lyranus.* — *1. Cor 3.* — *Quare homines prudentes conſulendi.* — *Conſilium Achitophel ſalutare Dauidi.* — *Item Chuſai.* — *Salomon conſuluit peritos quãuis prototypon templi à Deo accepiſſet.* — *1 Par. 28. 9*

Bene itaque, ſed ad publica quod attinet, inquies, cùm homine conſultandum; ad priuata verò quod ſpectat, nequaquam, cùm nec ius vllum cogat alios in rebus ſuis conſulere, nec damnet ſine conſilio rem donantem, aut ementem, aut locantem, aut hæreditatem adeuntem, aut de toto patrimonio ſuo teſtantem, imò paucis exceptis caſibus, quibus tutores aut curatores certis perſonis ac rebus adiungi ſolent, reliquis non ſolùm plenam facultatem rerum ſuarum gerendarum permitti, ſed etiam eiſdem indulgeri ſcimus, vt ſi quando libuerit aliquos in conſilium adhiberi, non tamen illud ſequi teneantur: cum regula ſit, *conſilia ſuaderi tantùm, non imperari*, quod & in conſiliis euangelicis locum habet.

Obiectio. In publicis cõſultandum in priuatis nequaquã. — *Regula Iuris.*

Sed & ampliùs ex ſacris litteris docemur, hominem ratione, atque arbitrij libertate à Deo inſtructum, in manu conſilij ſui, non alieni relictum fuiſſe Eccli. 15. Vnde abſurdum videre poſſit, eum qui à Deo conditus eſt, ad eius imaginem, & ſimilitudinem, vt aliis animantibus præſit, ſibi ipſi in rebus ſuis non ſufficere, ſed ad alienam opem confugere debere.

Eccli. 15.

Et hæc quidem, aliaque præterea non pauca ſunt, quæ contra conſilium obiiciuntur, quibus, antequam in propoſita materia pergamus, à nobis faciendum eſt ſatis.

Ad primum itaque, quod dicitur, Iure communi neminem compelli ſibi conſultores rebus ſuis aſciſcere.

Reſpõdetur obiectis cõtra conſiliũ.

Reſp. nec caueri legibus, vt indigens cibo ac potu alimenta ab habentibus quærat, ſiue qui in iudicio contendere velit. Aduocatos conſulat,

lat, aut domum nouam moliens architectum accersat: hæc enim ius naturæ, ratio, atque humanæ imbecillitatis necessitas satis vnumquemque docent: quod si in rebus corpori necessariis fiat, multò magis in iis, quæ ad animam pertinent, vbi conscientia periclitari potest, faciendum. Quod autem dicitur hominem in manu consilij sui relictum fuisse, vnde si necessarium ei foret consilium alterius, penderet potiùs à manu aliena, quàm à sua.

Resp. verba hæc ita intelligenda, vt sciamus datum fuisse homini à Deo liberum in rebus agendis arbitrium, non quia liceat ei facere quidquid velit, sed, quia ad id, quod faciendum est, non compellitur necessitate naturæ, sicut ea quæ ratione carent, cùm ipse libera electione sequi possit siue bonum, siue malum.

Quia verò addunt Deum non deesse vllis animantibus in rebus necessariis ad vitam, & propterea absurdum videri, hominem quem aliis animantibus præfecit, sibi ipsi non sufficere, sed alieno consilio indigere.

Resp. hoc nobis non officere, quia sicuti natura non dicitur defuisse homini in rebus necessariis, quamuis illum nudum, & imbellem procreârit, quoniam illi rationem, & manus subministrauit, quibus hæc possit sibi comparare: sic dedit ei liberum arbitrium, quo se ad Dei, atque hominum auxilium converteret, cùm id quod per alios possumus, teste Arist. l. 3. Eth. per nos posse dicamur.

Denique sunt nonnulli, quibus durum nimis videatur hominem in rebus priuatis consultores sibi adsciscere, quæ in libera eius sunt potestate, cùm vnusquisque sit iuris sui retinentissimus.

Sed quis durum id dicere ausit, quod in maiorem hominis vtilitatem redundat? sicut enim per ignota loca peregrinanti durum videri non solet, imò optabile ducem itineris quærere; sic egentem consilio à sapientibus illud petere, non grave, sed omnino videri debet iucundum: quæ omnia post naturam lapsam maximè locum habent: tum propter interni luminis aciem ex peccato debilitatam, quod secum non ignorantiam tantùm, sed & operandi difficultatem traxit: tum propter rerum quæ tractandæ sunt, multiplices circumstantias, varietates, obscuritates, atque exitus admodum incertos, quibus curandis ista omnia necessè est perspexisse, quod vnius hominis opus non est: vnde euidenter colligitur petendi consilij ab aliis necessitas, cùm faciliùs fit à multis multa, quàm ab vno tantum cognosci, quia quod vni non occurrit, alteri se offert, vnde factum quòd aliqui dictum esse voluerint, *consilium*, quasi *considium*, quod plures simul consideant ad perspiciendum quid fiat, & quomodò fieri debeat, quod faciendum est. *Consilium quasi considium.*

Neque hîc exemplo nos suo Christus destituit, non indigebat ille, etiam vt homo consultatione, aut consilio alieno, cùm in eo omnes existerent sapientiæ thesauri, nonnunquam tamen etiam cum discipulis de rebus agendis voluit contulisse. *Christus consultauit cum Apostolis.* Secuta eum fuerat turba populi magna, deerat in loco deserto, vnde tanta multitudo pasceretur. Postquam varia cum discipulis super hâc re contulisset, tandem ad Philippum conuersus, *vnde*, inquit, *ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6. cum rudibus piscatoribus consilium init diuinus Magister, tametsi eo non egeret, *hoc autem fecit*, ait S. Hieronymus in cap. 15. Matth. *Vt Magistris exemplum tribueret cum minoribus & discipulis consilia communicandi.* *S. Hieron. in cap. 15. Matth.*

Et hæc aliaque penitùs inspexerat ac sanctuarij pondere ad æquitatis trutinam exegerat Ignatius, qui licèt in rebus gerendis Deum semper accurata supplicatione consuleret, atque ab eodem non minus illustraretur, ad exsequenda tamen consilia, vt author est Ioannes Petrus Maffeius l. 3. cap. 10 quoad fas erat omnes artes & humana præsidia sic adhi- *S. Ignatius in consultãdo accuratus.* *Maffeius l. 3. c. 10.*

adhibebat, quasi omnem ſpem in eis repoſitam haberet, rurſum ita à Deo pendebat vno, ac ſi nihil omnino in humanis rebus opis, aut perfugium conſultando collocaret: atque hoc pacto, quod longè optimum, atque perfectiſſimum eſt, prudentiam cum pietate iungebat, ipſaque negotia ad optatos plerumque exitus perducebat. Quippe præter lucem ſummæ ſapientiæ, ad quam ſe oratione, ac ſubmiſſione præparârat, vſus conſultandi prudentiam acuebat: Conſultatio diligens ac ſincera conſtantiam creabat, dum nullis ferme nouis caſibus locum relinquens, quâ ratione ſuſcipiendam rem Deus ſuaſerat, eadem illa ſuadebat vrgendam. Ad conſultandum autem illud obſeruabat imprimis, vt in quaque re ſemper eius peritiſſimos adhiberet, quâ communicatione, ac lenitate aſſequebatur, vt & rationes iniret optimas, neque in arte ſua ſe quiſquam ab eo, vel prætetitum iure conqueri poſſet vel contemptum. Didicerat autem id à ſanctiſſimo Patriarcha Benedicto, qui in regula diuinitus hauſta, quam S. Gregorius diſcretione præcipuam appellabat, iubet Abbatem in rebus grauioribus cœtum omnem conuocare ad conſilium capiendum, quo melius, vtiliuſque fiant omnia. In rebus autem minoris momenti, ſatis monet ſeniorum audire conſilium, profertque è diuinis litteris illud ipſum oraculum, quod ſuperiùs è Sirachide proferebamus, vt non tam ſua, quàm diuina monita, ad conſilij commendationem mittere in litteras, & præſcribere ſuis videretur.

Modus cōſultādi quo vtebatur S. Ignat.

S Benedictus voluit Abbatē vti cōſultatione.

Quæ verba S. Ignatius in formula Inſtituti ſui, quam Iulio III. Apoſtolicâ auctoritate confirmandam obtulit, clarè expreſſit, vt quod ipſe tantopere expedire ſenſerat, ſuis omnibus vel tanti Patriarchæ exemplo commendaret, vti variis quoque conſtitutionum ſuarum capitibus idem ſuperioribus ipſe mandauit, p. 4. cap. 10. habebit Rector duos, vel plures, quorum prudentiæ & probitati multum confidat, vt cum eis de iis quæ difficiliora, & ad Dei gloriam maiorem, communicanda videbuntur, conferre poſſet iterum p. 9. c. 6. Superiores iubet ad conſilium aliquos habere deſignatos, cum quibus res grauiores, quæ occurrunt communicent. Maximè verò p. 10. nu. 2. vbi de aſſequendo fine ſupernaturali, quem nobis omnes præfiximus, loquitur, inter varia media quæ cum Deo inſtrumentum coniungunt ac diſponunt, vt à diuina manu rectè gubernetur; familiaritatem ponit cùm Deo in ſpiritualibus deuotionis exercitiis, quibus potiſſimum Deus quid cuique agendum, conſulitur, quod deinde virorum prudentium accedente conſilio, felicem ſolet negotiis executionem impertire.

Conſultationem ſuis præſcribit Ignatius, Papa approbauit. Formul. Inſtituti.

p 4. Cōſt. c 10.

p. 9. Cōſt. c 6.

p. 10. n. 2.

Sic itaque fecit: ſic docuit Ignatius, dum conſtitutiones ſuas tanto in lumine à Deo acceptas, ne ſuo ipſe iudicio ſtare & ſua niti prudentiâ in iis edendis, vulgandiſque videretur, antequam eas imponeret Societati, vltrò ac ſponte aliorum animaduerſioni, iudicioque ſubiecit. Atque ita prudentiſſimè vir Sanctus fecit, vt antiquiores Patres è variis Prouinciis atque nationibus conuenirent, quibuſcum ea, quæ abs ſeſe eſſent diuturnis precibus & conſultatione cum Deo elucubrata, conferret, eorumque demum conſiliis, ſententiiſque decerneret, id quod eſſet diuinæ laudi, omniique hominum generi maximè conſentaneum; vti mox omnibus quoque manifeſtum fuit: ex quo fortè manauit, vt tantopere tum ſuis, tum exteris hoc genus conſultationis reliquerit commendatum, vnde quot, quantaque incommoda, quo quiſque hâc in parte ſegnior vel prudentior exſtitit, euitârit, aut contrà, incursârit, facilè datur intellexiſſe, quòd vel ex vnico hoc prophanæ hiſtoriæ exemplo, Patrum memoria noſter orbis dolenter aſpexit, cum nimiâ de ſuâ prudentiâ, fiduciâ ac præſumptione Carolus cognomento Pugnax, Belgarum ac Burgundionum Princeps potentiſſimus,

ad

an hunc scopulum multis fortunarum naufragiis infamem, imperij sui ratem allisit, alios namque in consilium adhibere nunquam solitus, ac tandem in vitæ suæ catastrophe ad Nanceium suos consulens, sed sanum consilium non admittens, vt Pontus Heuterus in Burgundicis scriptum reliquit, cum æterno gentis suæ damno & luctu perire visus est, sic reapse Magni Historici pronuntiatum confirmans, cùm dixit: *in summa fortuna magis consilia, quàm manus, & tela valere*: quod tunc vel serò Carolus expertus fuit, cùm ampliùs ptofuisse non potuit; tutiùs verò, longeque felicius cum eis actum, agendumque dixeris, qui Seraphici Doctoris Bonauenturæ sententiam secuti, cautum sibi existimârunt *consilia libenter audire & humiliter quærere*, vnde triplex exsurgat vtilitas Primò si alius idem sentiat, quòd & ipse, securior sit, quòd non decipiatur.

S. Bonauët. c. 6. de sex alis.

Secundò, quidquid fecerit, cum prudentum consilio, si aliquid inde euenerit contrarij, minùs ei poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu id fecisset.

Tertiò, quod sæpè in meritum talis humilitatis, Deus dat ei agnoscere per se, vel alium, quod ante non intellexit. Cap. 7. num. 8. de 6. Alis. Quod in Alphonso Aragonum Rege, cuius virtus & sapientia admirationem non Italiæ solùm, sed vniuersæ quoque Europæ excitauit, luce clariùs datum fuit aduertisse, tametsi namque opibus, ingenio, ac prudentiâ mirificè excelleret, Senatorum tamen suorum consilia rebus gerendis semper adiunxit, & quanto commodo, totiusque regni sui prosperitate ac plausu? Ita fieri amat, Salomone contestante, vt ibi sit salus vbi multa consilia sunt. *Nemo* siquidem, vt veteri fertur prouerbio, *solus satis sapit*, neque enim quod ad præfecturam quis assumptus sit, idcirco habet infusam de cælo scientiam, & lumen omne sibi necessarium, sicuti nec facultatem expediendi, seu executioni mandandi per se omnia: Est ipsi quidem ad manum potentia, sed quid Venusius Hotatius l. 3. od. 4.?

Vis consilî expers mole ruit suâ.

Horatius l. 3 ode 4.

Hâc permotum consideratione crediderim Alexandrum Seuerum, nullam vt sanciret legem teste Lampridio, nisi adhibitis priùs & interrogatis Iurisconsultissimis, quos vbi audisset, emendabat, vt opus erat & corrigebat, quod ante statuerat. Cumque diceret ei Mater Mamæa, atque exprobraret, quod eâ ratione debiliorem sibi & contemptibiliorem facere videretur Imperij maiestatem respondit, *sed diuturniorem, atque securiorem. Addiderim & ego, sanctiorem quoque, ac Iustitiæ, rationique congruentiorem*, populo magis ad ea capessenda propenso, quæ consilio geruntur, quàm, quæ ab vno capite descendunt: Et hanc, non abs re, causam fuisse dixerim, quare Ludouicus XI, Francorum Rex filium suum Carolum VIII. litteris nauare operam vetuerit, ne si aliquid sciret, omnia se scire præsumeret, atque ita proptiis subnixus tatiocinationibus, negligeret audire, & interrogare sapientes. Neque hæc dicta à me velim, quasi expedire sentiam, vt litterarum expers sit, qui imperat: scio quid in hanc tem disputauerit Plato: *Beatas tunc respub. fore, si vel philosophi essent Imperatores, vel Imperatores philosophi*: sed vt demonstrem, quanti referre iudicauerit Christianissimus Rex. ne, qui reipub. tenet clauum, in suum duntaxat de rebus agendis consilium iuret.

Alexander Seuero consulendi diligens.

Plato probat Reges doctos.

Quales autem esse illi debeant, qui consulantur tribus verbis expedio, vt quàm proximè vita ac moribus ad Deum, cuius vices gerunt, accedant. *timentes Deum, in quibus sit veritas* &c. Exodi 18. quibus auditis, tutò ausis, quantiuis momenti negotium auspicari, sic nostrum sutda nequaquam aure Apophthegma præteruectus.

Quales esse debeant qui consulãtur.

Exodi 18.

APOPH-

APOPHTHEGMA DECIMVMSEPTIMVM.

Dicebat omnibus, vt de Christi Domini Passione nullo non tempore cogitarent, nec eius aliquando memoriam deponerent, quia, vti affirmabat, hac vera consolatio est.

Acta Canonizationis in processu Minoressano super quinto articulo, vbi iuratus sic asserit testis octauus.

Commentarius.

Memoria, Ingenium, & Iudicium tres principes animæ facultates.



QVi Dædalam hominis fabricam attentè considerârunt, tres se in anima eius reperisse aiunt principes facultates, quarum excellentiam, præstantiamque mortales omnes suspicere solent, & admirari; Memoriam sc. Ingenium, atque Iudicium; quarum prima, vt de illa, quidpiam ex occasione dicamus, tamquam præcellenti quodam vitæ bono, tamquàm thesauro, & penu gratiarum, virtutum omnium parente, altrice sapientiæ, insigne denique diuinitatis argumento, ita nos Deus instruxit, vt cæteris à se conditis, voluerit esse præcellentes.

Memoria commendatio.

Quid enim? an potest quicquàm esse aut excogitari præstantiùs, quàm eam patere in animo capacitatem, quàm immensa rerum aliarum, aliis quotidiè accedentium congeries, non modò non exæquet, aut expleat, sed dilatet etiam, atque ampliùs laxet? Quid admirabilius quàm rerum ac verborum multitudinem forma variam, sensu discrepantem, numero infinitam iis loci angustiis, ita non confusè, sed distinctè posse conseruari, indeque quoties libuerit, ordinatè, velut in aciem, produci? Quid magis commendandum quàm velut in thesauro, collata in nos beneficia, Dei præsertim, atque cælestium, reposita habere, eo inter se nexu ac fide coniuncta, siue vt vnumquodque separatim siue confertim vniuersa, siue singula ordinatim proferre velis, nihil planè in tanto rerum congestu turbetur, sed alia procul atque in recessu sita prodeuntibus locum cedant, alia semi aperto aditu, quasi tentabunda, & an ipsa quærantur, exploratura subsistant, alia se tota confestim promant, atque in medium certò euocata prosiliant: quo tam magno, fidoque subsidio instructus animus, quam speciem Deo non exhibeat? dum nullius planè beneficij à munifica eius manu accepti oblitus, memorem se ei, gratumque probare contendit? in quo vniuersa eius felicitas, ac salus consistere non dubitatur: calculum suum adiiciente Propheta: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum.* psal. 76. 4. Quibus verbis diuinæ fidicem lyræ, regius psaltes satis ostendere visus est, quantum ex singularis memoriæ nostræ subsidio, ad diuina recolenda beneficia fructum atque compendium facere possimus, quamdiu eam à potanda lethæ voluerimus arcuisse. Ecquâ enim ratione, vt sapienter Theologi aduertarunt, omnia in Deum poterunt referri, omnium ipse author ac beneficus agnosci, secundum eius voluntatem fieri vniuersa, nisi continuâ eius memoriâ in nobis iugiter perseueret. Psal. 76. 4.

Summè itaque optandum, & bene dixeris, nunquam de Deo non cogitare, de laude eius sic, vt de nullo magis curandum: vt cum propheta

P dicere

Psal.136.5. dicere possimus: *si oblitus fuero tui Jerusalem* (Deus meus) *obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.*

Sed pro dolor! quæ generis nostri labes non minima, nec mentis nostræ tacenda infirmitas, qua nos à creatis speciebus ita trahi, abripique non rarò sinimus, vt Dei, ac conditoris nostri optimi memoriam ex animo elabi sinamus, quàm beneficè nobis fecerit, quàm amanter tractârit, quibus nos officiis præuenerit rarò, aut nunquam recordemur; vsque ad iustissimam eius de iniquissimæ obli-
Psal.30.13 uionis nostræ incuria querelam *obliuioni datus sum*, inquiebat, *tamquam*
Psf105.21. *mortuus à corde.* psal. 30. 13. *Obliti sunt Deum qui saluauit eos* psal.105. 21.

4. Causæ obliuionis. Magnus profectò naturæ nostræ defectus, quem in animum nostrum quatuor inducunt causæ: morbus, senectus, longitudo temporis, & incuria.

Morbus. Prima causa morbus, siue sit ab extrinsecâ percussione occipitis, siue ex extrinseca vi morbi.

Senium. Secunda causa, Senectus, memoria siquidem, vt author est Seneca, ex omnibus partibus animi maximè fragilis est, in quam primam senectus incurrit, quod ad refrigerationem cerebri refert Galenus. Sed quæ ex his duabus causis manat obliuio nullam habet culpam adnexam, quòd non pendeat à voluntate.

Tempus. Tertia temporis diuturnitas, quæ non excusat oblitum à culpa, cùm nulla esse tanta queat in vita hac, quę grauiorum rerum à quibus salus nostra dependet obliuionem inducere possit.

Incuria. Quarta igitur obliuio culpæ affinis, ea est, quæ causam habet incuriam, negligentiam, segnitiem, non considerantem frequenter id, quod in memoria retinendum est.

S.Thomas 2.2.q.107. ad 2. Vnde prudenter S. Thomas 2.2. q.107. ad 2. de ingratitudine differens, sic eam descripsit: *obliuio*, inquiens, *beneficij ad ingratitudinem pertinet, non quidem illa quæ prouenit ex naturali defectu, qui non subiacet voluntati, sed illa, quæ ex negligentia procedit*: probationem autem adducit ex *Seneca* l.3. de benef. c.1. *Quis*, inquit, *tam ingratus est, quàm qui, quod in prima parte animi positum esse debuit, & semper occurrere, ita seposuit & abiecit, vt in ignorantiam verteretur?* apparet illum non sæpè de reddendo cogitasse, cui obrepsit obliuio. Vt non immeritò Marcus Exercitor *obliuionem* vocârit *Ignauiæ filiam*, quę, secundum Esaiam Abbatem orat. 7. in mente non sinit habitare virtutes. Seneca l.3. de ben c.1. Esaias Abbas orat. 7.

Aduertit indubiè res hæc statim ab initio conuersionis suæ S. Ignatium adeò vt vix pedem in asceticæ vitæ palestram intulerit, cum tuba sonuit noxium hunc lethargum male feriatis hominibus excussurus: *mementote*, inquiens, *quæ vobis fecerit Dominus Deus vester.* Deuteron. 24. Deut.24. quid autem aliud præsens hoc eius Apophtegma innuit, vt omnes de Christi Domini Passione, omni tempore cogitarent, nec eius aliquando memoriam deponerent, quia hæc vera esset consolatio? Neque enim latere eum poterat, quàm præstans ratio tutaque via semper habita fuerit ad verum solatium pertingendi iacentemque animum confirmandum, magni illius morum magistri consilium non negligere, cùm dixit? *gratiam fideiussoris ne obliuiscaris, dedit enim pro te animam suam.* Eccli. 29. Eccli.29. 20. 20. Immane! quantum hoc & olim iuuisse plurimos, atque etiam nunc iuuare multos, viri sapientissimi prodiderunt: contra verò quàm noxium, & humano generi aduersum semper habitum sit eidem contraiuisse: oppidò id innumerabilia mala testantur, quæ ab illo se differunt in omnes vitæ nostræ partes, dum virtutum maximarum fundamenta hæc obliuio conuellit, animumque longè pulcherrimis spoliat ornamentis, vnde nemo est, qui non videat, planeque sentiat, quàm procul à nobis omnibus hæc arcenda socordia sit, tantorum parens, auctorque damnorum, neque vnquam committendum, vt tanti Memoria nostra eius, à recordatione beneficij redemptionis nostræ.

tanti fide-iussoris memoriam gratiamúe, qui animam suam, ac vitam toto cælo, terraque preriosiorem pro nobis dedit, vlla tristior dies, vlla temporis vetustas, casus aut fortuna ex animo nostro deleant, aut obscurent. Quod vti abs se quisque non grauate obtineat, perlustrandæ erunt species nonnullæ ac partes recordationis administræ, quibus memorandi facultas plurimum iuuari consueuit, vt sunt: Cogitatio, consideratio, meditatio, atque operatio, quas si ritè adhibere conati fuerimus, non erit quòd obliuisci cuiusquam metuamus.

Quomodo meminisse quis possit assiduè passionis Christi pro nobis.

1 Opus cogitatione est. Ad primam itaque quod attinet, cogitationis nomen, mentis agitationem siue occupationem significat, in qua ad vitam rectè instituendam, tantùm Marcus Tullius momenti situm esse dicebat, vt *viro docto*, dicam ego, Iusto, *viuere, cogitare* sit cùm enim ab internis operationibus omne externarum pretium oriatur, & illæ in primis sint hominis propriæ, inter eas autem appetitiuæ fundentur in intellectiuis, facilè perspicitur pro modo cogitationum cætera omnia se habere, iuxta illud Sapientis Prouerb. 4. *omni custodia serua cor tuum* (officinam cogitationum) *quia ex ipso vita procedit*, dum eius quo viuimus, non finit nos obliuisci.

Prou. 4.

2 Consideratione opus est. Sequitur consideratio, quæ nihil est aliud, quam propositæ rei expensio, cuius partes sunt apprehensio, ac mediorum, æstimatio singulorum, cautio & circumspectio quænam in his siue cauenda, siue assumēda sint.

3 Meditatione. Succedit Meditatio, quâ conquisitis operâ intellectus argumentis affectus in bonum commouentur & inflammantur, cuius ratio partim in eo sita est, quod fiat indagatione, partim in rerum inuentarum ad affectum concitandum applicatione, cuius cùm plures modi sint, variæ quoque meditandi, formæ inuentæ sunt: vnde nonnulli mente tantùm conceptus abstractiuè formant, alij cum Deo, secum, seu cum anima colloquuntur, alij quoque digressiones ad alios amant, media expendentes, quibus vsi sunt, vt & ipsi sequantur &c.

4 Operatione. Denique ipsa est operatio, quam vnam atque præcipuam omnis hæc memorandi cura, studiumque respicere consueuit, actus, scilicet, volitiuus, siue exercitium potentiæ tendentis in bonum ab intellectu cognitum, atque à voluntate amarum omni socordia, desidiaque procul facessere ex animo iussis.

Hisce medijs vsus S. Ignatius Christi passionem assiduo circumtulit. Atque hæc eximia illa, & memorabilis recolendæ Christi Passionis formula est, secundum quam S. Ignatius, & quotquot eius vestigia secuti sunt, extremos eius labores, cruciatus ac mortis memoriam ex animo nunquam deponendam esse censuerunt.

Nec minus certè illi fecisse, quàm docuisse arbitrandi sunt.

Et ad Ignatium quidem quod attinet, author est Ludouicus.

Ludouicus Consaluius in vita. Consaluius eum statim à primis conuersionis suæ initiis, tanto recolendæ Christi Passionis ardore succensum fuisse, vt ordinariè in Missa, quam audiebat, solitus fuerit legere Passionem Domini, quod ex ore ipsius se accepisse testatus est, in vitæ eius historia quam conscripsit: vnde factum, vt quemadmodum Daniel Bartolus l. 2. de vita eius §. 2. scriptum reliquit, inter ea quæ à primis vitæ suæ melioris incunabulis familiarissima habuit, palmatem fuisse Christi Iesu crucifixi effigiem, quam assiduè secum pectori suo applicitam, ad patientis Domini memoriam, circumgestare solitus erat, fuitque illa quam, vbi infelicis istius Lyssani, qui ad vltimam desperationem redactus, sibi vitam laqueo ademerat, pectori imposuisset, Iesu nomine inuocato, eundem vitæ restituit, vti Andreas Lucas lib. 2. cap. 6. scriptum reliquit; atque etiamnum Barcinone in familia Pasqualina magnâ veneratione colitur & seruatur.

Daniel Bartolus l. 2. §. 2.

Andreas Lucas l. 2. c. 6.

Quam caussam non abs re fuisse dixerim, quod vsque adeo memoria Christi patientis eius animo cara

fuerit, vt, cum reuersus Parisiis valetudinis causâ recuperandæ in patriam, neglectâ domo paternâ, hospitalem elegisset, atque inde nullis precibus extrahi potuisset, tandem enixè per amorem Passionis Christi Domini rogatus, vt Loiolæam domum vel semel reuiseret, audito nomine Passionis Christi, senserit quâdam cordis teneritudinem, quâ permotus, ob amorem inquit, Passionis veniam ad Loiolæ domum: atque ita summâ nocte domum paternam adiit, in qua primò omnium, longum & plenum affectibus sermonem de rebus sanctis, ad domesticos habuit, cum magno, & sensibili motu eorum. Inde relicto lecto molli præparato sibi, totam noctem in oratione traduxit, & summo manè antè ortum solis clam ad dilectum suum hospitale rediit, ex quo nunquam deinceps paternam domum reuisit, vt scribit Paullus Bombinus in vita Italica S. Patris. Et primus testis in processu Informatiuo Aspeithiensi ait; Passionis Christi commemoratione, ad reuisendam semel domum paternam, quam declinare statuerat, commotum fuisse: tanti erat viuam Christi cruciatuum memoriam, non pectore solùm, sed & animo circumtulisse, neque segniter secum expendisse.

Paullus Bombinus in vita.

Et fuit hoc quidem non obscurum laudatissimæ memoriæ testimonium, maius tamen illud dixerim, quod Hierosolymis redux, vbi in ferali illo capitolio triumphantis charitatis, Crucis vestigia piè veneratus, fuerat in Hispaniâ reuertens dedit: ibat per Galliæ Cisalpinæ infestissima loca intrepidus Ignatius, cùm in stationes circumsidentium Hispanorum incurrit, qui exploratorem rati, insigni virum contumeliâ exceperunt, quâ tamen nequidquam commoueri visus est, quod intercà sibi species Christi Domini obiiceretur, cùm à Pilato per vrbis medium ad Herodis tribunal missus fuit, atque ab eodem per summam iniuriam, & indignitatem spretus, illususque, vniuerso irridente ac sibilante populo traductus, cuius opprobrij, se quoque factum esse participem lætus memorabat.

Nec alio ex fonte manasse dicendum est, quod, dum militiæ suæ religiosæ iam conditæ tesseram, seu clypei argumentum, quo cunctus ordo vteretur, sanctissimum Iesu nomen esse voluerit, cui pro apice Crux imposita esset, subiectis nomini tribus clauis Dominicæ Crucis, hoc opinor consilio, vt intelligerent omnes, nequaquam se in sacro hoc nomine quæsiuisse tantummodò mellisluam suauitatem, sed etiam sub illo vexillo meminisse Crucis, clauorum, ac mortis denique, quam Dei filius pro nobis tolerauit; quantum autem vel illo facto placuisse cælestibus dicendus sit; docuit perillustre istud diuinæ amicitiæ non otiosum spectaculum: Proximè vrbem sociis fortè in via subsistentibus vsuuenit, vt solus in ædiculam desertam secederet. Ibi cùm in prebus animus vehementer exarsisset, cælesti quâdam voluptate raptus, vidit illicò, audiitque rem mirificè iucundam: Pater enim æternus coruscâ nube circumfusus, Christo filio, propter assistenti, Crucemque in humeris gestanti, Ignatium ac socios suauissimè commendabat, eique illos singulatim, velut emancipatos cupiebat. Visus est annuere parenri filius, atque eos in clientelam suscipere ostendit: mox vnâ cum cruce ad Ignatium conuersus, ore suauitatis, amorisque pleno, *ego vobis*, inquit, *Romæ propitius ero.* Mirum est, quam ex ea die Ignatio ad pericula, laboresque obeundos, noua alacritas incessit, & Christi patientis memoria succreuit. Patuit autem clarissimè cùm ex duabus semitis, quarum vtraque pari, tum propriæ vtilitatis, tum diuinæ gloriæ compendio ducat ad felicitatem; ita tamen vt altera rosis vernet, altera spinis horreat, hanc nihilominùs fortiter ingrediendam docuit, nulla quidem alia ex causa, nisi quod cruciatum Christi Domini imitationem

Commissi ei pensio tessera Societatis.

Apparuit Christus Ignatio crucem baiulans.

Ignatius pati Christi exemplo praelegit.

nem præ ſe ferat.

Alios commendat Exam c. 4. §. 45.

Et hæc in propria quidem perſona; ad proximum verò quòd attinet non minùs in eo eluxit, cùm tantopere ſupremos Domini ſui labores & probra æſtimauit, vt neminem, in familiam ſuam reciperet, aut receptum crederetur, quem non antè interrogari vellet, an decreuiſſet, paratuſque eſſet, qua ſuis iniurias, illuſiones, & opprobria patientis Chriſti exemplo admittere, & fortiter ac moderatè cum Dei gratia ferre. Exam. c. 4. §. 45.

Ita Ignatius dolorum ac cruciatuum Chriſti memoriam nullo non tempore ſolebat experiri, ne aliquando vlla eius obrepere obliuio poſſet: quod nemo mirabitur, qui oculos vel ſemel ad id reflexerit, quod in relatione factâ pro eius canonizatione ſcriptum eſt: *tanto erga Deum amore flagrabat, vt totâ die illam exquireret, & nihil aliud cogitaret, nihil aliud loqueretur, nil aliud cuperet, quàm Deo per multas perpeſſiones, Chriſti exemplo deſeruire.*

Acta Canonizationis.

Nec potuêre filij aliud facere, quàm quod viderant patrem facientem: A primogenito exordium duco: fuit is Petrus Faber Allobrox quàm autem hic fuerit ad vnguem ab Ignatio exſculptus, vel eius in commemorandis Chriſti doloribus aſſidui conatus, ſatis ſuperque nos docent; Inchoaturus canonicas horas, inquit Nicolaus Orlandinus l. 3. hiſt. Soc. num. 37. in acerbiſſimos Chriſti cruciatus, indignamque necem ſuæ mentis figebat aſpectum, & vt pſallendo, canendoque progrediebatur, ita in reputãdis acrioribus eius pœnis atq; doloribus procedebat. Intendebantur quippe Chriſti dolores hoc magis, quo ille propiùs ad vitæ vergebat occaſum: & eâdem proportione Faber ſentiebat ſibi eſſe in horarum attentione creſcendum, intendendamque vim animi ad intentionem & incrementa dolorum: vt cùm perueniſſet ad nonam, ſentire quodammodò, & ipſe poſſit dira illa tormenta & ſupremo angores quibus eâ Chriſtus horâ paternos in amplexus extremum ſpiritum exhalauit: atque ita fiebat; vt aſſiduè recordaretur paupertatis[nuditatis]& tranſgreſſionis Chriſti Domini ſui, abſinthij, & fellis, quo pro ſe, potatus fuit, cui mox vicario amore & compunctione transfixus occurrebat dicens: *memoriâ memor ero* (tantæ erga me charitatis) *& tabeſcet in me anima mea*, ſiue, vt 70. legunt: confabulabitur mecum anima mea.

Petrus Faber eximius Chriſti patientis cultor.

Orlãdinus l. 3. hiſt. nu. 37.

Thren. 3. 20.

Sed neque his contentus, alios quoque eâdem recordatione incendere ſatagebat. Vir erat Valliſoleti primarius, qui à Patre orandi, meditandiúe modum aliquem ad ſpiritualem animæ profectum vtilem poſtulerat, accepit autem quatuor hæc ab eo puncta ſecum ſtudioſè ruminanda, non alio ex fonte, quàm eo, quo ipſe bibere perpetuum ſolebat: 1. Chriſtus Dominus noſter fuit rerum omnium egenus. Et ego omnium diues. 2. Chriſtus eſuriit; & ego lautè viuo. 3. Ieſus Seruator meus, nudus in Cruce pendet: & ego ſplendidè veſtitus incedo. 4. Ieſus laboribus & doloribus oppreſſus fatiſcit: & ego delicatus pati nihil valeo. Audiuit hæc vir ille, ſed quia maiora à patre exſpectârat, non magni fecit, donec poſt dies aliquot illi, inter conuiuas alicubi verſanti, propoſita à Fabro puncta, tantâ ſe vi obiecerunt, itaque animum affecerunt, vt cùm lachrymas comprimere non poſſet, de conuiuio ſeſe, & conuiuantium ſocietate ſubducere ſit coactus. quo animum in pios pij doloris affectus, & oculos in fletum relaxaret.

Chriſti patientis memoria efficax.

Ita Petrus Faber, quem Ignatij Beniaminum, ſeu dexteræ filium non malè dixerimus, Patri, ſicut in condenda Societate, ita & in meditandis, colendiſque Chriſti cruciatibus ſupparem, dum ſe & alios eiſdem ignibus feliciter accendit, in quo & alter Ignatij filius, ſed Benoni, doloris filius, ſe nequidquàm paſſus eſt defuiſſe Franciſcus ſcilicet Xauerius, quem iuueniliter exultantem pa-

tientiâ magnâ, obſequioque, Chriſto progenuit, atque ab imaginariis honoribus prudenter abductum, ad Chriſtianæ vitæ perfectionem pellexit. Vixdum hic ſpiritualis infantiæ ſuæ faſcias induerat, cùm ſemet vincere Chriſti exemplo, & fortior ſe ipſo fieri indies cœpit & melior: præcipuè adiumento erat crebra, ac pia Chriſti cùm vitæ, mortiſque memoria, maximum diuini amoris inuitamentum. Quò plus materiæ ea commentatio addebat diuinæ caritati, hoc magis in Franciſci pectore exardeſcebat martyrii cupido. Eo demum res euaſit, vt Dei filio, qui ſuum caput, pro eius ſalute, deuouiſſet, inuicem totum ſe pro ipſius gloria, & hominum ſalute, in perpetuum deuoueret; cuius ne vnquam irreperet obliuio, Crucem æneam digitalis magnitudinis collo ſuſpenſam placuit circumferre, quacum cum dulcia ſubinde colloquia ſerere, quos animi feruores incendere ſolitus fuerit, nouit ille quem in effigie venerans, præſentem ſibi ſtatuebat, ac cuius viciſſim beneuolentiâ recreabatur.

S. Franc. Xauerius commemorãdis Chriſti cruciatibus indefeſſus.

Contigit dum ex Amboino ad Inſulam Baranulam exiguo vectus lembo nauigaret, magnam oriri tempeſtatem. cui ſedandæ Crucem hanc funiculo ſuſpenſam in mare demiſit: ſed tantò fluctuum, vndarumque rabie mare efferbuerat, vt Crux cùm ſuo fune manibus eius elapſa perderetur. Indoluit iacturam Xauerius, ſed non diu: die namque ſequenti, dum Baranulam ingreſſus ad vrbem Tamalum iuxta littus maris, cum ſocio inambulans proficiſcitur, eandem feliciſſimè recepit, geſtæ rei hiſtoriam oratorio penicillo expreſſam ſic habe.

Crucem, quam ſecũ deferre ſolitus, in mari perdiderat, à Cancro recepit.

Deuorata à maris efferati rabie Chriſti Domini in Crucem acti effigie, merebat Xauerius, ſacrique naufragij ſibi perquàm luctuoſi exuuias, omnibus Oceani gemmis pretioſiores identidem quocunque accederet, precibus repetebat. Cùm ecce precum maiore vi adactum mare, marinum Cancrum in legatum legit, atque ad ſacram furto ſurreptam imaginem, Xauerio reddendam, & perferendam mittit. Ibat feliciſſimus ille Cancer, tantâ officij amplitudine lætus, ſed ipſâ muneris cauſâ atratus & mœſtus. Quare vt triſti legatione fungatur celeriùs, quid molitur? ciſſimam ſeſe fingit in nauem: hinc ventrem expandit pro carina, brachia producit in coſtas, caudam erigit in clauum, cartilagines explicat in vela, à latere pro remis chelas flectit, in medio, Crucis vexillum, pro malo defigit, tùm graui criminis ſaburratus pondere, afflantibus ventos doloris ſuſpiriis ad littus, vbi Xauerius orans ambulabat, appellitur. Vbi, cum ſeſe præſtolanti Franciſco reum, maris nomine ſiſteret, tacito mox ſtrepens murmure Oceanum infandi piaculi fluctuante conſcientiâ inquietatum, nec quietis vllâ parte anteà frui potuiſſe, quam raptam egereret crucem, ipſo facto teſtatur: non miſſos ab eo ad expiandum ſcelus vniones, quia lugubres omnes in lachrymas verterit, non gemmas dono deſtinatas, quod piacularium guttarum imbre etiamnum gemmaſcat. Hunc autem ad lapſum deteſtandum ſe Cancrum præ reliquis eſſe electum, vt præpoſtero greſſu aberrantis ponti crimen aboleret, atque admiſſi veniam flagitij maturaret. Quâ profectò mare ipſum non omninò indignum videri, quia ſi furatum eſt, at certè pium furtum fecit. Olim vaſto à ceto vatem Ionam fuiſſe euomitum, nunc alterum Chriſti ſignum à mari eructari.

Annales Societatis ad an. 1608.

Obſtupuit Franciſcus, & flexis humi genibus magnâ cum pietate de chelis Cancri, dilectum ſibi Crucis ſigillum accipiens, amplexu ſtrinxit, & denuò ad collum ſuum ſuſpendit. Horæ dimidium eodem loco tranſegit, vultuque ad terram appreſſo, diuinæ bonitati gratias perſoluit. Diſtabat ab eo loco, quo demerſa Crux fuerat, leucis plurimis, quas Cancer nocturnis, diurniſque ſpatiis natando vix poterat fuiſſe emenſus, priuſquam

quam ad virum sanctum potuerit peruenisse: Litteræ Annuæ Philippinarum. 1608.

Neque hîc, quod meritis Francisci Xauerij adscribendum est, prodigium stetit, sed perenni miraculo, Crucifixi memoriam per vicina maria propagatum iit, vnde factum vt secutis temporibus iuxta littora Chinæ versus Prouinciam Quamtum, Cancri marini inuenti sint, qui tum viui, tum aquâ cocti, miro ostento, singuli habebant suprà dorsum albam Crucem, & ad vtrumque Crucis latus, duo alba vexilla explicata: Dixisse priorem Cancrum ex legatione suâ albæ Crucis tesseram, tam sibi, quàm posteris retulisse, vt quotquot ex eis aliquos in nassam suam, aut retia cogerent, quid tantopere S. Franciscus Xauerius deperibat, eorum obiectu, parientis Domini memoriam sibi refricarent. *Et documenta damus, quâ simus origine nati.*

Similes iterum anno 1647. capti fuêre, quando Dom-Iun-lie qui antè Tartarorum irruptionem Imperator fuit, coronatus est in eadem prouincia Quam-tum, Imperatrix baptisata, dicta Helena: Regina Mater, Maria: cum omnibus domicellis ad eas spectantibus.

Quo Deus ostendit inter vexilla militaria, Crucis vexillum triumphare in China, quæ se vsque ad tropicum Cancri extendit. Ita P. Michaël Boym Polonus ex China missus nomine Regis ad Papam, in relatione super hâc re editam in lucê.

Sed manum de tabula, sat Cancris datum est; qui dum Xauerium celebranr, Crucis ac Crucifixi memoriàm refricant, vt nisi planè ingratissimi simus eius obliuisci non possemus.

Simon Rodericius Crucis imagine sibi pectus ex sculpsit.

Ex eodem filiorum decemuiratu quem Ignatius Ecclesiæ genuit fuit Simon Rodericius, qui ne Crucis aliquando posset obliuisci, eiusdem imagine ita olim pectus exsculpsit, vt insignibus exstantibus cicatricibus, palmaris ea demum post mortem fuerit obseruata: eidem mos fuit, prægrandem è ligno crucem in cubiculo habere, ad quam, lucenrè antè illam lampade, noctu, quoties euigilaret, toties oculos, animumque referret, atque in eius contemplatione denuò indormiret. Nunquid hic exclamare potuit optimè, *si oblitus fuero tui Crux Domini mei, obliuioni detur cor meum*; non enim dexreræ stigmara Hierusalem, sed cordi impressa gestabat.

Balthassar Aluarez Christi Passioni deditus.

Ad alios Ignatij discipulos venio: talis omnino affectus erga Christi Domini Passionem vigebat in P. Balthassare Aluarez, qui caussa erat, vt eius meditationum materia ordinaria Christi esset Passio, eamque aliis orationi vacare incipientibus commendaret, & in ordinariis suis exhortationibus hoc frequenter repeteret: *non existimemus nos aliquid fecisse, donec eo perueniamus, vt semper Christum ipsum Crucifixum in corde nostro gestemus.*

Gaspar Paranymphus memoriam Christi patientis assiduè circũferebat.

Quid autem de *Gaspare Paranympho* dixerimus? cuius assiduè cruciatuum ac mortis Christi Domini recordario, non illi modo, sed toti Siciliæ frugifera fuit. Qui enim de acerbissimâ eius nece sine lacrymis loqueretur, aut cogitarer nunquam, ad eius memoriam suos inter populares excitandam, diligentissimè incumbere visus fuir, dum operâ suâ effecit, vt sextâ quâque feriâ sub meridiem pulsato ære campano, eius horæ ciues admonerentur, quâ occidente Christo, salus omnibus orta est: quin & eodem satagente passim tota Sicilia propè vrbes, eidem memoriæ conseruandæ causâ, ædiculæ excitatæ sunt.

Didacus Martinius perdius & pernox Christi Passionem colebat.

Didacum Martinium præterire nefas, qui sat gnarus, in capite quasi in totius corporis arce mentem habitare, ne per somni occasionem eâdem sopitâ, sine aliquâ pietatis huius memoria noctu remaneret, diligentissimè cauit. Qui enim ab eâ saluberrimâ cogitatione dies totos non discederet, ipsum caput noctu horrido asperrimoque cilicio obuoluebat, vt sic vel dormiens, quantulamcunque

lamcunque ſpineæ coronæ imitationem retineret. Verebatur opinor, vt piè philoſophatur P. Ioan. Rho piiſſimus iuxta ac doctiſſimus author, ne ſomnus eas deleret imagines, quibus ipſe vigilans mirificè recreabatur. Et verò ſi ſomniis, ex qualitate cubilis, legem ſe dare poſſe confidunt, qui reconditæ philoſophiæ arcana ſe tenere gloriantur, quid aliud quàm ſpinas ſomniaret caput illud, quod in cilicio dormiebat?

Ioſephus Anchieta diù Chriſti cruciatus recolit, in ſe experitur.

Ad profeſſionem quatuor votorum comparabat ſe B. Ioſephus Anchieta, notum Braſilis nomen cum ſolus ab aliorum conuictu ſemotus, diebus aliquot, more Societatis recolligeret ſe fideli amico narrauit in meditatione Chriſti dolorum defixum, magnam eorum partem in ſuo corpore per eos dies, cum acerbiſſimo cruciatu expertum eſſe, vt author eſt Sebaſtianus Beretarius li. 4. vitæ.

Ferdinandus Suarez & Ioan. Gondinus patientis Domini cultores non otioſi.

De P. *Ferdinando Suarez* noſtri tradunt Annales, totum cubiculum ſuum, Crucibus inueſtiuiſſe, quas perpetuò amplectetetur.

P. autem *Joannem Gondinum* quaquâ noctis hora conueniſſes, coram Crucifixi Seruatoris imagine inueniſſes deprecantem.

Cæteros ſileo: neque enim neceſsè opinor, ſingulos recenſere. Vbi omnibus communis eſt laus, Patrem namque ſequitur ſua proles. Non tam domeſticis inſtituta diſciplinis, quàm veterum acroamatis deliciosis ad ſaporem, ſolidis ad fulcimentum, efficacibus ad imitationem ab eo erudita.

Quàm hîc magnus ille gentium Apoſtolus ac Doctor Paulus ſapienter locutus eſt! cùm ait: *recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem.* Non ſimpliciter volebat fideles cogitare Chriſti mortem ac vulnera, ſed etiam recogitare, & more mundorum animalium, ſemel cogitata ruminare iterum, ac deguſtare, neque enim ſolis radius vno alteroúe die hominem exurit aut decolorare

Heb. 12. 3.

Quid ſit recogitare patientem Dominum.

ſolet, ſed longo temporis tractu, ita quoque nec Domini Paſſio vnâ, alterâ ue ſui cogitatione pellē conuerſationis noſtræ immutat, ſed diutiùs, crebriuſque fide apprehensâ, ac recogitatâ, quod cum eodem dixeris ſtigmate Domini Ieſu portare, vel cæſte aſperioris domitus inſculpta in ſilice, vel aqua chryſulca lachrymarum carni inolita.

Nunquid & ita ſapuiſſe dixeris melliſluum Bernardum: cùm ſermone 43. in Cant. ſic loqueretur: *Ideo tu ſi ſapis imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſiduâ meditatione reuoluens, quo poſſis dicere & tu: faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Et ego fratres, ab ineunte meâ conuerſione pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligere & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei:* &c. Et alibi: *beneficia Paſſionis & Redemptionis ipſius recolere, ad fruendum ſuauiter in conſcientia, & recondendum fideliter in memoria, eſt ſpiritualiter manducare corpus Chriſti & bibere eius ſanguinem in memoriam illius: qui omnibus in ſe credentibus præcipit dicens: hoc facite in meam commemorationem. In quo etiam propter peccata inobedientiæ, quàm impium ſit hominem tantæ Dei pietatis immemorem eſſe, palam omnibus eſt, cum amici hominis abeuntis, ſub quolibet ſigno commendatam memoriam nefas ſit obliuiſci,* &c. Bern. de vita ſolitaria.

S. Bernard. ſerm. 43. in Cant.

1. Cant. 13.

S. Bernard. de vita ſolitaria.

Hoc quoque antiquus ille & S. Pater Theodorus Studita ſuis præcipere ſolitus Erat: *Et ſi,* inquiebat, *Paſcha præteriit, nequaquam memoria eius vnà prætereat, ſed ſalutifera vulnera, Crucem, ſepulturam perpetuò ſub oculos reuocemus, vt aſſidua harum vſurpatione rerum vitiis inuicti ſimus.* ſerm. 1. in Paſch.

S. Theodorus Studita ſerm. 1. in Paſcha.

Idem *B. Ioannes Columbinus* morti iam

B. Ioan. Colūbinus suis idem inculcabat.

iam proximus fratribus suis inter alia commendabat: *maximè*, inquiens, *vobis semper sit in memoria vita & passio Iesu Christi.*

Sed quid famulos audimus, cum Dominum habeamus loquentem? quid discipulos auscultamus vbi doceat Magister! num quid erebrius memoriâ, imò & sermone agitauit Dominus Iesus, quam Passionem & mortem suam? A primo conceptionis suæ momento ad vsque vitæ nouissimum, nunquam non Crucem & exitum suum mente, animoque spectauit: *quoniam ego*, inquiebat assiduè, *in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* An istine malè dixeris factum quod S. Ioan. Chrysost. hom. 6. in Matth. animaduertit Christum fleuisse sæpiùs, risisse nunquam? Constat autem certissimè sæpè sæpiùs de affuturâ suâ Passione discipulos suos, aliosque admonuisse, cùm iam de *calice, quem bibiturus erat dissereret, iam de baptismo quo baptisandus, iam de ascensu in vrbem Ierosolymam, suique traditione in manus gentium, illusione, consputatione, flagellatione, ac morte grauissimâ loqueretur.* Quoties de Cruce vaticinatus est? etiam in monte Thabor, vbi dilectæ discipulorum triadi Patris sui prægustandas delicias propinauit, quando inter gaudia, quibus illi perfundebantur, dicebat *excessum suum, quem completurus erat in Ierusalem. Iam de sui exultatione in Crucem qua sublimandus*: iam sub *figura Ionæ* deuorati à ceto, quâ mortis suę triduum designabat. *Modo sub templo diruto post triduum reædificando*, quo Anastasin suam exprimebat: vti & sub similitudine *grani frumenti in terram lapsi, ac dein multiplicandi*, fecisse legimus non semel: sic vt nullâ die, nullâ horâ passionis suæ memoriam à se voluerit abesse. Plus dico, neque etiamnum in cælis eiusdem cupit obliuisci, sed miris quibusdam modis eam, velut sibi præsentem nititur exhibere. Ita namque ad *S. Gertrudem* legitur fuisse locutus l. 3. c. 41. Insinuat: diuinæ pietatis: cum illa quâ-

Ps. 37. 18.

S. Ioan. Chrysost. hom 6 in Matth. Christum ait nunquā risisse.

Lucæ 9 31

Quomodo Christus semper meminerit vsque in hanc horā passionis suæ.

Insinuationes diuinæ pietatis l. 3. c. 41.

dam feriâ sextâ, die declinante ad vesperum coram Crucifixi Imagine genibus incumbens dixisset ad Dominum: *eia dulcissimè Creator meus & amator, quanta & qualia tu pro salute meâ hodie pertulisti, quod ego infidelissima heu vili pendens, sic diem istum aliis occupata prætertui, cùm ad memoriam non reuocaui, quid tu æterna salus, pro me sis passus, & amore amoris mei mortuus sis.* Dominus de Cruce illi respondit: *quod tu neglexisti, hoc ego pro te suppleui, nam singulis horis ego collegi in cor meum quod tu debuisti recolisse in corde tuo.* Addo & istud, quod in hanc rem postremum sub vitæ suæ vesperam designauit: cùm ad Passionis suæ commemorationem sæpiùs iterandam, admirabile illud mysterium instituit in memoriam Passionis suæ, per modum sacrificij, in quo ipse realiter quotidie immolaretur incruentè, adeoque per semetipsum nos sacrificij cruenti, olim à se in ara Crucis peracti, commoneret, teste Apost. 1. Cor. 13. *quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, quod Sacerdotes, dum sacrificant, non fugit, dicunt enim: Vnde & memores nos & plebs tua sancta tam beatæ passionis &c. *1. Cor. 13.*

Sed nec his magnus ille hominum amator Christus acquiescens, ad alia & maiora quidem se extendit, tantis namque commemorandæ Passionis suæ amoribus attineri se, Virgini cuidam è D. Birgittæ sodalitio testatum fecit, vt etiam hodie immortalis, & impassibilis cùm sit, animas sanctas quæritet, quarum corpora veluti mutua sumat, & succidaneas hostias, vt quod in suo nequit, in illis sitim illam expleat, & Crucem patiatur. Et quid porrò aliud sibi voluit portentum istud, quod referunt Annales nostri, cum statua Christi è cruce pendentis in castro paterno Xauerio sudare toties visa est, quoties Franciscus Indiarum Apostolus graue aliquod periculum vitæ incurreret: quo certè miraculo Dominus confirmabat se voluntate, atque affectu in partem

Mira prāxis patiendi pro homine & exemplū.

partem laborum descendere, quorum recordatione rantopere Franciscus in Domini vinea laborabat: Eodem spectat quod Christus Dominus B. Veronicæ Virgini Augustinianæ dignatus est reuelare: *opto*, inquiebat, *omnes homines satagere, vt corde affligantur ob Passionis meæ venerationem, veluti mihi compatientes: quod si vel solâ lachrymâ egerint, magnum aliquid se egisse arbitrentur, nulla etenim mortalium lingua explicârit, quantum iucunditatis mihi, illa lachryma apportet*: Quod cum Matrem eius Virginem sanctissimam Mariam latere non posset, quis eam super hac re cum Birgitta sibi prædilecta, eiuscemodi sermonem instituisse miretur? Monile est consideratio passionis filij mei, hoc sit iugiter fixum in pectore tuo, quomodo derisus, & flagellatus, quomodò viuus stabat in Cruce, quomodò in morte totum corpus intremuit, quomodo in manus Patris spiritum commendauit. lib. 1. c. 7. Nec plusculum hoc Virgo sanctissima à Birgitta postulauit, quā ipsa antè reipsâ præstiterat, sic enim de se eidem legitur locuta l. 2. reuel. c. 21. In sepulchro filij mei semper cogitatio & cor meum versabatur. Quo factum, vt non gratum modo Deo spectaculum, sed & pium hominibus Birgitta dederit exemplum, Matris namque exemplum filia Catharina mox secuta, ante somnum per quatuor horas continuò genibus nixa, pectoris tunsionibus & lachrymis multis ob recordationem amarissimæ Passionis Christi, omni vespere in holocaustum se totam Domino offerebat.

B. Veronica ord. S. Aug.

l. 1 Reuel S. Birgitta c. 7.

Ibid. l. 2 c. 21

Catharina Birgitta filia matrem imitatur.

Et rectè id quidem iuxta limatissimum, grauissimumque Magni Doctoris Augustini sensum, atque iudicium quod l. 2. Confess. c. 16. super hâc re sic tulit: *quod me*, inquiens, *plus omnibus accendit, vrget, mouet, & promouit ad te diligendum, super omnia, amabilem te mihi reddit, ô bone Iesu, ignominiosissima & amara mors est, quam sustinuisti, opus redemptionis nostræ. Hoc solùm, vel hoc omninò, totam vitam nostram, totum laborem nostrum, totum obsequium nostrum, amorem deniq; nostrum facilè sibi vendicat.*

S. August. l. 2. Conf. c. 16.

Quod ante B. Maria Magdalena ab Angelo didicerat, vt author est Siluester Prieras in Rosa aurea, dum postquam in eremum secessisset, anceps quid ibi potissimum ageret ab Angelo Michaële ad se misso cum Cruce pulcherrima, quam ad ingressum speluncæ depanxit, monita fuit, vt semper ante oculos haberet, atque reuolueret Christi Passionem, in quo & per triginta duos annos feliciter perseuerauit.

S. M. Magdalena ab Angelo ad fouendam continuo Passionem Domini incitatur.

Atque hoc est, cuius nos S. Ignatius præsenti suo Apophthegmate meminisse semper, ac perpetuâ memoriâ tueri voluit & custodire.

At quo, inquies, fructu? quo emolumento, ac quæstu? maximo sanè atque immortali. Huc aures arrigite Lucriones, Ignatium audite: *Dicebat omnibus, vt de Christi Domini Passione nullo non tempore cogitarent, nec eius aliquando memoriam deponerent, quia hæc vera est consolatio.*

Fructus assiduæ meditationis de pass. Domini.

Ita sanè mysterium Christi in crucem acti se habet, memorem sui, gratumque cultorem miris, sed veris consolationibus afficit & sustentat, cui euidentiùs perspiciendo factum dixero, vt omnes qui cruci ac morti Dominicæ adstiterunt magnis beneficiis atque solatiis sint affecti. Ac primo quidem piæ illæ mulieres quantis laudibus efferuntur, cùm fugientibus viris Crucis spectaculo constanter interfuêre. Ioannes sanctissimam Dei parentem in matrem charissimam accepit. Latro, qui à dextris pendebat consortij sui mercedem pollicitatione paradisi, illo ipso die consequendi, promeritus fuit. Iudæi quoque videntes signa, quæ facta fuerant, reuersi sunt percutientes pectora sua, quo tanti flagitij crimen à se depellere testabantur. Centurio quoque magnâ voce proclamauit: *Verè filius Dei erat iste*: & quâ fini? vt quisquis deuotus ac religiosus Crucifixi contemplator exstiterit, solatio suo, præmioque minimè frustran-

Eorum qui Crucifixo Domino adstiterunt, priuilegia.

Recordatio mysteriorũ Crucis multiplici nomine solatio afficere solet. frustrandum se cognoscat: nam, aut paradisi certam spem concipiet, cum latrone: aut Deiparam Virginem in matrem accipiet cum Ioanne, aut agnitis peccatis suis, pro quibus ille tantos cruciatus, ac tam acerbam necem sustinuit, pectus suum percutiet, & accusabit scelera sua, aut cognitâ Christi magnitudine, dicet cum Centurione: *Verè filius Dei erat iste*: quo fiat, vt dum pia cruciatuum ac mortis Christi Domini, ac cognatorum mysteriorum recordatione mentem exercebit, nihil aliud se scire fatebitur, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum, in quo thesauri omnes scientiæ & sapientiæ Dei reconditi sunt; dicetque post Apostolum confidenter: *mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra.* Gal.6. Gal.6.14.

Nunquid hæc magna & vera consolatio?

Id olim confessus mellifluus ille Doctor, imò mellis fluuius Bernardus fuit, *hæc*, inquiens, *meditari dixi sapientiam, in his Iustitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ in his diuitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum vnctio consolationis. Hæc me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt & inter læta tristiaque vitæ præsentis, via regia incedenti tutum præbent vtrobique ducatum.* serm. 43. in Cant. *S. Bern. serm 43. in Cant.*

Item in vitæ formula ad sororem. Post quæ nemo mirabitur, dum in hunc modum Sorori legerit in formula honestæ vitæ scripsisse: *Sit tibi Iesus in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat: hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, vita, mors & resurrectio tua. Quid præstantius?*

Laurent. Iustinianus l. de casto Con.c.8. Sed & Patriarcham *Laurentium* Iustinianum, prô quantum virum! audiamus: *Præ omnibus Incarnati verbi passio in exemplum proponenda est. Hæc siquidem roborat debiles, fouet pusillanimes, excitat pigros, nutrit paruulos, currentes prouocat, accendit perfectos. Quoties aduersa premunt, tentamenta grauant, vires animi in Crucifixi speculo reparantur. Habemus in illo exemplum, habemus & adiutorium ab eodem. In ipso instruimur, & ab ipso prouehimur.* L. de cast. connub. c.8.

Addo & Albertum Magnum, qui in tractatu Missæ sic scribit: *Simplex recordatio vel meditatio Passionis Christi, plus valet quàm si quis per annum ieiunaret in pane, & aquâ, quâlibet sextâ feriâ; vel disciplinaret se quâlibet hebdomadâ per annum, vsque ad sanguinis effusionem, vel quotidiè legeret vnum psalterium.* In quibus S Doctor comparationem instituit inter opera præcisè externa, & affectum compassiuum internum, circa dominicæ passionis meditationem. Quapropter *S. Bonauentura, si vis*, ait, *homo de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidiè quantâ potes deuotione mediteris Domini passionem*: caussam alibi addit: *passio*, inquiens, *meditatorem* [à seipso] *alienat, & non solum reddit Angelicum, sed diuinum. Reminiscentur & conuertentur*, aiebat Psaltes regius ps. 21. quæ verba Hugo Cardinalis ad memoriam refert Dominicæ passionis, quia vt egregiè notat. Origenes explicans S. Paulum ad Rom. 6. certum est, *quod vbi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum. Est enim tanta vis Crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia. Sed continuò ad eius* [Crucis] *præsentiam, totus ille peccati & carnis fugatur exercitus. Iure itaque dictum: reminiscentur & conuertentur.* *Albertus Magnus tract. de sacrif. Missæ.* *Psal. 21.* *Origenes.*

Quanta consolatio! quàm ingens gaudium! quòd haurias de fontibus Saluatoris! sed maiora ex eisdem propino, vt consolationis ab Ignatio promissa veritas, omnibus Christum & hunc Crucifixum scire cupientibus magis, magisque allubescat, nimirum, gratam patientis Domini

mini memoriam, maximum esse prædestinationis nostræ signum. O vera! vna! ac sola hominis consolatio!

Prænuntient aliis alij futuræ dignitatis casura fastigia, totique sint in præsagiis, quid dextri, sinistrique consequens allatura sit ætas, quod qualecunque fuerit, breuissimæ vitæ diuturnitatem non transilit. Quantò consultiùs occuparentur in iis prænuntiationibus explicandis, quibus possent tempestiuè prænoscere, quàm totâ æternitate habituri sint aleam nunquam inuertendæ fortunæ. Ita nostræ prospicientes saluti, ea cauebimus, quæ damnationem minantur, ea fouebimus, quæ faustissima sunt futuræ auguria felicitatis. Huc collineabas *Ignati*, hunc luminum fixo contuitu, scopum destinabas, cùm in perenni patientis Domini memoria consequendæ salutis, ac gloriæ indicium collocasti: & rectè id quidem ac solidè, ita suadet Rex ille sapientum & regum sapientissimus Salomon Cantic. 2. dum sic æternæ vitæ candidatum alloquitur: *Columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ ostende mihi faciem tuam*, &c.

Cant. 2. 14

Columbam in foraminibus petræ appellat animam, per meditationem in vulneribus Christi nidificantem: Ita *S. Gregorius* in hunc locum: *per foramina petræ vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis intelliguntur, per cauernam verò maceriæ, vulnus lateris*, Benè itaque columba in foraminibus petræ & in cauerna maceriæ esse dicitur, quia in Crucis meditatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam sibi reducit, &c. Vnde tripliciter prædestinationis nostræ signum elucescit; Primò, quia Columba est symbolum animæ electæ de qua id Cant. 6. *vna est columba mea, perfecta mea, electa genitrici suæ*, SS. PP. exponunt.

S. Gregorius in Cant.

Recordatio assidua passionis signum prædestinationis. Probatur scripturis.

Secundò, quia in petra: *Quid non boni in petra, ait, Bernardus, in petra securitas, in petra sto firmiter.*

Tertiò denique colligitur ex hoc loco, prædestinationis signum, quia cùm sponsus dixisset, *columba mea in foraminibus petræ*, id est in Christi vulneribus, meritò diuinam sibi visionem ausa fuit deposcere: *ostende* inquiens, *mihi faciem tuam.*

Venio ad rationem: Omne siquidem, vt DD. aiunt, id quod magis coniungit nô prædestinationis principio, maius prædestinationis est signum: sed grata memoria Passionis nos maximè coniungit prædestinationis principio, ergo maximum est prædestinationis signum. Maior patet, quia, quò aliquid magis coniungit agens subordinatum & inferius suo principio superiori mouenti, illud ad finem, maius habet signum peruentionis ad finem. Minor probatur, quia totum prædestinationis nostræ principium est Christus per opera sua meritoria, præcipuè per acceptationem suæ passionis & Crucis, cui allegata erat salus prædestinatorum; ergo horum cogitatio affectuosa coniungit hominem, & quoad intellectum, & quoad voluntatem ipsimet totius prædestinationis principio, atque adeò potissimum prædestinationis est signum.

Probatur ratione.

Confirmatur, quia Christi Passio non solum concurrit ad hoc obiectiuè, mouendo ad spem & charitatem, sed etiam physicè & effectiuè producendo omnes & singulos gradus gratiæ, qui dantur fidelibus, tum in sacramentis, tum extra. Neque solùm gratiam sanctificantem, sed etiam excitantem & concomitantem. Ita vt omnes illuminationes intellectus, & omnes excitationes affectuum erga bonum supernaturale, physicè causentur ab ea vt benè probat P. Iulius Cæsar Recupitus Neapolitanus tomo 1. l. 6. q. 19. n. 5. Quæ si vera consolatio nequaquam dicenda sit, neque hoc dici nomine promereatur, nescio sanè in quid demum ea gratia conferri aliquando possit.

Confirmatur argumento.

Vnde cuiusdam Neoterici vecordiam admirari, aut certè insaniam deplorare sat nequeo, qui nuper flandricè

Nestorici Doctoris insania quâ Christi patientis memoriam & mentibus hominum eliminare nititur.

dricè conscripto libello, ac clanculum disseminato, docere nequaquam veritus est, nescio cuius supereminentis perfectionis prætextu, opus non esse iis, qui se essentiali Dei voluntati exercendæ tradiderunt, vt se meditandæ Christi Passioni addicant. Et quamuis tales se cogitationes subinde vltrò ingerant, putat tamen hisce cogitationibus locum nequaquam præbendum esse. Articulo 22. Super quo consulti tres eximij S. Theologiæ Doctores in alma vniuersitate Louaniensi, dictam propositionem his verbis perstrinxerunt.

Censura Academiæ Louaniensis contra neotericum.

„ Non conuenit hic Articulus fini Passionis Christi, nec vniuersalis Ecclesiæ praxi, omniumque „ Sanctorum Patrum : Finis enim „ Passionis non minimus est, vt eius „ assiduâ meditatione, tam beneficij illius ineffabilis memoriam, „ quàm imitationis ardorem in nobis excitemus : id enim Christus, „ ipse declarauit, dicens: *hoc*, inquiens, „ *facite in meam commemorationem*

Luc 22.19 „ Luc. 22. Et *S. Petrus : Christus passus* „ *est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius* 1.

1. Petri 2. 21. „ 2. 21. Quomodo autem excitabunt hanc mortis Dominicæ commemorationem, & Imitationis effectum, qui secreta illius Passionis „ non modo non perscrutantur, sed „ etiam vltrò occurrentibus fores; „ claudunt, contra Ecclesiæ, ac Sanctorum omnium consuetudinem, „ ac perpetuum vsum. Quapropter „ Crucis istius memoriam auferre „ specie sublimioris sanctitatis, & à „ fidelium consideratione amouere, „ sanæ doctrinæ non congruit.

Sic illi. Et rectè : si enim Christus Dominus sit vitæ nostræ prototypon, speculum, regula, & exemplar, quis ambigat, quin in eum mentis nostræ obtutum crebrò defigere debeamus. Olim Moysi, dum tabernaculum erigit, dictum legimus : *Inspice & fac secundum exemplar*, quod

Exodi 25. 40. &c. Idem sibi Christianus existimet dici, cum Deo suo tabernaculum adornat, vt sæpiùs inspiciat exemplar, quod illi in monte Caluariæ monstratum est. Interioris enim templi idea, & delineatio quædam, Crux, & Crucifixus est, quem grata memoria recolentes feliciter æmulemur, tantò beatiores futuri, quantò plura fuerimus imitati : neque enim Sanctorum aliquis suam aliunde sanctimoniam atque virtutem expinxit; quidni ergo, & nos, si olim configurari volumus corpori claritatis eius, secundum sententiam Apostoli, configuremur priùs corpori tenebrarum ac passionum eius. Atque huc animum, mentemque intendisse crediderim non vanus augur, omnes illos qui ad Crucifixi Domini memoriam varias variè sibi deferendas Cruces & olim, & nunc imponere non dubitârunt.

Varij modi circumgestandi Crucem.

Quidam dependentes è collo in pectus gemmeas, aureas, argenteas, æreas, stanneas assumpserunt.

Plerique ad Coronam rosaseam Virginis Matris, quam manibus gestant, aut cingulo, habent appensam.

Nonnulli pallio habent assutas colore vario, albo, viridi, rubro, forma multiplici.

S. Pachomij discipuli angelico iussu ferebant in cucullo purpuream crucem, vt refert Palladius.

Monachi S. Dorothei super humeros gestabant Analabium, in modum Crucis, vt constat ex primo eius sermone. Rebrachiatorum appellat Cassianus l. 1. c. 6.

Et viget hodieque ordo Brigittinorum & Crucigerorum Crucem vestibus affixam, eadem de caussa gestantium.

Idem in monialibus quas Ioanna Francica fundauit aduertere licet, quibus scapulare rubrum ante pectus tribus clauis præfigitur. Verùm, cùm Christi Ecclesia, maximè in S. Luca Euangelista, commendet, quod Crucis mortificationem iugiter in suo corpore, pro diuinis honoris nomine portârit, omnia mortificationum genera ac species complexus,

id cæteris, nisi ante iisdem fuerit adiunctum, rear anteponendum, iuxta quod in speculo humanæ salutis cap. 43. legimus de quodam, qui scire cupiens quodnam obsequium Deo esset gratissimum? à Christo Crucem baiulante audiuit, non aliud esse, quam ferre simul cum eo Crucem in corde per crebram recordationem & compassionem: in ore per deuotam gratiarum actionem: in auribus per pœnarum, ac cruciatuum Christi auditionem; in dorso, per carnis assiduam macerationem.

Ecquod gratissimũ Christo obsequium

Et hanc viam ingressi omnes sunt, in quibus nota aliqua ac signum prędestinationis apparuit, vti viri grauissimi tradiderunt, tum secum Dei sapientiam in his subeundis tormentis ruminando, qui tale peccatis nostris antidotum excogitauit, quo contrariis contraria persanaret: tum verò feliciùs nobiscum actum esse expendendo, quod hæc ille in se, pro nobis sustinuerit, quam si ipsimet in nobis eadem illa tulissemus; iam eius doloribus compatiendo, iam in eorum honorem aliquid exhibendo, vel statum quartæ feriæ ieiunium, qua eum Iudas Iscariotes vendidit, vel sextæ, quâ mortuus est, vt de S. Nicolao Myrensi legitur, qui ab vberibus nutricis suæ diebus illis puerulus abstinuit, quem deinceps morem, vsque ad supremum spiritum seruauit; vel vt alij, feriâ sextâ ad honorem flagellorum Christi, se flagellando; vel à bibendo abstinendo, ad honorem sitis, quam tolerauit, vel absinthio potum commiscendo: vel ex compassionis affectu, tum propriorum criminum expensione, elicere studendo lachrymas quibus Crucifixi lauentur vulnera, vel sic lachrymarum guttis, vndas sanguinis compensantibus, quo pietatis exercitio, pia quędam fœmina ad insignem sanctitatis gradum ascendit, quippe interiori hoc contriti spiritus sacrificio apud Deum promerendo, quod externis illis operibus insudando non fuerat assecuta: vnde vera existit consolatio: contra verò, desolatio maxima, cum Dominicæ Passionis, tum per intellectum de ea non cogitando, tum per voluntatem, eidem nequaquam compatiendo obliuiscimur, tum quia contrariorum eadem est disciplina: tum quia maximæ ingratitudinis est nota, beneficium omnium maximum præterire, quam esse illam dixeris, de qua Christus per os Prophetæ psal. 30. conquestus legitur: *obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde*, quasi diceret: ego qui mortuus sum semel corpore, obliuioni datus, mortuus sum etiam hominum cordibus. Psal. 30.

Praxes variæ memorandi passionem Domini.

Vbi notandum dixisse hîc Christum se obliuioni traditum ab iis, qui eum videbant: *qui videbant me foras fugerunt à me obliuioni datus sum* &c. quia videlicet de eorum potissimum ingratitudine quæritur, qui Passionem eius aliquando considerant, & quodammodo per intellectum vident, nullo tamen cordis affectu expendunt, aut student imitari: Multi siquidem, vt non temerè queritur. *Hugo Cardinalis, Christum considerant oculo intellectus, pauci oculo affectus*: nimirum ingens hæc ingrati animi labes maiori Christum dolore affecit, quàm ipsamet clauorum, quibus Cruci affixus erat, vulnera fecêre, de quo feruentem diuino melle Bernardum audiamus, & nostrum visco, quod aiunt, expediuerimus Apophthegma: fertur, namque mel, dum feruet, vrere solitum acerrimè, nec hîc minus Bernardus, ex Christi Domini diuina persona vsserit aduersantes, dum sic fuerit auditus loqui:

Hugo Card.

Vide, homo, quæ pro te patior,
Ad te clamo, qui pro te morior.
Vide pœnas, quibus afficior.
Vide clauos, quibus confodior.
Non est dolor, sicut quo crucior:
Et cum sit tantus dolor exterior,
Intus tamen dolor est grauior,
Tam ingratum cum te experior.

S. Bernard. rythmus.

Rationem addit alio loco; grande dedecus, ac damnum nostrum. Qui enim beneficij obliuiscitur, non potest

S. Bernard. serm. 1. in cap. ieiunij

test gratiam referre, ac proinde cum deficit ex parte nostra gratiarum actio, signum est quod cessatura sit ex parte Dei, gratiarum largitio, verba eius sunt serm. 1. in cap. Ieiunij: *gratiarum cessat decursus, vbi non fuerit recursus, nec modo nil augetur in accipiente, sed etiam quod accipitur ei vertitur in perniciem?* vnde fit vt ipsa Christi passio ex se maximum bonum, tali obliuioso & ingrato vertatur in malum, quod Deo tam Philantropo non potest non accidere molestum, atque iniucundum, veris autem Philotheis triste & luctuosum, ac proinde iustissimas dixerim B. Francisci lachrymas, quibus tantæ rei obliuionem deflebat. Cùm enim tacitus aliquando sedens, obortis lachrymis, non modo rigaret ora, verum etiam impleret sinum, rogatus cur tam effusè lachrymaretur? ingenti edito suspirio respondit: *flere se Christum Crucifixum, & mundum eius oblitum. Neque aliud habere se tantis lachrymis deplorandum.*

Lachrymæ S. Francisci, & earū causa.

Geminus dolor, sed alter altero acerbior, ac multò molestior, & posteriori quidem facilè medebimur, si priori ritè fuerimus compassi, viuâ dolorum Christi imagine animo proposita, ac sæpiùs instaurata.

Verùm enimuerò si Crucifixi memoria actu fortasse nequierit conseruari, habitu saltem ac desiderio talis esse contendat, idque constitutum habeat, quo frequentiùs atque diutiùs eius fuerimus recordati, eò nos beatitudini fore proplores.

Habitualis memoria.

Sed neque contentos nos esse oportebit, vt quouis id modo à nobis fiat: enitendum potiùs, vt sublimiori semper conceptu patientem Dominum cogitemus, & experimentalem inducamus notitiam, quæ luculentiùs afficit, inducamus; quo magis, magisque nobis figatur in mente, qui pro nobis fixus fuit in Cruce in quem finem efficacissimus Amor est, qui dum vires sumit & inualescit, eius in quem fertur, nos obliuisci non sinit.

Testis mihi præ cæteris locuples hîc erit Vrsula Benincasa, Virgo Seraphica, insignis admodum Crucifixi Domini admiratrix ac cultrix, cuius quàm Deo grata religio, ac pietas semper habita fuerit, vel vnum hoc, stupendumque miraculum vniuerso orbi testatum fecit.

Vrsula Benincasa insignis Christi patientis discipula.

Author est Iosephus Sylos Clericus Regularis tomo 2. historiarum sui ordinis, Vrsulam hanc Benincasam insignem Christi Crucifixi discipulam, eiusdem vel in ipsa malorum iliade effigiem exprimi desiderasse, quæ immixtam dolori alacritatem referret, sic enim animo affixum Cruci Saluatorem conceperat, vt grauissima quæque pro hominum genere, non nisi generosissimè tulerit, atque ita se dolori permiserit, vt diuina quædam è subtristi vultu alacritas emicaret. Igitur cùm ad hanc, quam sic animo descripserat, ac perpetuò mente circumferebat ideam, efformari sibi effigiem Vrsula percuperet, euocatus præcipui nominis pictor, qui admoueret operi manum: nihil ab eo prætermissum est artis ac studij, deleta, instaurataque sæpius oris specie, vt aut assequi formam, aut accedere ad illam propiùs contingeret, sed excellentiùs atque diuiniùs Virginis exemplar erat, quam vt illud pictor imitaretur: affirmauit is, impar sibi omnino ingenium esse. Tum Vrsula, cui nulla artis adiumenta, nullasque vnquam tabulas, coloresque tractârat; acta Numine, arreptoque ipsa peniculo, delineare imaginem instituit, successitque adeo opus, vt coniunctum in Christi vultu, summa cum dolorum acerbitate, decus, formam, atque à diuina charitate firmitudinem, alacritatemque, quam scitissimè efformârit. Quis amoris scholam vnam omnibus iam parem artibus neget? Quare non inconcinnè cecinit Poëta ille:

Iosephus Sylos in hist. Clericorū Reg.

——*Attonito artifici sic Virgo locuta est:*

Si vis hanc artem discere, pictor, ama.

Amauit certè Vrsula, & quem amo-

re magiſtro ſponſum ſanguinum animo ante efformârat, eodem manum dirigente, in tabula expreſsit, & ſibi contra obliuionem futurum mnemoſynon, & aliis ad reminiſcendum eiuſdem Domini laudabile monumentum.

Hoc conſilium tuum, hæc animi tui deſtinatio erat, magne Pater Ignati, cum tanto ſenſu, affectuque ſaluberrimum hoc ſanctiſsimumque Apophthegma tuorum auribus occinebas, vtinam id non tam apertis & integris, quam auidis atque capacibus omnes hauriamus.



SACRORVM

SACRORVM APOPHTHEGMATVM

S. IGNATII DE LOIOLA

QVIBVS

SOBRIE NOBISCVM

VIVAMVS IN HOC SÆCVLO.

LIBER SECVNDVS.

PROTHYRON.

Sobrietas, de qua hîc ſermo eſt, reſpicit habentem, vt ſcholæ loquuntur, vnde eas virtutes amplectitur, quæ ita in nobis inſunt, vt aliò non referantur, quales ſunt cibi, potus, cultuſque corporis moderatio, atque adeò corporeis voluptatibus fræno rationis & prudentiæ cohibendis perpetuum deſudat, vt verè tum denique viuere quis dicendus ſit, cùm ad hanc normam vitam ordinârit. Hâc virtute ſimiles Angelis efficimur, vbi ſic à brutis diſceſſimus, cæleſtium conuerſationibus præparati. Quis enim dubitare auſit, illum Angelis ſimilem fieri, cuius caro à ſenſilibus, quantum fieri poteſt longiſſimè abſcedit? habet enim teſte S. Auguſtino, qui talis eſt, in rebus huius vitæ, regulam vtriuſque teſtamenti tabulis firmatam, vt earum nihil diligat, nihil per ſe appetendum exiſtimet, ſed ad vitæ huius neceſſitatem, quantum ſatis eſt, vſurpet. Quanta autem huius virtutis neceſſitas ſit, geminata Principum Apoſtolorum monitio teſtatum nobis reliquit. Primò Simonis Petri, in priore epiſtola, his verbis: *Sobrij eſtote & vigilate;* vbi hæc duo coniungit, quia ſobrietas mater vigiliarum eſt, quas horrere diabolus ſolet.

Qua, qualis, ne ſobrietas. — *Sobrietas nos beſtiis eximit.* — *Homini neceſſaria eſt* 1. Petri 5. 8

Secundò, S. Pauli 1. ad Theſſal. 5. 6. & 8. *Non dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus, induti loricam fidei & caritatis, nulli malum pro malo reddentes: prouidentes autem bona non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus; ſi fieri poteſt, quod ex nobis eſt, cum omnibus hominibus, pacem habentes.* Rom. 12. 18. Et huc ſpectant S. Ignatij Apophthegmata, quæ ſecundo hoc libro Commentarius noſter illuſtrat. Vtinam & eadem Lectoribus ſuis pari felicitate perſua-

1. Theſſal. 5. 6. — Rom. 12. 18.

persuadeat! vt qui superiore Libro Iustè cum Deo agere didicerint, Sobriè, hoc secundo degere, fructu non minore, condiscant.

APOPHTHEGMA PRIMVM.

De nulla re sæpiùs, quàm de sui victoria loquebatur Ignatius, duo hæc verba : vince teipsum, *illi perpetuò natabant in labiis hæc inter sodales, ei colloquendi materiam, coram Auditoribus dicendi copiam, in domesticis exhortationibus amplissimum disputandi argumentum suppeditabant.*

S. Francisc. Xauerius in ep. Nicol Orlandin. l.9.n.172. Daniel Bartolus lib.4. §.36.

APOPHTHEGMA SECVNDVM.

Cuidam efflictim paupertatem exhorrenti reposuit : Magis metuendus est timor paupertatis, quàm ipsa paupertas.

Daniel Bartolus lib.4.

APOPHTHEGMA TERTIVM.

Cum è familiaribus non nemo (Ludouicus is erat Gonsaluius) *virum præstanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset;* vir est *multæ orationis, imò verò, mutatâ voce, inquit Ignatius, vir est multæ mortificationis.*

Pet. Ribadeneira l.5.c.2. Ioan. Pet. Maffeius l.3.c.2.

APOPHTHEGMA QVARTVM.

Amore naturalis scientiæ exstinctum ibat spiritum suum non nemo, cum à decennio vitâ functus Ignatius, se homini visendum præbuit, dicens: Minus de scientia, plus de virtute : siue minus litterarum, & plus spiritus.

Daniel Bartolus lib.5.c.8.

APOPHTHEGMA QVINTVM.

Hæc tria dicebat proprias esse in religiosa familia Tesseras bonæ disciplinæ: I. si claustrum, siue vt vulgariter dicunt, clausura exactè in ea custodiatur. II. si domus munda sit, nec puluere obsita aut sordibus absoleta. III. si lex silentij inuiolatè imbi seruetur.

P. Oliuerius Manaræus in epist. ad Nicol. Lancicium P. Cornel. à Lapide in c.30. Isaiæ v.15.

APOPH-

APOPHTHEGMA SEXTVM.

Monebat suos, vt contra quotidianas dæmonem insidias, statis horis diei, receptui cauerent, & in se ipsi descenderent, ac dicta omnia, facta, & cogitatus coram Deo quàm diligentissimè reputarent: contra id vitium maximè pugnam capessent, quo se præcipuè vrgeri sentirent, nec ante desisterent, quàm, Deo duce, debellassent.

Ioan.Pett. Maffeius l.3.c.1.

APOPHTHEGMA SEPTIMVM.

Quisquis aiebat occultè improbus, ac facinorosus, eos inter vitam degit, qui probitate delectantur, multo istic tempore durare non poterit, tùm quod Deus eiusmodi sufferre non assolet, tum verò quod in statu violento est, fictam viri probi personam referens, cuius censu caret.

Daniel Bartolus lib.4 §.37.

APOPHTHEGMA OCTAVVM.

Dicebat in rebus gerendis illud cum primis tenendum, vt te rebus, non res tibi submittas.

Petrus de Ribadeneira l.5.c.11.

APOPHTHEGMA NONVM.

Si quando deferrentur ad eum coniecta in Societatem ab improbis, vel ignaris rerum hominibus, maledicta, pacatissimo animo, hoc tantum respondebat: illud auertat Dominus, *ne quando malè nobis dicant, & vera dicant.*

Ribadeneira, Daniel, Bartolus.

APOPHTHEGMA DECIMVM.

Quempiam, quod stomachosior esset naturâ & subinde in amara verba prorumperet, se aliorum consuetudini, alieno tempore subtrahentem blandè compellans Ignatius, næ tu, inquiebat, vehementer erras, etenim hac & eiusmodi vitia, non fugiendo, sed resistendo vincuntur.

Ioan. Petrus Maffeius l.3.c.2.

APOPHTHEGMA VNDECIMVM.

Sciscitante quodam, ecquâ denique viâ hominem ad processum in studio virtutum inducere queat? respondit: hoc vnusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore suiipsius, & commodi proprij affectione sese subtraxerit.

Daniel Bartolus lib.4.s.37.

APOPHTHEGMA DVODECIMVM.

Loci mutatione rarò mores mutari dicebat, quique captiuum se portat secum, difficulter admodum in hac domo, prouinciaque præ alia futurum meliorem.

Daniel Bartolus lib.4.§.36.

APOPHTHEGMA DECIMVMTERTIVM.

Dicere identidem solitabat, longè ad infima descendendum esse ei, qui eniti ad sublime quandoque velit.

Petrus de Ribadeneira l.5.c.3. Iacobus Bidermannus in vita.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVARTVM.

Fortiter & hoc dixisse fertur, Societatis operarios altero tantum pede terræ insistere, altero ad iter suscipiendum subleuato esse debere.

R.P.N. Goswinus Nickel in epist. ad vniuers. Societatem.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVINTVM.

Interrogatus quâ re, siue ex authoritate gradus sui, siue ex debito officij sui reformare quis possit, aut debeat mundum? Respondit: oportere eum à seipso incipere, deinde transire ad familiam suam, denique ad ciuitatem metropolim: ita fore vt aliquid efficiat, secùs oleum & operam perditurum.

Daniel Bartolus l.4.c.36.

APOPTH-

APOPHTHEGMA PRIMVM.

DE nulla re sæpiùs, quam de sui victoria loquebatur Ignatius, duo hæc verba: Vince teipsum, *illi perpetuò natabant in labiis, hæc inter sodales ei colloquendi materiem, coram auditoribus dicendi copiam, in domesticis exhortationibus amplissimum disputandi argumentum suppeditabant.*

S. Franciscus Xauerius in Epist. Nicolaus Orlandinus l. 9. hist. nu. 172. Daniel Bartolus lib. 4. §. 36.

Commentarius.

Vince teipsum.



Ita habeat. Pro eleganti suo ingenio dixisse aliquando libuerit Decio Iunio Iuuenali de veteri illo sapientis effato, siue is fuerit Atheniensis Solon, siue Thales Milesius, siue Lacedæmonius Chilon.

——*è cælo descendit γνῶθι σεαυτόν.*
Figendum, & memori tractandum pectore, siue
Coniugium quæras, vel sacri in parte senatus
Esse velis——;

Satius profectò id ego imprȩsentiarum dixerim, de sacro hoc spiritualis nostri Gigantis Ignatij, vt eum *M. Ioannes Auila*, indigitare solebat, Apophthegmate *Vince te ipsum* quod, vt veram ἀπαρχὴν τῆς σοφίας è cælesti tabulario profluxisse certum est, non iam lapsuris idolij cuiuspiam foribus, aut propylæo affigendum, sed immortalibus hominum animis, ad incredibilem eorundem salutem cõmendandum Aureos verborum apices! quibus dum cor nostrum inscribitur, omnes eius motus rationi subiguntur omnia carnis desideria virtute spiritus frænantur, propriæ voluntates abiiciuntur, contemptis visibilibus, ea quæ videri nequeunt, amantur. Quanta victoria! omnium sanè, vel ipso teste Platone lib. 1. de legib. victoriarum maxima, dum sic loquitur: *hic quoque, ô hospes, seipsum vincere, prima victoriarum atque optima est*; & huius quidem tota spes in eo posita est, vt superior animæ pars, tota voluntatis æstimatione, toto impetu in Deum feratur: deinde verò, inferiorem suauiter demulcendo, eodem secum rapiat ac trahat, quod obtineri vtrumque numquam poterit, nisi ipsa rerum diuinarum contemplationi, sacræ lectioni suiipsius discussioni, aliisque piis exercitationibus se addicat, atque ita partim æstimatione diuini boni; partim cælestis conuersationis suauitate, in partem inferiorem transfusa, eam sensim per asperiorem carnis, sensuumque contumacium inhibitionem, cæterarumque virtutum exercitia, ab omni terrenorum bonorum æstimatione & affectu auocet, vt vnâ veluti simul factâ conspiratione, insuperabiles euadant. Quænam autem illæ virtutes sint, difficilè non fuerit explorare; cùm enim hostis noster, statiuâ sua bipartitò diuisa teneat, hinc in appetitu nostro concupiscibili, isthinc verò in Irascibili vtraque nobis meritò veniunt expugnanda: Quare ad *Concupiscibilem potentiam* quod attinet, dominantibus in ea *Amore, Odio, Desiderio, Abominatione, delectatione, ac tristitia*, eiusce modi illis virtutes opponi conuenit, quarum istic industria, de illis victoria reportetur, sunt autem hæ *Temperantia, Liberalitas, Philotimia, Veritas,* *Affa-*

Plato l. 1. de leg.

Modus cognoscendi seipsum.

Expugnãdi hostes, qui nos impediunt.

Affabilitas, *Eutrapelia*.

Exercenda virtutes. Temperantia cũ partibus suis, & speciebus.

Temperantia, affectiones appetitus concupiscibilis regit circa obiecta delectabilia sensuum præsertim gustus, & tactus, resecando inordinatas horum sensuum cupiditates. Quam vt penitiùs hîc clariusque inspiciamus, sciendum est, alias habere partes integrales, alias subiectiuas, alias potentiales, quarum cognitio, virtutis huius peritiam, immanè quantum! soleat promouisse. Ab integralibus, itaque auspicemur, quæ sunt perfectiones quædam in actibus temperantiæ relucentes, honestas sc. & verecundia, Honestas, perfectio est consistens in decentia operum Temperantiæ, habens horrorem cuiusuis turpitudinis contrariæ honestati.

Verecundia metus quidam est in rebus turpibus committendis.

Venio ad subiectiuas, vel potiùs species temperãtiæ quæ sunt, Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Virginitas.

Abstinentia cibi, Sobrietas potus vsum moderatur.

Castitas est inordinati vsus rerum Venerearum frænatrix.

Virginitas, remouet ab omni actu Venereo, etiam licito, qualis est coniugalis.

Partes denique potentiales Temperantiæ, sunt,

Continentia, hæc frænat motus inordinatos à quibus voluntas infestatur.

Modestia actuum exteriorum moderationem præscribit, vt decenti modo fiant.

Studiositas efficit, ne quid homo scire velit, quòd ei non conuenit, & contra, ne omittat acquisitionem scientiæ eorum, quæ conueniunt, fugatque tum curiositatem, ad quam natura nostra propendet, tum torporem in rerum necessariarum notitia acquirenda.

Simplicitas, siue Parcitas est, quæ facit vt homo rebus exterioribus corporis, vestibus, supellectili &c. moderatè vtatur.

Secunda virtus quæ potentiam concupiscibilem dirigere solet, est liberalitas, quæ passiones amoris & delectationis circa pecuniam regit, facit vt homo debitè ac rationabiliter eam expendat, nec eam immoderatè conseruet. *Liberalitas.*

Tertia, Philotimía, quæ passiones concupiscibiles circa honores & dignitates moderatur. *Philotimia.*

Quarta, Veritas: hæc eò spectat, quod vt sentit, verbis, factisque decenter explanet. *Veritas.*

Quinta, Affabilitas, quæ sese in rebus seriis comiter accommodare satagit, & alio nomine dicitur Eutrapelia. *Affabilitas.*

Sexta, Patientia: hæc contra tristitiæ passionem, id homini præstat, vt aduersa æquo animo perferat, nec ab ea intus perturbetur, neque exteriùs vllo signo, actuúe indecoro perturbationem internam prodat. Hactenùs de intemperantis cupidinis motibus, virtutum auxilio subiugandis disputatum; restat ala altera, quàm Passiones illæ quinque appetitus Irascibilis constituunt, inspicienda, sunt autem hæ: *Patientia.*

Spes, Desperatio, Timor, Audacia, & Ira, quas aliæ quinque virtutes solent moderari, fortitudo, scilicet, Magnificentia, Magnanimitas, Mansuetudo, ac denique Clementia.

Fortitudo virtus voluntatis spem, timorem atque audaciam regit, eisque vtitur ad bonum aliquod rationi consentaneum assequendum, facitque vt ita se animus in rebus terribilibus, periculis, ac laboribus gerat, vt nec per inordinatum timorem, mortis præsertim, nec per inordinatam audaciam deuiet à rectæ rationis præscripto, modò aggrediendo ac sustinendo difficilia, vt labores & pericula; modò se subducendo ab illis, cum opus est: *Non enim fortitudo, sed temeritas est quilibet ausus, quem non parturiuit prudentia*, vt S. loquitur Bernard. lib. 2. de considerat. ad Eugenium. *Fortitudo.* *S. Bernard. l. 2. de considerat.*

Magnificentia est, quæ debitam pecuniæ acquisitionem spectat, & dispen- *Magnificentia.*

dispensationem considerat, pro eo ac illa difficilè acquiritur, ideoque regit passiones spei & desperationis, eas ad debitam moderationem reducendo, ne limites rectæ rationis excedant, animumque excitat, ad sumptus magnos rationi conformes faciendos, vt sit in subleuanda proximi necessitate munificus.

Magnanimitas. Magnanimitas easdem passiones regit, dum circa bona acquisita difficilia versantur, à quibus alioquin voluntas auerteretur horrore difficultatis, nisi interuentu magnanimitatis fulciretur, quæ omnem quoque abigit ignauiam in exercitio virtutum, & erigit animum ad procurandum, dum opus est, honorem, vel eum contemnendum iuxta rationis præscriptum.

Mansuetudo. Mansuetudo moderatur iram, præsertim tempore iniuriarum, &, vt testatum reliquit *S. Isidorus Pelisiota, crudelitatem coërcet, quippe iracundiæ sobolem nefariam, ac funestam.* *Isidorus Pelusiota.*

Clementia. Clementia præscribit mediocritatem seruandam in puniendis culpis, estque superiorum propria. In natura, misericordia: vnde Marcus Tullius loco Clementiæ, misericordiam dixit propter affinitatem, qua eam contingit.

Atque his satis superque manifestum esse arbitror, quænam animi nostri perturbationes sint, quibusque opus virtutibus sit, ad impotentes illius motus coërcendos, ac gloriosam de ipsis victoriam seriò reportandam, quod ni fecerimus, bestiis similiores, quàm hominibus fiamus in confesso est: vnum do, ex quo de cæteris iudicare pronum fiat; Refert Medicorum Princeps Galenus, visum à se hominem, qui ad ostium claue referandum manibus, pedibusque properabat. Cum verò sera clavi non responderet, atque ita ostium reserari non posset, homo in rabiem actus, clauem dentibus commorsam abiecit, in ianuam toto corpore arietauit, deinde calcibus quassatam pertundere frustrà connisus est, hic furibundus ore spumas vomere, impias voces in Deum iacere, scintillantes oculus huc, illuc celerrimè circumferre, instar canis rabidi latrare, vix à seipso manus abstinere, nec iam hominem agere, sed pantheram. Hoc tam tetrum furiosi hominis spectaculum, sic attonuit spectatorem, vt ingenti odio aduersus iram concepto, iræ motus tam religiosè omni vita cauerit, vt eum mortalium nemo vnquam deinceps viderit iratum. lib. de cognosc. & curand. animi morbis.

Galenus lib. de cognoscendis animi morbis.

Rabies hominis irati, aliena ab ipso vitio deterret.

Iure itaque optimo, maximoque has animi concitationes sub manum habere ac premere necesse est; neque enim hîc de præfidentis animi alicuius arrogantia, aut immodica sui fiducia notari, cuipiam verendum est, quamuis ad sui victoriam, quæ tantopere nobis commendari solet, hâc via aspiret, vult enim Deus, vt *imitatores eius simus, & perfecti quidem, sicut ipse perfectus est.* Matth. 5. 48. quod per huiusmodi victoriam nos assequi S. Ambrosius docet: vt ante eum S. Basilius magnus in Oriente, & ferè primus extra Eremum vitæ spiritualis magister scriptum reliquit: & *Ambrosius* quidem his verbis: *Decora est anima quæ passiones corporis subigit, & ad virtutum officia conuertit, repugnantesque motus sibi efficit obedientes.* Lib. de Isaac & anima c. 3. *Basilius* verò, serm. 1. de Instit. monast. *qui in seipso*, inquit, *quantum fieri potest, naturæ diuinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defædatam priùs in animo suo Dei imaginem, restituit pristino nitori. Vnde nulla hic omnino metuenda temeraria fidentia, vbi præclarum in tali anima habitantis Dei fulget vestigium, qui, quod hîc fieri cernitur, ipse pro sua benignitate facit.*

Victoria sui necessitas.

Matth. 5. 48.

S. Ambrosius lib. de Isaac.

S. Basilius serm. 1. de Instit. Monast.

Vnde tres nobilissimæ huius victoriæ gradus colligi solent:

Primus gradus victoriæ sui. Primus, quando sic homo noster vetus subigitur, vt iam ad Dei amicitiam labefactandam nihil ausit suscitare, nihil ad proximi caritatem infringendam queat persuadere. *Irasci quidem hominis est, sed iram non perfi-*

S. Hieron. ep. 9. *perficere Christiani*, inquit S. Hieron. ep. 9. Quapropter, qui sic passiones suas domuerunt, vt non peccent earum impulsu, vti sapienter dixit *Plato, assecuti sunt triumphum virtutis, qui est habere peccatum in potestate, & virtutem in voluntate*: cuius eximium sanc exemplum post-futuris sæculis omnibus reliquit Iessæus Dauid, qui tot, tantisque à Saule affectus iniuriis, quamuis illum internecioni dare posset, speluncis abditus, pepercit tamen, & impetum iræ suppressit, licèt enim vt bene ponderat aureum illud os omni græcorum opulentia pretiosiùs, sciret se hostem in suam ipsius perniciem dimittere, ac salutem dare inimico, & multa haberet ad eam cædem impellentia [etenim solitudo regis ob absentiam eorum, qui possent Sauli esse auxilio. deinde exhortationes militum suorum ad eum occidendum, præterea anteactorum memoria & futurorum metus] horum tamen incitamentorum nulli cessit, sed adamantis inuicti more perstitit immotus. Et hic primus ille victoriæ gradus est.

Secundus gradus. Secundus, quando ita coërcetur, vt nequidem ad veniales lapsus, ita crebrò ac facilè impelli nos sinimus, vt ante assueueramus.

Tertius gradus. Tertius, cum ita nouus homo noster, omnes suos motus compositos ac domitos habet, vt vix eorum vestigia remaneant, & si aliquando vel leuiter caput attollant, statim nullo labore contineantur. Hæc illa victoria est, de qua *S. Cyprian.* lib. de bono Pudicitiæ. *Non est*, inquit, *vlla maior victoria, quam quæ à cupiditatibus refertur. Victoria*, vt ait S. Gregor. Nyss. *nisi aliquid victum sit, esse non potest; fit autem dum hîc cùm eo, quod in nostra natura mutabile est, tamquàm cum aduersario, ea ratione compositi decertamus, vt ipsum quidem deiicientes, sed cadere non permittentes, victores euadimus*. Quod autem tantò certiùs atque securiùs consequemur, quantò magis instITERimus orationi, cuius assiduo, certoque exercitio, efficacia Dei auxilia promere-

S. Cyprian. lib. de bono pudicit. S. Gregor. Nyss.

mur, sine quibus victoria haudquaquam obtinetur. *Nec enim aliter vincemus*, vt inquit *S. Chrysost.* hom. 6. in genes. *quam si per vitam optimam supernum nobis auxilium conciliemus*. Ita Theodoretus in rel. hist. scribit virum *S. Theodosium* deprecatione, & hymnodiâ vtentem assiduè, cupiditatem, & iram, & arrogantiam, & alias animi belluas sopiuisse: cui singulare desiderium si adiunxeris à scopo, non abludes, ita *S. Laurentius Iustinianus*, dum lib. de casto con. cap. 3. scribit in hunc modum: *Magna vincendi pars est, vincendi desiderium, hoc namque vires auget, cor attollit, debilitat aduersarium, laborem temperat, exhilarat mentem, disponit ad gratiam & Deo amabilem reddit.*

S. Chrys. hom. 6. in gen. Theodoret. de S. Theodosio per orationem sui victore. B. Laurent. Iustinianus desiderium adiungit.

Sed quid sanctiss. Patre Augustino faciamus? qui ne asimbolus huc accederet, pro ingenij sui pia præstantia non ignobili paradoxo studium hoc voluit subleuare, quod itaque iustum est, loquentem audiamus. Et quid ait? *tunc sc. Dei seruum maximè vincere cùm victus est, atque adeo, vt ritè vincat, ante vinci oportere.* Ita nimirum lib. 1. de ciuit. Dei cap. 24 loquitur *M. Catoni*, inquiens, *M. Regulum præferamus. Cato ne subiiceretur à Cæsare, à se ipse elegit occidi: Regulus autem pœnos iam vicerat, imperioque Romano Romanus Imperator non ex ciuibus dolendam, sed ex hostibus laudandam victoriam reportârat: ab eis tamen posteà victus, maluit eos ferre seruiendo, quàm eis se auferre moriendo. Proinde seruauit & sub Carthaginensium dominatione patientiam & in Romanorum dilectione constantiam, nec victum auferens corpus ab hostibus, nec inuictum animum à ciuibus.* O Regule! quam nos sanctioribus disciplinis imbutos in ruborem das? Dat mihi Christianum, qui turbidas mentis suæ commotiones iam premere sic nôrit, & mox eum inter cælites referemus. Enimuerò moderationem animi in aduersis præ se ferre, præclarum aduersantis fortunæ ludibrium est, hanc qui experitur iratam, & æquo animo fert, ho-

Paradoxû sapientissimum S. Augustini de sui victoria consequenda.

stis

stis immanissimi est: Præclarè nobiscum ageretur, si perciperemus aliquando, tunc maximè nos esse victores, cùm ab insidiis hostium, ab inimicorum iniuriis, à multiplici calamitatum pondere deprimi videmur & vinci, quod ratio S. Augustini allata persuadet: neque enim nos aliâ ratione victoriam reportare debemus, quam Christum Imperatorem nostrum vicisse sciamus, vicit enim morte mortem, mundum à mundo delusus, vt hinc discamus, nostrum esse hostes ac delusores, cùm ab illis profligari videmur, diuino quodam vincendi genere debellare, vnde idem Augustin. serm. 44. *Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est: foris despecti, intus electi: quomodo vicit Christus, vincere appetat Christianus.*

S. August. serm. 44.

Quod græcus & sanctus Orator Ioan. Chrysostomus, Antiochenos suos his verbis docuisse auditus est. *Hæc apud nos clarissima victoria est, nullibi certè malè agentes, & vbique mala sufferentes superamus. Illa fulgentissima victoria est, quâ inferentem patiendo superasti: sic scopuli fluctibus cæsi ipsos dissoluunt: sic sancti omnes præclaro præconio coronati, præclara trophæa statuerunt, hanc victoriam laboris expertem consecuti. Non enim luctari te, aut laborare oportet: Deus eas tibi vires concessit, vt non consertione manuum, sed patientiâ vincas. Non exeas igitur in prælium, & vicisti, non colluctéris, & coronatus es*: audi itaque quisquis fueris.

S. Ioan. Chrysostomus.

Nobile vincendi studium, Patientia vincit

Qui patitur: si vis vincere, disce pati.

Et huc quidem collineasse S. Ignatius visus est, dum vniuersam hanc præclarissimæ virtutis enconomiam duabus hisce dictionibus *Vince te ipsum* luculenter expressam, præclaro suo Apophthegmate nobis reliquit, dequo sic Nicolaus Orlandinus lib. 9. hist. nu. 172. Dictum erat Ignatij quod propositum ferè semper habebat: *Societatis hominibus enitendum esse, vt se ipsi vincerent, timoresque ab sese omnes abiicerent, qui Dei fiduciam minuerent, impedirentque, quoniam spem omnem in vno Deo reponerent, ac locarent, cuius assequendæ spei gratia, vias omnes indagandas, ipsum tamen fiduciæ fundamentum siquidem Dei munus est, collocandum vtique in eo esse, cuius ad arbitrium, ea plerumque fiducia iis, qui se vicerint, impertitur.*

S. Ignatius sui victoriâ docet. Orlandinus l. 9. hist. nu 172.

Documentum in ingens, cuius vel vnus nobis Franciscus Xauerius ex prima illa sociorum Ignatij decuria nominatissimus, in testem se offert, qui sæpiùs de illo differentem Ignatium dum audiit; tam pronis, religiosisque auribus id excepit, vt postea, dum sociis in India cum potestate præesset ac sæpiùs eos ad apostolicæ vitæ dignitatem, laboresque heroicos incenderet, nihil in ore habuerit frequentiùs, vberiusque inculcarit, vt velut cæterorum oblitus, omniumque rudis, nec aliud quod diceret habere videretur. Sed bonâ tuâ gratiâ, vir sancte, ac digne Deo, noui Orbis Apostole, liceat mihi paucis hîc verbis, super hoc, tecum expostulare: nunquid ex ea schola prodieras, ex qua, vt scribit Petrus Canisius, & paupertate diuites, & obedientiâ simplices, & humilitate gloriosi, & amore Iesu Crucifixi nobiles egredi solebant, quos inter cum tu primatum teneres, poteratne deesse aliud, & hoc longè sublimius, quod tuis in India Sociis dictione persuaderes? vnde igitur toties rem vnam, eandemque discipulis inculcabas? Audio:

Imitatus Ignatium Franciscus Xauerius.

Cur tam frequens in commendanda sui victoria, Xauerius.

Præiuerat, quod hic ignorare non poterat, Ioannes amoris ille discipulus, & gratiæ magister, qui dum sub vltimam senectutem in plura vocem verba contexere non posset, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: *diligite alterutrum.* Cuius tandem discipuli, qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt. Magister, quare semper hæc loqueris? qui respondit dignam *Ioanne* sententiam: *quia præceptum Domini est, & si solum fiat,*

Responsio iuxta exempla S. Ioan. Euang.

sufficit. Ita & Apostolus noster, si non in pari, in simili saltem, respondisse legitur: *ita edoctus sum ab optimo P. Ignatio.* Et verissimum erat, non solum vt tantæ virtutis pretium ac necessitatem perspiceret, sed & identidem eam exerceret ipse, & alios ad tam sublimem perfectionis gradum promoueret.

Profectum in sui victoria statuebat Xauerius.

Vnde fieri amabat, vt quoties ei de profectu cuiuspiam arbitrandum esset, id ex suiipsius victoria, & turbulentorum animi motuum, cupiditatumque sedatione faceret magis, quàm ex specie quadam pietatis, lachrymis, suspiriis, acrique corporis vexatione. Quâ etiam de re Gaspari Barzæo præcepit in hunc modum: Quos ad Societatem aggregaueris in impotentibus animi motibus, cupiditatibusque edomandis magis exerceas, censeo, quàm in corporis afflictationibus, nouisque eius generis inuentis.

Ad gal. 5.

Et ita profectò est, assentiente Paulo ad Gal. 5. *qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis ac concupiscentiis suis*: hoc est, explicante S. Bernardo, *qui me desiderat, se despiciat, & qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam: quod autem pugnantem fatigat, vincentem coronat.* O verba cedro digna, ramentis auri appendenda!

Cur Deus legem suã Moysi dederit inter tubæ clãgores

Quærunt aliqui cur Deus Exod. 19. inter bellicosos tubæ clangores Moysi legem suam in manus dederit, cùm mitior, atque suauior Angelorum musica, religioni Ecclesiasticæ, quam lex spectabat, conuenientior, castris tuba, quàm templis aptior videatur? Sed ita factum respondeo, ne ad castra nos, atque conflictus vocari nesciamus ab eo, qui legem dedit, quam nemo aliquando seruabit qui cum legis hostibus manum conserere detrectabit. Carnem suam nemo vicit blandiendo, suadentem diabolum, mundum siue blandientem, siue minantem sine pugna nemo superauit, luctandum cum omni cupiditate, quam hostes inflammant, quod Sirachides Eccli. 19. his verbis expressit, *post concupiscentias tuas*, inquiens, *ne eas*. Equus refractarius freno coërcendus, deses calcaribus vrgendus Idem cupiditatibus faciendum.

Eccli. 19.

Nemo maius obtinet imperium, quàm qui ipse sui est Dominus, nec miserior seruitus, quàm suis cupiditatibus subseruire, nec illustriot triumphus, quàm cum suo auxilio volentibus Deus optimus maximus neutiquam solet denegare. Modò Moyses marinos fluctus virgâ increpet, cætera curabit Deus, & tutus atque incolumis transibit Israël, & tota mergetur Ægyptus. Amorrhæus, & Chananæus nostris confinibus exterminabuntur, modò cum hostibus decertemus, militia est vita hominis super terram. Periculosiorem nemo hostem habet, quàm seipsum, cum quo nullæ satis tutæ possunt esse induciæ: neque securum est priùs claudi hoc hominis armamentarium quàm aperiri sepulchrum.

Semper in armis excubet necessè est, cui reportanda victoria cordi est, quæ omne id quod in sui acquisitione grauius, molestiusque accidit, mirâ liberalitate compensat, de quo pulchrè S. Cyprianus: *Voluptatem vicisse, voluptas est maxima, nec vlla maior est victoria, quàm ea quæ à cupitatibus refertur. Qui enim hostem vicit, fortior fuit, sed altero, qui verò cupiditatem repressit, fortior fuit se ipso. Magna sanè victoria, & nullo non sanguine, ac sudoribus emenda!*

Bene itaque ac prudenter *Ignatius*, suum illud solenne *Vince teipsum* quâuis in re, ante aliud quidlibet, quouis locorum, eâdem contentione omnibus inculcabat, gnarus apprimè, inculcatas persuasiones, vt Romanus aiebat orator, non facilè mutari.

Quod verbis, id factis agebat Ignatius.

Nec verbis plusculum, quàm factis præstitisse visus est, operum consilio instituta prodibant, factis decreta digerebat, dum non magis præstare voce, quàm manu mallet. O artem non solum operum imperatricem, verùm etiam arbitram voluntatum!

tatum! de qua sic Petrus Ribadeneira iuratus testis scriptum reliquit lib.5.c.5.

Ribaden. ra l.5.c.5.

Appetitus omnes sic Ignatius Dei gratia, studio, laboreque peruicerat, & obedientes rationi effecerat, vt non quidem ἀπαθὴς & absque omni animi affectione esset, hoc enim ab hominis natura alienum est, sed certè, vt ab omni commotione animi, motuque turbulento vacuus videretur. Eratque id consecutus, vt cum natura calidus, corporisque constitutione biliosus esset, propter summam tamen lenitatem quam in omni sermone, vitæque consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis, lentusque potiùs videretur. Sed eo quod in interiori affectu vitiosum erat, edomito, actio, vbi opus erat, vrgebat: neque animi summa moderatio, vim efficiendi vlla ex parte minuebat.

Magnus sui victor Ignatius.

Testimonia S. Rotæ Romanæ.

Paulò clariùs id Sacræ Rotæ Auditores testati sunt in Relatione pro eius Canonizatione data in scriptis Paullo V. examinatis depositionibus sexcentorum & septuaginta quinque testium iuratorum, vbi statuerunt aliquot in locis, illum habuisse pacem interiorem & dominium omnium suorum motuum & passionum: idque peperisse admirationem aliis, quod semper fuerit in eadem dispositione, nec vnquam se turbasse ex aliqua re, & semper fuisse animo tranquillo. Quòd & posteà patuit in alia Relatione impressa; data Gregorio XV. in consistorio secreto, coram omnibus Cardinalibus, nomine congregationis Cardinalium sacris ritibus præpositorū, à Francisco Maria de Monte, Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali & Præside dictæ congregationis, vbi cum dicta Cardinalium congregatio supracitatam Relationem Romanæ Rotæ examinasset, eamque, quod aliis Relationibus non contigit, amplexa esset, & comprobasset, luculentiùs super hac re testimonium dedit.

Primò agens de charitate Ignatij erga Deum, sic loquitur: *hanc in Deum charitatem adeo puram, in suo corde abluit, retinuitque, vt etiam sui ipsius amorem prorsus à se amandârit.* Et paulò sup. *neque verò tantùmmodo custodiuit cor suum ab iis, quæ sunt contra dilectionem, sed etiam à se ipso amorem rerum omnium, quæ Deus non sunt, prorsus abiecit, atque in eundem transtulit Deum, omnemque affectionem ad Dei dilectionem transferre visus est.*

Secundò, eidem Cardinales explicantes eius animi magnitudinem, *quoniam*, inquiunt, *commotionum suarum & perturbationum, vt diximus, dominium obtinuit perfectissimum.*

Tertiò, de patientia eius disserentes: *admirabilem eius patientiam & mansuetudinem demonstrat letitia, qua fruebatur, cum aliquid aduersus suipsius personam, & honorem inferri cernebat, & beneficia quæ in illos conferebat, à quibus esset iniuriis appetitus.*

Cenodoxiæ victor Ignatius. Ioan Pet. Maffeius l.1.c.10.

His adiungo quæ grauissimi historici de illo reliquerunt: & primò quidem de superato ab Ignatio inanis gloriæ vitio, sic scripsit Ioan. Petrus Maffeius; cum, tum aliis mediis, tum denique diuino præsidio detestabile hoc vitium ita debellasse, euulsisseque radicitus, vt posteà quotiescunque salus animarum, aut Dei gloria postularet, sua non minus bona, quam mala, sine vlla prorsus cenodoxiæ titillatione, palam & ingenuè expromeret. l. 1. c. 10.

Ribadeneira l.3.c.3.

Eadem confirmat Ribadeneira l. 3. c. 3. Illud, inquiens, Dei misericordia est consecutus, vt per multos annos, antequam è vita decederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit, Imò verò, vsque adeò luce diuina erat perfusus, suique perfectè cognitor, atque contemptor, vt nullum se vitium diceret, minùs extimescere, quam vanitatis & gloriæ inanis.

Atque hoc vitium, & passio ad illud inclinans adeò in nobis radicata est, vt Cassianus & S. dixerit Bernardus, primum esse in peccato, & in conflictu vltimum, & S. Ioan. Climacus naturam non facilè ab appetitu gloriæ posse seruari illæsam, quare tanto id admirabilius in S. Igna-

tio fuisse necesse est, qui primo conuersionis suæ anno rem tam difficilem, & raram designârit.

Ira domitor Ignatius

Nec hic stetit eius victoria, iram quoque subiugauit, de quo audiendus Nemesius est, qui eam satellitium rationis, cum proba est, non dubitat appellare, quare de illâ sic Aristoteles pronuntiauit: qui ob quæ oportet, & quibus oportet, irascitur, addo etiam, quo modo, & quando & quousque debet, laudatur, estque is mansuetus potest, quippe qui perturbatione vacat, & ab affectu minimè ducitur, sed quemadmodum ratio ipsa statuerit, ita, & ob id, neque vltra, succenset.

Ribadeneira l. 5. c. 5.

Id oculatus testis in S. Ignatio Petrus Ribadeneira sic describit, vidimus persæpè illum affabiliter, hilareque, & magna animi æquitate colloquentem cum suis, accersere aliquando, quem obiurgare vellet, primoque illius aspectu commutare vultum, ad seueritatem componere, & quasi iratus esset, grauiter hominem corripere, & castigare; statim tamen atque ille excesserat, ne puncto quidem temporis interiecto, ad suam illam tranquillitatem, iucunditatemque sermonis, sereno vultu, explicata fronte rediisse, perinde ac si nunquam, aut ille interuenisset, aut quemquam obiurgasset. Itaque apparebat, nihil animo fuisse commotum, ac seueram illam obiurgantis personam, & suscepisse cum vellet, & deposuisse. Quod in reliquis eius actionibus videre fuit, vt ex illis & animi moderatio, & tranquillissimus securæ mentis status clarissimè prælucerent: vnde fiebat, vt quamuis corpore aliter, atque aliter affectus esset, & propter valetudinis varietatem, ad res tractandas, vel magis vel minus aptus, animo tamen semper idem esset, vt ad aliquid ab eo impetrandum aut conficiendum obseruare tempus, & opportunitatem, nihil esset necesse. Nam siue illum sanctissimo Missæ sacrificio peracto siue prandio conuenires, perinde erat: siue res lætæ, siue tristiores essent: denique in nulla rerum dissimilitudine, ac varietate, varius ipse, suique dissimilis fuit: Quæ animi æquabilitas perpetuaque constantia in corpus etiam redundabant.

Tanti fuit generosam de se victoriam reportasse, quam ne quis temerè aliquando desperaret, prouidere voluit Ignatius, singulari ad hoc relicto posteris documento, dum sese, quantum quis in Dei via profecisset, non fronte ac vultu, neque ex naturæ quâdam facilitate, sed ex contentione, suæque conatu virtutis decernere profitebatur. Itaque Adolescentem quendam ex suis acri ingenio, & vehementi natura incitatum monens, & ad prauos animi motus cohibendos paternè cohortans, *vince*, aiebat, *te, vince. Si enim te viceris, splendidiorem, quam alij, qui mitiori sunt ingenio, habebis in cælo coronam*; fuisse autem illum interprete P. Oliuerio Manaræo, Emundum Augerium, autor est Nicolaus Baillij in historia vitæ cap. 3. Et cum hunc ipsum adolescentem Minister Romanæ domus grauiter accusaret apud Ignatium, & quasi minus quietum, morigerum atque tractabilem insectaretur: Ignatius non vulgi trutina, sed veritate & spiritualis prudentiæ statera rem æstimans, respondit Ministro: Mitiùs, quæso, & blandius. Equidem istum ipsum, quem tu tam acriter reprehendendum putas, plus ego in Dei via, paucis mensibus profecisse arbitror, quam duos illos integro anno. Nominauit autem duos, omnium ex domesticis candidissimos, & leuitate quadam ingenij, ac morum suauitate maximè amabiles.

S. Ignatij cohortatio, qua Emundum Augerium ad virtutem incitauit.

Nicolaus Baillij in vita Emūdi.

Ex quo apparuit, non exteriorem tantum speciem respexisse, vt de virtutis solido fructu, processuque iudicaret, sed rem totam perpendisse vera ratione, & conatu, studio, suique peruincendi labore definiuisse, quæ nimirum in acriori natura perdomanda maiorem conatum, maioremque desiderant contentionem.

Externo rem exemplo confirmo, & victori applaudo.

Ferocior

Ioannis Faëntini de se relata victoria.

Ferocior quàm credi possit, natura, ingenioque Ioannes quidam Baptista Faëntinus, longa sui similiũ cõsuetudine increuerat, cum tãdem se respiciens, ardentissimis animis Capucinorum arduam viuendi, suique vincendi rationem secutus, admirabili quadam contentione, sese ad omnem perturbationum victoriam exercebat. Nec moderatores deerant, duriora imperando, & verbis castigando. Ad quæ illc; quamuis animo commotior, continebat se nihilominus, iramque habebat in potestate; quæ tamen ita aliquando efferbuit, vt violentius cohibita, ferueutem iam nimium sanguinem, rupta pectoris vena, magno impetu profunderet.. Tum Ioannes Baptista in templum se raptim coniiciens; vt erat cruentus, ante Christi in crucem acti signum se abiicit, atque succlamat: *en meum sanguinem Domine*. Exprobrantis hæc vox videbatur, cui Dominus, conuersa ad lateris vulnus dexterâ, eas reddidit: *vide qualia, & ego tui caussa olim fuerim passus*, hæsit attonito similis, iramque sanguine domitam meliori sanguini dedicauit. Ita vincitur, vbi sua quisue hostia cadit. Annales Capucinorum.

S. Mariæ Magdal. relata de se victoria in, adeundo pharisæi conuiuio.

Sed & citra sanguinem, ne despe-res, victor esse poteris, vel Magdalena duce, quam ego, dum ad conuiuium non epulatura, sed ploratura contenderet, in via existimem sæpius substitisse, & fortassis plus vice simplici redire cœpisse; dum hæc, similiaue secum cogitaret: quid facio? res hæc familiæ, mihique pudori est: quid dicent coniuux ? quid iudicabunt ? vrbi toti fabula fiam. Vultus intuentium me, quî feram? Tandem audendum est: sic pergo. Ita vi magna se impulit, cœpit, perrexit, vicit. Tantum profecit, quantum sibi ipsi vim intulit. Maxima vis, maximus profectus; ideo multi non proficimus, quia nobis vim inferre metuimus, quod vt aliquando audeamus verbo non magis quam facto adest Ignatius, cuius, dum Minoressæ commotatur, testis horridus ille saccus est, pedes ac vertex perpetuo nudi, somnus raptus, non datus collabentibus membris, cubatus humi, ter & quidem cruentè repetita flagellatio, genuflexiones per septem horas productæ quotidie, vt taceam leuiores illas appẽdices, perpetuamque sui vincendi, atque affligandi vigiliam, capillum incultè impexum, barbam horridè promissam, vngues fœdum in modum auctos, ac nulla diligentia castigatos, oris totius squallorem, quibus omnibus egregiè veteris monumenta elegantiæ deiecta fuere, & illius vitæ posita fundamenta, quam virtus ipsa descripsit, & quamquam postea de suscepta hac austeritate quid remiserit, aliis id concessit virtutibus multo sublimioribus, vt ex pontificiis oraculis supra docuimus.

Ignatij de se relata victoria.

S. Francisci Xauerii de se victoria.

Et Patrem non segniter imitati filij fuerunt. Taceo celeberrima illa vincula, quibus S. Franciscus Xauerius arctissimè coxendices, ac brachiorum toros induit in illa ipsa peregrinatione, quam Parisiis in Italiam suscepit, quæ non magis virium præ cruciatu collabentium, defectu, diuino sunt nobilitata remedio, quã de sensu carnis insignita victoria. Sileo conuolutos in spiram rudentes, quibus pro lectulo vtebatur, anchoram, qua pro ceruicali, cibi ac potus abstinentiam eximiam, qua non carnis solum ac vini, sed etiam triticei panis vsum, procul à se abdicauit; cruenta flagella de carnis domitu quotidie relata, vna parendi virtus nobilissima calamum ad se rapit, qua grauissimam bellorum victoriam reportauit, patuit autem cùm Ignatius homini in hac tota parendi laude tantum tribuit, vt datis ad illum litteris, quæ post eius excessum, demum perlatæ sunt, cum in Europam reuocauit, certus illum vel sola prima nominis sui littera firmatis pariturum, quo de viri sancti victoria, ex se parta, Beati Patris iudicio nihil amplum magis poterat excogitari.

Franciscum Borgiam, Aloysium Gon-

Gonzagam, Consaluum Silueriam, Iosephum Arriagam, Franciscum Caëtanum, Stephanum Tuccium, aliosque sexcentos, clarissima de seipsis parta victoria celebres libens prætereo, ne legentes aut defatigatio, aut certè horror, vel imitandi occupet desperatio. Quare veniam iure mihi videor precari, si aliquanto leuiora prodidero,quæ plerumque sine sanguine quidem, nunquam tamen sine labore ad promerendam hanc victoriam vsurpantur.

Thomæ Sanchez de se victoria relata. Quantas enim victorias, victoriæque insignia Thomam Sanctium hic arbitrabimur reportasse?qui cum in villam vndique floribus ridentem, leuandorum causa studiorum secederet, vel vnum aliquem carpere, propiusque suaue spiranti nares admouere, semper sibi credidit esse religiosum?

Scipionis Cossi victoria. Quanta Scipionem Cossum, qui cruda olera non oleo,non aceto,non sale condita semper esse cõsueuerat?

Item Ioan. Piscatoris. Quid de Ioanne Baptista Piscatore,qui graue olentes medicas potiones odorari, per otium lambere, ac sorbillare morem habuit.

Item Sebastiani Barradij. Quid de Sebastiano Barradio,qui in studia litterarum sacrarum abditus,nouem annos integros nunquam cum aliquo externorum collocutus est.

Item Fabij de Fabiis. Quid Fabius de Fabiis huc conferat, si quæris? qua die M. Antonius Columna de Turca triumphauit, effusis ad spectandum omnibus hominum ordinibus, seuerè se domi continuit.

Item Francisci Villanouani. In quo socium habuit Franciscum Villanouanum, qui oculos suos à rebus ipsa nouitate admirabilibus abstinendos, ita censebat, vt Angelo licet in foro concionante, videndi gratia se pedem elaturum negaret.

Et quid talia in Ignatij discipulis admiramur? cum paria & in aulis, vnde poëta exulare pietatem voluit, reperiantur.

Sui Victor Dauid. 2.reg 14. An Dauid potum aquæ de cisterna, quæ in Bethlehem erat, iuxta portam, & tres viri fortes castra Philisthinorum perrumpentes regi hauserant, bibit? nequaquam: sed libauit eam Domino. 2.reg. 14.

Theodosij Imp. de se victoria. An Theodosius Arcadij filius, per Bithyniam feruente cælo iter faciens, oblatam à milite phiolam frigida plenam admisit? neutiquam, sed virum remuneratus, poculum illi reddidit, & quomodo illi placeret vsurpare iussit. Sozomenus.

Alexandri Magni de se victoria. An Alexander Philippi Macedo, cùm per loca arida exercitum duceret, oblatam aquam inuentam bibit? minimè, profectò, sed ante pedes effudit. Curtius l. 7.

Et Rudolphi Cæsaris Idem de Rudolpho 1. Æneas Siluius aliique tradidere, de Artaxerxe Plutarchus, &c.

Sed priora longè antecedere dixerim, quod de Solimanno Turcarum Imperatore Bernardinus Surius in Hodæporico recenset lib. 2. venerat hic ad montem Salahia, ex quo in Damascenam vrbem prospectus optimè ac commodissimè dari solet. *Solimanni Turcarum Imperatoris de se victoria.* Sita hæc in medio lati, maximeque fertilis campi vmbilico, columnis pluribus ac turribus circumdata, hortis consita amænissimis, & aquæ ductibus irrigua, palatiis stupenda, quam cum vidisset, salue, inquiebat, terrestris paradise, alteque ingemiscens, cum mihi, subiunxit, pulchra hæc ciuitas cælesti munere donata sit, non ingrediar eam, veritus, ne cor, animumque mihi surripiat, quo cæli, cælestiumque obliuiscar; & his dictis recessit, nec eam postea vidit.

Quanto fui in homine barbaro victoria!& mirabimur hanc àChristiano exigi, piis ac religiosis viris ab Ignatio commendari?

Felix! qui quod ille prior fecit,ac deinde nobis suo *Apophthegmate* faciendum proposuit, legitimè decertans imitatur, accinente Poëta:

Cui pugnare labor: quem qui vult vincere, debet
Velle, quod is nolit: nolle, quod ille velit.
Fortior hinc, qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire potest.

Ardua

Ardua res vicisse alios, victoria maior
Est, animi fluctus composuisse suos.

S. Bernard. serm. 3. de Circumcis. Hoc namque, vt cum Clarauallensi Præsule, non certò magis, quam sanctè, pieque concludam, *est Saluationis nostræ principium, cum incipimus respuere, quod diligebamus, dolere vnde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus.* Serm. 3. de Circ.

Ἐν τούτῳ νίκα.

Et victor eris melior, quam Constantinus fuit.

APOPHTHEGMA SECVNDVM.

Qvidam effictim paupertatem exhorrenti reposuit: magis metuendus est timor paupertatis, quam ipsa paupertas.

Daniel Bartolus lib. 4.

Commentarius.

Encomium paupertatis



Qvantis omnium laudibus, ac testimoniis, tam eorum qui veterem olim amplexi Philosophiam, quam pòst-secutis temporibus Christianam professi sunt disciplinam, ornata fuerit ac commendata paupertas, clarius esse arbitror, quam vt mea, vel testificatione indigeat, vel pluribus, vt hic recenseantur, necesse sit argumentis: clamant pueri ac senes: clamant sola terrarum vltimarum, aut hîc, aut nusquam quod hominē beare queat, inueniri? Dic Epictete, vel ex tuo Epaphroditi alienissimo ergastulo, quod ad illam fictilem tuam lucernulam, tribus olim drachmarum millibus sola nominis tui fama, æstimatam elucubrasti, vnde Aristides Iustus? Epaminondas Deus? Lycurgus Soter habiti, dictique sunt: an non quod pauperes cùm essent, mirificè Græciam illustrarint? Ecquod Periclis, magni in Græcia viri, quem Aristides summus orator, Athenarum dignitatem & Pædagogum nominabat, simbolum fuit, & quidem pulcherrimum? *nunquid opes contemnere*? (Symbolum Periclis.) de quo certè gloriatus ille aliquando pro concione, vt de re maxima, quam reliquis suis virtutibus anteponere non dubitauit: à quo Romanus sapiens epist. 18. nequaquam visus est dissentire, cùm ad Lucilium suum scripsit in hunc modum: *incipe cum paupertate habere commercium: aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo. Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit.* (Seneca ep. 18.)

Erat, cum Socrates per contumeliam pauper vocitabatur, & quid ille? Ænea teste Gazæo, mente supra vulgus euecta, paupertatem diuitias indigitauit. Nec malè. (Socratis iudicia de paupertate.)

Ita illi, quamuis per nebulam verum speculati, neque enim diuites in paupertate esse poterant, qui Deo diuites non erant.

Quod cum dico, non hîc egestatem illam quæ inter mendicorum se volutare quisquilias solet, intelligo, neque enim ipsa laudem meretur, cum bona nequaquam voluntate suscipiatur, & cum externis prematur incommodis, internis videatur carere subsidiis: quippe quæ non modo cupiditatem ab homine non tollit, sed aggrauat magis, nec quietem in animo efficit, sed solicitudinem, curamque multiplicat: vnde S. Gregorius Nazianzenus egestatem hanc ad malitiam procliuem nominare solebat. Aliud autem, paupertatis genus est, quod hic laudare constitui, atque ab Augustino non magnificentiùs, quam veriùs Christianorum felicitas appellatur, Sic enim accepimus olim (Duplex genus paupertatis. Vna coacta, altera spontanea.)

Christianos vulgò fuisse nominatos pauperes, omnesque vltro incredibili pietate decus illud ambiuisse, quod à mundo reiectum, in Dei oculis, & beatorum mentium iudicio pulcherrimum, ac sanctissimum esse constabat: atque hæc illa paupertas est, quæ eo ipso, quod omnia contemnat, omnibus emineat, fitque miro modo, vt quæ pedibus spernendo conterit, eisdem eminendo, omnia possideat.

Et huius quidem primum nobis omnibus exemplum proposuit ad intuendum, & quantum fieri potest imitandum, Christus Iesus Dominus noster, qui cum esset diues, propter nos egenus factus est, totam autem ætatem sic egit, vt quemadmodum ipse testatus est, cum vulpes foueas suas habeant, & volucres cæli nidos, ipse non habuerit vbi caput reclinaret; quod tanto ante vidisse Zacharias, & prophetico suo penicillo descripsisse in hunc modum auditus est,

Zachar 9. *Ecce*, inquiens, c. 9. *Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator, & ipse pauper:* vt mihi quidem magnus ille mundi liberator ac potentissimus filius Dei, non Iudæorum magis quam paupertatis Rex fuisse dicendus sit: quod rei sacratissimæ arcanum celeberrimus ille regum Poëta & Poëtarum Rex Dauid prædicare visus est, cum posteaquam Dei erga pauperes curam insignemque beneuolentiam notasset, subiunxit, *honorabile nomen*
Ps.71.14. *eorum coram illo.* psal.71.14.

Intellexerant id primi illi Saluatoris discipuli, nec degenere mente complexi, totos se eidem præbuêre formandos, de quibus vnus, nec ille postremus id palam professus, *aurum*, inquiebat, *& argentum non est mihi.*
Act.3. Act.3. Alter vero, nulla status verecundia præpeditus, *vsque in hanc ho-*
1.Cor.4 11 *ram*, inquit, *& esurimus, & sitimus, & nudi sumus, laboramus operantes manibus nostris* &c. quod & eminus,
Quid Diogenes senserit de paupertate. ac velut per vmbram Diogenes Philosophus vidit, qui interrogatus ecquinam essent hominum nobilissimi, respondit: contemptores opum, gloriæ, voluptatis, & vitæ; contrariis autem, puta, paupertate, obscuritate, fame, labore ac morte superiores. Testis est Laërtius aliique in eius vita. Sed viderit id Diogenes, nunquam tamen præstare id potuit, vanitatis vtique, gloriæque mancipium, viderunt autem ac præstitere largiter primi illi Christiani, de quibus Cyrillus Hierosolymitanus com- *Primi*
memorat, rerum suarum pretia ad *Christiani*
pedes Apostolorum detulisse, vt qui *paupertatis amantes.*
Dei caussa omnia spreuerant, atque ad alios moderandos diuinitus essent electi, docerent se pecuniam, aliaque huius mundi bona calcare. Atque ita profecto agendum: habeant sub pedibus oportet, quidquid vulgus ambit ac miratur, vt sublimes effecti & aceruis illis futilium bonorum altiores, cælis finitimi, violentiam illis inferant, ac denique victores ingrediantur.

Et hæc diuina illa scala est, non audacis cuiusdam Capanei, qui primus scalæ inuentor, in vrbium expugnatione fuisse canitur, sed prudentis, ac generosi Christiani Herois qui summa petit, & hoc mundo superior conuersationem habet in cælis, abiectoque diuitiarum onere pedes istuc inferre nititur, vbi tutus æternum quiescat.

Nec dubiis id certè rationibus, *Ratio et*
aut argumentis docendum; si nam- *PP.*
que monente Euangelio didicimus, angustam esse portam, quæ ducat ad vitam, *quomodo*, vt *S.* ait, *Paulinus*, *S.Paulinus*
arcta capiant suffarcinatos! Si res omnes quibus in hoc mundo fruimur, viatici nobis loco sint; *non est*, vt *Mi-* *Minutius*
nutius Felix author est, *breue iter ma-* *Felix.*
gno viatico instruendum.

Denique si boni omnes peregrini sunt in terra, nec manentem hic habent ciuitatem, sed futuram inquirunt, ad quam magnis itineribus contendant. *Celij Lactantij Firmia-*
ni prudentissimum monitum est: *Lactantius*
virtutis viam non capere magna onera *Firmianus.*
portantes: multa siquidem, teste S.
Ambrosio, *oneri, mediocria vsui sunt.* *S. Ambrosius.*
Quæ caussa fuit, cur magnus ille Christianorum Philosophus & Philosophorum

losophorum Christianissimus S. Basilius paupertatem appellârit pædagogum ad omnem colendam pietatem: Et aureus orator Chrysostomus eam dixerit palæstram in qua virtus exerceatur.

S. Basilius. S. Chrysost.

Quare nemo sapiens iure miratus fuerit aliquando, eos omnes, quotquot ad vitæ sanctioris apicem contendere visi sunt, non adamasse solum hanc paupertatem, sed tamquam diuinum quoddam suspexisse: quo animo fuit Isaaeus ille Ascetes, quem Gregorius magnus lib. 3. dialog. cap. 14. narrat, cum multæ illi possessiones offerrentur, nunquam induci potuisse, vt eas admitteret, quoniam, vt aiebat, sic metueret paupertatis suæ securitatem perdere; qua mente simul ac sensu præditum fuisse S. Dominicum Calaguritanum negare quis ausit? quem præclarissimi ordinis historiæ tradunt, non modo diuitiarum contemptum, sed rerum omnium supremam egestatem ac nuditatem vsque adeo complexum fuisse, vt reditus omnes à suo quoque ordine, qui tunc nascebatur, remouere constituerit, ne quid tantæ virtuti incommodaret.

Isaacus Abbas quāti fecerit paupertatem.

S. Dominici studium pauperta-tis.

Eâdem propemodum lege sui ordinis in America fundamenta iecêre eiusdem Patris filij: cum enim in tanta illa habendi licentia, cum latissimæ atque vberrimæ regiones à victoribus distribuerentur, & deuicti orbis particulas quisque inuaderet, oblatus est patribus lacus Zampangus, cum circumiectis aliquot populis: Et quamuis lacus inuitaret opportunitas; piscosissimum siquidem esse tradunt, & populorum seruitus id loci ac temporis insolens non esset, generosè tamen abstinuerunt, satius rati emendicata stipe vitam traducere, quam paupertati, quocunque prætextu, derogare. Sic namque commodissimè seritur euangelium, cuius fructum qui quæstum esse arbitrantur, videant, ne laboriosissimè factam sementem diuitiarum comites otium & luxus deperdant.

Prædicatorum in America affectus in paupertatem.

Quid autem de Francisco Assisiate dixerimus? quem tantis impendiis coluisse pauperiem, eamque adamasse Seraphicus Bonauentura pronuntiat, vt instar dilectissimæ sponsæ, eandem sibi desponsasse visus sit. Res fuit, cui neque ipsa par esset admiratio, videre hominem vili, attrita, & centonum instar consuta tunicula nudis pedibus, fune rudi incinctum, horridè cucullatum, casulam è luto ac vimine inhabitare, dialem tantum cibum quærere, nihil seruare in posterum, & cum ipsis cæli auibus, quibus neque horreum, neque penu sit, de pauperie à Christo Domino laudata, certare. Interrogarant parentem filij, ecquenam virtus præcipuè & maximè nos Christo Saluatori commendaret gratosque faceret? insusitato quodam sensu Franciscus, paupertatem dixit, eamque salutis viam, humilitatis fomitem, & perfectionis esse radicem, de qua multiplices fructus existant, quamquam occulti & paucissimis noti.

S. Francisci erga paupertatem studium & Amor.

Cum Francisco senserunt omnes quotquot sanctitatem dilexerunt, neque enim ad eam pertingere, nisi mundo contempto, vnquam potuissent, nec mundum contemnere, nisi paupertatis amorem commodis omnibus anteferêdum iudicassent, quos inter diuina bonitas, hoc mundi senio S. nobis Ignatium de Loiola, non cultorem magis S. paupertatis, quam eximium eiusdem doctorem ac magistrum sub integerrimâ matris suæ disciplina formauit.

S. Ignatius eximius paupertatis cultor & doctor.

Felicem profectò tali magistra discipulum! quâ ille docente longiùs multò prouectus fuit, quam olim vel sub Carmenta Euander, vel sub Ægeria creditus Numa profecisse Pompilius: ita namque de Ignatio nostro insignis ille Granatensis scholæ Theologus Andreas Lucas, lib. 5. de vita eius cap. 17. vbi à cælesti hac Principe institutum scribit, dum Manresæ melioris vitæ tirocinium poneret, seque ad Christi filij eius sectanda vestigia maternis precibus commendaret, quando derepente se

Francisc. Lucas l. 5. vita c. 17.

pecu-

peculiaribus quibusdam erga paupertatem amoribus incendi, cierique persensit non quicturus priusquam se illi in perpetuam hostiam ritè didicasset, quod ex S. Viri relicto nobis autographo præfatus Doctor testatum facit, cui titulus est Dialogus cum S. Virgine Deipara, vt sub eius patrocinium recipi atque in supremo spiritualis paupertatis gradu vitam sanctam, merear auspicari: mox verò hæc subiungit: *Omnipotens sempiterne Deus, licet ego Ignatius conspectu tuo indignissimus, pietate tamen ac misericordia tua fretus infinita, impulsusque tibi seruiendi desiderio, firmiter statuo coram sacratissima Virgine ac Matre tua sanctissima, cunctaque cælesti vniuersa, in omnimoda tam spirituali, quam actuali paupertate diuinam maiestatem tuam imitari, eique perpetuò deseruire.*

S. Ignatij dialogus cū S. Virgine Deipara.

Nec factis deficientibus verba hæc vnquam erubuisse visa sunt, quam enim ore suo paupertatem dedicârat, opere constanter secutus est: patuit, cum nec eam solam aut incomitatam prensare vnquam voluit, sed fame, siti, frigore, nuditate, defatigatione, duro stratu, ac laboribus plurimis sociatam, quibus ea, dum incolumis ac vegeta est, velut militibus suis, Regis æterni sponsa solet stipari.

Et fuisse hæc, quod mireris, non ab hodiernâ, hesternaúe luce in Ignatio cœpta, clarum est, vt de illo non verè minus, quam conuenienter dicere liceat, quod olim Hussitarum ille Regulus de se, quamuis in diuersa materia, pronuntiauit: *ab infantia mea creuit mecum miseratio & de vtero matris meæ egressa est mecum* ca. 31.18. dixerit Ignatius: *ab infantia mea creuit mecum amor egestatis, & de vtero matris, quæ me in stabulo genuit,* egressa est mecum.

Iob 31. 18.

Patuit illico, cum in militaris vitæ licentia, cui se more nobilium in castris regiis addixerat, cor & animum ab omnibus inordinatæ cupiditatis illecebris vsque adeo liberum intactumque seruauit, vt, vbi cæteri commilitones prædæ inhiantes, si qua obtingeret aliquando, marsupia, zonasque implerent, Ignatius nec eam extremis, vt aiunt, digitis attingeret, nec vellet delibare: magno suppar, vel exinde, Abrahamo, cui cum Rex Sodomorum opima spolia offerret, *leuo manum meam,* inquit, *ad Dominum meum excelsum, possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, ego ditaui Abraham*: Quæ verbâ admiratus Ioannes Chrysost. *Magna,* inquit, *Patriarchæ in contemnendis diuitiis virtus! qua duo simul docere voluit Regem Sodomorum, se minimè capi donis, quæ ab ipso offerebantur, & vitæ honestæ formam indicare velle ac pietatis Doctorem ei fieri studere. Exin & causam quare recipere detrectaret: vt ne dicas: ego locupletaui Abraham: habeo Deum, qui innumerà mihi suppeditet bona, superno innitor auxilio, non opus mihi diuitiis tuis, non indigeo humanis facultatibus, Dei in me beneficentia contentus sum.*

Ignatius etiamnum miles ab omni cupiditate habendi alieni.

Genesis 14. 23. Exemplum Abraha in Ignatio expressum.

Tantundem hic dicere poterat Ignatius: non accipiam ex omnibus quæ vestra spolia sunt. Magna vel in tirone continentia! quæ eum verè diuitem fecit, vt dicere posset cum Seneca: *meæ sunt diuitiæ: tu diuitiarum es: quia diuitiæ sapienti in seruitute, stulto in imperio sunt.* Noluit itaque quidquam accipere, tum vt omnes viderent, eum non propter lucrum pugnasse, sed ex Iustitia: tum vt victori Deo gloriam, non sibi attribueret laudem, tum denique vt insignem animum, terrena omnia paruipendentem cæteris ostenderet ad imitandum, seque maius quiddam habere, quam opes in quibus maior pars mortalium spem omnem collocare consueuit. Hæ nuces Ignatij fuerunt, cum in vmbra paupertatem quæreret: Excusabis Lector, pauperiem diligere cœpit, cum necdum fat nosset: vel sic paupertatem colere incepit, cum ad solidiora animus aspiraret. A puero ostendit magnum paupertati patrimonium inesse,

Seneca

esse, quod non obscuris indiciis postmodum vir factus adiisse visus est, cum Barcinone in Italiam volens transmittere, tam omnis expers solicitudinis ac curæ nauem conscendit, vt nisi eius, quo ad sacram exomologesin vtebatur, compulsus fuisset imperio, nihil de annona, de commeatu nihil accurasset, tanto siquidem paupertatis amore in diuinam prouidentiam ferebatur, vt defore sibi nihil sub Deo arbitraretur: quod paullò pòst explicatè ostendit, cum modico buccellari panis coëmpto, reliquam quæ supererat, pecuniam in littus excussit tantò gloriosior Thalete futurus, quantò nummos suos præ illo sanctius abdicauit.

Ignatius necessariam etiam, ibi necessariam abdicat amore paupertatis in Italiam traiecturus

Iam Romam, Deo peregrinum suum prouehente, appulerat, in Syriam porrò traiecturus, cum amici naulum & commeatum certatim offerre. Quid Ignatius? ne quid in absolutæ paupertatis præstantiam delinqueret, in pauperes omnem statim pecuniam dispertiit, quod iterum, iterumque cum fecisset, notum omnibus fieri datum est, quantò dirior sit Sanctorum paupertas sordibus auarorum.

Iterum, dū hierosolymam contendit.

Ad conditam ab illo Societatem venio, legesque in ea latas suis moribus conformes, quantum hic paupertatis studium, quantam eius excellentiam iuxta sanctissimum eius institutum in ea voluit vigere! fatebuntur id boni omnes, nec grauatè, quotquot tum Collegiorum labores maximos, vbi artium encyclopædia, id est disciplinarum omnium perfecta tradi solet iuuentuti scientia explorârit, quibus annuum quidem vectigal in commune concessit, vt tanto liberiùs, atque solutius socij in litterariam palæstram. sanctioraque studia incumberent, de cætero nihil sibi proprium queant arrogare.

Qualem paupertatē Ignatius in Societate instituerit.

Domos verò professas si expendere voluerint, in quibus tum Sanctiss. Sacramentorum pabulo refici, tum diuini verbi explicatione populus erudiri, atque ad omnem pietatem sanis imbui consiliis solet, nihil hic dixerint ad summam perfectamque illam paupertatem, quam nobis SS. PP. expresserunt, præterea requirendum, vbi nec communiter, nec propriè, annuæ mercedes vllæ, nec fundi vtiles, publicè aut priuatim, nec quidem sacrario, altari, aut fabricæ permittuntur, sed neque vllâ aliâ ratione, ita vt penes Societatem eorum sit ista dispensatio, sed in solo Deo, cui per ipsius gratiam, ea inseruit, fiducia constituitur, sine redditibus vllis ipsum nobis prospecturum de rebus omnibus conuenientibus ad ipsius maiorem laudem & gloriã.

Sed neque stipendia pro verbi Dei prædicatione, aut lectione, aut Missis, aut administratione Sacramentorum, aut demum rebus quibuslibet spiritualibus admittendo, nec si quid donetur, & fortè à maleuolis, auertatur, ius exactionis consequendo: quod nisi perfectæ, absolutæque paupertatis officium sit, quale demum id esse possit, ac debeat non video. Beatum virum & Euangelicæ consulem paupertatis! Sic ego te compello, quia reuerâ, quæ non tam hominum negligentiâ, quam temporum vitio dilapsa erat, paupertatem ita coluisti, eamque tam aptis, præclarisque adstrictam legibus posteritati commendasti, vt ea nunc toto Christiano orbe plaudente, vbertimos fructus producat.

Nec enim quam semel ingressus est Ignatius paupertatis viam, eam vnquam infregit, sed summâ quadam constantiâ, & ad extremam vsque metam decurrit, & pulcherrimis exemplis expressam reliquit. Ibi video cubiculo vtentem perangusto, ac tenebricoso, ne quid professorum suorum paupertas, quacunque vel honesti, tectique specie, detrimenti faceret. Nec solùm ipse proprium habuit nihil, sed ne alios quidem, quamuis genere nobiles, ac deliciis olim assuetos, quidquam habere permisit: quin etiam quemquam è professa domo, apud Germanicum, Romanumúe Collegium, nisi admodum raro & iusta de causa, prohibuit vesci:

Quali ipse in se paupertatem seruârit.

ſci; quo nimirum, ſi opus eſſet iurare verius poſſet, nihil omnino ad ipſam domum ex Collegiorum fructibus perueniſſe.

Multis ille annis Romæ degens à ſacris Confeſſionibus Margaritæ Auſtriacæ, filiæ Caroli V. Imperatoris fuit, eratque princeps operibus pietatis ac miſericordiæ mirùm addicta, vnde ſæpiùs ad eum ducatos ducentos, trecentóſue illa miſſitare ſolebat, in pauperes ſuo iudicio erogandos: quid ni potuiſſet ille domui profeſſæ, non leui ex tempeſtate, pauperie preſſæ in cæteris ſuccurrere? atque opitulari? Poterat vtique, nunquam tamen vel obolum ſuis, licet reapſe valdè pauperibus, & afflictis decerpſit, quamuis bona & quidem primaria eò Principis inclinaret voluntas, ſed omnem in externos pauperes, piaque vrbis opera diuidi pecuniam volebat, ne quæſtum aliquando feciſſe pietatem, diceretur.

Cibi, potuſque fuit adeo parcus vt guſtatum penitus perdidiſſe videretur, niſi quando pauculis veſceretur caſtaneis, qui cibus in Italia pauperum & mendicorum eſt. Nulli vnquam ferculo, quamuis famelicus arriſit, nullum edulij, vel condimenti genus indixit, nihil vnquam inter edendum eſt queſtus: nihil denique ſibi propriè opponi eſt paſſus vnquam, & grauiter aliquando adminiſtrum puniit, quod vuæ racemum ſibi, præter cæteros attuliſſet.

Iam verò ſi, teſte Sirachide, *amictus corporis enunciat de homine*, Eccli. 19. quid toga modica, depexaque tunica de *Ignatio* prædicârint, cui in veſtitu ſemper paupertas placuit, ſordes nunquam, in aperto eſt.

Tales & ſuos optabat eſſe, vt in omnibus paupertatis amor tamquã matris emineret; cuſtodia, vt muri vigeret: æſtimatio, vt propugnaculi haberetur.

Quis pauper ſpiritu dicendus ſecundum Ignatium. Pauperem autem ſpiritu, inquit Ioannes Petrus Maffeius, eum ſibi aiebat videri, qui erga ea quibus vteretur, ſic eſſet affectus animo, vt inſtar ſtatuæ euiuſdam videretur eſſe, quæ nullo pacto reſiſtit, recuſatúe, quo minus omni, quamuis pretioſo amictu & ornatu confeſtim exuatur.

Sic docuit, ſic & vixiſſe viſus Ignatius fuit, nobis vtique in exemplum, ne ſecùs facientibus id dici poſſit, quod oris aurei græcus Eccleſiaſtes ſcriptum non incongruè reliquit, dum Ethnicorum exempla, noſtris meliora, exprobraſſe ſuis veritus non eſt: *Valdè defleo cum Græci* [ita paſſim ſolet Ethnicos appellare] *ſint ſapientiores nobis, qui iuſſi ſumus Angelos imitari: imò verò qui iuſſi ſumus Deum æmulari.* Quod ij faciant qui minimis ac pauciſſimis contenti. Sed timendum eſt, ne quibuſdam conueniat S. Dorothei querela, qua ſecùs agentes perſtringit: *Patres ſancti, inquiens, & maiores noſtri, ſibi ipſis mundum crucifigentes, per dura certamina, ſeſe quoque mundo crucifixerunt: Nos verò videmur nobis ipſis mundum crucifixiſſe, quia reliquimus eum, & ad monaſteria diuertimus: at noluimus, nos mundo crucifigere, adhuc enim in animo noſtro vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipſius affectum abſcondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis, & voluptatibus, compatimur ornamentis & veſtibus, ob viles, & inanes res delabimur plerumque ad priſtinas eius paſſiones. Quod ſanè non niſi ex amentia prouenit, vt qui pretioſas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur.* Ita ille.

S. Ioan. Chryſoſt.

S. Dorothei querela.

Inter paſſiones autem mundi, de quibus hic loquitur S. Dorotheus, eſt ingrata quædam mentis pœnitudo, qua vel porro in bene inchoatis pergere nolumus, vel veremur. Vtrique prudenter occurriſſe viſus Ignatius fuit, cùm, ſat gnarus fieri non rarò, vt ea, quæ à primis Fundatoribus bene ordinata fuerunt, per declarationes, vel innouationes, primo illorum ſpiritui minimè conſentaneas mutentur, atque innouentur, Profeſſos adſtringi voluit, ne ad innouationem conſtitutionum in iis, quæ ad paupertatem ſpectant, quidquam facturos ſe promittant: voti formula hæc eſt:

Inter pericula quæ paupertati imminent, duo præcipua. 1 Ne cum tempore laxetur.

S. Ignatius ſuis adſtringit voto de non laxanda paupertate.

est: *Promitto Deo omnipotenti nunquàm me acturum quacunque ratione, vel consensurum, vt quæ ordinata sunt, circa paupertatem in constitutionibus Societatis, immutentur: nisi quando ex causa iusta rerum exigentium, videretur paupertas magis restringenda.*

Periculum à vano timore ne desint necessaria. Atque ita priori satis periculo occurrisse visus est: venio ad alterum, quo, non semel expertus varios, tum ab auspicandis virtutum studiis, tum iisdem prosequendis, nescio quâ formidine deterreri, illam à suorum mentibus procul amoliri studuit, ad omnem ingressum atque egressum hæc verba vsurpando: *magis est metuendus timor paupertatis, quàm ipsa paupertas*, quibus id effecturum se *Apophthegmate suo bonum hic metiâ amoliri studuit Ignatius.* sperabat, vt præoccupato ante suorum iudicio, id euitandum decernetet, quod admissum semel difficulter admodum posset eradicari: contra verò, procul hinc facessere iusso meticuloso phantasmate, liber animus in paupertatem incumberet, quod aliàs vix tandem ac ne vix quidem effectum daret, quæ prædicta verba demonstrant.

Magis metuendus timor paupertatis, quàm ipsa paupertas.

Dictum aureum, ac viri sapientissimi *Explicatur Apophthegma.* prudens Apophthegma! quo & inimicorum insidiæ deteguntur, & humana industria prolicitur ad triumphum. Cùm enim inter animum nostrum & mali dæmonis tentationem, seu virtutis laborem singulare bellum intercedat, profectò ad palmam referendam plurimùm interest, excelsâ mente ad certamen descendere, & in aduersarium ramquàm infirmiorem & imbecilliorem prorúere, ne, dum antè animo cadimus, quàm corpore confligimus, & animo & corpore infeliciter prosternamur.

Ioan. Climacus Scala.1. Monuit id olim Ioannes Climacus Scala prima, vbi cùm docuisset odiosum sanè, periculique plenissimum, ab ipso statim conflictus ingressu flaccescere luctantem, est enim futuræ necis non obscurum argumentum: subdit opportunè: *cum gaudio & sine metu ad egregium istud certamen accingamur, inimicos nostros nullâ ratione formidantes: intuentur enim illi, etsi non videantur à nobis, animarum nostrarum vultus, & si illos viderint formidine contrahi, vel immutari, contra nos acerbiùs armantur: intelligunt enim versutissimi timorem nostrum. Magno igitur animo aduersus illos arma accipiamus: contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus praeualet oppugnando.*

An non istuc respexisse dixetis *Exemplum Christi.* Dominum Iesum Belli ducem ac principem nostrum, cum iam moriturus pergeret in Ierusalem, vt acerbissi nam pro hominum salute mortem oppeteret, de quo sic legitur scripsisse S. Lucas 9. 11. *Factum est* *Lucæ 9.11* *autem cùm complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem.* Vbi si quæras quid fuerit firmare faciem? Respondet Card. Caietanus: magnanimitatem, quam demonstrabat Christus, etiam exteriùs volendo ire in Ierusalem, describit Euangelista à firmitate faciei; prætendebat enim etiam in facie, animi constantiam & magnitudinem: quod & de eodemmet diuino pugnatore, Apocal. 6. 2. iuxta S. Ambrosij, in psal. 40. expositionem dicitur: *exiuit vincens, vt vinceret*: quomodò? inquies: Primum, *Apocal. 6.* quod, dum aliquem egregiâ alacritate & minaci vultu palæstram ingredi videmus, cum plausu dicimus, hic victor euadit. Deinde, exire dicitur vincens, vt vinceret, quod hostis timore debellato, eoque animi robore, & habitu, qui ei metum incuteret, ad certamen, victurus descenderet. Consultò proinde ac circumspectè vates Regius exclamasse legitur psal. 63. *A timore inimici eripe* *Psal. 63.1.* *animam meam.* Sed arguat fortasse *Cur Dauid à timore inimici, & non ab inimico liberari contendat.* non nemo, nonne breuius dixisset? *eripe ab inimico animam meam!* Vtique: sed alio sensu, qui Dauidicam imprudentiam parum decuisset: cur enim ipse ab inimico, cum quo viriliter decertaret, eripi petiisset? Bene ergo, *à timore inimici*: qui, vt homini ad perfectiotis vitæ institutum

 tendenti

tendenti maximè expediat, inimici tentationes,& oppugnationes sufferre, *marcet enim sine aduersario virtus*, ita inimicum oppugnantem, præsidiq́ue assultum non timerè, maximè consentaneum est rationi.

Idem intellexit Seneca ep. 13. Vidisse ad Romanum Philosophum mirabitur quispiam, sed qui Senecam ignorârit; non ego, qui viri genium noui, quem vel in tenebris non semel veritatem aspexisse in confesso est: sic itaque in rem præsentem loquitur epist. 13. *Plura sunt, quæ nos terrent, quàm premunt, & sæpiùs opinione, quam re laboramus.* Et post nonnulla: sumpta similitudine à bello, quod sæpiùs non tam reapse, quàm rumore falso sparso, & clamoribus celebrato confici solet: id ita confirmat: *plerumque suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, fama, multò autem magis singulos conficit: Ita est, mi Lucili, citò accedimus opinioni, non congruimus: illa quæ nos in metum adducunt, nec excutimus, sed trepidamus, & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos puluis motus, fuga pecorum exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit.* Bene igitur, cecinit Dauid, *non ab inimico. sed à timore inimici, nec à bello, sed à timore belli eripe me:* Quippe teste Tragædo: *Peior est bello, timor ipse belli.* (Seneca in Thyeste.) In Thyeste versu 571. Et in Hercule furente act. 2.

——quod metuunt nimis
Nunquàm amoueri posse, nec tolli putant.
Prona est timori, semper in peius fides.

(Idem in hercule furente.)

Alter Seneca ep 24. *Neque enim*, vt alter epist. 24. scripsit: *aliud in terris terribile est, præter ipsum timorem*; quod nescio quæ, olim deplorans fateri non erubuit:

Quando ego non timui grauiora pericula veris?

Nec rectè minus, quàm prudenter *Plinius* iunior obseruare visus est, in longissimo itinere, quod *Traianus* (Plinius Iunior.) Imperator confecit, dum inquit: *initium laboris mirer, an finem? multum est quod perseuerasti; plus tamen, quod non timuisti, ne perseuerare non posses.* Scitè; quia plus fuit, timorem laboris, quàm laborem ipsum nō timere.

Dicam ego ex mente S. Ignatij in rem nostram: plus est timorem paupertatis, quàm ipsam paupertatem non timere.

Sed quis est hic, & laudabimus eum? *ibi passim trepidamus timore, vbi non est timor.* (Psal. 13.) Et quot infelix hic timor in dies suppeditat? quod marsupia non claudir! ne vel teruntiùs, aut triens ex illis in manus egenorum eluctetur: & quare? ne Dominus aliquando incipiat egere: quot opibus suis incubantes surdis auribus illud. *vendite quæ possidetis & date pauperibus, ac sequamini me*, prætertire videntur. (Lucæ 12. 31.) hoc vnum veriti, ne ad vitam necessaria desint, necdum eguerunt aut esurierunt, & omni se bono minutos clamitant, vno id agente timore, quod nec factum est, nec fiet aliquando. vt *iustus derelinquatur, aut semen eius requirat panem*: (Psal. 36. 25.) iam sibi incumbere stolidi arbitrentur, malo hoc non ante liberandi, quàm vanum illum timorem superent, atque dispellant. (Diabolo resistendum.)

Resistite diabolo, inquit, Ἀδελφόθεος ille Iacobus Christi Apostolus primus Hierosolymorum Episcopus *& fugiet à vobis.* (Iacob 4. 7.) Ex natura *Crocodili* Apostolum illustro, quem sic depingit Seneca lib. 4. nat. qq. *Fugax animal, audacissimum timido.* (Seneca l. 4. q. natural.) Hæc diaboli natura, & artes ab Apostolo descriptæ. Leonem alius appellat sed qui teste *S. Bernardo, non nisi ad ianuam timoris terrificos dat rugitus*; (S. Bernard.) *cedere*, vt S. ait Ambrosius, *veræ solet virtuti, & si inuidere non desinat, tamen infestare formidat, quia frequentiùs formidat triumphari*: (S. Ambros.) quàm ad rem signatissimè facit, quod apud Hussitarum Principem Iobum cap. 4. iuxta 72. interpretum lectionem, diabolum legimus Myrmicoleonem appellari, (Diabolus Myrmicoleon. Iob 4.) vocabulo composito, ex formica & leone, cuius rationem S. Gregorius magnus lib. 5. Moralium cap. 17. in hunc modum exponit, *Formicis inquiens, leo est, volatilibus formica, quia* (S. Gregor. l. 5. moral. c. 17.)

nimi-

nimirum antiquus hostis, ficut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis: si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest, si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo Leo est, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant; spirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant. Sunt itaque adinstar dęmonis omnes virtutis difficultates atque labores, Myrmicoleones, quos si animosè & strenuè aggressus fueris pede virtute calcabis, sin autem ignauè & timidè susceperis, quasi leones nequiueris tolerare: ita de formicis Leones ignauia, ac timor: de Leonibus formicas facere solet intrepida fortitudo, quare tanti, vel Senecâ monente, putemus huc oculos intendere, & apparebit, quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta timeantur; ne, quod disertissimus Epictetus apud Arrianum prudenter aduertit, in nobis locum inueniat, dum vt cerui exterriti fugientes aliò nos vertimus, & quasi ad secura loca, in ipsa retia concedamus, ita permutantes non timenda timendis.

Quare timor abiiciendus!

Epicteti monitum prudentissimum.

Cuius rei momentum, si vsquam, præcipuè tamen in paupertatis regno locum inueniat necesse est, in quo non tam eius conceptus rigor, quàm timor, non tam modus, quàm metus, & ille, vulgo, inanis, priuatus constantiæ neruis, vanus, stolidus, qui animi abiectionem indicet, atque in pueris, fœminisque animaduerti solet, in viris reprehendi consueuit, quales illi, quos vmbram metuere, suam ait Plato, vel, vt dixit Aristoteles, præteruolitantes muscas formidare. Quod S. Augustinus in psal. 13.6. animaduertit, retulitque ad illos *Dauidicum* istud oraculum: *illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor*: quæ verba Chaldæus vertit: *ibi timuerunt timore mendacii, quo non decebat timere*: venustè sic appellans timorem vanum, falsum, fictitium, vno verbo, nihili timorem & idoli. Est enim diuinarum literarum consuetudo vocare mendacium & idolum, res vanas, nihil solidi habentes, quæque à ratione dissentiant, licèt in speciem boni quidpiam præ se ferre videantur.

S. August. in ps. 13 6.

Et hunc quidem timorem in bene multis est reperire, actionum præclarissimarum decora impedientem, & beatæ vitæ gloriosum statum affligentem. Plerique siquidem dum nimis metuunt paupertatem & incommodum familiæ, non sat, vt videtur, opulentæ, à beneficentia & subleuanda aliorum inopia reuocantur. In quos diuini Patres insurgere solent, & sapienti oratione castigare exiguam hominum spem, qui falso & inani metu, sæpe se vinci patiantur.

Error multorum castigatur.

Allj in beatæ vitæ cursu lentiores, pietatis laudem, gloriamque deserunt, atquè in bonis operibus tardantur, Deum vocantem deserunt, sequi contemnunt, ne non habeant, quo vitam tueantur, de quo quidem timore, quid aptiùs dici possit non video, quàm quod regius psaltes huiusmodi oggessit psal. 77. *Et malè locuti sunt de Deo, & dixerunt: nunquid poterit Deus parare mensam in deserto!* Verba impia, cuiusmodi nemo qui de prouidentia Dei senserit, quod oportet, ne cogitare quidem ausit; quare iute maximo S. olim Augustinus, qui id faciunt reprehendit in hunc modum. *Tu Christiano, tu Dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum! An putas, qui Christum pascit, à Christo ipso non pascitur? an putas, terrena deerunt quibus cælestia, & diuina tribuuntur? Vnde hæc incredula cogitatio? Quid faciat in domo Dei perfidum pectus?*

Inanis formido reprehenditur vt noxia.

Psal. 77.

S. August.

Calculum adiecit S. Hieronymus & euicit: *In promissis*, inquiens, *veritatis nemo dubitet. Sit homo qui esse debet. & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.* Vera & docta ratio: de qua, vtinam mihi dicere liceat, *scripta est stylo ferreo in vngue adamantino, exarata super latitudinem cordis nostri!* quàm bellè se haberent hîc omnia, quàm latè se

S. Hieron.

 pau-

paupertatis regnum extenderet! nec tanto passim odio diuina virtus laboraret.

Paupertas non est culpa huius rea, sed vanitas mentis nostra.

Sed eaue paupertatem huius culpæ ream facere, alienæ siquidem stultitiæ hanc noxam ex Ignatij sententia imputes velim. Timori sc. qui vanus non minùs quàm infidelis augur nos in has syrtes impellit, dum paupertatem, naturâ diuitem, & opulentam, quasi inopem & egenam: benè comitatam, quasi desertam: honoratam, quasi in gloriam: beatam, quasi miseram: honestam, quasi turpem: liberam, quasi seruam: illustrem, quasi obscuram: pretiosam: quasi vilem: validam ac robustam, quasi debilem atque infirmam mentitis coloribus depingens falsò atque inaniter timeri facit. Sed infusas virtuti labes, vanasque maculas diluamus.

Prou. 13. 7. Nihil paupertate ditius est: quam itaque hic timeas egestatem? *est quasi diues*, inquit Regum sapientissimus Salomon, *cùm nihil habeat, & est quasi pauper, tum in multis diuitiis sit.* Quisnam autem hîc dicitur diues nihil habens, nisi qui vniuersa propter Dominum relinquens moderato vsu contentus est: & quis pauper in multis diuitiis: nisi qui temporalia multa possidet, & tamen iis vti non audet, & auaritiâ possessus, ad plura coacernanda cogitur aspirare. Pauper itaque hic ditior est vel opulentissimo Cræso, quia iste semper eget, ille verò tamquàm omnia habens, nihil huius mundi concupiscit: Ibi, ergo, teste S. Ambrosio lib. 3. ep. 10. *abundantia est, vbi satietas: vbi autem fames cupiditatum, vbi inexplebilis appetentia, ibi vtique paupertas.*

S. Ambros. lib. 3 ep. 10.

Quod adeo manifestum dixerim, vt id Philosophi quoque solâ naturali luce exculti cognôrint, vnde factum, vt Diogenes, quos inter alios refert & admiratur Basilius se Alexandro totius propemodum orbis Domino ditiorem reputârit, quòd hic ad statum suum tam sublimem pluribus indigeret, ipse verò Philosophus paruo contentus viueret. Consentit Seneca epist. 10. *Cui cum paupertate, inquiens, bene conuenit, diues est. Non enim qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.*

Diogenes Alexandro ditior.

Consentit Seneca ep. 10.

S. Hieron. ep. ad Heliodor.

Quin mitto ista, & cum S. Hieronymo dico? *affatim diues est, qui cum Christo pauper est, quid timidè Christiani sumus? Sed malè comitatam paupertatem dixeris, & ab omnibus desertam, ac dignam quam metuas? Neutiquam profectò. An ille desertus, cui Deus ipse datur, qui sit illi loco patris & matris, fratrum ac sororum, reliquorumque omnium quæ Dei caussâ reliquit! nec solus quidem ille, licèt vel sic abundantissimè sufficiat, sed insuper plurimarum, maximarumque virtutum stipatus choro, cuiusmodi sunt compositæ mentis modestia, pax animi, Christiana demissio, viuidus ardor pietatis, sanctimonia maior, vacuitas ambitionis, furiosæ cupiditatis innocentia ac constans in Deum fiducia. Neque enim moueri debemus, si profani vulgò omnes, & qui mundi vanitatibus capiuntur à paupertate vt portento inauspicato refugiant: vt enim illi nullum habent gustum virtutis, ita quoque minimi faciendus hîc est stultus & puerilis eorum metus atque opinio.*

Vnde quàm procul ab omni probro atque ignominia abesse debeat paupertas luce clariùs esse existimo, vtpote quam & tantis impendiis filij Dei nobilitauit exemplum, qui teste Apostolo, cùm diues esset, factus est pro nobis egenus, quod profectò neque Dei verbum, Deique sapientia, & Deus ipse vnquam designasset, nisi & nobile, & Deo dignum cognouisset; & certè, vt anteà status ille infimus & abiectissimus fuisset, tamen vel solo eius exemplo illustrari, atque in summum honoris apicem eleuari potuisset.

Multò autem minùs Beatitudine sua eam quis spoliârit, quæ tanta est, vt nulli, in aliquo concedere debeat, aut cesserit quòd eo respiciat, aliquando. *O quanta*, inquit Hieronymus, *beatitudo, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debi-*

S. Bernard. ep. 103. debitorem? Breuius S. Bernardus ep. 103. *Amor paupertatis Reges constituit. Regnum denique cælorum pauperum est.* Cum regnum audimus, paupertati gloriosæ promissum, necesse est, vt præmium cogitemus omni exceptione maius, quod rei dignitatem, amplitudinemque declaret. & inuitet omnes ad tanti boni possessionem. Quod sanè cum animo suo reputabat S. Augustinus, & nimium quantum suspiciebat, & in eo situm beatitudinis apicem & gloriæ opinabatur, vnde illud prodiit mirantis animi dulce & diuinum acroama: *Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est,* & hanc vt vilem formidemus, ac seruam cum sola libera sit, fugiamus! quoniam cum auaritiæ & cupiditati non seruiat, non est à quo impediatur, quo minùs virtuti vacare, ac Deum sequi possit. De quo hæc pulchrè Lactantius Firmianus l.7.Inst.c.1. *Nemo virtuti fauet, nisi qui sequi potest: sequi autem non est facile omnibus: ij possunt, quos paupertas exercuit, & capaces virtutis effecit,* .....

S. August. Acroama de paupertate.

Lactantius l.7.Inst.c.1

Iam verò quis se ab illa destitui posse vereatur, quam viri grauissimi, sanctissimique nunc muri, nunc propugnaculi longè firmissimi nomine indigitârunt, quo cultores suos ab hostibus compluribus assiduè protegit, alit, atque defendit, vnde fit, vt cum alij labores manuum suarum manducent, pauperes laboribus manuum Christi vescantur. Fames ac sitis Christi emit illis, conditque cibaria. Christus suâ impellit gratiâ fideles ad benignè eis faciendum. Idem se fide-iussorem pro iis, imò vicarium constituit. Quæ dum versaret mente Hieronymus Natalis, tanquàm paupertati recens susceptæ, ex suo Christus calice stillam infudisset: nil mirum, si tantâ fuerit delibutus dulcedine, quantam exquisiti caducarum epularum sapores elaborare non possent: quo omnis &c. quo omnis ille paupertatis metus, quisquis vel ab hoste incussus, vel natur suggestus existere aliquando possit expelli, exstinguique natus erat.

Hieronym. Natalis vnde amore paupertatis incensus.

Sed & incidere nonnunquàm tempus solet, quo cæcus hic timor, non iam minari solùm nobis instituit, sed velut quoquo modo subactos possidere videtur, quando & Dei super nos vigilantia, & aliorum expensa constantia, ac proba subinde audita commonitio vsui esse possunt. Cui Franciscus Sacchinus Societatis nostræ probus ac legitimus historicus parte 3.lib.7. nu.177. sequenti narratiunculæ singularem faciet fidem.

Annus agebatur à conditâ salute suprà millesimum quingentesimus septuagesimus secundus, à Societate verò institutâ trigesimus secundus, cum socij in Iaponia, non Christianæ tantum serendæ fidei, propagandæque, sed etiam religiosæque disciplinæ conseruandæ, atque excolenda, ductu P. Francisci Capralis, qui cæteris præpositus erat, curam impendebant. Euangelicæ paupertatis inter cætera, siue instauratus, siue confirmatus est murus, Vt est, propè vulgaris illas per oras, sericarum vestium vsus paulatim inter eos quoque ad augendam religioni maiestatem valere opinantes, increbuerat. Quippe populum suorum Bonziorum splendida intueri corpora assuetum, peregrinæ religionis auctores in vili amiculo despecturum timebant. Hac re ad Principum quoque aures & animos accessus patere faciliores sperabant: quod si olim Franciscus Xauerius experiendo didicisset: Nec verò quicquam præter disciplinam committi, cum Societati non certus, sed qui honestorum est patriæ sacerdotum, sit cultus, & in totum quoque fas sit, tuendæ causa pietatis, religiosum ornatum dissimulare. Verum P. Capralis, nullum esse augustius religiosa paupertate ornamentum ratus, cui nihil in gentium conuersione timeri debeat cùm eo insignes Christi Saluatoris Apostoli, ante Reges & Principes Euangelium propagârint, hâc viâ, quam Christus quoque monstrasset, eundem

Timore paupertatis PP. in Iaponia seducti ad bonam mentem reuertuntur.

P. Franciscus Capralis verus paupertatis assertor.

dum docuit:subiungens Nequanam aut Bonzianam leuitatem imitandam aut lauandam vanis timoribus paupertatem sed obedientiæ virtute, quando id præciperetur; nitendum & confidendum, quando idem esset; qui paupertatem nobis commẽdaret quique hominum corda in manibus haberet Christus Dominus Xauerium, tamquam sacrum; non tamquam vulgarem adhibuisse interdum honestandæ personæ elegantiorem cultum, à quo statim vili suæ tuniculæ sese reddebat. Hæc atque alia id generans commemorans, vt minimè prauâ mente, sed recti specie abducti exerrârunt, omnes habuit in potestate, nec ægrè reduxit in viam, lineisque nigri coloris vestibus induit, omni timore posthabito, cuius ante vel nomen formidârant.

Bene igitur ac sapienter Ignatius: nequaquam pertimescenda paupertas est, si quis verò metus hinc animis nostris insederit, ab opinione potiùs, sed ea falsa & improba natus, fraudis suspectæque fidei titulo pellendus est, ne dum fortè hîc desidemus; Timor ille paupertatis nobis crescat in laqueum, & quod ipsamet paupertas, vt ante vidimus, omni facie iusti terroris libera, efficere nequeat, eius timor in nobis fallaciter operetur.

Claudo commentarium eisdem, quibus S. Hieronymus Heliodorum verbis sub finem epistolæ suæ aggressus est, vt si quis fortè Heliodori nepos, in hæc mea scripta aliquando incideret, vel serò veritati oculos recludat. S. Hieron. ep. ad Helio. de ...

Paupertatem times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambulas. Quotiescunque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lauare. Et breuiter ad cuncta audias Apostolum respondentem: non sunt condignæ passiones huius sæculi ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es frater, si & hîc vis gaudere cum sæculo, & postea regnare cum Christo. Perfecta charitas foras mittit timorem. Ioan. 1.4.18. Rom. 8. 18. 1. Ioan. 4. 18.

APOPTH-

APOPHTHEGMA TERTIVM.

CVm è familiaribus non nemo (Ludouicus is erat Gonsaluius) virum præstanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: Vir est multæ orationis: imò verò, mutatâ voce, inquit Ignatius, vir est multæ mortificationis.

Ribad. l. 5. c. 1. Maffeius l. 3. c. 2.

Commentarius.

Iudicium S. Ignatij de vera virtute.



SI à laudato viro laudari volupe est; quid erit super laudabili opere à virtute commendari? Viri quantumuis optimi, ac laudatissimi subinde fallit Iudicium; virtutis autem nunquam: certum id enim ac destinatum est semper, qualia in Israëlitico populo sanctuarij fuisse pondera, veteris instrumenti tabulæ loquuntur, iusta, inquam, atque omni fide exploratissima: tale, profectò, Iudicium hoc nostrum fuisse, quod S. Ignatius de solidæ perfectionis officio tulit, in confesso est, vt de eo, ad primum commentarij huius ingressum dicere possimus, quod de Tibure Romanæ fidicen lyræ cecinit aliquando lib. 1. ode 7.

Horatius l. 1. ode 7.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisúe Corinthi.
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe:
Sunt quibus vnum opus est: intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuò celebrare, &
Vndique decerptam fronti præponere oliuam:
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit cãpus opimæ
Quam Domus Albuneæ resonantis.

Ignatium non tam longa precandi assiduitas, aut excellens orationis spiritus, quàm generosior sui affecit victoria, quâ non eam modò, quæ in voluntaria corporis afflictatione, membrorumque vexatione consistit, sed multò etiam magis quæ in contumacium animi nostri motionum seueriore inhibitione sita est, intelligi, laudarique cupiebat. Licèt autem ipse piæ precationis laude præcelleret, semper tamen spiritum quem vocant mortificationis, spiritui speculationis antetulit, nam vt in eloquentiæ studio, cum ars & vsus ipse sit necessarius, longè plus tamen à sapientibus viris vsui, quàm præceptioni tribuitur; sic in parandis virtutibus, cum & commentario, & actio requirantur multò plus tamen agendo, & pugnando, quàm speculando, vel cogitando proficitur. Verum quidem est, perfectionem nostram essentialiter, non in mortificatione, sed charitate, atque amore summi Dei sitam esse, adeoque vnumquemque nostrum eò perfectiorem esse quò per charitatem illi magis vnitur: verum vt lapis v. g. sublimiori loco detentus, retinaculo sublato, quod illum violentè detinebat, statim deorsum ad locum naturalem defertur; sic animus noster, substantia spiritualis, prauarum cupiditatum sublatis remoris, statim diuino fultus auxilio, in Deum fertur, eique per charitatem coniungitur, iuxta solenne magni *Augustini* effatum: *augmentum charitatis, diminutio*

Quomodo mortificatio iuuet caritatem.

S. August.

nutio est cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas. Vt enim aurum puriùs & clariùs fit, quò scoria eius ardentioribus flammis magis magisque excoquitur: sic & diuinus Amor auctior fit, atque perfectior quò inordinata illa nostri ipsius dilectio infringitur magis, quâ denique vel seueriore studio exstincta, vel certè diminuta, AmorDei perfectus incipit apparere.

Mens illa *S. Hieronymi* fuit, cuius hoc scitum omni laude dignissimum celebratur: *tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris:* quod idem ipse sacer Doctor, hæc verba Hussitarum Reguli commentatus: *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*, aptâ similitudine explanat: Vti, inquiens, terra, quæ rastro proscinditur, mox conseri, & fructus producere solet; quandò autem sibi relinquitur, & carduis, ac sterili lolio vestitur, quiescere dicitur; contrà verò cùm denuò conseritur, & aratur, laborare fertur: sic & de terra cordis nostri loquendum est, dum quis secundum desideria, & concupiscentias suas viuit, exultare is. & viuere suauiter dicitur, nec est sapientia cum illo: inuenitur autem in terra eorum, qui concupiscentias suas domant, sibique acriter imperant & aduersantur.

S. Hieron.

Iob 28. 13.

Simile.

Vnde communi Sanctorum calculo comprobari aiunt, si quantum in virtute profeceris, nosse velis, quã in tui coërcitione promoueris, attendendum esse, quid humilitatis ac sapientiæ acquisiueris, non autem quanto inter orandum gustu, affici, quo sensu duci consueueris. Norat id planeque perspexerat magnus ille Lætiensium Abbas præclarus formandis moribus magister Ludouicus Blosius, qui Dei seruum, quem seuerior cupiditatum inhibitio excoxit, maturo, ac gustus suauissimi racemo similem esse dicebat; alium verò quẽ animi sui affectio captiuum tenet, labruscæ, duro illi ac nullius saporis fructui comparabat, qui ori dominico, non dulcem elaborare saporem sed amarum solet ingerere tormentum, iuxta veterem Isaiæ super Israë-

Vnde quis agnoscere queat se profecisse in virtute.

Ludouicus Blosius quid senserit de profectu in virtute.

le querelam, *exspectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas.* Isaiæ 5. 4.

O sanctam, Deoque gratam motionum animi domitricem constantiam! quantis hominem commodis, quantis auspiciis beas! dum veræ, perfectæque virtutis candidatum facis!

Sed neque hic finis: vltrà progreditur, dum hominem suum desperatissimis periculis exemptum, in placidissimo portu, vel potiùs arce quadam munitissimâ constituit: vnde S. Ignatium dicere solitum non rarò, accepimus, se diuturni temporis experientia doctum, de centum, qui perfectioris vitæ medullam non in affectionum suarum coërtione, suique vincendi cura; sed in prolixiore diuinarum rerum commentatione quæritant, minimùm nonaginta, præfractos nimis ac duros fieri & in proprio sensu pertinaces, suâ ipsorum culpâ id promerente, vt venenum inde hauriant, vnde præsentissimam morborum omnium accipere debuissent medicinam, dum quidquid in oratione sentiunt, sibi à Deo immissum putant, sensumque suum, sensum esse Dei, à quo discedere nefas sit, itaque & sentiendi regulam, & agendi sensum quem habent in oratione, certissimam statuentes, ad quam omnes vitæ actiones perperam dirigant. In quo sæpissimè falluntur: dum suum non rarò iudicium sequuntur, atque animi impetum pro instinctu diuino habent, vitiumque naturæ, speciosa quidem, sed falsa excusatione tegunt, caduntque frequenter in maximos errores, quibus orationi, rei alioquin sanctissimæ, ac humano generi vtilissimæ infamiam inferunt apud imperitos, existimantes id rei esse vitium, non personæ. Neque enim ad sensum nostrum detorquere, sed è contrario, sensus, cogitationesque nostras ad rectissimam fidei ac SS. Patrum normam exigere debemus.

Iudicium S. Ignatii de vera perfectione.

Quæ res vna de principibus fuit, quæ eundem S. Ignatium solicitum habuit non semel, ne, scilicet, aliquando

Maius momentum in mortificatione quàm oratione ponendum.

quando

quando in Societate, quam fundauerat, modus ad perfectionem tendendi à se positus, per validam motuum animi coërtionem, ad solam orationis exercitationem migraret: atque ita ex consequenti frustrà foret.

Exemplum Ignatij. Tantò siquidem maius, ac certius sapientissimus legislator, in mortificatione, præ oratione momentum latere arbitrabatur, quantò magis aduerterat, id passim ab hominibus ignorari.

Quocirca in omnibus, potissimum autem doctis & honoratis, sui contemptum, omnisque fastus, existimationis, ac proprij iudicij conculcationem, atque victoriam, longis precationibus anteponebat.

Atque hinc solenne illi erat, vti à plurimis obseruatum est, in domesticis passim exhortationibus, quas non infrequenter ad suos facere solebat, idem inculcare, quarum argumentum pro more ab impotentiam animi motuum inhibitione, ab interioris hominis reformatione, voluntatis propriæ ad pedem Crucis depositione, aliisque similibus lubens sumebat. Sed nec his facilè acquiescens, in communi passim colloquio, quod semper aut de Deo, siue ad Deum instituere solebat, nihil frequentiùs in ore habebat.

Nec opere minus, quàm verbo hanc spartam adornasse visus fuit, quod solidè prudentis esse, ætas omnis vbique gentium iudicauit.

P. Hieronymus natalis petit produci horam orationis in Soc. Hieronymus erat Natalis, qui vnus suis virtutibus, animique dotibus multorum præstantiam æquabat, vnde & in regenda Societate B. Ignatio Adiutor electus est, & promulgandis per Prouincias Constitutionibus impensus; hic talis, tantusque ad S. Patrem accesserat, vt, quæ opinandi, ac sentiendi cuique libertas est, illo annuente orationis hora in Societate protraheretur, non enim videri tam breue, ac succinctum tempus ad ineundum cum Deo Domino colloquium, mentem posse explere.

Negat Ignatius. Offensus Ignatius, qui probè norat quid sibi super ea re cum cælesti magistro conuenerat, Hieronymo in hæc verba respondit: *verè mortificato, sufficit quadrans ad se colligendum,* Documentum nobile, tantaque auiditate, & fide à S. Francisco Xauerio, viro vtique ingenij magni, & spiritus longè maioris acceptum, vt, nec ipse quid aliud crebrius sociis per Indiam sparsis, quibus cum potestate præerat, inculcaret, nec magis cordi sibi esse reipsa ostenderet, quàm sui ipsius mortificationem, paucis illis verbis, plus solitus efficere, quàm, si vel plurimis libris in lucem editis, aut copiosis eorum discursibus lectorem obruisset.

Plurimum quidem Franciscus orationi tribuebat magnique semper æstimare solitus erat, vtpote cui multas noctis horas dare vigil consueuerat, sed nullius sanctimoniam eo exercitio metiebatur, nec perfectiorem illum habebat, qui diutiùs in ea se occuparet, sed qui generosius contumaces animi motiones edomaret; quo sæpè numero fieri solet, vt ad sublimiùs orationis genus homo euehatur, quemadmodum in *Christophoro Gonsaluo* Societatis Iesu Sacerdote, luce clariùs datum est perspexisse. Magnis hic naturæ, gratiæque donis à Deo præditus erat, eruditione, prudentiâ, zelo, aliisque erat insignis, præcipuè tamen excellentis dono orationis instructus, quod cùm Ludouicus de Ponte ex eadem Societate vir eximius cognouisset, virum adiit, quæsitque ex eo, quando, & quâ ratione Deus illi tam excelsæ orationis donum impertiuisset? respondit: cùm statuisset magno animo heroicùm quoddam opus, quod à Deo sibi immissum acceperat, exsequi, exstinguendi, scilicet, inanem gloriam in materiâ literaria nidificantem, in hac potissimum ratione aggressum esse: quærebat non rarò, quod probè norat: ad primam sui argumenti responsionem tacebat, velut nihil haberet aliud quod opponere posset, non contendebat sicut alij, vt vicisse videantur, nec prote-

Sui mortificatione venitur ad donū perfectæ orationis. *In vita P. Balth c. 27*

rue

ſci : quo nimirum, ſi opus eſſet iurare verius poſſet, nihil omnino ad ipſam domum ex Collegiorum fructibus perueniſſe.

Multis ille annis Romæ degens à ſacris Confeſſionibus Margaritæ Auſtriacæ, filiæ Caroli V. Imperatoris fuit, eratque princeps operibus pietatis ac miſericordiæ mirùm addicta, vnde ſæpiùs ad eum ducatos ducentos, trecentóſue illa miſſitare ſolebat, in pauperes ſuo iudicio erogandos: quid ni potuiſſet ille domui profeſſæ, non leui ex tempeſtate, pauperie preſſæ in cæteris ſuccurrere? atque opitulari? Poterat vtique, nunquam tamen vel obolum ſuis, licet reapſe valdè pauperibus, & afflictis decerpſit, quamuis bona & quidem primaria eò Principis inclinaret voluntas, ſed omnem in externos pauperes, piaque vrbis opera diuidi pecuniam volebat, ne quæſtum aliquando feciſſe pietatem, diceretur.

Cibi, potuſque fuit adeo parcus vt guſtatum penitus perdidiſſe videretur; niſi quando pauculis veſceretur caſtaneis, qui cibus in Italia pauperum & mendicorum eſt. Nulli vnquam ferculo, quamuis famelicus arriſit, nullum edulij, vel condimenti genus indixit, nihil vnquam inter edendum eſt queſtus : nihil denique ſibi propriè opponi eſt paſſus vnquam, & grauiter aliquando adminiſtrum puniit, quod vuæ racemum ſibi, præter cæteros attuliſſet.

Iam verò ſi, teſte Sirachide, *amictus corporis enunciat de homine*, Eccli. 19. quid toga modica, depexaque tunica de *Ignatio* prædicârint, cui in veſtitu ſemper paupertas placuit, ſordes nunquam, in aperto eſt.

Eccli. 19.

Tales & ſuos optabat eſſe, vt in omnibus paupertatis amor tamquã matris emineret : cuſtodia, vt muri vigeret : æſtimatio, vt propugnaculi haberetur.

Quis pauper ſpiritu dicendus ſecundum Ignatium.

Pauperem autem ſpiritu, inquit Ioannes Petrus Maffeius, eum ſibi aiebat videri, qui erga ea quibus vteretur, ſic eſſet affectus animo, vt inſtar ſtatuæ cuiuſdam videretur eſſe, quæ nullo pacto reſiſtit, recuſatúe, quo minus omni, quamuis pretioſo amictu & ornatu confeſtim exuatur.

Sic docuit, ſic & vixiſſe viſus Ignatius fuit, nobis vtique in exemplum, ne ſecùs facientibus id dici poſſit, quod oris aurei græcus Eccleſiaſtes ſcriptum non incongruè reliquit, dum Ethnicorum exempla, noſtris meliora, exprobraſſe ſuis veritus non eſt : *Valdè defleo cum Græci* [ita paſſim ſolet Ethnicos appellare] *ſint ſapientiores nobis, qui iuſſi ſumus Angelos imitari : imò verò qui iuſſi ſumus Deum æmulari.* Quod ij faciant qui minimis ac pauciſſimis contenti. Sed timendum eſt, ne quibuſdam conueniat S. Dorothei querela, qua ſecùs agentes perſtringit: *Patres ſancti*, inquiens, *& maiores noſtri, ſibi ipſis mundum crucifigentes, per dura certamina, ſeſe quoque mundo crucifixerunt : Nos verò videmur nobis ipſis mundum crucifixiſſe, quia reliquimus eum, & ad monaſteria diuertimus: at noluimus, nos mundo crucifigere, adhuc enim in animo noſtro vigent blanditiæ illius, adhuc in nobis ipſius affectum abſcondimus. Compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis, & voluptatibus, compatimur ornamentis & veſtibus, ob viles & inanes res delabimur plerumque ad priſtinas eius paſſiones. Quod ſanè non niſi ex amentia prouenit, vt qui pretioſas & magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur.* Ita ille.

S. Ioan. Chryſoſt.

S. Dorothei querela.

Inter paſſiones autem mundi, de quibus hic loquitur S. Dorotheus, eſt ingrata quædam mentis pœnitudo, qua vel porro in bene inchoatis pergere nolumus, vel veremur. Vtrique prudenter occurriſſe viſus Ignatius fuit, cùm, ſat gnarus fieri non rarò, vt ea, quæ à primis Fundatoribus bene ordinata fuerunt, per declarationes, vel innouationes primo illorum ſpiritui minimè conſentaneas mutentur, atque innouentur, Profeſſos adſtringi voluit, ne ad innouationem conſtitutionum in iis, quæ ad paupertatem ſpectant, quidquam facturos ſe promittant : voti formula hæc eſt :

Inter pericula quæ paupertati imminent, duo præcipua

1 Ne cum tempore laxetur.

S. Ignatius ſuis adſtringit voto de non laxanda paupertate.

est: *Promitto Deo omnipotenti nunquàm me affuturum quacunque ratione, vel consensurum, vt quæ ordinata sunt, circa paupertatem in constitutionibus Societatis, immutentur: nisi quando ex causa iusta rerum exigentium, videretur paupertas magis restringenda.*

2. Periculum à vano timore ne desint necessaria.

Atque ita priori satis periculo occurrisse visus est: venio ad alterum, quo, non semel expertus varios, tum ab auspicandis virtutum studiis, tum iisdem prosequendis, nescio quâ formidine deterreri, illam à suorum mentibus procul amoliri studuit, ad omnem ingressum atque egressum hæc verba vsurpando: *magis est metuendus timor paupertatis, quàm ipsa paupertas*, quibus id effecturum se

Apophthegmate suo bonum hûc metû amoliri studuit Ignatius.

sperabat, vt præoccupatò ante suorum iudicio, id euitandùm decerneret, quod admissum semel difficulter admodum posset eradicari: contra verò, procul hinc facesserè iusso meticuloso phantasmate, liber animus in paupertatem incumberet, quod alias vix tandem ac ne vix quidem effectum daret, quæ prædicta verba demonstrant.

Magis metuendus timor paupertatis, quàm ipsa paupertas.

Explicatur Apophthegma.

Dictum aureum, ac viri sapientissimi prudens Apophthegma! quo & inimicorum insidiæ deteguntur, & humana industria prolicitur ad triumphum. Cùm enim inter animum nostrum & mali dæmonis tentationem, seu virtutis laborem singulare bellum intercedat, profectò ad palmam referendam plurimùm interest, excelsâ mente ad certamen descendere, & in aduersarium tamquàm infirmiorem & imbecilliorem prorùere, ne, dum antè animò cadimus, quàm corpore confligimus, & animò & corpore infeliciter prosternamur.

Ioan. Climacus Scal. 1.

Monuit id olim Ioannes Climacus Scala prima, vbi cùm docuisset odiosum sanè, periculique plenissimum, ab ipso statim conflictus ingressu flaccescere luctantem, est enim futuræ necis non obscurum argumentum: subdit opportunè: *cum gaudio & sine metu ad egregium istud certamen accingamur, inimicos nostros nullâ ratione formidantes: intuentur enim illi, etsi non videantur à nobis, animarum nostrarum vultus, & si illos viderint formidine contrahi, vel immutari, contra nos acerbiùs armantur: intelligunt enim versutissimi timorem nostrum. Magno igitur animo aduersus illos arma accipiamus: contra eum enim, qui alacriter pugnat, nullus prævalet oppugnando.*

Exemplum Christi.

An non istuc respexisse dixeris Dominum Iesum Belli ducem ac principem nostrum, cum iam moriturus pergeret in Ierusalem, vt acerbissimam pro hominum salute mortem oppeteret, de quo sic legitur scripsisse S. Lucas 9. 51. *Factum est autem cùm complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem.* Vbi si quæras quid fuerit firmare faciem? Respondet Card. Caietanus: magnanimitatem, quam demonstrabat Christus, etiam exteriùs volendo ire in Ierusalem, describit Euangelista à firmitate faciei; prætendebat enim etiam in facie, animi constantiam & magnitudinem: quod & de eodemmet diuino pugnatore, Apocal. 6. 2. iuxta S. Ambrosij, in psal. 40. expositionem dicitur: *exiuit vincens, vt vinceret*: quomodò? inquies: Primum, quod, dum aliquem egregiâ alacritate & minaci vultu palæstram ingredi videmus, cum plausu dicimus, hic victor euadit. Deinde, exire dicitur vincens, vt vinceret, quod hostis timore debellato, eoque animi robore, & habitu, qui ei metum incuteret, ad certamen, victurus descenderet. Consultò proinde ac circumspectè vates Regius exclamasse legitur psal. 63. *A timore inimici eripe animam meam.* Sed arguat fortasse non nemo, nonne breuius dixisset? *eripe ab inimico animam meam!* Vtique: sed alio sensu, qui Dauidicam prudentiam parum deceuisset: cur enim ipse ab inimico, cum quo viriliter decertaret, eripi petiisset? Bene ergo, *à timore inimici*: qui, vt homini ad perfectioris vitæ institutum

Luc. 9. 51.

Apocal. 6.

Psal. 63. 1.

Cur Dauid à timore inimici, & non ab inimico liberari contendat.

tendenti maximè expediat, inimici tentationes, & oppugnationes sufferre, *marcet enim sine aduersario virtus*, ita inimicum oppugnantem, præliúque assultum non timere, maximè consentaneum est rationi.

Idem intelligit Senecam ep. 13. Vidisse ad Romanum Philosophum mirabitur quispiam, sed qui Senecam ignorârit; non ego, qui viri genium noui, quem vel in tenebris non semel veritatem aspexisse in confesso est: sic itaque in rem præsentem loquitur epist. 13. *Plura sunt, quæ nos terrent, quàm premunt, & sæpiùs opinione, quam re laboramus.* Et post nonnulla: sumpta similitudine à bello, quod sæpiùs non tam reapse, quàm rumore falso sparso, & clamoribus celebrato confici solet: id ita confirmat: *plerumque suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa, quæ conficere bellum solet, fama, multò autem magis singulos conficit: Ita est, mi Lucili, citò accedimus opinioni, non congruimus: illa quæ nos in metum adducunt, nec excutimus, sed trepidamus, & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos puluis motus, fuga pecorum exuit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit.* Bene igitur, cecinit Dauid, *non ab inimico, sed à timore inimici, nec à bello, sed à timore belli eripe me:* Quippe teste Tragædo:

Seneca in Thyeste. *Peior est bello, timor ipse belli.* In Thyeste versu 571. Et in Hercule furente act. 2.

Idem in hercule furente.

—— *quod metuunt nimis*
Nunquàm amoueri posse, nec tolli putant.
Prona est timori, semper in peius fides.

Alter Seneca ep. 24 *Neque enim*, vt alter epist. 24. scripsit: *aliud in terris terribile est, præter ipsum timorem*; quod nescio quæ, olim deplorans fateri non erubuit:

Quando ego non timui grauiora pericula veris?

Nec rectè minus, quàm prudenter *Plinius* iunior obseruare visus est, in longissimo itinere, quod *Traianus* Imperator confecit, dum inquit: *initium laboris mirer, an finem? multum est quod perseuerasti; plus tamen, quod non timuisti, ne perseuerare non posses.* Scite; quia plus fuit, timorem laboris, quàm laborem ipsum nō timere.

Plinius Iunior.

Dicam ego ex mente S. Ignatij in rem nostram: plus est timorem paupertatis, quàm ipsam pauperratem non timere.

Sed quis est hic, & laudabimus eum? *ibi passim trepidamus timore, vbi non est timor.* Psal. 13. 5. Et quot infelix hic timor in dies suppeditat? quod marsupia non claudit! ne vel teruntius, aut triens ex illis in manus egenorum eluctetur: & quare? ne Dominus aliquando incipiat egere: quot opibus suis incubantes surdis auribus illud, *vendite quæ possidetis & date pauperibus, ac sequamini me*, præterire videntur. hoc vnum veriti, ne ad vitam necessaria desint, needum eguerunt aut esurierunt, & omni se bono minutos clamitant, vno id agente timore, quod nec factum est, nec fiet aliquando. vt *iustus derelinquatur, aut semen eius requirat panem*: iam sibi incumbere stolidi arbitrentur, malo hoc non ante liberandi, quàm vanum illum timorem superent, atque dispellant. Lucæ 12. 33. Psal. 36. 25

Diabolo resistendum. Iacobi 4. 7.

Resistite diabolo, inquit, Ἀδελφόθεος ille Iacobus Christi Apostolus primus Hierosolymorum Episcopus *& fugiet à vobis.* Ex natura *Crocodili* Apostolum illustro, quem sic depingit Seneca lib. 4. nat. qq. *Fugax animal, audacissimum timido.* Hæc diaboli natura, & artes ab Apostolo descriptæ. Leonem alius appellat sed qui teste *S. Bernardo, non nisi ad ianuam timoris terrificos dat rugitus; cedere*, vt S. ait Ambrosius, *veræ solet virtuti, & si inuidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentiùs formidat triumphari*: quàm ad rem significantissimè facit, quod apud Hussitarum Principem Iobum cap. 4. iuxta 72. interpretum lectionem, diabolum legimus Myrmicoleonem appellari, vocabulo composito, ex formica & leone, cuius rationem S. Gregorius magnus lib. 5. Moralium cap. 17. in hunc modum exponit, *Formicis.* inquiens, *leo est, volatilibus formica, quia nimi-*

Seneca l. 4. qq naturalium. S. Bernard. S. Ambrosius. Diabolus Myrmicoleon. Iob 4. S. Gregor. l. 5 moral. c. 17.

nimirum antiquus hostis, ficut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis: si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest, si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo Leo est, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant; spirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant. Sunt itaque adinstar dæmonis omnes virtutis difficultates atque labores, Myrmicoleones, quos si animosè & strenuè aggressus fueris pede virtute calcabis, sin autem ignauè & timidè susceperis, quasi leones nequiueris tolerare: ita de formicis Leones ignauia, ac timor: de Leonibus formicas facere solet intrepida fortitudo, quare tanti, vel Senecâ monente, putemus huc oculos intendere, & apparebit, quàm breuia, quàm incerta, quàm tuta timeantur; ne, quod disertissimus Epictetus apud Arrianum prudenter aduertit, in nobis locum inueniat, dum vt cerui exterriti fugientes aliò nos vertimus, & quasi ad secura loca, in ipsa retia concedamus, ita permutantes non timenda timendis.

Quare timor abijciendus!

Epicteti monitum prudentissimum.

Cuius rei momentum, si vsquam, præcipuè tamen in paupertatis regno locum inueniat necesse est, in quo non tam eius conceptus rigor, quàm timor, non tam modus, quàm metus, & ille, vulgo, inanis, priuatus constantiæ neruis, vanus, stolidus, qui animi abiectionem indicet, atque in pueris, fœminisque animaduerti solet, in viris reprehendi consueuit, quales illi, quos vmbram metuere, suam ait Plato, vel, vt dixit Aristoteles, præteruolitantes muscas formidare. Quod S. Augustinus in psal. 13.6. animaduertit, retulitque ad illos *Dauidicum* istud oraculum: *illic trepidauerant timore, vbi non erat timor*: quæ verba Chaldæus vertit: *ibi timuerunt timore mendacij, quo non decebat timere*: venustè sic appellans timorem vanum, falsum, fictitium, vno verbo, nihili timorem & idoli. Est enim diuinarum literarum consuetudo vocare mendacium & idolum, res vanas, nihil solidi habentes, quæque à ratione dissentiant, licèt in speciem boni quidpiam præ se ferre videantur.

S. August. in ps. 13 6.

Et hunc quidem timorem in bene multis est reperire, actionum præclarissimarum decora impedientem, & beatæ vitæ gloriosum statum affligentem. Plerique siquidem dum nimis metuunt paupertatem & incommodum familiæ, non sat, vt videtur, opulentæ, à beneficentia & subleuanda aliorum inopia reuocantur. In quos diuini Patres insurgere solent, & sapienti oratione castigare exiguam hominum spem, qui falsò & inani metu, sæpe se vinci patiantur.

Error multorum castigatus.

Allj in beatæ vitæ cursu lentiores, pietatis laudem, gloriamque deserunt, atque in bonis operibus tardantur, Deum vocantem deserunt, sequi contemnunt, ne non habeant, quo vitam tueantur, de quo quidem timore, quid aptiùs dici possit non video, quàm quod regius psaltes huiusmodi oggessit psal. 77. *Et malè locati sunt de Deo, & dixerunt: nunquid poterit Deus parare mensam in deserto!* Verba impia, cuiusmodi nemo qui de prouidentia Dei senserit, quod oportet, ne cogitare quidem ausit; quare iure maximo S. olim Augustinus, qui id faciunt reprehendit in hunc modum: *Tu Christiano, tu Dei seruo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo caro aliquid existimas defuturum! An putas, qui Christum pascit, à Christo ipso non pascitur? an putas, terrena deerunt quibus cælestia, & diuina tribuantur? Vnde hæc incredula cogitatio? Quid faciat in domo Dei perfidum pectus?*

Inanis formido reprehenditur vt noxia.

Psal. 77.

S. August.

Calculum adiecit S. Hieronymus & euicit: *In promissis*, inquiens, *veritatis nemo dubitet. Sit homo qui esse debet. & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.* Vera & docta ratio: de qua, vtinam mihi dicere liceat, *scripta est stylo ferreo in vngue adamantino, exarata super latitudinem cordis nostri!* quàm bellè se haberent hîc omnia, quàm latè se pau-

S. Hieron.

paupertatis regnum extenderet! nec tanto passim odio diuina virtus laboraret.

Paupertas non est culpa huius rea, sed vanitas mentis nostra.

Sed caue paupertatem huius culpæ ream facere, alienæ siquidem stultitiæ hanc noxam ex Ignatij sententia impures velim. Timori sc. qui vanus non minùs quàm infidelis augur nos in has syrtes impellit, dum paupertatem, naturâ diuitem, & opulentam, quasi inopem & egenam: benè comitatam, quasi desertam: honoratam, quasi in gloriam: beatam, quasi miseram: honestam, quasi turpem: liberam, quasi seruam: illustrem, quasi obscuram: pretiosam: quasi vilem: validam ac robustam, quasi debilem atque infirmam mentitis coloribus depingens falsò atque inaniter timeri facit. Sed infusas virtuti labes, vanasque maculas diluamus.

Prou. 13.7.

Nihil paupertate ditius est: quam itaque hîc timeas egestatem? *est quasi diues*, inquit Regum sapientissimus Salomon, *cùm nihil habeat, & est quasi pauper, tum in multis diuitiis sit.* Quisnam autem hîc dicitur diues nihil habens, nisi qui vniuersa propter Dominum relinquens moderato vsu contentus est: & quis pauper in multis diuitiis: nisi qui temporalia multa possidet, & tamen iis vti non audet, & auaritiâ possessus, ad plura coacernanda cogitur aspirare. Pauper itaque hic ditior est vel opulentissimo Cræso, quia iste semper eget, ille verò tamquàm omnia habens, nihil huius mundi concupiscit: Ibi, ergo, teste S. Ambrosio lib. 3. ep. 10. *abundantia est, vbi satietas: vbi autem fames cupiditatum, vbi inexplebilis appetentia, ibi vtique paupertas.*

S. Ambros. lib. 3 ep. 10.

Quod adeo manifestum dixerim, vt id Philosophi quoque solâ naturali luce exculti cognôrint, vnde factum, vt Diogenes, quos inter alios refert & admiratur Basilius se Alexandro totius propemodum orbis Domino ditiorem reputârit, quòd hic ad statum suum tam sublimem pluribus indigeret, ipse verò Philosophus paruo contentus viueret. Consentit

Diogenes Alexandro ditior.

Consentit Seneca ep. 10.

Seneca epist. 10. *Cui cum paupertate,* inquiens, *bene conuenit, diues est. Non enim qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.*

S. Hieron. ep. ad Heliodor.

Quin mitto ista, & cum S. Hieronymo dicó? *affatim diues est, qui cum Christo pauper est, quid timidè Christiani sumus? Sed malè comitatam paupertatem dixeris, & ab omnibus desertam, ac dignam quam metuas? Neutiquam profectò. An ille desertus, cui Deus ipse datur, qui sit illi loco patris & matris, fratrum ac sororum, reliquorumque, omnium quæ Dei caussâ reliquit! nec solus quidem ille, licèt vel sic abundantissimè sufficiat, sed insuper plurimarum, maximarumque virtutum stipatus choro, cuiusmodi sunt compositæ mentis modestia, pax animi, Christiana demissio, viuidus ardor pietatis, sanctimonia maior, vacuitas ambitionis, furiosæ cupiditatis innocentia ac constans in Deum fiducia. Neque enim moueri debemus, si profani vulgò omnes, & qui mundi vanitatibus capiuntur à paupertate vt portento inauspicato refugiant: vt enim illi nullum habent gustum virtutis, ita quoque minimi faciendus hîc est stultus & puerilis eorum metus atque opinio.*

Vnde quàm procul ab omni probro atque ignominia abesse debeat paupertas luce clariùs esse existimo, vtpote quam & tantis impendiis filij Dei nobilitauit exemplum, qui teste Apostolo, cùm diues esset, factus est pro nobis egenus, quod profectò neque Dei verbum, Deique sapientia, & Deus ipse vnquam designasset, nisi & nobile, & Deo dignum cognouisset: & certè, vt anteà status ille infimus & abiectissimus fuisset, tamen vel solo eius exemplo illustrari, atque in summum honoris apicem eleuari potuisset.

Multò autem minùs Beatitudine sua eam quis spoliârit, quæ tanta est, vt nulli, in aliquo concedere debeat, aut cesserit quòd eo respiciat, aliquando. *O quanta*, inquit Hieronymus, *beatitudo, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debi-*

S. Bernard. ep. 103. *debitorem?* Breuius S. Bernardus ep. 103. *Amor paupertatis Reges constituit. Regnum denique cælorum pauperum est.* Cum regnum audimus, paupertati gloriosæ promissum, necesse est, vt præmium cogitemus omni exceptione maius, quod rei dignitatem, amplitudinemque declaret, & inuitet omnes ad tanti boni possessionem. Quod sanè cum animo suo reputabat S. Augustinus, & nimium quantum suspiciebat, & in eo situm beatitudinis apicem & gloriæ opinabatur, vnde illud prodiit mirantis animi dulce & diuinum acroama: *Magnæ felicitatis est conditio Christianorum, quibus claritudo regni in paupertate posita est,* & hanc vt vilem formidemus, ac seruam cum sola libera sit, fugiamus! quoniam cum auaritiæ & cupiditati non seruiat, non est à quo impediatur, quo minùs virtuti vacare, ac Deum sequi possit. De quo hæc pulchrè Lactantius Firmianus l.7 Inst. c. 1. *Nemo virtuti fauet, nisi qui sequi potest: sequi autem non est facile omnibus: ij possunt, quos paupertas exercuit, & capaces virtutis effecit.*

S. August. Acroama de paupertate.

Lactantius l.7. Inst. c. 1

Iam verò quis se ab illa destitui posse vereatur, quam viri grauissimi, sanctissimique nunc muri, nunc propugnaculi longè firmissimi nomine indigitârunt, quo cultores suos ab hostibus compluribus assiduè protegit, alit, atque defendit, vnde fit, vt cum alij labores manuum suarum manducent, pauperes laboribus manuum Christi vescantur. Fames ac sitis Christi emit illis, conditque cibaria. Christus suâ impellit gratiâ fideles ad benignè eis faciendum. Idem se fide-iussorem pro iis, imò vicarium constituit. Quæ dum versaret mente Hieronymus Natalis, tanquàm paupertati recens susceptæ, ex suo Christus calice stillam infudisset: nil mirum, si tantâ fuerit delibutus dulcedine, quantàm exquisiti caducarum epularum sapores elaborare non possent: quo omnis &c. quo omnis ille paupertatis metus, quisquis vel ab hoste incussus, vel natus suggestus existere aliquando possit expelli, exstinguique natus erat.

Hieronym. Natalis vnde amore paupertatis incensus.

Sed & incidere nonnunquàm tempus solet, quo cæcus hic timor, non iam minari solùm nobis instituit, sed velut quoquò modo subactos possidere videtur, quando & Dei super nos vigilantia, & aliorum expensa constantia, ac proba subinde audita commonitio vsui esse possunt. Cui Franciscus Sacchinus Societatis nostræ probus ac legitimus historicus parte 3. lib. 7. nu. 177. sequenti narratiunculæ singularem faciet fidem.

Annus agebatur à conditâ salute suprà millesimum quingentesimus septuagesimus secundus, à Societate verò institutâ trigesimus secundus, cum socij in Iaponia, non Christianæ tantum serendæ fidei, propagandæque, sed etiam religiosæque disciplinæ conseruandæ, atque excolendæ, ductu P. Francisci Capralis, qui cæteris præpositus erat, curam impendebant. Euangelicæ paupertatis inter cætera, siue instauratus, siue confirmatus est murus, Vt est, propè vulgaris illas per oras, sericarum vestium vsus, paulatim inter eos quoque ad augendam religioni maiestatem valere opinantes, increbuerat. Quippe populum suorum Bonziorum splendida intueri corpora assuetum, peregrinæ religionis auctores in vili amiculo despecturum timebant. Hac re ad Principum quoque aures & animos accessus patere faciliores sperabant; quod si olim Franciscus Xauerius experiendo didicisset: Nec verò quicquam præter disciplinam committi, cum Societati non certus, sed qui honestorum est patriæ sacerdotum, sit cultus, & in totum quoque fas sit, tuendæ causa pietatis, religiosum ornatum dissimulare. Verum P. Capralis, nullum esse augustius religiosa paupertate ornamentum ratus, cui nihil in gentium conuersione timeri debeat cùm eo insignes Christi Saluatoris Apostoli, ante Reges & Principes Euangelium propagârint, hâc viâ, quam Christus quoque monstrasset, eundem

Timore paupertatis PP. in Iaponia sedati ad bonâ mentem reuertuntur.

P. Francisci Capralis verus paupertatis assertor.

dum docuit: subiungens Nequanam aut Bonzianam leuitatem imitandam aut lauandam vanis timoribus paupertatem sed obedientiæ virtute, quando id præciperetur; nitendum & confidendum, quando idem esset; qui paupertatem nobis commēdaret quique hominum corda in manibus haberet Christus Dominus Xauerium, tamquam sacrum; non tamquam vulgarem adhibuisse interdum honestandæ personæ elegantiorem cultum, à quo statim vili suæ tuniculæ sese reddebat. Hæc atque alia id generans commemorans, vt minimè prauâ mente, sed recti specie abducti exerrârunt, omnes habuit in potestate, nec ægrè reduxit in viam, lineisque nigri coloris vestibus induit, omni timore posthabito, cuius ante vel nomen formidârant.

Bene igitur ac sapienter Ignatius: nequaquam pertimescenda paupertas est, si quis verò metus hinc animis nostris insederit, ab opinione potiùs, sed ea falsa & improba natus, fraudis suspectæque fidei titulo pellendus est, ne dum fortè hîc desidemus; Timor ille paupertatis nobis crescat in laqueum, & quod ipsamet paupertas, vt ante vidimus, omni facie iusti terroris libera, efficere nequeat, eius timor in nobis fallaciter operetur.

Claudo commentarium eisdem, quibus S. Hieronymus Heliodorum verbis sub finem epistolæ suæ aggressus est, vt si quis forte Heliodori nepos, in hæc mea scripta aliquando inciderit, vel serò veritati oculos recludat. S.Hieron. ep. ad Heliodor.

Paupertatem times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? at nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? sed Dominus tecum iacet. Squallidi capitis horret inculta cæsaries? sed caput tuum Christus est. Infinita eremi vastitas te terret? sed tu paradisum mente deambulas. Quotiescunque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris. Scabra sine balneis attrahitur cutis: sed qui in Christo semel lotus est, non illi necesse est iterum lauare. Et breuiter ad cuncta audias Apostolum respondentem: non sunt condignæ passiones huius sæculi ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Delicatus es frater, si & hîc vis gaudere cum sæculo, & posteà regnare cum Christo. Perfecta charitas foras mittit timorem. Ioan. 1.4.18. Rom. 8.18 1. Ioan. 4. 18.

APOPTH-

APOPHTHEGMA TERTIVM.

CVm è familiaribus non nemo (Ludouicus is erat Gonsaluius) virum præstanti religione collaudans, ad Ignatium cum admiratione dixisset: Vir est multæ orationis: imò verò, mutatâ voce, inquit Ignatius, vir est multæ mortificationis.

Ribad.l.5.c.1. Maffeius l.3.c.2.

Commentarius.

Iudicium S. Ignatij de vera virtute.



SI à laudato viro laudari volupe est; quid erit super laudabili opere à virtute commendari? Viri quantumuis optimi, ac laudatissimi subinde fallit iudicium; virtutis autem nunquam: certum id enim ac destinatum est semper, qualia in Israëlitico populo sanctuarij fuisse pondera, veteris instrumenti tabulæ loquuntur, iusta, inquam, atque omni fide exploratissima: tale, profectò, iudicium hoc nostrum fuisse, quod S. Ignatius de solidæ perfectionis officio tulit, in confesso est, vt de eo, ad primum commentarij huius ingressum dicere possimus, quod de Tibure Romanæ fidicen lyræ cecinit aliquando lib. 1. ode 7.

Horatius l.1. ode 7.

Laudabunt alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisue Corinthi.
Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe:
Sunt quibus vnum opus est: intactæ Palladis vrbem
Carmine perpetuò celebrare, &
Vndique decerptam fronti præponere oliuam:
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit cāpus opimæ
Quam Domus Albuneæ resonantis.

Ignatium non tam longa præcandi assiduitas, aut excellens orationis spiritus, quàm generosior sui affecit victoria, quâ non eam modò, quæ in voluntaria corporis afflictatione, membrorumque vexatione consistit, sed multò etiam magis quæ in contumacium animi nostri motionum seueriore inhibitione sita est, intelligi, laudarique cupiebat. Licèt autem ipse piæ precationis laude præcelleret, semper tamen spiritum quem vocant mortificationis, spiritui speculationis antetulit, nam vt in eloquentiæ studio, cum ars & vsus ipse sit necessarius, longè plus tamen à sapientibus viris vsui, quàm præceptioni tribuitur; sic in parandis virtutibus, cum & commentario, & actio requirantur multò plus tamen agendo, & pugnando, quàm speculando, vel cogitando proficitur. Verum quidem est; perfectionem nostram essentialiter, non in mortificatione, sed charitate, atque amore summi Dei sitam esse, adeoque vnumquemque nostrum eò perfectiorem esse quò per charitatem illi magis vnitur: verum vt lapis v.g. sublimiori loco detentus, retinaculo sublato, quod illum violentè detinebat, statim deorsum ad locum naturalem defertur; sic animus noster, substantia spiritualis, prauarum cupiditatum sublatis remoris, statim diuino fultus auxilio, in Deum fertur, eique per charitatem coniungitur, iuxta solenne magni *Augustini* effatum: *augmentum charitatis, diminutio*

Quomodo mortificatio iuuet charitatem.

S. August.

nutio est cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas. Vt enim aurum puriùs & clariùs fit, quò scoria eius ardentioribus flammis magis magisque excoquitur: sic & diuinus Amor auctior fit, atque perfectior quò inordinata illa nostri ipsius dilectio infringitur magis, quâ denique vel seueriore studio exstincta, vel certè diminuta, AmorDei perfectus incipit apparere.

Mens illa *S. Hieronymi* fuit, cuius hoc scitum omni laude dignissimum celebratur: *tantùm proficies, quantùm tibi vim intuleris:* quod idem ipse sacer Doctor, hæc verba Hussitarum Reguli commentatus: *Non inuenitur in terra suauiter viuentium*, aptâ similitudine explanat: Vti, inquiens, terra, quæ rastro proscinditur, mox conseri, & fructus producere solet; quando autem sibi relinquitur, & carduis, ac sterili lolio vestitur, quiescere dicitur; contrà verò cùm denuò conseritur, & aratur, laborare fertur: sic & de terra cordis nostri loquendum est, dum quis secundum desideria, & concupiscentias suas viuit, exultare is. & viuere suauiter dicitur, nec est sapientia cum illo: inuenitur autem in terra eorum, qui concupiscentias suas domant, sibique acriter imperant & aduersantur.

S. Hieron.

Iob 28. 13.

Simile.

Vnde communi Sanctorum calculo comprobari aiunt, si quantum in virtute profeceris, nosse velis, quâ in tui coërcitione promoueris, attendendum esse, quid humilitatis ac sapientiæ acquisiueris, non autem quanto inter orandum gustu, affici, quo sensu duci consueueris. Norat id planeque perspexerat magnus ille Lætiensium Abbas præclarus formandis moribus magister Ludouicus Blosius, qui Dei seruum, quem seuerior cupiditatum inhibitio excoxit, maturo, ac gustus suauissimi racemo similem esse dicebat; alium verò quē animi sui affectio captiuum tenet, labruscæ, duro illi ac nullius saporis fructui comparabat, qui ori dominico, non dulcem elaborare saporem sed amarum solet ingerere tormentum, iuxta veterem Isaiæ super Israële querelam, *exspectaui vt faceret vuas, fecit autem labruscas.*

Vnde quis agnoscere queat se profecisse in virtute.

Ludouicus Blosius quid senserit de profectu in virtute.

Isaiæ 5. 4.

O sanctam, Deoque gratam motionum animi domitricem constantiam! quantis hominem commodis, quantis auspiciis beas! dum veræ, perfectæque virtutis candidatum facis!

Sed neque hic finis: vltrà progreditur, dum hominem suum desperatissimis periculis exemptum, in placidissimo portu, vel potiùs arce quadam munitissimâ constituit: vnde S. Ignatium dicere solitum non rarò, accepimus, se diuturni temporis experientia doctum, de centum, qui perfectioris vitæ medullam non in affectionum suarum coërtione, suique vincendi cura; sed in prolixiore diuinarum rerum commentatione quæritant, minimùm nonaginta, præfractos nimis ac duros fieri & in proprio sensu pertinaces, suâ ipsorum culpâ id promerente, vt venenum inde hauriant, vnde præsentissimam morborum omnium accipere debuissent medicinam, dum quidquid in oratione sentiunt, sibi à Deo immissum putant, sensumque suum, sensum esse Dei, à quo discedere nefas sit, itaque & sentiendi regulam, & agendi sensum quem habent in oratione, certissimam statuentes, ad quam omnes vitæ actiones perperam dirigant. In quo sæpissimè falluntur: dum suum non rarò iudicium sequuntur, atque animi impetum pro instinctu diuino habent, vitiumque naturæ, speciosa quidem, sed falsa excusatione tegunt, caduntque frequenter in maximos errores, quibus orationi, rei alioquin sanctissimæ, ac humano generi vtilissimæ infamiam inferunt apud imperitos, existimantes id rei esse vitium, non personæ. Neque enim ad sensum nostrum detorquere, sed è contrario. sensus, cogitationesque nostras ad rectissimam fidei ac SS. Patrum normam exigere debemus.

Iudicium S. Ignatij de vera perfectione.

Quæ res vna de principibus fuit, quæ eundem S. Ignatium solicitum habuit non semel, ne, scilicet, aliquando

Maiori momentum in mortificatione quàm oratione ponendum.

quando in Societate, quam fundauerat, modus ad perfectionem tendendi à se positus, per validam motuum animi coërtionem, ad solam orationis exercitationem migraret: atque ita ex consequenti frustrà foret.

Exemplum Ignatij. Tantò siquidem maius, ac certius sapientissimus legislator, in mortificatione, præ oratione momentum latere arbitrabatur, quantò magis aduerterat, id passim ab hominibus ignorari.

Quocirca in omnibus, potissimum autem doctis & honoratis, sui contemptum, omnisque fastus, existimationis, ac proprij iudicij conculcationem, atque victoriam, longis precationibus anteponebat.

Atque hinc solenne illi erat, vti à plurimis obseruatum est, in domesticis passim exhortationibus, quas non infrequenter ad suos facere solebat, idem inculcare. quarum argumentum pro more ab impotentiam animi motuum inhibitione, ab interioris hominis reformatione, voluntatis propriæ ad pedem Crucis depositione, aliisque similibus lubens sumebat. Sed nec his facilè acquiescens, in communi passim colloquio, quod semper aut de Deo, siue ad Deum instituere solebat, nihil frequentiùs in ore habebat.

Nec operè minus, quàm verbo hanc spartam adornasse visus fuit, quod solidè prudentis esse. ætas omnis vbique gentium iudicauit.

P. Hieronymus natalis petit produci horam orationis in Soc. Hieronymus erat Natalis, qui vnus suis virtutibus, animique dotibus multorum præstantiam æquabat, vnde & in regenda Societate B. Ignatio Adiutor electus est, & promulgandis per Prouincias Constitutionibus impensus; hic talis, tantusque ad S. Patrem accesserat, vt, quæ opinandi, ac sentiendi cuique libertas est, illo annuente orationis hora in Societate protraheretur, non enim videri tam breue, ac succinctum tempus ad ineundum cum Deo Domino colloquium, mentem posse explere.

Negat Ignatius. Offensus Ignatius, qui probè norat quid sibi super ea re cum cælesti magistro conuenerat, Hieronymo in hæc verba respondit: *verè mortificato, sufficit quadrans ad se colligendum*, Documentum nobile, tantaque auiditate, & fide à S. Francisco Xauerio, viro vtique ingenij magni, & spiritus longè maioris acceptum, vt, nec ipse quid aliud crebrius sociis per Indiam sparsis, quibus cum potestate præerat, inculcaret, nec magis cordi sibi esse reipsa ostenderet, quàm sui ipsius mortificationem, paucis illis verbis, plus solitus efficere, quàm, si vel plurimis libris in lucem editis, aut copiosis eorum discursibus lectorem obruisset.

Plurimum quidem Franciscus orationi tribuebat magnique semper æstimare solitus erat, vtpote cui multas noctis horas dare vigil consueuerat, sed nullius sanctimoniam eo exercitio metiebatur, nec perfectiorem illum habebat, qui diutiùs in ea se occuparet, sed qui generosius contumaces animi motiones edomaret, quo sæpè numerò fieri solet, vt ad sublimiùs orationis genus homo euehatur, quemadmodum in *Christophoro Gonsaluo* Societatis Iesu Sacerdote, luce clariùs datum est perspexisse. Magnis hic naturæ, gratiæque donis à Deo præditus erat, eruditione, prudentiâ, zelo, aliisque erat insignis, præcipuè tamen excellentis dono orationis instructus, quod cùm Ludouicus de Ponte ex eadem Societate vir eximius cognouisset, virum adiit, quæsiitque ex eo, quando, & quâ ratione Deus illi tam excelsæ orationis donum impertiuisset? respondit: cùm statuisset magno animo heroicùm quoddam opus, quod à Deo sibi immissum acceperat, exsequi, exstinguendi, scilicet, inanem gloriam in materiâ literaria nidificantem, in hac potissimum ratione aggressum esse: quærebat non rarò, quod probè norat: ad primam sui argumenti responsionem tacebat, velut nihil haberet aliud quod opponere posset, non contendebat sicut alij, vt vicisse videantur, nec prote-

Sui mortificatione venitur ad donũ perfectæ orationis. In vita P. Balth c.27

ruè se aliorum dictis apponebat, illustriores honoris actus lubens aliis deferebat, sibi verò quod minus honorificum, arrogabat.

Quibus, aliisque, minus à cæteris animaduersis, præsertim quod de industria fierent, statim apud homines de ingenij & eruditionis fama non parum amisit, apud Deum autem magnum sibi religiosi viri nomen comparauit, quod ille remunerans ad dulcem quandam sui familiaritatem eum admisit, seque illi in oratione variis modis communicauit, quo indubiè absque insigni hoc domitu, suique victoriâ nunquàm peruenisset, laudetur itaque ab oratione quispiã, sed ea quam illi turbulentæ mentis concitationes, probè coërcitæ pepererunt, æstimetur oratio, sed mortificatio, per quam vita orationi illiquitur, præferatur; nam vt bene Philosophus 1. posteriorum cap. 1. *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale,* vt hactenus melioris Philosophiæ antistites iudicârunt.

Aristoteles 1. poster c. 1.

Sentiebant enim, quod verissimum est, magnum orationis donum ex magno Abnegationis studio pendere, & semper discessum à nobis ipsis per mortificationem, & accessum ad Deum, per orationem copulari: cuius vna ac præcipua causa hæc est quòd oratio ea potissimum, quę mente fit, purissima quædam fit rerum cælestium inspectio, qua nos ad fugam & odium mali, ad boni verò amorem ac desiderium inflammamus. Inspectio verò mentis oculos clarâ luce perfusos, mundos, ac tranquillos desiderat, quæ sedulò à mortificatione præstantur, quod euangelicus ille propheta Esaias, non obscurè perspexit, cùm dixit: *quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.*

Isaiæ 28.9

Non eos siquidem qui sæculi lacte nutriuntur, & rerum visibilium vberibus delectantur, sed corruptæ naturæ sensibus valefacientes, diuinâ sapientiâ, ac perenni luce contemplationis erudiuntur: quod admirabilis illa S. Nili Abbatis sententiâ testatum quoque, ac velut propriâ suâ experientiâ sanctum reliquit; *quidquid patienter tuleris, fructum in oratione percipies*: Id est, si teipsum abnegaueris, si corpus atque animum seueriore inhibitione domueris, non in altera tantum vita, sed & in hac quoque præmium consequeris eximium, illustre scilicet diuinæ familiaritatis priuilegium, quo tales, præ cæteris solet inter orandum Deus remunerari: Ratione id non segniter postulante, vt rusticus quispiam cæpas & alia inuerecundè exuctans, ac domum regiam audacter inuadens, hilarem Regis faciem nequaquam consequatur; contra verò paupercu lus cerdo probè pexus & lotus, ac vestibus diligenter eluris modestè ingrediens ad eandem admittatur.

Nilus Abbas.

Quibus omnibus prudenter expensis facile erit iudicare, quàm verè sapienterque S. Ignatius pronuntiârit, cùm virum magnæ orationis post habendum censuit viro magnæ mortificationis: quod ne cui præterea admirationem vllam fortassis ingerere queat; pro epilogo audiendus Ludouicus à Granata, excellentis ille eloquentiæ, & admirandæ doctrinæ antistes: eiusmodi homines qui multæ quidem orationis, sed mortificationis sunt exiguæ, veluti penicillo depingens: habent, inquit, hi Kalendarium suæ deuotionis, suarumque precum; his omnia cedant negotia, necesse est, non dormiunt, dum has absoluerint, quidquid iacturæ fiat in aliis, modò suas illi precatiunculas recitârint, Dixeris, esse homines orationis multæ. Sed arcas eorum inspice plurimâ veste oneratas, horrea illorum ingredere, quæ plurium annorum segetes stipant, cistas, & crumenas refera, argento & auro refertas. At illi tam pij homines vident famelicos, malè vestitos, ære alieno pressos pauperes, nec obolo iuuarent: vestes aceruant in tinearum pascua, frumentum seruant cariori annonæ, aurum captiuum in carceres tradunt, futuris casibus grande

Ludouicus Granatensis confirmat Apophthegma S. Ignatij.

grande solatium. Sed & horum corda per Momi fenestellam intuere, deprehendes atrocem iram, inuidiam robustissimam, simultates multi temporis, odia inueterata, & penitus insita, similesque animi pestes: subinde studio nomina à se contracta non expungere, æs alienum nequaquàm dissoluere sustinent, aut auaritiâ, aut nimiâ negligentiâ inducti, aut certè ne aliis diuites videantur Arduum quid ac difficile aggrediendum? sunt timidissimi. Mox manus retrahunt, deuotionem suam impediri aiunt. Quid hoc, oro, aliud est, quàm multis orationibus se fatigare, & nihil vitiositatis emendare, nemini quidquàm indulgere, sibi omnia: omnibus aliis acriter velle imperare, sibi nihil? hoc equidem est languorem pedum curare, & fœda in capitis porriginem negligere.

O sancti! ô precatores insignes! *bona est oratio, sed cum ieiunio*, optimè facitis cùm preces extenditis, sed pessimè agitis, cùm cupiditates & libidines, cùm vitiorum ex Adamo traduces vigere ac florere sinitis. Mortificationem orationi iungite, imò verò præferte, & magni nobis nō Pharisæi, sed eritis Bartholomæi.

Vtinam hæc tam profundè in animos nostros penetrent, quàm oculos legentium feriant, alia sanè, & morum commutatio & animorum prouectio appareret. Inuenerat Philippus Eunuchum Candacis reginæ Æthiopum legentem in curru Isaiam, Act. 8. 30. & accedens dixit: *putasne intelligis, quæ legis?* Idem fortassè lectoribus meis nonnullis dicere possim: putatisne intelligere quæ legitis? *legere siquidem, & non intelligere*, vt aiebat ille, *negligere est*: & quid aliud apud multos regnare verendum est? saluberrimum moribus, viroque dignissimum Christiano Apophthegma ad nos transmisit Ignatius, cuius sensum atque consilium præsens hæc pagina verbis idoneis, plenisque sententiis enucleat, an id omnes intelligant? hoc est, approbent, qui legant? vnum id optandum foret in primis, sed fallit non rarò, dum contumaciam animi motionum compressione præterita, orationi insistentes, pedem alterum cælo se inferre arbitrantur, à quo tamen multis absunt parasangis, vt S. Virginem Theresiam dicere solitam accepimus. Quo autem hos dixerimus se clypeo tueri, seu potiùs dementare? Frustrà, inquiunt adhiberi plura, vbi paucioribus, quo tendis, valeas peruenire: Quid est oratio? S. id dicet Gregorius Nyssenus: *Conuersatio quædam, sermocinatioque cum Deo*, siue, vt S. ait Ioan. Damascenus: *Ascensio mentis in Deum*; & quis eum nesciat, qui appropinquat pedibus eius accipere de gloria eius! simul ac crystallus soli opponitur, de eius fulgoribus communicat, nec alio opus est. *Quid est oratio. S. Greg. Nyssen. S. Ioan. Damasc.*

Principis statuam ære fusili antè informâris, quàm scalpro laboriosè perfeceris. Istud oratio, hoc agit mortificatio; quin itaque hâc prætermissâ, vni isti acquiescamus? Ita illi, in quo nec penitus reiiciendi, nec prorsus approbandi, cùm vna sine altera consistere nequaquàm possit, vt qui sine oratione virtutum, stadio se committere velit, paralytico similior videri debeat, quàm sano, vtpote qui motionis omnis expers proficere queat nihil: dum autem mortificationem negligit, prauis se humoribus impleat necessè est, à quibus nihil nisi morborum iliadem expectet, ac denique ipsam sibi mortem accersat. *Oratio mortificationi iungenda.*

Et hic vnus omnium SS. PP. sensus est, fuitque semper, dum nobis ad oculum demonstrare satagunt, sine mortificatione, nec orationem, nec cætera melioris vitæ exercitia suum posse cursum tenere, qui nos ad præstitutum finem conducat; aut ab incurrentibus tueatur aduersis: ita diuinæ facultatis magister *Augustinus*, dum sic inquit hom. 17. inter 50. *Vis vt intret mel, vnde acetum non fudisti: funde quod habes, vt capias quod non habes: Disce non diligere, vt discas diligere: auertere, vt aduertaris, funde, vt implearis*: Et alibi, tract. 2. in Ioan- *S. August. hom 17. inter 50. Item tract. 2. in Ioan.*

Ioannem: *Quomodo radicatur caritas inter tot, ac tanta siluosa amoris mundi? magnum semen posituri estis, non sit in agro quod sufficet sementem. Calca mortuum, transi ad viuum: calca iacentem, conflige cum resistente: mortua est vna delectatio, sed viuit altera: vitia namque*, vt bene scribit S. Theophil. Alexand. *nisi coërceantur, superbiunt*. Quare prudentet admodum Seraphicus *Franciscus* interrogatus quasnam preces Deo gratiores existimaret, illas ait, quas propriæ carnis comitatur mortificatio quod Billius in Emblem. sic exptessit:

Theophilus Alexandrinus.

S. Frãciscus orationem probat cunctam mortificatione. Billius in emblem.

At tua ne fructus pede claudo vota sequantur,
Fac tua cum vitiis, vt caro morte cadat.
Ara duplex templi quondam hoc, sine voce docebat:
Thus vna, at cæsas, altera habebat oues.

Sacratum par thus & victima, vbi alteri ab altero, vt vita, sic & gloria solet verissima prouenire, dum orationem tuetur mortificatio, & mortificationem fouet oratio.

Abraham portãs ignẽ & gladium verus pater & exẽplum fidelium.

Abraham ascendens in montem, vt immolaret filium suum, struem lignorum imposuit humeris eius, ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Pater hic multarum gentium, Iustorum omnium imago est, qui dilectum filium Deo immolaturi ipsi ignem & gladium manibus portant. Quid autem ignis, & gladius denotent, quæris? studium orationis, quo spiritus ardeat, & mortificationis, quo vt Deo viuat, mundo perit. Sed gladium hunc cum igne, iusti in manibus, id est, operibus portant, quia proprium spiritum nisi carnis actibus renuntiârint, igne, nequeunt orationis incendere, nec charitatis flammâ cremare, talis namque his ignis est, qui sæculo mortuos, non viuos inflammare consueuit, vnde & hos contemnit, vt frigidos atque obscuros, Angelis, hominibusque despicatissimos relinquit, cuius doctrinæ argumentum nimis quàm manifestum dedit Iustinus, qui opulenta Satrapia, & Hungariæ Regis fauoribus spretis, institutum minorum subiuerat, vbi mox contemplationi & orationi intentus, vsque eo, vt frequentes quoque ecstases, & raptus pateretur. Accidit autem vt Romæ in Aræ-cæli conuentu, pro more inter prandendum pia quædam SS. gesta legerentur, quorum profunda meditatione ita extra se factus est, vt longo tempore immobilis & exanimis videretur, animaque liberiùs circa ista diuagata, socij corporis molem in altum eueheret, & è regione cuiusdam imaginis B. M. Virginis, suprà fratrum capita in muro depictæ, retractis cruribus ad modum genuflexi in aëre suspenderet. Aderat tunc B. Ioan. Capistranus ordinis Vicarius, qui dimissis fratribus, solus istic finem exploraturus remansit. Post longam moram, vidit omnia bene se habere. Audiit hoc Eugenius Pontifex IV. quare hominem accersiuit, ac pedes osculari volentem, vlnis excepit & osculo, iussitque propè assidere, ac longo. deinde protracto sermone, munuscula addidit & Indulgentias.

Periculosa oratio sine mortificatione.

Lucas Wadingus tom. 5 Annalium ord. Min. ad an. 1445 n. 13.

Quid hic Iustinus? qui orationis delicias domandis animi sensuumque affectibus anteferre solitus fuerat, insolito tumuit honore, & Pontificiis fauoribus exaltatum est cor eius, quare domum regressus alter ab illo, qui erat egressus occurrit capistrano, eoque corporis habitu & verborum vanitate cœpit iactare Pontificis erga se humanitatem. Ingemiscens Capistranus, heu, inquit, fratercule, pauculis hisce honotibus dementatus es, Angelus abiisti, diabolus rediuisti. At ille noluit intelligere, vt bene ageret, sed insolentior quotidiè factus, reliquos cœpit contemnere sodales, imò præfractè cum eis contendens, vnum cultro vulnerauit, quare in carcerem coniectus, ac denique expletâ pœnitentiâ, in regnum profugit Neapolitanum, vbi ea perpetrauit crimina, propter quæ relegatus in vrbem, in vinculis miserè deceſſit. Quàm bene

Casus Iustini monstrat defectu mortificationis.

de

Isaiæ 5. 4. de hoc per Esaiam Dominus: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas*: talis namque, quisquis contumaces mentis suæ imperus domare negligens, soli orationi insistit, cui nec vnquam credere, nec fidere tutò queas, quod vt animo meo B. Franciscus de Borgia, tertius à S. Ignatio Præpositus Societatis generalis altè his verbis infixit, ita & ego iisdem, huic commentario finem facio: Commendabatur ei aliquis, vt vir sanctus atque perfectus, quid Fransous? *talis est* respondit, *si mortificatus sit*. l. 4. c. 5. Dictum sapiens! dignum quod aureo S. P. Ignatij Apophthegmati subscribatur.

B. Francisci Borgia prudens effatum.

APOPHTHEGMA QVARTVM.

A *More naturalis scientiæ exstinctum ibat non nemo spiritum suum, cum à decennio vitâ functus Ignatius, se homini visendum præbuit, dicens: Minus de scientia, plus de virtute.*

Daniel Bartolus lib. 5. c. 8.

Commentarius.

Viri sancti eum hinc translati sunt, curam vuorü non deponunt.



I præstantium virorum effata, quæ Græci τὰ πρακτικὰ appellant, pro eo quod θεωρητικοῖς opponuntur, apertis, audisque auribus excipi, atque adeò in cor ipsum studiosè admitti soleant: quid de iis dixerimus, quæ sancti homines iam cælo donati, vt diuina quædam apophoreta ad nos subinde demittunt: neque enim iam illi, vt ante, per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, summam illam ac sempiternam veritatem intuentur, ac res nostras perfectiùs, quàm olim in terra positi cognoscunt. Varia, dum inter nos viueret magnus Dei seruus Ignatius Apophthegmata, ceu quasdam morum regulas ac sententias suis dispertiit, à quibus nec hinc à nobis digressus, pro suo in nos amore voluit destitisse, quomodò namque cælestibus additus nostri possit obliuisci; qui eorum antè consortio vt nobis prodesset, etiam salutis suæ deinceps incertus aliquantisper carere non recusauit? periculo pro obsequio contempto.

Testatum id facit Daniel Bartolus, vir è Societate nostra rerum ab Ignatio gestarum scriptor elegans & accuratus dum refert Iacobum Tyrium Scotum hæc, quæ sequuntur paucis ante mortem diebus Antonio Menageo conscientiæ suæ arbitro sanctè aperuisse, nimirum, se cum tyrocinij biennio pro more absoluto, ad Collegium Romanum studiorum caussa à moderatoribus trãslatus esset, tanta animi, viriumque contentione in ea incumbere cœpisse, vt neque vtriusque examinis, neque meditationis, sacræque lectionis habitâ ratione; tantus, quantus in studiis esset; vnde virtutum amor intepescere, pietatis ille pristinus feruor exstingui, nec leue perdendæ vocationis periculum suboriri. A decenniò S. P. Ignatius ad cælos abierat, non ita tamen affectum suum, amoremque secum abstulerat, vt filiorum obliuisceretur, quare spectabili forma visendum se Iacobo exhibuit, & vultu parernè seuero, iuuenem corripiens, non ea præcipuè de caussa Societati nomen dedisse ostendit, vt in litteris, studiisque emineret: quibus tamen, quod factu nefas, virtute posthabitâ, vitam ac sanguinem immolaret, quorum ne faci-

S. Ignatius à decennio mortuus Iacobum Tyrium monet de nimia contentione in studio naturalis scientiæ.

lè aliquando obliuisceretur, duo hęc, grauissimis verbis, eius animo impressit, dicens: *Minus scientiarum, plus Spiritus*: & subitò videri desiit. Nec frustrà profectò data monitio, neque inanis allocutio fuit: insipienter agere Iacobus desiit, & æternis præ temporalibus rebus affici cœpit, plusculum affectui, quàm intellectui concessurus, vnde factum est, vt in virum alium mutatus, denique vniuersæ Societati pro Germanicis Prouinciis assistens datus fuerit, in quo officio, anno 1597. plenus meritis ad Deum migrauit.

Explicatur Apophthegma.

Vtile sanè ac concinnum tanti viri pronuntiatum! *Minus de scientia, plus de virtute*, iuxta id quod diuina sapientia per os sapientissimi Ecclesiastæ populo Hierosolymitano pridem occinuit, dicens: *verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno*: Eccle. 12. 11. Quæ verba pereleganter sic explicat *Olympiodorus*: *sicut enim*, inquit, *stimuli boues pungunt, vrgentque aratro sulcum proscindere; ita & sapientum verba excitant nos, qui bonâ spe aramus, ac proscindimus sulcum spiritualem, vt cum purgatus fuerit ager cordis nostri, pulchros in eo virtutum surculos conseramus*. Similia quoque sunt clauis ignitis, atque candentibus, qui altiùs ac faciliùs lignis infiguntur: dum in penitissimos sinus intellectus nostri altiùs penetrant, vel inde præcipuè, quod data à pastore vno, sc. Spiritu sancto, quo inspirati ea locuti sunt sancti Dei homines, vt in præsenti hoc pronum est, arbitrari S. Ignatio ad discipulum suum hæc verba proloquente: *Minus de scientia, plus de virtute*, quæ velut per traducem ex vase illo electionis Paulò prodiisse censendo sunt, cùm sic Corinthiis suis scripsisse legatur: *Scientia inflat, charitas verò ædificat*, quod ante Regum ille sapientissimus Salomon Eccle. 1. similibus verbis notârat: *in multa*, inquiens, *sapientia, multa indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem*, siue vt Tigurina habet versio: *qui auget scientiam, simul auget quod eum cruciet*; quibus significare intendit, studium scientiæ vanum esse, ac laboriosum, dum in sola speculatione, & rerum naturalium cognitione consistit, nec ad ipsam virtutem transit; sed hominem suum follis instar vento distendit. Vnde superbus diabolus dictus est Δαίμων, id est, doctus, peritus, sciens, vt Plato inquit in Cratylo.

Eccle 12. 11. — *Olympiodorus.* — *Scientia sine virtute noxia est.* — *1 Cor. 8. 1.* — *Eccle. 1. 18.*

Et insinuatur ex illo Senecæ, lib. 1. de Clementia ad Neronem, qui antequam litteras sciret, erat pietatis speculum, postquam autem eas didicit, nefarium exstitit crudelitatis exemplar hinc illa eius vox: *vtinam nescirem litteras*.

Seneca l. de Clementia.

Neque hinc inferri velim, quod illi faciunt, qui bonis litteris bellum indixêre, omnem damnandam esse eruditionem, sed ostendi solum, quid illa, non quidem suapte naturâ, sed hominum vitio efficiat, si virtuti anteponatur, quod cum in filio suo Carolo formidaret Ludouicus XI. Galliæ Rex, eum à litterarum studiis auocasse legitur, ne esset, vt aiebat, in consiliis capiendis refractior, quod in Henrico VIII. Britanniæ Rege patuit, dum scientiâ inflatus, & maiorem quam par erat de se opinionem concipiens, in grauissimos errores incidit, & veram sapientiam amisit.

Cur Ludouicus XI. filiū Carolum litteris operā dari noluerit. Henricus VIII Angliæ Rex præsidentia sui lapsus.

Bene itaque ac sapienter Iessæus Dauid psal. 70. *quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini*; quæ verba Isidorus Clarius lib. 3. Sentent. c. 13. citat, vt *probet nihil aliud agere amorem humanæ scientiæ virtutis expertem, nisi extollere laudibus hominem, & quantò maiora fuerint litteraturæ studia, tantò animum arrogantiæ fastu inflatum maiore iactantia percellere*.

Psal 70. 15. Isidorus Clarius l. 3. sent. c. 13.

Et in profectò est, *scientia inflat*. 1. Cor. 8. & paucorum est litteratè doctorum, annuntiare toto die Iustitiam Dei, & salutem, cum pio animi affectu & humilitate, in ipsa introire adyta, & cellam vinariam mysteriorum Dei, quod aliquando S. deplo-

1 Cor. 8.

S. August. l. 8 Cōf. c. 8.

rauit Augustinus lib.8. Conf.cap.8. Atque idem fuit responsum, quòd cælestis sponsus sponsæ suæ Theresiæ tulit, cùm die quadam ad grandem illam familiaritatem, qua secum is ageret, obstupescenti, præteritis tot insignibus Doctoribus, quibus Hispaniarum Academiæ abundabant, reposuit: *Ne mireris hoc, filia: tantopere enim hi libris suis immersi sunt; vt ne solido quidem momento queant cogitare de me.* Vnde liquet, quanto cum fundamento magnus ille Theologus Franciscus Suarez dicere solcret, malle se priuari omni suâ doctrinâ iam acquisita, & ô! qualis, quantaque erat illa, quàm omittere vnam horam orationis mentalis, auribus eius, Paulino hoc acroamate assiduo insonante: *Scientia inflat, charitas autem ædificat*: quem locum interpretatur Rupertus, *Non sic dictum voluit, vt scientiam caritati opponat, sed apponat.*

Franciscus Suares priuari malebat scientia sua quàm oratione.

Rupertus scientiam cum charitate iungi-dum prædicat.

De qua re suauissimè, vti solet in omnibus, disputat Bernardus serm. 36. in Cant. *Non ignoro, inquit, quantum Ecclesiæ profuerint & prosint litterati, siue ad repellendos eos, qui ex aduerso sunt, siue ad simplices instruendos. Denique legi: quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi sacerdotio* Oseæ 4.6. Legi: *qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Daniel 12. 11. *Sed & scio vbi legerim: scientia inflat, & rursus: qui addit scientiam, addit & laborem.* Eccle. 1. 18. Ita Bernardus.

S. Bernard. serm. 36. in Cant.

Oseæ 4. 6.

Dan. 12. 11.

Eccle. 1. 18

Non igitur, vt ait Theodoretus, ipsa reiicitur scientia, sed eius abusus, qui præcipuè nascitur ex eo, quòd scientia virtuti non ancilletur, quæcunque tandem, & cuiuscunque rei scientia sit. Quod viris sanctissimis, vtriusque Ecclesiæ Patribus incognitum minimè fuit: Ita namque S Gregorius Nazianz. orat. de moder. in disp. seruand. *ignauum se esse mauult, quàm plus æquo curiosum.* Irenæus verò l. 2. c. 45. *Melius ergo ait, & vtiliùs idiotas, & parum scientes existere, & per charitatem proximum fieri Deo, quàm putare multum scire, & multum expertos in suum Deum blasphemos inueniri*: & ideo Paulus clamabat, *scientia inflat, caritas autem ædificat*: non qui veram scientiam de Deo culparet alioquin seipsum primum accusaret, sed quia sciebat, quosdam sub occasione scientiæ elatos, excidere à dilectione Dei..

S. Greg. Naz. orat. de mod. in disp. seruād.

Irenæus l. 2. c. 45.

1. Cor. 8.

Nec dissentit Hieronymus. Melius, inquiens, est aliquid nescire, quàm cum periculo discere. In reg. Mon. Cui consentaneum est illud Augustini serm. 20. de verb. Apost. *Melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* Quocirca idem qui suprà Irenæus Pauli sententiam explicans, ait: *Meliùs itaque est, nihil omninò scientem perseuerare in Dei dilectione, quæ hominem viuificat, nec aliud inquirere ad scientiam nisi Iesum Christum, quàm per quæstionum subtilitates, & multiloquium cadere in impietatem.*

S. Hieron. in reg. mon.

S. August. serm 20. de ver. Apost.

S. Irenæus suprà.

Quod & Augustinus probauit in medit. dicens: *Abs te sapere, est desipere, te verò nosse, est perfectè scire*; quod Philippus Abbas bonæ Spei epist. 18. sic expressit: *scientia, inquiens, sine sanctitudine vitiorum scatet vermibus & sordescit.*

S. August. in med.

Philippus Abbas ep. 18.

Quibus præclarum & commemorandum magni Cæsaris Cardinalis Baronij iudicium non patiar desuisse, in suprema is sua ægritudine Camillum Baldinum affinem suum iusserat accersiri, quem sic allocutus est: *Ecce ego, fili mi, ingredior viam vniuersæ carnis, audio te nimiam literarum studiis operam nauare: incumbe potiùs, fili, ad Christianas virtutes, & ad eam præsertim quàm vocant mortificationis; noli altum sapere, sed esto humilibus consentiens.* Hieronym. Barnabeus in vita l. 2. c. 9.

Hieronym. Barnab. in vita Card. Baron.

Card. Baronij morientis iudicium de scientia & mortific.

Ita illi; de quibus nemo iure mirabitur, dum veteres illos Philosophos veræ fidei exsortes, solo naturæ lumine instructos idem vidisse, probasseque cognôrit; vnus multorum vices expleat Seneca, quem magnus ille Plinius Principem erudi-

 tionis,

tionis, inuidendo elogio appellabat: *Paucis*, inquit hic, ep. 17. *opus est ad mentem bonam, vt literis, sed nos, vt cætera in superuacuum diffundimus, ita Philosophiam ipsam. Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus.* Et iterum ep. 89. *Ista liberalium artium conse-ctatio molestos, verbosos, intempestiuos, sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria, quia superuacua multa didicerunt.* Plura videbis epist. 27.

Seneca ep. 17.

Item ep. 89.

Quid suo Apophthegmate S. Ignatius intenderit

Quod itaque S. Ignatius præclaro suo Apophthegmate docere nos voluit, hoc est, veram vtilitatem, non à scientia, sed à virtute pendere, quapropter non hanc illi, sed illam huic cedere oporrere. Quod verbis S. Bernardi sole clariùs illustrabo, sic enim loquitur serm. 36. in Cant. posteaquàm S. Paulum asseruisset scientiæ fructum collocare in discendi modo. *Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit: Vides,* inquam, *quomodò fructum & vtilitatem scientiæ in modo sciendi constituat. Quid ergo dicit modum esse sciendi? Quid? nisi, vt scias quo ordine, quo studio, quo fine, quæque nosse oporteat? quo ordine? vt priùs quod maturius ad salutem, quo studio? vt id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine? vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ædificationem tuam, vel proximi.*

S. Bernard. serm 36. in Cant.

Quod illud ipsum reapse esse dixerim, quod communis SS. Patrum sensus atque iudicium à mille, eoque ampliùs iam annis voluit omnibus magnopere esse commendatum: Primò dum in nostris consiliis & cogitationibus plus loci affectui, quàm intellectui excolendo desiderârunt; neque enim proprius nostrarum actionum finis in subtilibus speculationibus, aut intellectu tantùm perficiendo consistit, sed in reddendo homine probo, & indies meliore, sanctiore, Deoque suo coniunctiore: de quo sanè audiendus nobis Aristoteles est, qui rectè monet in Ethicis cap. 14. *à scientia hominem non fieri meliorem, sed à virtute.*

Aristoteles Ethic. c. 14.

Quo spectare & istud dixero, quod B. Virgo agens cum B. Birgitta de Concionatore quodam docto. & magni nominis, ait, illum apud Deum esse adinstar cadauerosi hominis, eo quod palea tantum, & non solido cibo vesceretur. Præterire autem hic nequeo, cuius mihi memoriam refricat dicta Virginis ad Birgittam allocutio, Ioannem Ximenium Coadiutorem temporalem Societatis nostræ, de quo Ludouicus Pontanus in ea, quam de vita Balthassaris Aluari è Societate Iesu viri præclarissimi historiam scripsit, hæc commemorat, erat Ioannes in villa suburbana cum variis Patribus, qui horis æstiuis studiorum istic labores quiete aliquâ temperabant, cùm à Præposito „ Prouinciali, iussus aliquid ad virtutem promouendam eloqui, vidi, „ inquit, his diebus in vrbem re„ diens currum hordeo onustum, lu„ to inhærere, nec à mulis, quibus „ trahebatur, posse expediri, donec a„ lij mecũ manibus ad rotas admotis, „ suppetias ferrent. Petij tum ab au„ riga, quî fieret, vt tam fortes & e„ gregiæ mulæ satis virium ad cur„ rum extrahendum, non habuis„ sent: Respondit ille, quia debiles „ sunt, nec vt oportet, illis pabulum „ subministrabatur: Cũque vlteriùs „ interrogarem, cur hoc illis non da„ retur? non est, inquit, hordei pe„ nuria. currus enim illo onustus, sed „ non fit illis copia, de illis come„ dendi. Tum inquit Ximenes, ma„ gni illi Doctores & concionatores „ venerunt mihi in mentem, quos in „ via virtutis hærere, & parum pro„ mouere plerumque conspicimus, „ quia spiritu debiles sunt & infirmi, „ non defectu alimenti, abundant „ enim rerum æternarum cognitio„ ne, quas alijs, docendo distribuunt, „ sed quia illas sibi non applicant, „ nec ad vires corroborandas mo„ rumque emendationem vtuntur. Ita fieri amat: Non enim redditur homo probus, ac sanctus à naturali, vel acquisita perfectione intellectus; hâc namque ratione meliores, & sanctiores

Concionator doctus, virtute carens homo nihili. Ita B.V. ad S. Birgittam.

Ioannis Ximenij verba de eadem re vdectum.

Quanta daemona pro-nemant ex prelata scientia virtuti.

ctiores dæmones essent, quàm homines vel sint, vel aliquando fuerint in hac vita, etiam sanctissimi, sed simplicissimi, atque adeò scientia spiritibus illis multò inferiores. in quibus ptimum inditæ species, & scientia naturalis, etiamnum perseuerant. Imò verò altam sine bono affectu scientiam appetiisse, originalis culpæ fuit occasio, & totius humani generis ruina, dæmone primis parentibus, ex inuidia suggerente: *eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* *Genesis 3.5.* Secundò, dum nos ad media consideranda remiserunt, quibus ad præstitutum nobis finem, maius sc. Dei obsequium pertingere debemus, quorum pleraque, non tam ad illustrationes intellectus, quàm ad pias voluntatis motiones, & affectus pertinere in confesso est; cum ea nihil aliud sint, quàm quædam internæ exercitationes virtutum intellectualium, moralium, Theologalium, septem donorum, & duodecim fructuum Spiritus sancti: quas si ritè inspexerimus, maiore ex parte sedem habere in potentia voluntatis, & ab illa tamquam à proprio principio elici perspicuum fiet. Denique cum ex modo vtriusque spiritualis nostræ potentiæ, in exercitio procedendi, ostenderunt actus voluntatis præstare actibus intellectus: ea est enim in intelligendo natura intellectus, vt quæ percipit, ad se quodammodò trahat, & sibi accommodet, vnde fit, vt infima intelligendo eleuet; deprimat verò sublimia; voluntatis autem ratio planè diuersa est in volendo; non enim ad se trahit, quæ appetit & vult, sicut intellectus, sed potiùs ab illis ipsa attrahitur, illis se accommodat, & in illa quodammodò se transformat, vnde bene Oseas cap. 9. 10, *Et facti sunt*, inquit, *abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt: atque hinc rectè intulit* S. Thomas 1. 2. q. 66. a. 6. ad 1. *ea quæ infrà nos sunt, cognoscere, melius esse, quàm diligere: quæ verò suprà nos sunt, melius esse diligere, quàm intelligere.* Cum itaque in vita Christianis moribus traducenda, mentem ad ea, quæ suprà nos sunt eleuemus, sequitur: præstare affectum in ea exercere potiùs, quàm intellectum, siue, vt *S. Ignatius* prudenter aduertit, *minus de scientia, plus de virtute sectari.* Atque hic ille scopus est, ad quem SS. Patrum placita, Doctorumque respexêre sententiæ, quibus vnanimi planè consensu tradidêre in consiliis & cogitationibus nostris plus affectui, quàm intellectui excolendo loci esse debere, de quo id omnibus singulariter ausim polliceri, vt, quisquis hallucinatus hic fuerit, suo, nescio cuius erroris caligine obducto iudicio, serâ pœnitudine stolidam inconsiderantiam frustra aliquando deploret: quibus tamen nequidquàm obsistentibus, fieri frequentissimè amat, vt contrà fieri passim videamus, nec simplici id quidem viâ, aut modo, sed variis prætextis consilio caussis, obductaque facto, recti quâdam specie, quam, vti reor, examinasse iuuerit.

Osea 9. 10.

S. Thomas 1. 2. q. 66. a. 3. ad 1.

Cur multi hinc delinquant? 1 Error.

Primum itaque accersunt instituto suo vmbram zeli, vtinam moderati, ac discreti! talis namque rationi consentaneus est, alius nequaquàm, cum omnibus notum sit, proprium ac verum instrumentum, quo proximum iuuamus, veram esse sapientiam, ad hanc autem consequendam, plus quotidiano virtutum vsu, atque experientiâ nos proficere, quàm studio aut lectione promoueri, id quod apertè satis testatum reliquit B. Augustinus his verbis: *multos reperimus negligentissimos iustitiæ & auidissimos sapientiæ: hos docet scriptura diuina peruenire non posse ad id, quod appetunt, nisi seruando quod negligunt. Fili*, inquit, *concupiscens sapientiam, conserua iustitiam, & Dominus præbebit illam tibi.* Eccle. 1. 23.

Eccles. 1. 23.

2. Error.

Sunt alij præterea non pauci, qui ad sciendi studium impelluntur nobilitate exercitij, & suauitate, quæ in eo est; liquet enim cæteras inter occupationes quibus homo, vtpote ratione præditus, perficitur, nullas reperiri nobilitate digniores iis, quæ potiorem eius partem, nimirum rationem

tionem & intellectum illustrant. Suauitas autem ista tam ingens, ac naturalis est, vt Philosophus quidam dicere veritas non sit: *sine studio litterarum, nescire se, an quid in hac vita suaue queat inueniri.*

Crescit autem appetitus ille, desiderio propriæ excellentiæ accedente, dubium namque non est, quin via vna, ratioque longè expeditissima sit ad honores emergendi, scientiâ eminere, cumque amor iste intimis hominum visceribus innatus sit, id student vnicè, vt ad illud, quo comparatur honos, hoc est, ad doctrinam & sapientiam, ascendant. Ad quod si, vt paulò antè dicebam, vmbra & color boni communis accedat, quid non fiet? dum ab vna parte inuitet te naturalis sciendi appetitus, naturalis studendi delectatio, nobilitas quoque exercitij & ambitio, vel honoris cupiditas, qui per hoc studium comparatur alliciat: ab altera verò parte meritum atque vtilitas propria, aut aliena fucum inducant, quis erit adeo fortis, qui hîc non vel modicum vacillet? Quoties fieri non dixerim, vt homo in oratione flexis genibus sedens, imò nonnunquam inter Angelicos choros euectus, hasce offerentes sese imagines patiatur, solicitantes, vt actutum finem precibus faciat, ad opus studij acceleret, cæptam lectionem absoluat, Thesin examinet, librum qui in manibus est, perficiat, denique ne diem sibi elabi patiatur, quin linea ducta supersit, etiamsi nulla vel exigua inde vtilitas speretur:

1. *Error.* Aliquando autem tanta est huius appetitus vehementia, vt miser nonnunquam homo cælum pro terra det, pto auro scoriam commutet, & apertas cælestis gratiæ portas, propter sterilem humanæ sapientiæ venam consequendam infelix prætergrediatur.

Vtinam saperent, & intelligerent, qui sunt istiusmodi, quanta ea sint, quæ Deus docere solet, quamque omne id exiguum sit, quod humanum ingenium suo potest sibi labore conquirere! *Si quis*, ait Sapiens, *erit consummatus* (sc. in doctrina) *inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua Domine, in nihilum computabitur*, Sap. 9.6. A quo minimè dissensit S. Augustinus dum in hunc modum locutus est: *Infelix homo qui scit illa omnia, te autem, ô Domine, nescit beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat, qui verò & te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est, si cognoscens te, sicut Deum glorificet & gratias agat, & non euanescat in cogitationibus suis l. 5. Confess. c.* 4. Et iterum alibi: *Scientia mundi inflat, Dei verò sapientia non inflat, sed amat, non facit hominem superbum & arrogantem, sed humilem & compunctum. Quod si in hora illa, in qua me Deus actualiter docet, ei terga vertam, cumque adhuc verba in ore suo habentem deseram, & terrenos magistros quæram, an non magistro illi cælesti maximam faciam iniuriam? an eius doctrinam non spernam? anne humanam sapientiam diuinæ non anteponam? O quàm difficulter poterit spiritus sanctus ad illum peruenire, qui tam parui eundem facit?* De Doct. Christ. cap. 41. epla. 54. 119. Quæ liquidò contra eos faciunt, qui tempus veræ sapientiæ studio suffurantur, vt humanæ illud impendant; in quo, cum non vsquequaque vacare culpa deprehenderetur B. Hieronymus, quantus cætero quin vir! non minimas Deo pœnas dedisse inuentus est, sed ipsummet de se, ac contra se, tamen pro nobis loquentem audiamus, ita namque in epistola ad Eustochium virginem, Paulæ Filiam scribit: Cùm ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, & quod his difficilius est consuetudine lautiotis cibi, propter cælorum me regna castrassem, & Ierosolymam militaturus pergerem; bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias, post lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio

Sap 9.6.

S. August. l. 5. Conf. c. 4.

S. August. l. de doct. Christ. c. 41.

Castigatur à Deo S. Hieronym. quòd intellectui potius quàm affectui seruierit.

S. Hieron. ep. ad Eustochium.

datio peccatorum, ex imis visceribus eruebat, Plautus (aliàs Plato:) sumebatur in manus. Si quando in memet reuersus Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus. Et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, in media fermè quadragesima medullis infusa febris corpus inuasit exhaustum, & sine vlla requie (quod dictu quoque incredibile sit) sic infelicia membra depasta est, vt ossibus vix hærerem. Interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor, toto frigescente iam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat: cùm subitò raptus in spiritu ad tribunal Iudicis pertrahor, vbi tantùm luminis, & tantum erat ex circumstantium claritate fulgoris, vt proiectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille, qui præsidebat: Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Illicò obmutui. & inter verbera (nam cædi me iusserat) conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans: *in inferno quis confitebitur tibi:* clamare autem cœpi, & eiulans dicere: miserere mei Domine: miserere mei. Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua prouoluti, qui astiterant, precabantur, vt veniam tribueret, adolescentiæ, & errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam maiora promittere, Deum iurare cœpi & nomen eius obtestans dicere: Domine, si vnquam habuero codices sæculares, si legero, te negaui. In hæc sacramenti verba dimissus, reuertor ab superis, & mirantibus cunctis, oculos aperio, tanto lachrymarum imbre perfusos, vt etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec verò inanis sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpè diludimur. Testis est tribunal illud, ante quod iacui: testis iudicium triste, quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere quæstionem, liuentes habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnium, & tantò dehinc studiò diuina legisse, quantò non ante mortalia legerem. Hæc ille: nobis vtique in cautelam, quibus par, imò maior sciendi appetitus, virtutis studium non rarò exstinguit. An absimile esse diximus, quod de B. Alberto Magno in Prædicatorum annalibus scriptum est? non reor. Fidem faciet historicus: Sextò decimo ætatis anno in eum ordinem cooptatus, cum in literis pœnè nihil proficeret, eò quòd ingenio, ac memoria esset tardiore, tanto affici tædio cœpit, vt etiam de religiosa vita deserenda tentaretur. In qua fluctuatione dum hæret, visum est ei nocte quâdam, cùm scalis ad monasterij muros admotis, abitum pararet, apparere matronas quatuor, venerabili admodum vultu, quarum vna deinde altera, semel iam, atque iterum scandentem manu impulsum deturbaret: cum autem tertiò idem conaretur, interrogatum esse à tertia, quid nam ageret, & qua de causa? qua exposita, monuisse illam, vt opem potiùs à quarta matrona, quæ Dei Mater, cælique Regina esset, exposceret, se verò eum cum reliquis, deprecatione adiuturam. Paruit ille: & benignè acceptus à virgine, insuper etiam interrogatus est, vtrâ scientiâ excellere mallet diuina an naturali? Tum adolescens, qui pro ætate nihil adhuc altiùs gustasset, cum Philosophiam nominasset, fiat, inquit illa, quod petiisti. Sed tamen quia scientiam hanc, filij mei scientiæ prætulisti, extrema vita omnem perdes doctrinam, & in hanc ipsam, quam nunc exues, hebetudinem recides. Nec mora, viso dilapso, statim se mutatum sensit, quidquid audiret, quidquid legeret, facillimè capiebat. Quare cum talis tantusque vir euasisset,

Visum B. Alberti Magni & infelix electio.

multos annos tum docendo, tum scribendo consumpsisset, triennio antequàm è vita migraret, dum publicè è Cathedra loqueretur, repentè vniuersam sibi memoriam rerum omnium, quas tenebat, funditus excidisse sensit, mitiore vtique pœnâ edoctus, diuinam scientiam, quæ potissimum in virtute consistit, præ humana, quam Apostolus possessorem suum inflare docuit, amandam omnibus, quærendámque esse, ne aliquando in nos ea cadat reprehensio, aut probrum, quo *Franciscus Sampsonius* 39. totius ordinis minorum supremus præfectus quosdam in generalibus monastici sodalitij sui comitiis perstrinxit, dicens: *Maiores nostri Deo placere, eique cum primis obsequi cupientes, duce conscientiâ, actiones suas instituebant, atque ita beati erant, vt nulli magis. Successores conscientiam subrigere volentes, eam capite suo truncârunt, vt sola restaret scientia: cui præcipuè incumbentes, suasque cogitationes in ea consumentes istuc deuenerunt, vt quo priorem modo conscientiam scilicet, exceperant, & hanc scientiam nimirum, tractarent, suo scilicet capite eam despoliando, remanente solum τὸ entia.* Quid autem ea sint, norunt Philosophorum filij, qui duo nobis eiusmodi nomine procuderunt: reale vnum, & alterum rationis; quorum primo hîc deficiente, restabat alterum, quod per solam rationem seu cogitationem est, cætera nihil, nisi cassa vanitas, quam scientia virtute destitutâ progignere solet, vnicum ac solum eorum peculium, qui scientiam virtuti anteponunt: dum ideas sibi effingunt in aëre, respublicas platonicas: optima ac sanctissima simulachra perfectionis, entia intellectus, ac voluntatis, quibus manum nunquàm admouent, quæ digito contingere, executione subsequi, impensa ac studio singillatim decernere reformidant: è quorum numero eos esse dixeris, quos S. olim Bernardus serm. 36. in Cant. his verbis perstrinxit: *sunt*, inquiens, *qui scire volunt eo fine tantum vt sciant & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est: & sunt, qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, v.g. pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est. Omnes isti fines appetitum mouere possunt, & in horum electione sæpè fallitur, homo cum non animaduertat, quid præcipuè mouere se debeat; atque hic error est admodum periculosus.*

Francisci Sampsonis conscientia, scientia, entia.

Scientia absque virtute vana. S. Bernard. serm. 36. in cantica.

Cuius quanta nobis imminere soleant supplicia, vel hinc dabitur cognouisse; Annus labebatur à Christo nato M.CC. I. cum, teste Spondano, accidit, vt quidam Theologus Scholæ Parisiensis, sibi nimirum fidens, omni repente memoriâ priuaretur. Rem memoria dignam, quâ discant sublimissima quoque ingenia sapere ad sobrietatem. Narrat Matthæus Paris ex relatione sibi factâ ab Episcopo Dunelmensi, qui vidit: eiusque summa est, Theologum illum Simonem nomine, cognomento Churnai ingenio capacissimum, & memoria tenacissimum, cùm per decennium scholas artium nobilissimè rexisset, indeque se ad Theologiam conferens, adeo intra paucos annos profecisset, vt quæstiones subtilissimas facillimè solueret; accidisse quâdam die, cum in frequentissima Auditorum corona difficillimas de summa Trinitate propositas quæstiones perquam dilucidè, eleganter, & catholicè, ingenti omnium stupore enodasset, hortarenturque publicè familiares, vt eam disputationem litteris commendaret: eundem his insolentiore fastu abreptum, oculis in cælum elatis in hæc verba temerè prorupisse: ô Iesule, Iesule, quantum in hac quæstione confirmaui legem tuam, & exaltaui te: profectò si malignando & aduersando vellem, fortioribus rationibus, & argumentis scirem illam infirmare. Nunquid huic verè dixeris, quod olim Præses Festus perperam dixit Apostolo: *insanis Paule, multæ te litteræ ad insaniam conuertunt?* Act. 16. Solenniter profectò ille desipit, qui credat Deum inueniri in scientia, quam viæ dux chari-

Lapsus Simonis de Churnai qui plus intellectui quã affectui dederat.

Spondanus ad annum M.CC.I.

Act. 16.

charitas non præcedat. Quod hic patuit clarè: vix enim præfata verba finierat, cùm penitùs elinguis obmutuit, adeoque sapientia eius infatuata est, vt quamuis vltione diuinâ aliquantum mitigata, linguæ vsus, vtcunque redditus fuerit, vix tamen posteà intra biennium prima literarum monumenta cognoscere,& orationem Dominicam, simbolumque Apostolorum, memoriter discere, ac balbutiendo potuerit pronuntiate. Spondan. An. 1201. Quis hunc credat tum primum à Deo excidisse, & non multo ante scientiarum abysso fuisse absorptū, quam ingressus fuerat sine virtute.

Eadem supplicium.

Quis itaque Medicinam adferat, aut remedium ponat? quo noster potissimum spectat susceptus labor. Cogitanti itaque, & rem hanc attentiùs expendenti non vnum aliquod ex Machaone quodam aut Podalirio occurrit, sed varia ex probatissimis SS. PP. apothecis alexipharmica, quibus tanto malo leuamentum afferamus.

Varia remedia contra hoc malum.

Primum est considerare diligenter, quantò virtus excellentior sapientiâ sit, quantòque diuina sapientia humanam transcendat, vt hinc resciat homo, quàm consentaneum rationi sit, plus laboris ac temporis vni, quàm alteri impendisse. Habeat mundi sapientia, omnem quam desiderare potest excellentiam, non poterit tamen, vel vnam hanc effugere miseriam, vt omne commodum & gaudium, quod ex ea speratur, vnà cum vita non transeat. Quid tristius, quàm tot sumptibus, & ærumnis quærere, quod tam citò petit? hæc ea caussa est, quæ Philosopho illi, de quo S. Hieronymus scribit ad Nepotianum, lachrymas excussit, dum moriturus, eo tempore diem suum obiret, quo primùm sapere inciperet: etenim si quod damnum, si qua iactura in hac vita deplotanda sit, certè ea mors est viri sapientis, tunc enim in terram abiicitur vas nobile tantis impendiis ac laboribus efformatum: vera itaque perfectaque sapientia, sequi consilium Saluatoris, dicentis: *nolite thesaurisare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur: Thesaurisate autem vobis thesauros in cælis, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt nec furantur.* Matth. 6.19. excellentibus nimirum charitatis actibus voluntatem præstat exercere, quam vanis futilium rerū argumentationibus intellectū occupare, cùm illi durent perpetuò, hæ verò cum vita finiantur.

Primum remedium. Expensa virtutis excellentia sapientiâ scientiam.

Matt. 6. 19

Vnde factum legimus magna illa Ecclesiæ lumina Basilium, Gregorium vtrumque, aliosque studiis ac litterarum exercitatione sepositis, sibi ac virtuti ad aliquod tempus vacasse impensiùs. Quin & Ioannem Damascenum à Virgine matre sui amantissima eodem impulsum, vitæ author testatur. Erat Ioannes in artium encyclopedia absolutissimus, orator excellens, Mathematicus, Astrologus, Philosophus, Theologus instructissimus, egebat autem in hac scientiarum magnitudine & copiâ, humilitate & caritatis calore, quo malignitatem inde canalibus occultis se diffundentem excoqueret, in Lauram itaque virtuti operam daturus secessit, ex qua non tam doctior, quàm sanctior egressus fuit.

Exempla Sanctorum virorū qui remedio illo vsi sunt.

Alij cum S. Paulo totos se ad solum Christum discendum & sciendum transtulerunt, alij à studio legum, caussarumque ciuilium cum Chrysostomo, à Philosophia cum Boëtio, à politicæ gubernationis peritia, cum Ambrosio: ab eloquentia sæculari cum Cypriano, Arnobio, Paulino ad sanctam scholam transiuerunt, vt scientiam Christi altius imbiberent,& voluntatem præ intellectu exercerent.

Alterum est, cùm lex tota, omnisque ratio euincat, debere nos sic litterarum studia incumbere, vt meliora neutiquam omittantur, docente S. Ioanne Chrysost. *magnam esse hominis vesaniam ornare ac polire linguam, vitam autem nec componere nec ordinare;*

II. Remedium. Meliora minus bonis præferre.

S. Ioan. Chrysost.

ordinare; expediet monentem Bernardum frequentius auscultare, his ac similibus verbis intonantem: *A te tua consideratio inchoet, ne frustrà extendaris in alia, te neglecto. Quid tibi prodest si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum verò? vt quidem sentiam ego: totum. Noueris licet? omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid struxeris extra te, erit instar congesti pulueris ventis obnoxium & procellis. In acquisitione salutis, nemo tibi germanior, vnico matris tuæ. Contra salutem propriam cogites nihil. Minus dixi contra, præter debueram dixisse, lex enim charitatis non patitur, cuiquam nos benefacere, cum manifesto proprio damno.*

Optima iuuandi proximi via semetipsum ante iuuisse. Sed quid erit, si probauero non tantum non minui, sic proximi vtilitatem, sed incredibiliter quoque augeri, vnamque solam & optimam viam iuuandi proximum esse, ante omnes, iuuare semetipsum? super quo, ne quidquam addubites, paucis te rationibus confirmo.

Ratio I. Prima sit, cum sole clariùs sit, verum ac proprium instrumentum quo proximum iuuemus, veram esse sapientiam; hanc autem absque quotidiano virtutum vsu, atque experientia obtineri non posse, demens sit qui illis præteriris, se ad opus illud accingat. Id quod apertè testatum reliquit Augustinus his verbis: *Multos reperimus negligentissimos iustitiæ, & auidissimos sapientiæ: hos docet scriptura diuina peruenire non posse ad id, quod appetunt, nisi seruando quod negligunt.* Optime profectò ac sapienter.

Ratio II. Secunda ratio est, Animas ad Deum conuertere nobilissimum opus est, ac vires naturæ longè exsuperans, quo deprauata hominum natura vincitur, ac mala eorundem consuetudo, quæ naturæ vix cedit, vnà cum hoste potentissimo cacodæmone superatur, vt autem tantæ vires opprimantur, superiore potentia opus est, quæ cùm in terra non reperiatur, è cælo arcessenda est, vnde non tam studio ac labore, quàm bonæ vitæ meritis obtineri solet, vt rectè dici soleat, eos qui ad Deum conuertuntur, non minùs filios lachrymarum, quàm verborum appellandos esse.

Tertiò, grauius turpiusque labuntur homines suorum affectuum ac passionum corruptione, quàm ignorantia veritatis: ergo quicunque aliis ad salutem adducendis incumbunt, voluntati eorum mouendæ potiùs, quàm intellectui erudiendo insistere debent: quod nisi in seipsis experti fuerint, nunquàm in alio assequentur, vti in ethnico Oratore M. Fabio Quintiliano facile est demonstrare, sic namque ille in rem nostram lib. 8. Institutionum. *Summa huius rei, quãtum ego existimo in hoc consistit, vt si alios mouere, velimus, ipsi prius moueamur. Tali ex animo proferri debet oratio, quæ mouebit. Nam quî fieri potest, vt doleat alter, qui audit, nisi ego priùs doleam, qui loquor? quomodò irascetur ille, qui videt me alium ad iram velle accendere, & ipse non irascar? quomodo lachymabitur, qui me siccis oculis dicere conspicit? fieri hoc non potest: Nihil enim accendit, aut ardere facit, quàm ignis,; nihil aliud humectat, quàm aqua: nec quisquam alteri calorem potest communicare, quem ipse non habet.* *Ratio III.* *Quintiliani l. 8. Instit.*

Secundùm itaque Oratoris huius mentem, homo affectu feruens præ altero, quantumuis sapiente, sed frigido & virtutis exsorte: melior & ad docendum aptior habendus est, atque ex consequente, virtuti potiùs, quæ affectum incendit, quàm scientiæ, quæ intellectum, & serò quidem perficit, operam dabis.

Addo præclarum monitum ab excellentissimo animo Ioannis Pici Comitis Mirandulani ad amicum olim transmissum, quo finem huic commentario imponam: *Vide, mi Angele, inquiebat, quæ nos insania teneat. amare Deum, dum sumus in hac vita plus possumus, quàm eloqui, vel* *Ioannis Pici Mirandulani præclara in rem præsentem sententia.*

cogno-

cognoscere: Amando minus laboramus, nobis magis proficimus, illi magis obsequimur, & tamen volumus quærendo per cognitionem, nunquam inuenire quod quærimus, quam amando possidere, quod sine amore frustrà etiam inueniremus. Quæ omnia ritè expensa, atque attente considerata satis superque commonstrant, quàm vtile ac fructuosum sit adiuuandos, erudiendosque in via virtutis homines virtutem scientiæ, Dominam ancillulæ anteposuisse, cùm enim, vt Philosophi aiunt, *simile sibi simile progignat*, homo hominem, bestia bestiam producat; nihil certiùs, nihil efficaciùs fuerit ad generandam virtutem ipsâ virtute?

Rectè itaque ac sapienter Ignatius: *Minus de scientia, plus de virtute*, non vt hanc illa planè destituat, sed illam hæc vt potior antecedat, iuxta vetus oraculum:

Parant perennem gloriam virtus & Eruditio,

APOPHTHEGMA QVINTVM.

HÆc tria dicebat, proprias esse, in religiosa familia, Tesseras bonæ disciplinæ:

I. Si claustrum, siue, vt vulgariter dicunt, clausura, exactè in ea custodiatur.

II. Si domus mũda sit, nec puluere obsita, aut sordibus obsoleta.

III. Si lex silentij inuiolatè inibi seruetur.

P. Oliuerius Manaræus in epist. Cornel. à Lapide in c. 30. Isaiæ v. 15. Nicol. Lancicius opusc 5. Sp. c. 4.

Commentarius.



PAce tuâ, Rex magne sapientum, ac Regum omnium sapientissime, vti mihi liceat verbis tuis lectissimis, quibus olim Hierosolymitanum populum allocutus es, eisque parentem meum donare Ignatium qui, cum & ipse sapientiæ laudē floreret eximiâ, *composuit parabolas multas, quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos*, quibus nos omnes in hoc mundi senio, & instruere voluit, & à vitiis plurimis abductos, incumbere ad virtutem. (Eccle. 12. 10.)

Nec id cuipiam nouum videri debeat, aut mirandum, *verbo enim sapientum sicut stimuli, & quasi clam in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno.* Eccle. 12. 11. (Eccle. 12. 14.)

Talis namque S. Ignatius fuit, qui non tam vocendo, & exhortando quàm factis ad virtutem nobis voluit præluxisse, dum vt alter Ecclesiastes, *quæsiuit*, iuxta 70. *vt inueniret verba voluntatis scriptum rectitudinis, verba veritatis, siue vt Olympiodorus vertit, conformia voluntati diuinæ, quæ qui sequitur, adipiscitur gloriam felicitatis æternæ*: quare sicut stimuli boues pungunt, vrgentque aratro terram proscindere: ita & eiusmodi verba excitant nos, qui bonâ spe aramus, & noualia cordium nostrorum excolimus, vt cùm purgatus fuerit ager noster, pulchos in eo virtutum surculos conseramus; illis intereà verbis quasi clauis confixi manentes Christo crucifixo, dum per ea crucifigimus vitia nostra, omnesque prauarum affectionum & cupiditatum (*S. Ignatius verbo potens & efficax.*)

tum motus : non tam quod hæc Ignatij, quamuis reapse Ignatij, verba sint, quàm quod Dei Pastoris summi ác Principis nostri, qui per Ignatium, eis nos voluit erudire, à quo insuper ille, ceterique omnes suam debeant sapientiam haurire, vt his ampliùs requirendum sit nihil.

Et horum quidem ex numero ea, quæ præsenti hoc Apophthegmate attulimus, ab ipso Ignatio crebris vsurpata sermonibus iure dixerim reputanda, quibus dum congruam religiosæ domus æconomiam nobis aperuit, quid omnibus in ea tùm fugiendum, tùm sequendum liquidò demonstrauit. Sed ante ex fonte iuuerit ea arcessiuisse, sic enim de his P. Oliuerius Manaræus oculatus atque auritus horum omnium testis, in ea quam ad Nicolaum Lancicium super vita, & moribus Ignatij dedit, scriptum reliquit : *Commendata valdè habebat, & commendata esse filiis, præsertim superioribus volebat tria, quæ ad disciplinam externam & decorem religiosæ domus valdè pertinent. Primum erat Claustrum. 2. Mundities domus vniuersæ, ac vestium. 3. Silentium. Quæ indicia esse dicebat bonæ atque integræ disciplinæ.*

Oliuerius Manaræus epist. ad Nic. Lancicium

Quid Claustrum significet, & quomodo custodiendum.

Suarez to. 4. de relig. l. 1. Comitolus l. 6. resp. moral.

Ad primum itaque quod attinet, quod Claustri siue, vt minùs iam latino vocabulo nuncupant Clausuræ nomine intelligatur, exquirendum est. Franciscus Suarez tomo 4. de relig. lib. 1. cap. 6. Comitolus lib. 6. Resp. moral. q. 3. dicunt Claustri nomine venire locum illum, qui continetur clausâ cœnobij ianuâ, ad quem sæculares nequeunt accedere; duplici autem modo solere id à Religiosis obseruari : primò non egrediendo extra illud, secundo non admittendo personas extraneas sæculares intra illud. In quo, vt certa ab incertis separando, tutò & clarè procedamus, notandum hîc nos loqui de Religiosis, qui profitentur vitam communem seu cœnobiticam, quales nunc in Ecclesia plurimi reperiuntur: nam si status religiosus consideretur vt in Apostolis fuit, vel in vita solitaria esse potest, hanc obseruantiam necessariò non requirit.

Secundò, Non loqui nos de exitu à monasterio, vel religiosa domo, animo fugiendi ab obedientia Prælati, quod suppositâ professione, ex genere suo peccatum mortale est.

Denique supponere nos, licèt nullum in iure canonicum reperiatur decretum, quod huiusmodi præceptum satis probet, tamen in Religiosis aliquam esse obligationem non exeundi è Claustro, sine licentia Prælati, quod tum ex Regulis, tum ex vsu constat, quamuis pro vario fine, quem illi sibi diuersimodè præfixerunt, ea maior, vel minor inueniatur, vt patet in Carthusianis, qui per statuta prohibentur egredi claustrum, sine licentia Prioris Generalis, præterquam in raris casibus, eorum constitutionibus expressis. Adde omnes pœnè familias Monachales maiorem clausuram ex vi suæ regulæ profiteri, quam Mendicantes, quia non profitentur mendicitatem, aut ministeria, quæ sine egressu è claustro commodè fieri non possunt: imò inter ipsas monachales familias, quasdam obseruare strictiorem clausuram : neque id solùm, sed & intra eandem religionem quædam monasteria ex peculiari constitutione, vel consuetudine ad strictiorem obligari, vt in religione S. Benedicti Cassinense monasterium in Italia : Montis Serrati in Hispania : & inter Canonicos Regulares illustre cœnobium S. Crucis in vrbe Conimbrica, & insigne eorumdem monasterium Rubræ vallis in Zonia, iuxta Bruxellam in Brabantia, in quibus gradus, & modus obligationis iuxta proprias vniuscuiusque constitutiones attendenda sunt. Sed his, vtpoti rarioribus paulisper sepositis, ad ea, quæ sæpius contingere amant, veniamus.

Obligatio ad Claustrum.

Dico itaque, quamuis nullum sit in iure canonicum decretum, vt suprà dixi, quod præceptum non egrediendi extra claustrum sine legitima facultate satis probet, hanc obliganem

nem ex genere suo talem esse, vt contra eam possit grauiter peccari, cuius fundamentum est ius superioris ad gubernandum, & subditos suos custodiendum, quod grauiter per eiusmodi exitus lædi potest. Nam in primis subditus ita esse debet sub potestate superioris, vt ab illo possit gubernari & custodiri, à qua subiectione multum subtrahitur, per fugam, vel discessum à monasterio, inuito, vel inscio Prælato. Nam si discessus sit diuturnior, quoad moram, priuatur quodammodò Prælatus potestate imperandi; Si autem discessio sit ad modicum tempus quoad quantitatem, graue autem quoad qualitatem, vt sic dicam, quia nimirum est tempus requirens maiorem custodiam, & permansionem sub potestate Prælati, eâ ratione etiam tollitur prælato subiectio; seu ius debitum illi in materia graui: vt si filia furtim discedat à domo paterna, præsertim tempore vespertino, nam licet aliàs in indiuiduo fingamus non peccare grauiter, neque ex intentione, neque ex periculo; ex iniuria tamen quam facit domui paternæ, & fidelitati illi debitæ, grauiter peccabit: non est autem minus religiosa castitas, & decentia seruanda.

Et iuxta hanc ponderationem explicata hæc obligatio, satis innuit, quanto cum fundamento S. Ignatius, ex huius rei obseruantia religiosæ disciplinæ fulgorem metiendum esse existimârit: contra verò, ab eiusdem neglectu, vitia multa, defectusque irrepere consueuisse; quæ vineam Domini Sabaoth aprorum instar depascantur: quare, cum nemo de repentè soleat fieri pessimus, Ascetarum principes, vias omnes & aditus obstruendos esse censuerunt, quibus istuc hominem deuoluendum metuebant, vnde rebus suis saluis regredi posse formidabant.

Ratio obseruationis ad Claustrū.

Et in hanc quidem rem varios illi modos excogitârunt, quorum, ne fusior sim, pauculos ad propositæ rei facilitatem augendam statui afferre.

Primus sit, sæculares omnes, externasque personas ingressi ad penitiora cœnobij loca, vt sunt triclinium, cubile, communes exedræ &c. arcere. De qua re licèt nihil inueniatur generali lege Canonicâ statutum in corpore Iuris, neque quoad virorum, neque quoad fœminarum ingressum in talia monasteria, exstant tamen motus quidam proprij, tum Pij V, tum Gregorij XIII. summorum Pontificum circa ingressum fœminarum in monasteria virorum; quibus iam isti parti satis præcautum est. Ad aliam verò quod attinet supponendum est seruandas hîc esse regulas vel constitutiones singularum religionum, in quibus si nihil sit pertinens ad prohibitionem huius ingressus, nulla quidem erit circa hoc specialis obligatio positiua, sed sola naturalis, quæ nasci potest, vel ex decentia religiosa vel ex necessaria cura seruandæ disciplinæ, vel vitandi scandalum, tam illud quod sæculares religiosis dare possunt, quàm istud, quod à Religiosis possunt eidem capere sæculares, etiam sæpè sine culpa eorum, vt eleganter tradit S. Basilius in Constitut. monast. cap. 7.

Primus modus seruandi clausuri. Arcere sæculares.

Quocirca ex vi sui muneris tenentur Prælati, etiamsi peculiaris regula nihil iniungat, conuenientem vniuscuiusque statui hac in parte adhibere cautionem, vt non facilè personæ sæculares intra claustrum, & præcipuè ad eius interiora loca ingredi permittantur, cùm quies à strepitu sæcularium separata, religiosis animis maximè necessaria sit, teste S. Bernardo epist. 78.

Verum quidem est id conuenire præcipuè his qui vitam putè contemplatiuam profitentur, vt sunt Carthusiani, Camaldulenses, &c. quorum priores habere hanc dicuntur prohibitionem, vt ne fœminas in templum quidem admittant, vnde solent ianuam Ecclesiæ habere intra septa, seu muros totius monasterij nihilominus tamen his quoque, qui miscent actiuam, debita quoque moderatio necessaria est, ne disciplinæ vigor hîc instingatur, vnde à sæcularibus

S. Bernard. ep 78.

V

ribus contemnantur, & ad sæcularia, nimiâ eorum familiaritate, trahantur.

Ioanna Francica suis puellarũ scholas interdixit, ne clausträ violetur.

Quod præ cæteris aduertisse legitur Ioanna Francica, quam virgines religiosæ, ab Annuntiatione dictæ, fundatricem colunt, cùm suis puellarum scholas interdixit, ne claustri religio ab iis quidquam, vt fieri solet, pateretur, rata eisdem viis, quibus commensales illæ puellæ ad eas ingrediuntur, sæculi quoque mores ac vanitates irrepere consueuisse. Nicol. Gazet. in vita.

Nicolaus Gazet in vita.

Maria Victoria summam claustri religionem suis commendauit.

Quo etiam spectasse crediderim V. Mariam Victoriam fundatricem Ord. Annuntiatarum cælestium, quæ clara meritis & miraculis Genuæ viuere desiit anno 1617. in cuius constitutionibus summa Claustri religio elucet, dum ostiarias Crates duplici clathro, ferrea insuper lamina, angusti oris foraminibus terebrata, quam ex parte interiori tela nigra obuelet claudi voluit ac præmuniri, nec vnquam vllius gratiâ, prætérquam ter in anno, ad patris, matris, fratrum, ac sororum desiderium, vt filiam aut sororem salutare, viderequé possint, aperiri, diuersis ad hoc clauibus, quarum vnam, superior, alteram vicaria habeat, requisitis.

Cùm verò eiuscemodi subinde ingruere possit necessitas, vt vel Confessarius, Medicus, aut Chirurgus septa debeant intrare; vt sua stare possit claustro integritas, valetudinarium in omnibus voluit cœnobiis iuxta domus portam ædificari, ne sæcularium pedes plusculum è religioso fundo calcare cogantur, quàm necesse est. Nisi hoc sit clausuram diligere, amens sim.

Secundus modus ostiorum obserato.

Alterum quod huc facit, est, neque clauem in ostio relinquere, neque noctem Ianitori permittere, quod, præterquàm omni prudenti æconomiæ repugnet, ansam præbere solet liberiùs euagandi. Vnde Societas Iesu iuxta mentem S. sui Fundatoris, regulâ 13. Ianitoris, in hunc modum præscribit. *Obserata semper ianua sit, clauisque in porta ne relinquatur.* Iterum reg. 4. *Portas domus ante noctem claudat, exinde verò eas nullius causâ aperiat, nisi de præpositi, aut rectoris expressâ licentiâ: & antequàm cubitum eat, claues eidem tradens, si quis foris maneat, illi renuntiabit.*

Regula Societat pro Ianitore.

Constitutiones Annuntiat. Celest.

Idem notasse visa Maria victoria fuit, dum Constitut. suarum cap. 6. sic loquitur: *Curam ianuæ habebunt duæ seniores, maturo consilio ad hoc electæ, quam nunquam absque vrgente necessitate reserabunt: duæ, eæque diuersæ ad hoc seruient claues, quarum vnam seruabit superior Ianitrix alteram. Nullaque erit vel fenestella, vel rima in porta.*

Tertius modus Claustri. In alterius cubiculum non intrare.

Tertium, quod ad Claustri obseruantiam spectat, maximè in iis monasteriis, vbi disciplina integrior viget, est; vt alter in alterius cellam, aut cubiculum ingredi prohibeatur sub pœnis in Constitutionibus decretis, vt patet apud Camaldulenses l. 1. const. 22. vbi transgressoribus graues pœnas communicatur.

Camaldulenses & Montisoliuetani seuerè multãt ingredientes aliena cubicula. Vti & Eremitani Prædicatores, Cistercienses.

Monachi verò Montisoliuetani, panis & aquæ ieiunium intranti sine licentia, imponunt. Eremitani ter idem ieiunium repeti iubent in medio triclinio. Prædicatores in reformatione Trinacriæ, violatoribus inferri mandant pœnas longè grauissimas, inhabilitationem ad sacros ordines, & priuationem vtriusque vocis in quinquennium. Nec desunt qui inter casus reseruatos Superiori, locauerint ingressum in cellam alienam, quod de ordine suo Cisterciensi in Hispania tradit Hieronymus LLamas & quamuis tantùm veniale peccatum sit, vt idem notat p. 1. meth. curæ anim. c. 7. §. 13. Religionem tamen longâ experientiâ eruditam, hunc ingressum, ex adiunctis, vergere in magnum damnum religionis, ita statuisse: Nec defuit hic S. Ignatius, ne plus verbo, quàm reipsâ monuisse videretur, quare prudenti, ac minimè austero spiritu suo, sic regula communium 33. loquitur: *Nemo in alienum cubiculum ingrediatur sine generali, aut speciali superioris facultate.*

Regula S. Ignatii prohibet ingressum in alienum cubiculum.

Eodem

Eodem ſpiritu ducta Maria Victoria fuit, cum de modeſta ſuarum conuerſatione loquens, ſic cap. 9. ſcribit: *nemo alienam cellam ſine expreſſa ſuperioris facultate intrabit, quæ ſecùs faxit, puniatur.*

Id voluit Maria Victoria.

Cur autem id tantopere vetuerint maiores noſtri, non vna cauſa eſt, prætermitto otioſa colloquia, quibus, cum in patentibus locis propter aliorum oculos, non ſit tutus illapſus, ſolent tepidiores in ſodalium ſe abdere cubicula, vt liberius ab aliorum cenſura remoti otientur, & nugacibus collocutionibus tempus fallant.

Transeo curioſitatis pericula non parua, quibus eiuſcemodi homines ſolent ſtimulari, aliaque non pauca.

Hoc dico, quod antè innueram, prohibitionem hanc ad Clauſtrum, ſiue Clauſuram, reſpicere, ne dum alter in alterius cellam, ſuâ temerè egreſſus, irrumpit, illius quietem, ſtudia, orationem conturbet: Nam, vt benè aduertit Fortunatus Scacchus ex ord. Eremit. S. Auguſtini vir doctiſſimus. lib. de ſignis ac notis ſanctitatis ſeruorum Dei ſect. 6. c. 4. certum indubitatumque eſt, ad religioſi cuiuſque perfectionem plurimum conducere, vt ſeipſum colligat frequenter intra ſepta, non tam monaſterij, quàm etiam cellæ, his dando operam ſtudiis quæ inſtituti, quod profitetur, propria cenſentur, qua etiam de cauſa, vt idem author ſect. 7. c. 2. ſubiungit, tanto cum rigore clauſuram demandari monialibus conſueuiſſe, vt altera in alterius cellam ingredi prohibeatur, ſub pœnis in conſtitutionibus expreſſis.

Fortunatus Scacchus l. de notis Sanctitatis ſeruorum Dei.

Quartum denique quod ad Clauſtri integritatem facit, eſt, rarius, ac non niſi cum ſuperioris facultate domus veſtibulum ad ſermonis cum externis congreſſum, adire, aut per vrbis plateas, vel compita abſque neceſſitate vagari.

Quartus modus ſeruãdi Clauſtri Rarius ad portam accedere, & cum facultate.

Spectare id viſi ſunt antiqui Patres, ac ſacrorum ordinum Conditores, vt legere eſt in regula Carmelitarum, quæ creditur eſſe S. Baſilij, vbi dicitur cap. 6. *maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes.* Ex quibus à fortiori ſequitur obligatio manendi in clauſtro.

Regula Carmelit.

S. Bernardus ſerm. 1. de S. Andrea, monaſteria comparat ſtagnis, in quibus piſces non habent euagandi facultatem. Quod Eugenius Papa cap. placuit ſecundum 16. q. 1. ſic expreſſit: *ſit clauſtro ſuo contentus, quia ſicut piſcis ſine aqua, caret vita, ita ſine monaſterio monachus.*

S. Bernard. ſerm 1 de S. Andrea.

De Cochlea narrant rerum naturalium ſcriptores eam teſtâ ſuâ quantumuis læsâ nunquàm egredi. Tantus amor clauſtri! quod certè religioſus non malè emuletur.

Exemplum Cochleæ.

Et ne quis id ſolos monachos, quibus clauſtrum ſecundum etymologiam nominis præcipuè competit, dicere arbitretur, Innocentius III. in cap. quando de offic. ordin. loquens de omnibus, ſic inquit. *Ad audientiam noſtram noueris perueniſſe, quod monachi, Canonici, & alij regulares tuæ prouinciæ, cùm deberent potiùs in clauſtro, iuxta regularia inſtituta, diuinis obſequiis inuigilare, clauſtrum abhorrentes, per curias Principum diſcurrere notentur,* &c. Propter quod adeo eſt in iure odioſum hoc cacoëthes, vt nouiſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ. 15. c. 4. de Regularibus, ſtatuerit in hunc modum: *Non liceat Regularibus à ſuis conuentibus recedere, etiam prætextu ad ſuperiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſi, aut fuerint euocati.* Quare vt benè aduertit Fortunatus Scacchus ſect. 7. c. 2. tanti res hæc fieri conſueuit, vt quoties de aliqua Dei famula Moniale Sanctorum faſtis adſcribenda agitur, conſiderari in actis eius debeat, an facilè ad exedram collocutionis, loquutorium vulgus appellat, conſueuerit adire, quibus horis, ac temporibus, an cum ſuperioris facultate, an ſine licentia, & alia eiuſmodi, quæ clauſuram reſpiciunt.

Innocentius III. in cap. quando de off. ord.

Conc. Trident. ſeſſ. 15. c. 4.

Fortunatus Scacchus ſect. 7. c. 2.

Nec enim ad ſanctitatem alicuius Dei famulæ, quantum ſpectat ad clauſuram ſufficit, intra definita monaſterij ſepta ſe continuiſſe, niſi

quam rarissimè, ac penè inuita ad parthenonis procæronem vt cum externis colloquatur, accesserit, id enim est hodie Monialibus commune illud colloquium in monasteriis perpetuæ clausuræ, quod Regularibus viris egressus è cœnobiis, seu discursus per ciuitatem, atque adeo vt illis ab infrequentia vestibuli ad sermonis congressum, ita & his à raritate egressus, aut colloquiorum ad ianuam non parui erga clausuram affectus, nec minoris sanctitatis nota accrescat, vnde non immeritò S. Ignatius hanc probæ disciplinæ tesseram esse pronuntiauit.

Quod viris egressus è cœnobio id monialibus accessus ad colloquium rium.

Sed de hoc satis, ad alterum laudabilis disciplinæ caput veniamus, quod in vniuersæ domus munditia idem S. Pater situm esse volebat.

Alterum caput laudabilis disciplinæ domus munditiei.

Ad munditiem itaque hanc quod attinet, duplici illa modo accipi solet. Primò vt significet nitorem quendam domus cum elegantia coniunctum, quem sæculares homines in familiis suis efflictim prosequuntur, quaque sui similes capi non ignorant. Sed de vana hac, & populari munditie *Ignatius* noster non agit, alia est, quam instinctu quodam occulto nobis commendat, scilicet, singularis quidam ac religiosus nitor, qui totus existit ex amotione sordium, & omnis inquinamenti priuatione, diciturque à S. Hieronymo, neglecta, mundities, quia cultum, ornatum, artificium negligit, hoc solo contenta, quòd non sordeat, quòd omni careat immunditiâ, quòd omnem sorditudinem, vt Plautus loquitur, illuuiemque solam studeat absterfisse, & de hac nobis hîc sermo est, quæ iure ab omnibus probatur, meritoque referri debeat, ad decorum religiosum, quemadmodũ eam Cicero retulit ad decorum morale.

Quid per munditiem intelligatur

Et hanc nobis occulto quodam sensu natura solet commendare, dum quotquot sapimus, quæ huic contraria sunt, non segniter facit auersari.

Secundò dum quotidiano & obuio variorum animalium exemplo id ipsum nobis ob oculos ponere non cessat, iam hirundinum, quæ teste Plinio l. 10. c. 33. notabili munditiâ egerunt excrementa pullorum: iam Apum, quæ non minore munditiâ amoliuntur omnia è medio, vt nullæ inter opera spurcitiæ iaceant, quare & excrementa operantium intùs, ne longiùs recedant, vnum congesta in locum turbidis diebus, & operis otio egerunt, vt idem Plinius lib. 10. c. 73. annotauit. Feles, aliaque domestica animalia prætereo, quæ, vt idem author est, purgamenta sua obruere, effossa terra, consueuerunt.

Plinius l. 10. c. 33.

Quæ licèt ita sint, certiùs tamen à scriptura munditiem hanc nobis cõmendatam inuenimus. Ita Deuteronomii 23. Deum legimus castra sua mundissima voluisse ab iis sordibus, quibus humana mortalitas carere non potest, idque in suis, vt ita dicam regulis, à Sp. sancto, Moysi dictatis scriptum exstare voluisse: *sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te dominus tuus, qui ambulat in medio castrorum.* Deuter. 23. 14.

Deut. 23. 14.

Quamuis autem Deum munditia nostrâ corporalis non tangat, tamen propter reuerentiam, inquit ibi Tostatus Abulensis, vult nos non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter mundos esse, quia spiritus mundissimus omnimodam munditiem diligit.

Tostatus in 23. Deut.

Atque hinc factum reor, vt à Patribus, & Religiosorum magistris munditia hæc tantopere semper laudata, suisque commendata fuisse inueniatur, Pachomio, inquam, Hieronymo, Basilio, Cassiano: Munda monasteria monachorum, & in illis omnia requirebat Chrysostomus, nec sine ratione.

Caussæ munditiæ requisitæ.

Primum namque id valetudo cõmunis requirebat, cui sordes nocere plurimum in confesso est, cùm illæ res corruptæ sint vel proximæ corruptioni: quam ob causam videmus vrbes incuria ciuium sordidas, noxiâ sæpè lue corripi, quod Galenũ Com. 3. in Hipp. de humorib. non latuit,

&

& Abulensis præceptum illud Deuteronomij, spectasse quoque populi salutem arbitratur, & quamuis non omnis immunditia morbos inducere soleat, præsertim si non sit magna; tamen benigna quorundam prudentia cupiens religiosos ab omni corporis vitio seruare incolumes, munditiem valetudinis causâ propositam voluerunt.

Quæ licèt causæ omnes idoneæ, explicatæque habeantur, est alia tamen eis non solùm superior, sed & menti S. Ignatij conformior, quæ munditiem hanc religiosis persuadeat, nempè regularis disciplinæ singulare argumentum, quod tam domesticos, quàm extraneos solet respexisse: in quibus vtrisque munditiæ cultores & bonam sibi conciliant opinionem, & offensionem tollunt, quæ ex immunditia oriri solet, quid enim pronius cogitatu, quàm istic & interiora sordescere, vbi exteriora tam spurcè fœdantur? contrà verò, interna istic præcipua debere munditia nitere, vbi externa, tanto passim nitore commendantur.

Scio quidem viros sanctissimos, eosque non paucos, sordes affectasse, afflictionis suæ gratiâ, sed respondeo illos fuisse, religiosos, non cœnobitas, sed eremitas, aut certè monachos, qui nomini respondentes suo, de monasteriis egressi, vitam solitariam in desertis locis agebant, vt Hilarion, & eius pares institutis: at cœnobitas qui vitam congregabilem in vno, eodemque conuictu contuberniòque traducebant; munditiæ rationem habuisse: mortificabant hi quidem membra sua, secundum Apostolum, mille aliis modis, quos doctrina spiritualis suggerebat, sed absque aliorum offensione, munditia conseruata, vt ex regulis Pachomij Institutionibus Cassiani liquidò patet. Quod tantò maiorem locum habet in iis, qui non modò cœnobitæ, sed etiam religiosi non monachi, sed Clerici vitam mistam colunt, sæpeque ex officio, debitoque sui muneris, cum ciuibus versari coguntur, vt non modò in Ecclesiis suis, sed & atriis, ac cubiculis moderata munditia præcellant, ne iure ab eis sæculares auertantur: quo refero illud Annæi Senecæ epist. 5. *satis ipsum nomen Philosophiæ*, (dicamus nos, religiosæ vitæ) *etiamsi modestè tractetur, inuidiosum est. Quare id agamus, vt meliorem vitam sequamur, quàm vulgus, non vt contrariam: alloquin quos emendare volumus fugamus, & à nobis auertimus. Illud quoque efficimus, vt nihil imitari velint nostri, dum timent, ne imitanda sint omnia.* Hæc ille. *Seneca ep. 5.*

Addiderim ego, multum de existimatione nostri decedere, vbi neglectus munditiæ regnare consueuit.

Sed quæ, qualis, ac quanta hæc esse mundities debeat, exquirat aliquis. Respondeo, cùm domus munditiam S. Ignatius Apophthehmate suo laudârit, eam indubiè, quæ circa res externas adhibenda est, respexisse videtur, & duplex est, publica sc. & priuata. Publica ædium partes communes omnibus, velut aulas, ambulacra, scholas, officinas, vt sunt culina, cœnaculum, templum &c. spectat: Priuata, cubiculum, lectum, libros &c. concernit, magnus siquidem thesaurus, librorum supellex est, quæ nisi conseruetur, pereat necesse est. Inter alia militaris disciplinæ præcepta, posuisse id legitur Aurelianus Imperator, vt militum arma tersa sint: & vir doctus ac religiosus arma militiæ suæ spiritualis situ, puluere, fæditatis alicuius rubigine infecta corrumpi sinet? audiat is, quod in hanc rem Seraphicus Bonauentura posteris reliquit, *indignus*, aiebat, *est libro, qui negligit custodire librum.* *Quæ, & qualis hæc munditia esse debeat.* *Duplex munditia, interna & externa.* *S. Bonauentura.*

Cura igitur non modica adhibenda est ab iis, qui vtuntur libris, ne puluere, situque sordescant, cumque aliàs muti sint, eorum socordiam proloquantur.

Proximè huc accedit proprium cuiusque cubiculum, de cuius munditie sic loquuntur Cassinenses in c. 22. reg. S. Bened. Singulis hebdomadibus dormitorium cum cellis, *Cassinenses in cap. 22. reg. S. Bened.*

 propter

propter immunditiam scopentur.

Regula S. Ignatij de verrendo cubiculo, & locis domus. Plusculum à suis exigebat *S. Ignatius*, dum in antiquis Regulis quibus Romana domus anno 1549. dirigebatur, etiam hanc posuit vt quotidie quilibet manè suum verreret cubiculum, exceptis Professoribus, & aliquibus aliis domus negotiis occupatis.

Aliâ quoque Regulâ ab eodem S. Viro præscriptum erat, vt ter in hebdomada alia domus loca omnibus peruia verrerentur, nimirum his diebus feria 2. 4. & 6. idque non alio tempore, quàm summo manè, vel post solis occasum: ex quibus tandem, Societate stabilita, exorta est

Regula 18. Comm. regula 18. communium: *singuli, etiamsi sacerdotes sint, scopis cubiculum verrant, tertio saltem quoque die, exceptis iis, qui ob occupationes maioris momenti, aut valetudinis causâ, iudicio superioris, subleuandi sunt*: quod verò his verbis Regula præcipit, est: purgare scopis pauimentum, aranearum telas amoliri, & puluerem vndecunque excutere, vt omnia planè munda sint.

S. Ignatius de mũditia. Neque his acquiescens, subiungit: *Mundities, quæ & ad valetudinem, & ad ædificationem confert, omnibus curæ sit, tam circa se ipsos, quàm circa alia omnia.*

Quibus satis superque stabilitum habemus, quod S. Ignatius prudentissimo suo aphorismo expressit, nec minùs exemplo proprio firmatum reliquit, dum quod lege statuerat, ipso opere exsequeretur, ita namque de ipso Oliuerius: Munditiei porro tam studiosus erat, vt non raro visitaret ipsemet cubicula, considerans an lectuli essent concinnè strati, libri suprà mensam benè dispositi, cubiculum benè compositum, purgatum, ac versum, nec quidquam patiebatur apparere; quod non esset congruo loco repositum, v. g. vittam nocturnam pone ceruical, vt non appareret. scopus non alibi, quàm sub lecti fulcro, vel in angulo aliquo obscuro, candelabrum similiter & calceos, vt non apparerent, nisi curiosius inspicienti.

Tertium caput laudabilis disciplina Silentium. Restat tertium Apophthegmatis huius membrum, quo præclaræ disciplinæ speciem absoluit, nempè accurata Silentij obseruatio, de qua priusquam agere instituam, vnum moneo, ac præmitto. non esse consilij mei de laudibus silentij longum hîc texere sermonem, hoc verò ostendere ad religiosæ disciplinæ dignitatem Silentium insigniter conducere, eamque admirandum in modum illustrare.

Quod vt lector meus clarè perspiciat, memoria repetet, quamuis singulari Dei beneficio solus homo præditus sit loquendi facultate quam ob causam Chaldæus paraphrastes, quod vulgatus interpres conuertit, *& factus est homo in animam viuentem, reddidit & factus est homo in animam loquentem*, significans loquendi vim hominis vnius propriam esse, Gen. 2. 7. quâ animi sui sensa aliis aperiat, tamen cum humanâ naturâ originalis culpæ labe valdè vitiata sit oriri non rarò necessitatem tacendi, ne varia sua loquacitate in vitia non pauca labatur, quod regum ille sapientissimus Salomon prudenter aduertit, cum dixit Eccle. 3. 7. *tempus tacendi, & tempus loquendi.* Eccle. 3. 7. Nec prophetas latuit, nec Apostolos fugit, vnde factum est sanctos Patres sacrâ scripturâ, tamquam magistrâ eruditos, nihil magis in sanandis moribus, quàm hunc loquendi modum suadete consueuisse, quem alij linguæ, sermonisque moderationem, alij taciturnitatem, alij vsitato nomine Silentium appellabant. Quod Albertus magnus Parad. anim. cap. 31. sic definit: *Taciturnitas vera & perfecta, quæ non solum linguam moderatur ab illicitis verbis, sed etiam ab vtilibus & licitis, iuxta illud obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Quid sit Silentium. B. Albertus magnus parad. anim. c. 31.

Religiosum silêtium explicatur. Vnde patet religiosum hoc silentium longè Philophico antistare. Primum quòd hoc, vt Aristoteles scribit, propriâ prudentia sibi mediocritatem præscribat, definiens, quid, quantum, quando secundum rectam rationem loquen-

loquendum sit, istud verò, iuxta regulam cuiusque religiosi ordinis, quæ rationis & prudentiæ vicem gerit, locum, tempusque loquendi decernat.

Secundò, quòd moralis illa mediocritas de quibuscunque rebus licitus loqui potest, salua virtutis ratione, quotiescunque id recta ratio, prudentiaque dictârint: at silentio religioso multa sunt interdicta, vel quia locus silentio est deputatus, vel quia tempus loquendi non est. Ita licitum Philosopho inter cænandum &c. decoro seruato, loqui, at religiosus, etiam de rebus bonis non potest.

Vnde liquet Silentio includi taciturnitatem à multis vtilibus quoque, & licitis, vt Albertus suâ definitione expressit quæ causa fuit, vt silentium sic descriptum ac declaratum ab omnibus passim religiosis, per omnes ætates probatum adeo, receptumque fuerit, vt eorum opinione ad essentialia religiosæ vitæ proximè accedere iudicatum sit, vt Gillebertus Abbas serm. 7. in Cant. benè de hoc pronuntiârit: *Monachorum*, inquiens, *non colloquium est, sed silentium. adeo vt eo deficiente, & monachus quoque esse desinat. necesse sit quo præclaram sanè B. Apostoli Iacobi sententiam duco, si quis*, inquit ille cap. 1. 16. *putat se esse religiosum, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.*

Gilbertus serm. 7 in Cant.

Iacobi 1. 16.

Non equidem ex meo sensu de religioso silentio locum hunc ausim interpretari, nisi à grauibus viris produci vidissem ad regularium silentium stabiliendum, quales sunt Thomas Cantipratanus, Humbertus V. Magister gen. ord. Prædicatorum, Cardinalis à Turrecremata, Ambrosius Catharinus Episcopus, qui hoc peculiariter in dicta Apostoli sententia premit, obseruans haberi in græco ἐν ὑμῖν, id est, in vobis, & elicit hunc sensum; si quis est inter vos Christianos qui maiora opera pietatis profiteatur, quales sunt, qui renuntiârunt omnibus, quæ possident, huius vana redditur in cultu externo religio, si regulare silentium non seruet, nec freno silentij regularis cohibeat linguam suam, quia garrulitate suâ decorem Ordinis imminuit, ac violat perfectionem eius; notum omnibus faciens rectam ab ea familia abesse disciplinam, vnde non leuis apud alios bonæ existimationis imminutio exsurgat necessè est; Extranei namque cum in cœnobia religiosorum ingrediuntur, & clamores, strepitus, vociferationes audiunt, colloquentes, ridentesque inter se vident religiosos vehementer offenduntur, cum ab eis silentium exigant proprium professioni, & non leue concordiæ argumentum, vt benè obseruat S. Gregorius Nazianzenus. Quare domum religiosam oportet esse similem templo Salomonis, cum ædificaretur, in quo strepitus nullus exauditus fuit.

Ambrosius Catharinus.

Aut certè non absimilem palatio Imperatoris Traiani, de quo hæc Plinius Religiosis imitanda reliquit: *Magna ante te, magna post te, iuxta tamen, maxima quies. Tantum vbique silentium, tam altus pudor vt ad paruos penates, & larem angustum ex domo principis, modestiæ & tranquillitatis exempla referantur.*

Laus palatij Imp. Traiani à quiete & silentio.

Sed nil opus vti extraneis, vbi domestica nobis exempla suppeditant non pauca, quibus & religiosæ domus disciplinam ali, commendarique silentio discimus, & tantùm non oculis vsurpamus.

Atque ita de Abbate Ammona scribit Palladius hist. Lausiac. §. 48. qui familiam ter mille monachorum tanto in silentio regebat, vt adeuntes illud cœnobium sibi in solitudine esse viderentur. Quanta, putatis disciplinæ illius approbatione ac laude?

Palladius de Abbatè Ammona §. 48.

Hinc quoque tantopere commendatum fuisse Clarauallense monasterium sub Bernardo Abbate, scribit Guilielmus l. 1. vitæ S. Bern. cap. 7. vt mediâ die noctis mediæ silentium à superuenientibus inueniretur: Porrò silentij ipsius ordo & fama tantam etiam apud sæculares homines

Guiliel. Ab. de silentio Cisterc. sub Ab. Bern.

iſtuc aduentantes ſui reuerentiam faciebat, vt & ipſi non dicam praua, vel otioſa; ſed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererentur. Magna profectò laus & decor diſciplinæ, ſed quam ſilentium parit. Nec minorem crediderim fuiſſe eam, quam in primario ordinis ſui cœnobio S. Mariæ de Pontiuncula, ex eadem Silentij radice florere voluit S. Franciſcus, cuius verba hæc erant: *Volo ſeruari in hoc loco perpetuum ſilentium: & loquantur, ſi loquendum erit, tantùm cum ſuperioribus, & inter ſe permiſſu ſuperiorum: nec loquantur cum ſæcularibus, neque cum fratribus peregrinis.*

Silentium FF. Minorũ in Portiuncula ſub Franciſco.

Benè itaque ac ſapienter Ignatius tertium hoc membrum duobus anterioribus ſubiunxit, quibus velut triplice funiculo, regularis diſciplinæ gloriam in altum ſuſtolleret, omnium oculis proponendam; in quo ne feciſſe minus, quàm dixiſſe aliquando videretur, ſingulari ſua, qua præditus erat, eminebatque, prudentia, hanc quoque ſuis, quæ 26. inter communes eſt, regulam præſcripſit.

Reg. 26. Com.

Extra tempora recreationi aſſignata, hac ratione Silentium ſeruandum eſt; vt nemo loquatur niſi obiter, & per paucis, aut de rebus neceſſariis: præſertim in Eccleſia, ſacriſtia, & refectorio: in Miſſa verò, concione, menſâ, lectionibus, & diſputationibus, ſi quid priuatim dicere neceſſè erit, breuiſſimè, & ſubmiſſâ voce ſuggeratur.

Quare vt eo, quo cœpi hanc partem abſoluam dico, & ſi neceſsè fuerit, repetam ſæpiùs cum Pariſienſi Cancellario Ioanne Gerſone Theologo ſuæ ætatis maximo lib. 4. quæſt. Rege q. 1. *Clarum eſt experientiâ docente, quod vbi cenſura ſilentij ſeruatur arctiùs ibi Religio vigeat laudabiliùs, atque perfectiùs*; *cauſam addit Smaragdus, Taciturnitas namque virtus eſt humilitatis, indicium grauitatis, nutrix virtutum, cuſtos animarum*; vnde factum, vt eam non tam verbis quàm factis vrgeret, vt idem, qui ſuprà Oliuerius teſtatum dedit: ſilentium, inquiens, ita colebat vt extra horam

Ioan. Gerſon l. 4. qq. reg. q. 1.

Smaragdus

Laus Silẽtij

Ignatius.

quietis, ſeu recreationis poſt cibum ſumptum non pateretur colloquia haberi, ſtrepitum ſermonum, ſiue vocem altiorem, ſi audiebat, in ambulacris, vel gradibus alicuius, qui aſcenderet vel deſcenderet, ſtatim aperto oſtio cubiculi ſui vocabat delinquentem, & officij monebat: hinc frequens erat pœnitentia ſeu pœna à P. Miniſtro iniuncta, quod non eſſemus vſi voce depreſsâ, aut quod immoderatius per ambulacra ambulaſſemus, aut ianuas cubiculorum clauſiſſemus.

Et quamuis vbique ſilentij lex in religioſa domo vigere debeat, tria tamen ſpeciatim loca S. Pater deſignat, quibus accuratiùs ſilentium ſeruandum eſt, grauibus eum cauſis ad ſingula prouocantibus.

Tria loca quibus accuratius ſeruandum Silentium.

Et Eccleſiam quidem domui coniunctam primò nominat: nec mirandum: *Nihil enim* teſte S. Ioanne Chryſoſtomo hom. 38. ad populum: *tam congruum Eccleſiæ, quàm ſilentium, cuius cauſſam idem* hom. 36. in 1. Corinth. his verbis exponit: *Locus Angelorum eſt, locus Archangelorum, regia Cæli, Cælum ipſum. Quemadmodum igitur ſi Cælum quiſpiam in anguſtum reductum illuc inducat, etiamſi patrem, etiamſi fratrem videas, tamen præ ſtupore, non alloquare: ſic neque hic aliud quidquam, quàm ſancta ſonare decet. Nam & hic cælum dubitas? menſam iſtam vide cuius gratia conſtituta ſit & quapropter cogita quis hic ſit progreſſurus: antè progreſſum certè horrebis. Et fabulari lubebit?*

1. Eccleſia & quare. S Chryſoſt. hom. 36. ad popul.

Epictetus certè apud Arrianum ait *eſſe religionem in templis expuere, aut nares mungere.*

Epictetus.

Secundus locus eſt Sacriſtia, ſiue Sacrarium, aut veſtiarium. Vbi Sacerdotes ad altare progreſſuri meditationibus ſe præparant, & peracto ſacrificio Deo gratias perſoluunt; quàm verò accuratè eo loci ſilere oporteat, vbi tanta requiritur attentio, nemo non videt: de quo poſt alios, nuper S. Carolus Borromæus in ſynodo quarta, ſic loquitur. *In ſacriſtia ſilentium ſeruetur accuratè.*

2. Sacriſtia.

S. Carolus Borromæus in ſynodo.

Tertiò

3. Refectorium.

Tertiò loco numeratur Refectorium, hoc est, triclinium, seu cœnaculum, in quo seruandum silentium, tùm tempore refectionis, tùm extra illud. Ratio est, quia non est ille locus colloquio deputatus, sed refectioni, tempore constituto.

Caussa Silentij in refectorio.

Cur autem legislator noster tam fuerit solicitus hunc locum expressisse, duplex causa est: Prima, vt citiùs perfectionis amatores sese expedirent ab eo loco, qui tantùm esse debet necessitatis, non voluptatis: atque ab ea corporis actione, quæ nobis cum belluis est communis.

Altera, vt, contra quam faciunt filij tenebrarum, facerent filij lucis, qui verbo & exemplo debent illorum esse doctores, illi namque comedentes linguæ laxant habenas, & quot bolos ori ingerunt, tot verba eodem profundunt, veri facti euripi, id autem quantum dedeceat, prudentes norunt.

Ante focū seruare silentium oportet.

Qui Refectorij appendicem dixerit locum ignis communis ad quem expellendi frigoris caussa hiemis tempore conuenitur, nequaquam aberrârit, vbi nisi taceatur, necessitas calefaciendi vertitur facillimè in otiosa verba, & vanitatem. Docuerunt hoc Cassinenses, qui innibi suos loqui vetant: quos secuti Clerici Regulares ante focum silentium præcipientes, & iure; Doctore namque *S. Bonauentura*, quem ab ardore charitatis, & puri animi dignitate Seraphicum nominamus, *vsitatum est hosti hominem ad prunas seducere, ita Dominum spreuit rex Ioachim*; negauit Petrus. Speculi p.4. c.6. Quod vtinam ille ex eodem ordine, quo Bonauentura, præfatus Romæ intellexisset Capuccinus, meliùs profectò secum à morte actum iri sperasset, sic namque ordinis historicus Annar tomo 1. ad Christi an. 1569. Ordines verò 45. Solent inquiens fratres hiemali tempore ad communem ignem accedere, contigit autem vnum aliquem vitæ alioquin non improbandæ, dum istic agit, verbis vanis, ac magis operam dare solitum: nec ita multò post, eadem ipsa hieme, morbo correptum, ex humanis exisse. Corpore in Ecclesia sito, iustisque funebribus ex more persolutis, cum fratres ad communem ignem accessissent, primò strepitum velut alicuius parietem percutientis in summo camini vertice percipiunt, qui eò magis percrescebat, quò maior sub eo flamma excitabatur. Cumque id sæpè contingeret, arbitrabantur fratres id spiritus alicuius improbi arte fieri, quâ ipsi à calefactione abstinerent: quapropter Guardianus indicto ieiunio, spiritum inde exorcismo pellere nititur. Verùm cum necdum strepitu cessante, in eo se frustrà laborare cerneret, animæ alicuius defuncti suffragia postulantis, signum est suspicatus, eam in Dei nomine compellat, vt quæ sit, & quid ab ipsis poscat, exquirit. Protinus illa præcepto obediens, se fratris N. qui nuper defunctus erat, animam esse indicat, quam ob frequentes nugas atque otiosa verba, quæ apud ignem viuens in corpore, effuderat, id supplicij à Deo purgatorij loco tulisse significat, vt ad octauam vsque diē, fumo qui per vaporarium ascenderet, cruciaretur. Id verò ab iis exquirere; vt Missarum ac precum pro eo ad Deum suffragia offerant, quod cum à sacerdotibus & Laicis abundè præstitum esset, iterum ad ignem conuenientibus vox nota audita est: benè sit vobis, Fratres, Dominus pro charitate, quam mihi præstitistis, digna vobis præmia largiatur, etenim modò à pœnis libera cælum conscendo.

S. Bonauentura speculi p.4.c.6.

Atque ita tribus hisce religiosæ familiæ tesseris ac cimeliis factum crediderim satis.

APOPHTHEGMA SEXTVM.

MOnebat suos, vt contra quotidianas dæmonum insidias statis horis diei receptui canerent, & in se ipsi descenderent; ac dicta omnia facta, & cogitatus coram Deo quam diligentissimè reputarent: contra id vitium maximè pugnam capesserent, quo se præcipuè vrgeri sentirent, nec antè desisterent, quàm Deo duce, debellassent.

Ioan. Petr. Maffeius l. 3. c. 1.

Commentarius.

A similitudine castrorum probatur conscientiæ discussio.



VT olim veteres illos tam Græcos, quàm Latinos castrorum Præfectos, certum quendam cantum ad excitandos in pugnam milites, accommodatum habuisse ferunt, quem enceleusticon vacabant; alium verò, quem anacleticon dicebant: quo palantes reuocabant ad signa: ita quoque dixerim omni militi verè Christiano faciendum, quem virtus ad Dei regnum manu valida comparandum authorauit: postquàm enim is manè ad omne genus honestissimæ actionis, velut enceleustico quodam cantu mentem excitârit, sub noctem tamquàm anacletico post varias occupationes, eandem velut in conopeum reducat, necessè est: vbi quietè, ac silentio in seipsum descendens, subductis rationibus actorum summam inspiciat, & exploret, cuius momentum in omnem partem grauissimum ille in primis intelliget qui accuratiùs hanc à principio rem fuerit meditatus.

Quid sit conscientiæ examen et in quo situ.

Quare ab eius descriptione vt ordiar videndum est, quis iste descensus sit? nimirum conscientiæ examen, seu subtilis quædam exquisitaque discussio, quâ cogitationes, desideria, verba, & actiones nostras expendimus, bona asserimus, mala verò retractamus, quàm autem discussio hæc necessaria sit, ad vitæ puritatem, innocentiam, totiusque hominis præstantiam obtinendam, vel hinc patet. Primò quod hominem in sui cognitionem adducat, quam nemo vnquam absque sui accurata inquisitione fuerit assecutus: est enim sui lena, dissimulatrixque natura, cor profundum & fortuosum, dum homo vetus mille, & mille inuolucris obtegitur: quapropter non scitè minùs, quàm prudenter *Seneca* ep. 28. *deprehendas te oportet, antequàm emendes*: quod abundè hæc sui inspectio præstare consueuit: Quis enim paupertatem suam, quam non nouit, vnquam auersatus est? quis ob infamiam quam penitus nescit dolorè commotus fuit? quomodò autem non ignorabit defectus suos, atque miserias, qui interiora sua non respicit? qui se ipsum non examinat? nec scrutari consueuit? Hæc siquidem via est, nec alia, teste Ieremiâ ca. 31. *Postquam ostendisti mihi, probrosum statum meum, percussi femur meum.* Priùs est culpas suas attentâ discussione deprehendisse, posteriùs autem debitâ pœnâ castigare: Ostendisti mihi Domine peccata, inquiebat, mea, dum scrutabar illa, & illorum cognitione obtenta, puduit me talia patrasse. Hoc namque argumentum est animi in melius translati, vidit hoc Alexander Trollianus expe-

Necessitas examinis.

Seneca ep. 28.

Ieremiæ 31. 19.

Alexander Trallianus l. 9. c. 1. experientissimus Medicus li. 9. c. 1. *Internotio*, inquiens, *rectæ curationis fundamentum est: tolle hoc & ædificium ruit: tolle istam, & incuratus abcedis.*

Altera necessitas. Venio ad alterum necessitatis membrum, quod S. Dorotheus serm. 16. expressit his verbis: *Cum sæpenumero*, inquiens, *ac plurimum peccemus, & quàm facillimè delictorum obliuiscamur, opus est frequentissimè nos ipsos exquirere, & rimari*; quæ caussa erat: nonnullos apud Ioan. Climacum gradu 4. ferre à cingulo solitos pendentem breuem libellum in quo cogitationes suas quotidie notabant, vt eas pastori nuntiarent: sat superque, vel hoc facto naturæ infirmitatem profitentes, quam viâ hâc solari gestiebant; verùm cùm hac vti cuilibet integrum non sit, ea sola restat, quæ per accurarum examen, ad eandem nos finem deducat.

S. Dorotheus serm. 16.

Ioan. Climacus gradu 4.

Vtilitas examinis. A necessitate ad vtilitatem transitum facio, quam vel ex ote beatissimi Antonij Archimandritæ iuuerit didicisse: Clarissimus hic itaque beatæ vitæ præceptor, dum examen suadet, non antè dicendi finem facit, quàm futurum hinc spondeat, vt, dum quis defectus suos, lapsusque introspicit, se ipse vereatur, vt deinceps ab importunis & absurdis animi motibus magis abhorreat, cùm sit mentis non leue fastidium, & inamæna seges mæroris, si multa eiusmodi, in oculos nostros incurrere perseuerent. Quod Richardus Victorinus signatum putat in admirabili illa auersione Iordanis Iosue 3. vt filij Israël alueum sicco vestigio transirent: *debemus*, inquit, *cordis intima perscrutando, eo vsque saltem in aquas descendere, & animum nostrum super erroris nostri considerationem in admirationem & stuporem conuertere, atque ita, quod comprehendere possumus, de stultitiis & erroribus nostris puto posse sufficere nobis in tantùm, vt Iordanis cursum, seu impetum vltrò cohibeat, & nutu spontaneo in posteriora recurrat, pristinæ consuetudinis deuia damnans, atque detestans.* lib. de exterm. mali cap. 4.

Richard. Victorinus lib. de exterm. mali c. 4.

Neque id certè mirandum, cùm enim nos ipsos inspicere, & mala à bonis separare assuescimus, à Domino, de malis eliminandis, fugandisque erudimur. Ad quod insuper sacrum ac religiosum quoddam signum nobis suppeditat Gedeon Iud. 6. qui dum in torculari frumenta excuteret, ac purgaret, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, qui, & de voluntate eius illum instituit, & ducem contra Madianitas constituit. Tunc siquidem Christianus ad fugiendum Madian frumenta expurgat, cùm ad vitandos diaboli laqueos solerti consideratione vitam suam, moresque examinat: suo autem operi intentus Dei nuntium adspicit, & ab eo dux aduersus hostes statuitur, cùm lucem cælitùs immissam, ad mala sua cognoscenda, recipit, atque ex inspectione eorum, ad compunctionem cordis, piasque lachrymas, quibus peccata destrui solent, inflammatur. Quid namque aliud est, interrogat hic S. Gregorius 4. moral. c. 17. frumentum virga cædere, quàm iudicij quâdam rectitudine, à vitiorum paleis virtutum grana separare: qui ergo solerti examine opera sua bona à prauis separat, se ad diuinæ lucis, gratiæque dona ritè disponit, quibus ad beatæ vitæ præmia, mentis securitatem, pacemque animi queat deuenire, non secùs ac aliquis, qui domum suam antè somnum probè scrutatus fuerit, nec furem, nec hostem absconditum inuenerit, aut si detexerit, eliminârit, ianuis ac fenestris obseratis securè dormiet: ita qui sub noctem priusquàm se ad somnum componat, omnes sui cordis latebras discusserit, ac quidquid ibi vitiosum, aut imperfectùm latuerit, lachrymis atque suspiriis procul effugârit, beatâ, tranquillâque vitâ perfruatur.

Iud. 6. 11.

S. Gregorius l. 4. mor. c. 17.

Simile.

Quia verò Gedeonis Iudicis fortissimi meminimus, ad examinis nostri figuram, rudibus licèt lineamentis, sed veris, lectori proponendam, optimum religiosissimumque Principem Nehe-

Nehemiam præterire non possumus, cum nequaquam alteri hac in parte cedere videatur, dum circuisse legitur in quiete noctis ciuitatem Hierusalem, & muros eius, vt illorum rupturas resarciret: quem sanè imitari debeat quisquis internum conscientiæ suæ municipium reparaturus, spiritualem in se Hierusalem volet restaurare, quo fiat quod Aristides de Smyrna, à Marco Aurelio reædificata dixit. *Repullulat ciuitas deposito senio, vetus eadem & noua, quomodò Phœnicem ex se reuiuiscere fama testatur, qui non postremus examinis nostri fructus est.*

Aristidis iudicium de Smyrna.

Altera vtilitas examinis Cõsc. Sed est & aliud, quod hinc animæ nostræ accedat emolumentum, idque ex S. Dorothei sententia, qui certus erat, nulla in eo vitia radices agere posse, dum conscientiæ suæ quotidiano examine vteretur: esse nimirum eiuscemodi examen instar sarculi, quo quidquid vitiorum pullulauerit, statim à radice euellatur: secùs autem fore breui animum nostrum similem agro, & vineæ stulti istius, de quo apud Salomonem Pro. 24. dicitur *maceria eius destructa erat, & totum repleuerant vrticæ.*

S Dorotheus. *Prou. 24. 31.*

Tertia vtilitas. Accedit insuper tantis hanc actuum nostrorum, cogitationumque discussionem fructibus abundare, vt non solùm inordinatos animorum nostrorum appetitus comprimat & vitia ipsa vt diximus, infirma reddat; sed vt plurimum, conferre soleat ad virtutes affirmandas. Sicut enim studiosus artis cuiuspiam, frequenti inspectione operis sui, seipsum perficit & emendat; sic dum virtutis cultor actiones suas quotidie discutit, & hanc, vt prauam despicit, hanc vt minùs perfectam expolit paucis mẽsibus ad vberem progressum emergit. Vidisse id opinor S. Ioannem Chrysostomum, cùm diuinè psalmum quartum pro more suo interpretans, sic legitur fuisse locutus: *si per mensem tantum fiat (sc. accuratum hoc conscientiæ examen) sufficere crediderim, vt perfectus virtutum habitus in nobis generetur.* Quod etsi à viro tanto dictum non fuisset, cui ob magnas, illustresque virtutes, animique sapientiam admirandam fides omninò habenda foret, quotidiana tamen experientia, verum id, sanctumque probaret; ingentes namque, ac planè suspiciendas videre est mutationes, non in vno solo, sed plurimis, atque adeo familiis integris, cùm eiuscemodi examinis vsum, pio consilio, & constanti voluntate fuêre complexæ.

S. Chrysost. in psal. 4.

In hoc itaque, à Domino, ad quotidianam hanc discussionem monemur, vt vitiis exstinctis, virtutes in nobis prouehi sentiamus. Vox Sponsi est: *descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea & germinassent mala punica.* Cantic. 6. Descendit ille, cùm nos descendere facit, descendimus autem in hortum nucum, cùm penetrale nostri cordis ingredimur, in quo ad similitudinem nucum, virtutum fructus, dolore & abnegatione tamquàm cortice protectos inuenimus. Ibi poma, & botros vuæ, & omnium arborum fructus inspicimus, dum in ipsorum fructuum perfectione lætamur.

Cant 6. 10.

Quarta vtilitas. Vtilis ad hæc est conscientiæ discussio ad prudentiam acquirendam: qui se namque inuestigat, & suorum operum tum initia tùm fines, tum circumstantias scrutatur, quomodò sibi deinceps viuendum sit, discit. Laurentius sanè Patriarcha ille Iustinianus, in ligno vitæ, præclaram hanc assequendæ prudentiæ viam his verbis testatus est; *Redi,* inquiens, *per considerationem ad cor tuum, quisquis es, qui sapientiam, & prudentiam cupis adipisci: Discute gnauiter te ipsum, quantum quotidie proficis, quantum deficis, quibus tentationum machinis à maligno spiritu magis impugnaris, quia eo certiùs, & citiùs ad culmen prudentiæ deuenies, quo statum interioris hominis considerando, pleniùs cognosces.* Nec id semel fecisse sufficiat, faciendum sæpè est: quod enim præclarè dixit Musonius: *eos qui sani esse velint, ita viuere debere, vt perpetuò curentur*

Laurentius Iustinianus in ligno vitæ.

Prudens Musonij pronuntiatum.

rentur, in primis hic locum habet. Hoc namque præstat conſcientiæ examen, quo mentem noſtram aſſiduè diſcutimus, quid in eâ lateat inſpicimus, quæ profectus argumenta fecerimus, vel detrimenta paſſi ſimus, ad calculum reuocamus.

Addo denique, cum in omne genus vitij, nil æquè pugnet, quam firmum animi decretum, ac propoſitum hoc cauendi, idque crebriùs reſtauratum; vbi animus ſui nitoris amans opportunius hoc apud ſe ſtatuat, quam vbi veſperi errores ſuos ac lapſus recens deprehenderit?

Maximi res momenti eſt gratum eſſe Deo, idque ſi non ſingulis horis, ſaltem diebus,quod ritè per examen conſcientiæ fit; quare ſi æſtimare beneficium, magni hoſtimenti pars eſt, & referre cœpit, qui debere ſe confeſſus eſt, an non ingrati animi notam effugerit, quicunque hoc quotidie inſtituet? vnde quanta animi ſurgat tranquillitas? vel hinc metiare, quod is demum ſecurè dormiat, cui dicere liçet, iam rationes poſui cum Deo meo. Atque hæc inſignia illa momenta fuerunt, quibus & communis vtilitas,& non ignota neceſſitas homines tum ſub lege, tum ſub euangelio, tum verò in nocte infidelitatis ad frequentem ſui diſquiſitionem inſtigarunt.

Qui olim conſcientiæ examen in veteri lege vſurparint. Dauid. Pſal.76. Primus in ſcenam prodeat Ieſſæus Dauid,arcanorum Dei in paucis gnarus, & quid ille hic egiſſe, dicendus eſt? teſtabitur Pſalmus 76. *Meditatus ſum*, inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Quæ verba ſic vertit ex HebræoS. Hieronymus: *velut fodiebam & ſarriebam*; q. d. murum ſpiritus mei terebrabam, vt viderem abominationes eius, brutaleſque appetitus compeſcerem: habebam ſarculum, vt expungerem infelices ſurculos: quod niſi per conſcientiæ examen commodè fieri nequit.quod alibi teſtatur, dicens: *Iraſcimini. & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*:quod ita exponit S. Ambroſius in exhort. ad Virg. *Pſal.4.5. S. Ambroſ. exhort. ad Virg.* Si quis prolapſus eſſet corde, quoniam ira neſcit moderamen, ſuadet vt compungatur in cubilibus ſuis, & ſuum vnuſquiſque condemnet errorem, voluit enim Deus homines delictorum ſuorum eſſe cenſores: vti alio pſalmo clarè inſinuat, dicens: *cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.* Pſ. 118.59. *Pſ.118.59.* accurata ſe. trutinâ animi, interprete S. Auguſtinò totius diei acta expendens, quod perperam acçidit, ſalutari dolore expiabam. Benè profectò, Regum optime, benè, inquam ac ſapienter feciſti,dum per aſſiduam conſcientiæ tuæ diſcuſſionem frequentemque operum tuorum inſpectionem, ad te reuerſus, in viam à qua diſceſſeras reuertiſti.

Nec Patri ſolum id profuit, ſed & filium in exemplum traxit. *Salomon.* Audi lector quantum Eccle. 2. ſe profeciſſe hinc Salomon ipſe teſtetur, *Ecclc.2.11* *Cumque me conuertiſſem*, inquit, *ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & labores in quibus fruſtrà ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem*, ſiue, vt S. Hieronymus vertit, paſtionem venti: vtique poſt ſedulam recognitionem actionum mearum, quæ per fidele conſcientiæ examen fieri conſueuit.

Quid autem de piiſſimo Rege Ezechiâ dixerimus? *Ezechias.* an illi propriæ ſuæ conſcientiæ examinatio fuerit ignota? non reor: ſtat namque pro eo ſanctiſſimus vates Iſaias cap. 38. dum ex eius perſonâ, ſic loquitur. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: vbi S. Bernard.* ſermone de Virginibus, vrget *Iſaiæ 38. 15. S. Bernard. ſerm. de Virginib.* verbum *recogitabo.* id eſt, *iterum cogitabo*, inquit,*ne fortè aliquid oblitus ſim, neque aliquid inuindicatum, & indiſcuſſum remaneat: quod proprium conſcientiæ officium eſt.*

Sed ex vmbra in ſolem prodeamus, quem nobis Dominus ac Saluator Chriſtus Ieſus oriri fecit: & quid hic aliud videbimus, quam ſui diſcutiendi ſacra monita, aureas iſagogas? teſtis Apoſtolus, atque Euangeliſta magnus Matthæus cap. 23. *Matth.23. 25.*

qui postquàm solennem illam Domini obiurgationem, qua Scribas & Pharisæos castigauerat, retulisset, hæc eiusdem verba subiungit: *væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, & paropsidis: intus autem estis pleni rapinâ & immunditiâ. Pharisæe cæce munda priùs, quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat id quod deforis est, mundum*: cui nullus profectò satisfeceris, quin antè accurato conscientiæ instituto examine, te ipsum ad vnguem exploraris. vt rectè illud hîc suggessisse diuinus Saluator credendus sit, cùm is qui finem vult & media, velle eo conducentia, non ambigatur.

Examen conscientiæ non solum vitiis seruit exstirpãdis, sed & virtutibus inserendis. Marci 6. 31.

Nec est quod detergendis solum id sordibus adhibitum hîc quis arbitretur; expoliendis quoque virtutum studiis vtiliter impensum fuit quod apud Marcum cap. 6. idem Dominus innuisse visus est, vbi discipulis mandasse legitur, postquam e missionibus reuertissent, *venite*, inquiens, *seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum*. Non tam reficiendi corporis gratiâ, quam animi, eiusque virium restaurandarum caussâ. Beatum, ac sanctum secessum! in quo actiones nostras exploramus, vt eas in melius emendemus: in nos descendimus, vt altiùs in Deum ascendamus. Solitudo hæc, via recta est, quæ peregrinantem Israëlem ex Ægypto in terram lacte, & melle manantem adducat. Secessio hæc, fuitque in secretum locum receptus, is erat, quem nobilissimæ inter Romanas matronæ Celantiæ tantopere Sanctus Hieronymus commendabat his verbis: *eligatur tibi à familiæ strepitu remotus locus, in quem velut in portum ex multâ tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Nec hoc ideo dicimus quo te retrahamus à tuis: imò id agimus, vt ibi discas, ibique mediteris qualem præbere te debeas tuis*. l. 2. ep. sel. 21.

S. Hieronymus ad Celantiam, l. 2. p. 21.

Atque hæc vna mens omnium SS. PP. vtriusque Ecclesiæ semper fuit: & quidem ne in animi, quam mundanarum rerum negotiatione, minus fecisse videamur, ita hortatur *nos S. Ephrem* Syrus antiquissimus omnium quos in hac re obseruarim. *Negotiator*, inquiens. *sæcularis quotidie damna & lucra computat, tu diebus singulis vesperi & manè considera, quo pacto se habeat negotiatio tua: & vesperi quidem ingressus cubiculum examina te ipsum, quid egeris; ac dicito: putasne hodie in aliquo Deum exacerbaui! nunquid verba otiosa protuli? num per contemptum negligentiamque peccaui! num in re aliqua fratrem irritaui? num alicuius famam detractionibus laceraui!* Plura subiicit examinis capita: deprehensisque peccatis, gemitum, dolorem, & lachrymas iubet superfundi: Syro Græcum adiungo, Dorotheum Ephremo. *Quo pacto*, inquiebat, *is, per singulos dies nos ipsos purgare, & propemodum expiare debeamus exactissimè docuerũt maiores & Patres nostri: Nempè vt vesperi sedulò quisque perquirat, & inuestiget quomodò pertransierit diem istum. Rursum manè examinet, quomodo exegerit noctem illam. Et pœnitentiam agat, & resipiscat coram Deo, si quo pacto (vt fieri potest) peccatum aliquod admiserit*. Serm. 11.

S. Ephrem.

Dorotheus serm. 11.

Hoc suis inculcabat S. Ioan. Chrysostomus homilia 2. in psal. 50. Et quanto fructu! *Singulis diebus*, inquiebat, *vesperi ab animâ rationem exige, & cogitationem, quæ peccauit, condemna, & velut in ligno suspende, & torque, & iube ne ampliùs ea aggrediatur*.

S. Ioan. Chrysost. hom. 2 in psal. 50.

Post Græcos, nil minus à Latinis exspectandum est. Quid ab Hieronymo? *duorum temporum*, inquit, *quam maximè habenda cura est: manè & vesperi, id est eorum, quæ acturi sumus, & eorum quæ gesserimus*. lib. 3. apol. aduers. Ruffin. cap. 10. scilicet vt rationem dicti, facti, cogitati nobiscum putemus.

S. Hieron. l. 3. Apol. aduers. Ruffin.

Nec Gregorius asymbolus transibit: interpretans hîc illud Iobi è capite 27. *& defossus securus dormies: qui cor suum*, ait. *discussione effodiunt*,

S. Gregor. l. 10. mor. c. 11.

vt

ut illicita à se per detestationem abiiciant, pacatum somnum, id est, securitatem acquirunt: Vnde viri sancti animarum suarum latebras perscrutari non desinunt, seseque subtiliter indagantes, cùm nullo se reatu criminis morderi deprehendunt, velut instrato cordis apud se, securè requiescunt. l. 16. Mor. c. 11.

Fulgentius.

Eodem spectauit Fulgentius Episcopus Ruspensis, cùm dixit: *Reuertere ad te homo, in te quære accusationem, defensionem, & iudicium. Imò tu esto accusator, defensor, & Iudex. Intra in secretarium cordis tui, vbi te soli videant oculi Dei tui: Ibi te accusa, vt valeas accusatione defendi. Ibi te conuince vt vincas, ibi te condemna, vt merearis absolui. Tu in te iustam sententiam prome, quidquid malè feceris peccando, puni veraciter pœnitendo:* Ita ille in Africa: nec dispariliter in Burgundia Bernardus, *dum nemo,* inquit, *te plus diligit, nemo te fidelius iudicabit. Manè præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vesperi, diei præteritæ rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionem. Sic districto nequaquàm tibi aliquando lasciuire vacabit.* Tract. de 8. punctis.

S. Bernard. tractat de 8. punct.

Guilielmus Parisiensis l. de pœnit. c. 12.

Graphicè autem, nec minùs perspicuè nobis id exhibuit Guilielmus Parisiens. his verbis: *in hoc tribunali sedet misericordia, assidet autem Iustitia, vbi quidquid contra pœnitentem inscribit Iustitia, totum delet misericordia, acumen styli velut figens in corde pœnitentis.* lib. de pœnit. c. 12. Quibus *S. Augustinum* imitatus est, qui homil. 50. sic loquitur: *Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.* Et benè quidem hæc omnia, sed neque vlli miranda, cùm ea quoque sapientiores inter ethnicos & viderint & probârint. Nefas sit, aurea Pythagoræ carmina subticere, Ausonio interprete, & suffragante, Idyllio 1.

S. August. hom. 50.

Ethnici examē conscientiæ vsurpârunt & magni fecerunt.

Ausonius Idyllio 1.

Non priùs in dulcem declinent lumina somnum,
Omnia quàm longi reportauerit acta diei:
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
Cur isti facto decus abfuit? aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit?
Quàm meliùs mutare fuit! miseratus egentem
Cur aliquem, fractâ persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? vtile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit, sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortoque à vespere cuncta reuoluens
Offensus prauis, des palmam, & præmia rectis.

Galenus l. de cogn. animi morbis.

Vltra prouectus Galenus lib. de cognoscendis & curandis animi morbis, præcipit hic imitatione Pythagoræ, singulis diebus ea quæ superiùs dicta sunt, in memoriam reuocari: subiungens: *Atque hoc quidem præstabit sæpiùs fieri, quòd si non possit, at saltem matutinis horis semper antè, quàm quidquam eorum, quæ acturus sis, aggrediaris, & vespertinis, antequam cubitum eas, eadem repetas, teque discutere non prætermittes.*

Phocylides Milesius ter voluit per diem conscientiam discuti.

Si Ioanni Stobæo fides habenda sit, Phocylides Milesius Philosophus æqualis Theognidis, primus omnium fuit qui mortales docuit, non modo quotidie seipsos per examen discutere, sed etiam ter singulis diebus, hanc discussionem repetere, quo Pythagoram vicit, & Galenum: *neque enim,* vt Plato antè docuerat, *vita quæ non discutitur. censenda est homini vitalis.* In Apol. Socrat.

Aurea Platonis sententia.

Plutarchum, Epictetum, pluresque alios eiusdem mentis, ac doctrinæ Philosophos lubens prætereo, vno Seneca veteris Philosophiæ genio contentus, licèt infideli, quamquàm alij Christianum fuisse velint, Christianè equidem loquitur in multis:

S. Seneca l. 12. ep. 84.

hoc nos, inquit, *pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. Quid facturi scimus cogitamus, & id rarò: quid fecerimus, non cogitamus. Atqui consilium futuri ex præterito venit.* lib. 12. ep. 84.

Et alibi: *Qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet, antequã emendes. Quidam de vitiis gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, te ipsum argue. Inquire in te. Accusatoris primum partibus fungere; deinde Iudicis; nouissimè deprecatoris: aliquando te offende.* Sic ille: & pudebit adhuc vel Ethnicos sequi, optima præcepta tradentes? cum ea non modo videamus ex Christi Domini ac Seruatoris nostri, cuius religionem profitemur, legibus, sed & ex ipsis quoque naturæ humanæ fontibus depromi? ac proinde ab iis omnibus, qui in Catholica Ecclesia, sanctitatis, cuiuspiam nomen, decusque gesserunt, vltrò, volentique animo fuisse assumpta, maximoque tam suo, quàm suorum fructu fuisse vsurpata? quos inter non segnis profectò eminuit Sanctos hic noster Ignatius, cuius super hac re effatum aureum præ manibus habemus; quod ipse non tam crebris sermonibus celebrare, quàm præclarissimis traditis disciplinis visus fuit exornare, vt non immeritò, qui in mores eius, & acta accuratè intenderunt, dixerint, *eius vitam haud aliud fuisse, quàm perpetuum conscientiæ examen*: maximè cum inter vitæ melioris exordia quasi libram habens in manibus, quidquid in quotidiana vita accideret, subtiliter expendere, totumque cœpit ad iustam libellam explorare, hic resecans, illic apponens, vbique formam honestatis pulcherrimam expressurus, vt verè non minus quàm scitè quis dixerit, *tum conscientiæ examina, tum bonæ electionis formulas, duo fuisse singularia Ignatio adminicula, quibus ad puritatem animi, in qua sapientes cælestis Philosophiæ destinationem collocant, recto ac celeri cursu peruenit.*

S. Ignatius magnus huius disciplinæ assertor & vindex.

Arcebat siquidem conscientiæ examen omne vitiorum genus: deliberatio accersebat virtutes. Examen iis, quæ tractaret, nil sinebat prauitatis intermisceri; deliberatio nil desiderari perfectionis. Denique easdem actiones, quas consultatio præformauerat, cura expresserat, postremò approbabat, & perpoliebat examen. Atque his insignem illam consecutus est spirituum discretionem, & rectam virtutum æstimationem, vt nosset singularum momentum, & pretium, in qua priùs, aut posterius, plus, minusue esset curæ ponendum: magnâ vbique animi tranquillitate conscientiam comitante, cùm nec in suscipiendo, nec in administrando negotio, quidquam ferè à se commissum, aut prætermissum intelligeret, aut si quidquam, vt homines sumus intercessisset, sacræ metanææ legibus, post accuratum examen, foret deletum.

Vera examinis conscientiæ œconomia.

Et hæc initia eius fuerunt, immane! quantum examine conscientiæ, ciusque exercitio promota, à quibus cum satis intelligeret, se in eo, quod tam feliciter cœperat, non infeliciùs prouehendum, si in eadem exercitatione persisteret, alacrem istuc, erectumque animum appulit, ad eam tum in se, tum aliis, tam verbis, quàm factis continuandam.

Quod ipse expertus Ignatius, aliis commendauit.

Testabitur id diuinus ille liber spiritualium exercitiorum quem cælo dictante etiamnum idiota conscripsit, vt non temerè Ludouicus Strada è D. Bernardi familia vir in primis celeber, eum appellârit. *Tirocinium toti humano generi institutum*, in quo statim sub primam hebdomadam examen hoc proposuit, eiusque modum, ac formam explicauit, verba authoris appendo.

Ludouici Stradæ testimonium de lib. exercitiorum.

Primum punctum est, Domino nostro Deo pro beneficiis acceptis gratias agere.

Modus ac forma examinis.

Secundum: pro cognitione, & expulsione peccatorum gratiam flagitare.

Tertium, de admissis præsenti die peccatis, rationem ab anima nostra, exigere,

exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, eam vestigando. Et primò quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam, denique circa operationem.

Quartum, poscere veniam de delictis.

. Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem: & orationem dominicam, post dicta omnia recitare.

Neque his acquiescens Ignatius, variis constitutionum locis hanc nobis conscientiæ discussionem voluit esse commendatam, tum 1.p.c. 1.n.11. *vtantur*, inquiens, *quotidie conscientiæ suæ examinatione consueta*; Tum p.4. cap.4.n.3. *examinandis bis quotidie suis conscientiis tempus impendent*, &c. quod & posteà in regulas communes, ad earundem compilatorem relatum fuit.

1. Regula Comm. *Singuli, præfinitum sibi tempus suæ conscientiæ bis quotidie examinandæ impendant, cum omni diligentia in Domino.* Qui omnem diligentiam requirit, nullam excludit; dum verò addit, in Domino spiritualem postulat, vtique spiritualibus rebus accommodatam, non mundanam, qualem homines huius sæculi adhibere solent in suis negotiis expediendis: hæc autem diligentia spiritualis ab humana videtur hoc potissimum differre, quòd sincera sit, minimè fucata, interior potiùs, quàm exterior.

Duplex igitur in vsu quotidie fuit, ab initio conditi ordinis conscientiæ examen. Cùm enim *B. Ignatius* Parisiis studeret, vt author est Ioannes Petrus Maffeius, intellexerat insignem præstantissimi huius examinis fructum, ac proinde illud in Societatem induxit, vnde posteà factum, vt in ipsis constitutionibus agens de scholasticis conseruandis, iusserit eos præcipua cura bis quotidie conscientias suas examinare. Coadiutoribus quoque temporalibus duplex examen quotidianum præscripsit, quod aliquot post annos, quarta congregatio generalis confirmauit, quorum alterum fit antè prandium, alterum antequàm cubitum eatur, per horæ quadrantem.

Qui tantopere aliis hoc commendatum esse voluit sibi profectò non potuit non, reliqua vita commendatissimum habuisse.

Testantur id prolixè Petrus de Ribadeneira, Ioan. Petrus Maffeius, Daniel Bartolus, aliique, quorum primus, cui cæteri consentiunt, hæc lib. 5. vitæ S. Ignatij cap. 1. ad posteros transmisit. In horas singulas Ribadeneira l.5.c.1.
„ sese colligebat, & à reliquis ani-
„ mum in Deum auocabat, conscien-
„ tiamque suam discutiebat diligen-
„ tissimè. Quod si negotium inter-
„ cederet grauiùs, vel occupatio tan-
„ ta, quæ piæ consuetudini impedi-
„ mentum adferret; proxima hora,
„ vel certè primo quoque tempore,
„ interpositam moram compensa-
„ bat. Nec enim tam externarum
„ rerum occupatione vsque adeo di-
„ stringebatur Ignatius, vt deuotio-
„ nis huius cursus retardaretur, quo
„ de die, in diem sese melior, Deo-
„ que gratior euaderet.

Et rectè id quidem, me iudice, vbi namque in anima alicuius feruens diuini amoris ignis accensus est, ampla quoque lux ibidem reperiatur necessè est, qua defectus omnes tam paruos, quàm magnos ille cognoscere incipiat, vt eos solerter corrigat, & magis, magisque emendet. Neque enim diuinæ huius caritatis aurum simile illi est, quod ex aurariis montium venis eruitur, cui purificando Simile ab auro purificando. aurifices obrusam vicenariam, ternariam, dodrantalem sufficere aiunt, nihil, inquam, hic tale: nulla proposita est ratio, aut modus obrusæ, quæ dicat sufficit.. Causa hæc & vnica est, cùm sancti illi, Deoque pleni heroes, diuini amoris flammâ succensi actiones suas coram oculis Dei soleant considerare, inquirendo tum quales eæ sint, tum verò quales esse possint & debeant, vt Deo dignæ reperiantur, fieri nequit, vt quis eas eiuscemodi esse existimet, vt magis crescere in perfectione non possint,

vtpote variis etiamnum imperfectionibus asperſæ, vnde conſequens eſt viros illos rigido frequenter ſui examine adhibito in ſe inquirere, vt quantum fieri poteſt ad Dei ac ſeruatoris noſtri ſimilitudinem accedant, quod dum faciunt aſſiduum humilitatis ac caritatis exercitium ſubeunt, quo ad inſignem morum ſanctitatem prouehantur. Quos inter, vt verbis meis ſtet fides, S Ignatius nequaquàm poſtremus fuit, non ſat capere ſe aut intelligere frequenter profeſſus, quomodò quis aſſerere poſſit, Deo ſe velle placere, atque in virtutibus progreſſum facere, ſine frequenti vſu examinis ac diſcuſſione conſcientiæ ſuæ. Vnde nata exiſtimem verba hæc admirationis pleniſſima, quæ ad ſacerdotem quendam è ſuis protuliſſe legitur, ex quo dum percontatus eſſet, quoties accurato examine in ſuam ipſe conſcientiam inquiſiuiſſet, ille autem reſpondiſſet, ſeptem ſe id vicibus obiuiſſe: intulit Ignatius: eheu! non ſæpius? & plures etiam tum horæ diei iſtius ſupererant ad veſperum: vnde pronum eſt ſuſpicari, quid de familiaribus eius ſociis ſit arbitrandum, qui tùm S. Patris exemplo, tùm doctrina pleniùs fuerint exculti, quibus libellum reliquiſſe ſcribitur in quo ſuos ipſe defectus ab examine collectos, quantumcunque exiguos referre ſolitus erat, quem moriens quaſi teſtamento iis legauit: ad eius enim caput ab iis, qui decumbenti aderant inuentus eſt, vt ſpirituales filij diſcerent, quanta cura ac diligentia animæ ratio ſit exquirenda.

Quanti æſtimauerit conſcientiæ examen Ignatius.

Libellus in quo defectus examinis referre ſolitus Ignatius.

Certè de B. Franciſco Xauerio ita ſcribit Horatius Turſellinus lib. 6. Vitæ eius, cap. 6. Sæpiùs in die diligentiùs conſcientiam excutiebat ſuam, & cæteros ad idem faciendum magnopere hortabatur: in eo perfectæ vitæ cardinem verti ratus. Teſtantur id aurea eius præcepta Ioanni Brauio, aliiſque ſociis data, B. Franciſcus Borgia vir verè ſpiritualis, eorundem eruditus magiſterio, duplici non contentus examine, ſæpiùs itidem quotidie in ſuam conſcientiam inquirebat, vt vitæ ſcriptores tradunt.

S. Franc. Xauerius ſæpiùs in die conſc. examẽ obibat. Turſellin. l. 6. c. 6.

B. Franciſc. Borgia.

De P. Vincentio Carafa, ſeptimo Societatis Ieſu præpoſito generali, viro præfecturâ ſuâ digniſſimo, & optimo religioſæ vitæ magiſtro ſcribit Daniel Bartolus in hunc modum: horis ſingulis in ſe ipſe deſcendebat, conſcientiæ ſuæ latebras excuſſurus: nec tantum quâque id horâ, vir ſapiens agebat, ſed & cenſorio iudicio in ſingulas actiones ſuas animaduertebat: duobus potiſſimum intentus, quam Deus partem in eis, quam verò ipſe in iiſdem ſibi vindicaſſet; adeo ſiquidem amorem proprium, vt ſubtiliſſimum quoddam malum, quo ſanctiſſimæ quæque actiones inſici ſolent ſuſpectum habebat, vt nullam ex omnibus ſine experimento admitteret, non dico in latentis cuiuſpiam vanitatis, ſed priuati commodi, etiam in re ſpirituali. Quamuis autem hæc animi contentio nulla mali ſpecie attineatur, ſit tamen, vt de puritate eius ac ſinceritate non parum ſic defluat, quas mens generoſa, non niſi ad Deum ſolum anhelans requirere ſolet, licèt nullum operæ pretium, aut merces ſit exſpectanda. Ita S. Parentem ſuum Ignatium referebat Vincentius.

Vincentius Carafa.

Sed tempus eſt, vt ad alterum Apophthegmatis noſtri membrum deſcendamus, quo cõtra certum quoddam vitium maximè pugnam capeſſimus, quo præcipuè nos vrgeri ſentimus: vel ſingulari cuipiam virtuti conquirendæ, qua magis deſtituimur operam nauamus, non antè deſtituri, quàm vel iſto fuerimus exſoluti, vel hac non leuiter imbuti. Sanctum exercitium, ac nulli penitus ſalutis ſuæ amanti negligendum! Nouerat id, clareque perſpexerat S. Ignatius, quapropter poſt explicatum Generale illud, de quo iam egimus, conſcientiæ examen, quo culpas noſtras quotidie, defectuſque diſcutimus, ac firmo cum propoſito emendationis lugemus, alterum quoddam, cui nomen

Examen particulare. Nomen.

men particularis fecit, subiunxit, quo aduersus aliquod vitium particulare pugnamus, illi virtuti oppositum, quam assequi desideramus. Nomen quidem nouum, res tamen vetus & satis ab antiquis Patribus ac magistris cognita, & æstimata quamquam si ex vero loqui volumus, *Ignatium* ei supremam manum, ac formam vltimam addidisse fatendum erit, vt non inconcinnè is suo dicecere Philaretæ cum Sunamitide spōsa, queat Cant. 7. 13. *In portis nostris omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: q. d. ex occultis adytis cordis mei, eduxi per linguam & calamum meum virtutum exercitia, seu opera in publicum attuli, quibus ali vita spiritualis, fouerique queat. Noua poma ea sunt quæ antè in hominum moribus & vsu non erant, licèt enim aliqua exempla, etiam in testamenti veteris hominibus repeririantur; illa tamen Ignatius perfecit & auxit, atque in mores pulchra methodo induxit.

Præcipuus auctor Ignatius.

Cant. 7. 13.

Poma vetera ea sunt, quorum ethnici notitiam quidem aliquam habuerunt, sed horum magisterium singulariter ipse professus est. A pluribus scio laudari hîc Annæum Senecam, sed, vt ille, quod tam speciosis verbis deprædicat remisse, atq; oscitanter exsequebatur! etiā vxori in lector accubans; ita namq; de se l. 3. de ira c. 36. *speculator, inquit, mei, censorq; secretus cognosco de moribus meis. vtor hâc potestate, cùm sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor*: quam id leuiter atque exiliter sic fieri amârit, ipse satis lib. de beata vita c. 17. testatum reliquit his verbis: *Exigo itaque à me, non vt optimis par sim, sed vt malis melior: hoc mihi satis est, quotidie aliquid de vitiis meis demere, & errores meos obiurgare. Non perueni ad sanitatem, nec perueniam quidem: delinimenta magis, quàm remedia podagræ meæ compono, contentus si rarius accedit, & si minus verminatur.* Non sic Christianus, cui nobile illud μέγα μοι, perpetuò ob oculos versatur, in sonante magistro: *Estote perfecti, sicut pater vester, qui in cælis, perfectus est*: huc collineat Ignatius, dum præsens nobis exercitium procudit, quod, in hunc ferè modum ipse describit. *Examen particulare est pugna, seu congressio cum aliquo speciali vitio ex proposito, curâ, examinatione, & collatione compacta cuius fructus est vitium illud, quod nos maximè infestat Deo adminiculante eliminare, & oppositam virtutem obtinere*: qua descriptione, præstantissimum hoc addiscendarum virtutum, & exstinguendorum vitiorum instrumentum exprimitur, vt vtilissimæ exercitationis vis, & dignitas sentiatur.

Seneca l. 3. de ira c. 36.

Seneca lib. de beata vita c. 17.

Matth. 5. 48.

Descriptio examinis part.

Et super hoc quidem præliandi modo, non vnum, sed multiplex in sacris litteris monitum inuenimus: omissis cæteris, singulare est, quod lib. 2. Reg. c. 21. sacer historicus recenset de Ionathan filio Samaa, fratris Dauid, qui virum excelsum, senos in manibus, pedibusque habentem digitos, id est, viginti quatuor, gladio percussit; quid autem senis illis manuum pedumque digitis, quàm ea quæ in consummatione peccati sunt, designantur? nempè cogitatio, desiderium, locutio, operatio; consuetudo & gloriatio de peccato: quid verò aliud erit senos huius gigantis digitos commemorare, nisi rationem pugnandi aduersus aliquod vitium aperire? est autem illa, quod cùm vitium multas partes habeat, hac speciali pugnâ, homo robustior fiat, non aduersus omnes simul pugnando, sed quælibet seorsum ad certamen vocando, vt vitia, quæ simul eradicare non possumus, saltem per partes excisa vincamus. Quare vnicuique iusto illud sapientiæ 10. quod de Iacob patriarcha dicitur, lubens applicârim: *Custodiuit illum ab inimicis, & certamen fortè dedit illi vt vinceret, ac sciret, quoniam omnium potentior est sapientia.* Et quinam illi sunt hominis inimici? qui seductores? nisi vitia eius, quæ propositis voluptatibus, ac rerum visibilium pompis ipsum decipiunt, atque in mortem, excidiumque protrudunt, à

Probatur ex scriptura.

2. Reg. 21.

Sap. 10 12.

Praxis examinis particularis.

Examen particulare, inquit, tria tempora complectitur, ad dispositionem sui; ac duplicem discussionem accommodatum.

Primum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum à somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum, aut vitium aliquod particulare à quo emendari cupit.

Secundum est pomeridianum, in quo petenda est à Deo gratia vt reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare inciderit, & in posterum cauere: deinde priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem, de peccato seu vitio iam dicto: & singulas diei partes præteritas percurrens, ab ea hora, qua surrexit, vsque ad præsentem quoties illud commiserit, & puncta totidem signet, quibus peractis, denuo proponat, per spatium diei reliquum diligentiùs se cohibere.

Tertium erit vespertinum tempus, in quo post cænæ horam facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis ab examine priore, vsque ad præsens lapsis, & eodem modo rememoratis, enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in tabella, libroúe ad hoc præparato.

Additiones quatuor. Examini promouẽdo.

Mox additiones quatuor subiungit vtiles ad faciliorem & celeriorem peccati, seu vitij cuiusuis extirpationem.

Prima est, vt quoties id peccati, seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admota, doleat de lapsu, quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec aduertentibus.

Secunda est, vt sub noctem, numeratis, computatisque inuicem punctis linearum (quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur) attendat, an à priore examine, vsque ad secundum aliqua successerit emendatio.

Tertia, vt conferat diei secundæ, atque præcedentis examina inuicem; considerans ecquid sibi emendationis interuenerit.

Quarta, vt collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factæ, vel omissæ emendationis rationem habeat vnde non difficilè aut profectum, aut defectum agnoscat.

Materia examinis particularis pro vitiis extirpãdis.

Sed indiculum forte quis tum vitiorum, tum virtutum pro hoc examine requirat; dabo & quidem ex mente Ignatij. Pro vitiis, erunt cachinni, seu risus immoderatus & effusus, Clamor inconcinnus. Curiositas audiendi, sciendi, videndi. Commendatio, & laus propria, cum iactantia. Gula, appetitus cibi, potusque inordinatus. Negligentia in diuinis. Otiosæ fabulæ. Obedientia non voluntaria. Obedientia tarda & sera. Violatio silentij. Aliaque his similia, aut maiora. Pro virtutibus; custodia linguæ, aut sensuum. Intentio pura. Memoria præsentiæ Dei, Passionis Domini, seu mortis. Modestia. In proximo diuinæ imaginis agnitio. In superiore Dei contemplatio. Paupertatis studium. Regularium obseruatio. Recollectio horaria, &c. Ista *Ignatius*, non tam ex proprij acumine ingenij, quàm Spiritus infuso lumine, sibi per Virginem Deiparam de cælis communicato, quæ proinde non tam ipse chartis suis ad posterorum documentum illeuit, aut verbis ad præsentium instructionem vulgauit, quàm factis *ad maiorem Dei gloriam*, suique in omni virtutum genere processum vsurpauit. Testatum id dedit Petrus de Ribadeneira accuratus in paucis eius vitæ scriptor, cùm refert Ignatium sub vitæ melioris initium, suæque ad Deum conuersionis tirocinium hominum aspectu ad risum intemperantiùs commoueri solitum: quid agat nouellus tiro? vim sibi inferat? sed frustrà est: domi se contineat, aut homines fugiat? non fert vitæ institutum ad particularis itaque examinis exercitium conuolat, iniroque sub vesperum lapsuum numero, tot sibi flagelli sui verbera infligit, quoties deprehenderat

Altera pro virtutibus inserendis.

Examen particulare vsurpat Ignatius.

pereat, si quis inde statim ad alienissima negotia se proripiat, nihil vnquam de successu meditationis, qualisnam fuerit ampliùs recogitet, hæc necessariò cuique perfectionis suæ amanti via ineunda est, quam *S. Ignatius* cælesti Doctore cognitam nobis aperire dignatus est.

Tria in hoc examine notanda. Tria itaque de hoc examine tum ad eius clariorem notitiam, tum ad faciliorem eius vsum adducere huc cogitaui, quo fiat vt cum in ternario perfectio sit, eadem & hîc in trigemino examine à nobis inueniatur.

Nomen. Auspicemur à Nomine, quod triplex esse reperio; dicitur enim examen, Reflexio & Ruminatio. Vocatur examen orationis ad differentiam alterius tam generalis, quam particularis, de quibus suprà actum est. Generale examen non fit de vna tantum specie nostrarum actionum, sed de omnibus, vt quidquid in eis peccatum fuerit, eâ die per virtutem pœnitentiæ, & suo quoque tempore per Sacramentum Confessionis, expietur.

Particulare verò versatur circa vnum aliquod peccatum, aut vitium singulare, à quo præcipuè cupimus emendari.

At examen orationis, de quo nunc agimus, respicit omne id quod in eo exercitio benè, vel malè contigisse dignum animaduersione reperitur.

Natura. *Est enim mentis ad suas internas operationes reflexio, quædam illarum replicata in se ipsas consideratio.* Vnde nonnulli eam Ruminationis titulo indigitarunt, à mundis illis animalibus Leuitici 11. quibus Hebræorum populo vesci liberum erat, ductâ denominatione, dum spiritualis cibus ad intellectum repetitâ consideratione reuocatur.

Fuerunt quidem nonnulli, qui pro suâ prudentiâ interim dum orationi vacant ipsam examinari voluerunt, excutiendo an debitè orent, an attenti sint, an admirentur, & ament &c. Sed his atque similibus dum intendunt, distrahuntur, & orationis feriem interrumpunt: non secùs ac ille, qui harmoniam optimè temperatam audit, si inter audiendum examinare secum voluerit, an cantores artis musicæ regulas seruent, an contrà, in eas impingant, & violent, ipsius gustum & suauitatem amittit: quæ causa est cur præcipui illi rerum spiritualium magistri, atque inter eos potissimum S. Ignatius examen hoc in finem meditationis reiiciendum existimarint, sat, superque homine inter orandum aliis occupato, vt nullum his otium superesse queat; quanto namque attentior fuerit eis, quæ contemplatur, & quanto intellectum quietiorem, & magis suspensum habuerit, ac voluntatem inflammatam, tanto minus aduertet ad ea, quæ benè ac perperam agit. Respexisse huc crediderim magnum *Antonium*, dum, referente Ioanne Cassiano, aiebat: *non est perfecta oratio, in qua seruus Dei intelligit vel hoc ipsum, quod orat.* Collat. 9. cap. 13. Id est, quando oratio fuerit, vt eam esse oportet, is qui orat, adeo attentus est, & suspensus ad ea, quæ orando ac contemplando pertractat, vt nec videat, aut percipiat quid agat, quod sanè neutiquam fieri posset, si reflexio hæc inter orandum admittatur. *Dictum S. Antonij de vera oratione. Ioan. Cassian. coll. 9. c. 13.*

Scopus huius examinis. Venio ad scopum, quem oratione completâ, ex instituto hoc respicere debeat examen, qui profectò alius esse non potest, quam vna ac clarissima nostri salus. Cùm enim inter omnes actiones, quæ à nobis in hac vita exerceri possint, oratio sit in se ipsâ præstantissima: ad eam, non solum antequam fiat, sed etiam postquam facta fuerit, reflectendam esse considerationem nemo prudens negarit.

Ad magnæ quempiam authoritatis virum quis literas scribat, an is fortè prætermittat eas à se exaratas, statim relegere & diligenter inspicere obseruaturus, quam omnia nitidè ac rectè expressa sint? non credo; ita namque de hoc, non semel suos monuisse auditus Ignatius fuit: Euenerat vt quidam è Patribus perfunctoriè quasdam exarasset litteras: cum illum vir sanctus verbo perstrinxit.

Atque

Atque ego, inquit hac nocte facilè tricenas expediam epistolas, neque vlla nisi sæpiùs, à me relecta abibit, & eas, quæ à mea erunt manu, bis terue exscribam,ne in iis lituræ, aut correctiones apparéant. Quem in his adeo accuratum fuisse legimus, mirabimur in aliis multò grauioribus,pari saltem passu ambulasse,dum id à nobis, coram Deo Opt. Max. docuit esse præstandum, quod tam accuratè apud homines obseruamus?

S. Bernard. *Noli*, inquit, *S. Bernardus vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras, non vilipendit eam, sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse eam scribi iubet in libro suo.* Quis est qui ad colloquium magni Principis singulari fauore semel admissus, vt cùm illo per horam, & ampliùs, sicut voluerit, de rebus grauissimis negotietur, vbi se inde recipiat in domum suam,bona itineris parte secum ipse non cogitet, quid, quomodo locutus sit, quod responsum acceperit, quæ officia prætermiserit, qualis spes obtinendi, an quod postulabat, affulserit! & tamen homo homini, mortalis mortali, & de rebus non nisi ad hanc mortalem vitam pertinentibus

S. Ioan. Chrysost. loquebatur. *At considera*, inquit, *S. Ioan. Chrysostomus, quanta est tibi concessa felicitas, quanta gloria orationibus attributa, sermocinari cum Deo & cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare! quapropter nisi cessante illa animi applicatione, & absoluto orationis exercitio ad illud mentem, cogitationemque reflectas, amens sis.*

Materia, sine quibus de rebus hoc examē instituendum. Sed quærat fortasse aliquis, quibus potissimum de rebus hoc institui debeat examen?

Richardus Victorinus lib. de secur. consc. c. 26. Dicet id Richardus Victorinus l. de securit. conscientiæ c. 26. & clarè dicet. *Si per Danielem*, inquit, *deuotionē oportet intelligere, forte hoc erit Danielem intra semetipsum cogitare, deuotionē nostram semetipsam discutere semetipsam examinare, quam feruens quam frequens, quam supplex sit, apud semetipsam inquirere. Apud semetipsum cogitat, cum studij & exercitij sui qualitatem, modum, & intentionem pensat. Cogitat apud seipsum dum diligenter inquirit, si hoc ipsum quod benè intendit, non de suis viribus, sed de sola pietate Domini præsumit. Si nondum intellexisti, adhuc clariùs accipe. Cogita an te ad orationem præparaueris, materiamque meditandam praeueneris, & affectum ex meditatione eliciendum præuideris. An dato orandi signo statim inceperis, aut saltem sine vlla mora ad locum destinatum accurreris. An distractus, an vero spiritu collectus, astiteris; An dormiturieris aliquantulum, an vigil, & erectus steteris. Cogita quid fueris meditatus, an intellectui plus nimio habenas discurrendi laxaueris, an paruum affectum an moderatum, an ardentem habueris, an tepidè an verò instanter postulaueris, an cum debita reuerentia, an potiùs minus reuerens, & humilis apud Deum fueris, an sine caussa infirmitatis, aut imbecillitatis sufficiente stans, aut sedens, & non genuflexus persliteris, & denique, an alium defectum curiositatis, diffidentiæ, pusillanimitatis, præposteræ intentionis, aut similium admiseris. Si te minimè defecisse deprehenderis, Dei beneficium agnosce, & pro eo gratias age, simul & quo modo alia die tibi sit procedendum, addisce. Si verò in aliquo defecisti, non tantum doleas, sed & culpæ caussas inquirens, vt postmodum culpam vitare, & quo modo tibi sit defectus emendandus, & rectè procedendum, agnoscas.*

Hæc Richardus, quæ mihi ad quatuor præcipua rerum capita referri posse visa sunt, quorum duo ad malum, alia duo ad bonum orationis successum pertinent, vt malo repertis caussis remedium adhibeatur; pro bono autem gratiæ Deo referantur, & in eo magis quotidie confirmemur. Priora duo includunt mentis euagationes, & cordis desolationes. Posteriora vero, illustrationes intellectus, & bonæ voluntatis concepta proposita.

Proderit autem non parum præcipua quædam ex his omnibus breuiter, & cum delectu in aliquo libello interdum

interdum sibi adnotare, vt S. Pater monuit, ne memoriæ elabantur. Ita enim mali remedia magis erunt ad manum: & boni proposita, ac desideria post aliquod tempus recognita, nos multò validius excitabunt, præsertim in tentationibus, vel desolationibus, quàm aliorum longissimi tractatus spirituales, sermones, aut conciones: Ita fecit, ita docuit Ignatius.

Vix autem dixerim quàm presse hîc sancti parentis sui vestigia sectatus fuerit P. Balthasar Aluarez, de quo sic P. Ludouicus Pontanus c. 2. §. 2. Finitâ oratione examen instituebat, de omnibus quæ in ipsa acciderant, siue benè, siue malè: tum vt incuriam defleret suam: tum, quod deliquerat, emendaret, gratias verò Deo ageret, ob sensa bona, quæ ipsi communicasset.

P. Balthasaris Aluarez exemplum. Ludouicus Pontanus c. 2. §. 2.

Ne autem hæc obliuioni traderet, adnotabat in parato ad hoc libello apposito die, mense, & anno protestatus aliquando, eiusmodi notata tamquàm prunas fuisse in suo pectore, ad excutiendum torporem, quoties ea relegaret, vel in memoriam reuocaret. Tanti est examen hoc vsurpasse.

Superest tertium, scilicet Ruminatio, quo nonnulli examen hoc solent compellare, de qua *S. Gregorius* loquitur in hunc modum: *nisi quæ affluenter sibi congesserunt in se recolant, quanta sit virtus illius cibi, quem (inter orandum) sumpserunt, non sentiunt.* Eodem respexit *Augustinus*, dum verba Salomonis iuxta 70. Prouerbiorum 21. *thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autem glutit illum, explicat in hunc modum: quia non ita prodest, quod mente fuit reconditum, nisi ad os postea illius sapor & dulcedo reuocetur*: hinc minimè sufficit horam matutinæ orationis, quasi mentem dapibus bonarum cogitationum, atque affectuum impleuisse, si statim inde surgentes, quasi omnium obliti, repagula & obices eiusce modi negotiorum his ita opponimus, vt collectæ pietatis vigor deriuari ad neruos aliarum operationum non possit: secus verò, dum ad os, siue memoriam reducitur, non solum vim suam latè diffundit, sed hac velut ruminatione, atque examine puriorem, ac defæcatiorem se reddit.

S. Gregorius. S. August. Prou. 21.

Atque hi admirabiles illi, longeque amplissimi fructus sunt, quos satore Ignatio, quotquot salutis suæ cupidi sunt, ac perfectioris vitæ amantes colligere posse lætantur, dum se in triplicis huius examinis palæstra eo duce ac rectore exercent.

APOPHTHEGMA SEPTIMVM.

QVisquis, aiebat, occultè improbus, ac facinorosus, eos inter vitam degit, qui probitate delectantur, multo istic tempore durare non poterit, tum quòd Deus eiusmodi sufferre non assolet, tum verò quòd in statu violento est, fictam viri probi personam referens, cuius censu caret.

Daniel Bartolus lib.5.37.

Commentarius.



QVem nobis sacra hæc Apopthegmata Authorem suum Ignatiũ Ducem aliàs & præceptorem, pœdotribam ac Consultorem, Medicum atque Magistrum, Monitorem siue rerum benè gerendarum Auspicem non semel exhibuerunt; eundem & optimum nunc Consolatorem ostendere non prætermittunt. Tanta siquidem in sanctissimo hoc, sapientissimoque viro omnigenæ virtutis abundauit industria, vt vnus omnibus formandis, instruendis, ac consolandis par esse videatur. Et benè id quidem: ca- *Ærumna à falsis fratribus magna afflictio.* namque grauissimorum onerum, atque ærumnarum supplicia sunt, quibus indesinenter affligimur, vt nisi collatis quibusdam alleuamentis, solatiisque erigamur, omnes succumbamus necesse sit, sunt autem ex illis non minima, quæ à falsis fratribus, peccatoribus, inquam, terram ingredientibus duabus viis, non tam imminere nobis, quàm incidere quo- *Eccli.2.14* tidie, tum Sapiens Eccli. 2.14. tum *2. Corint. 11.26.* gentium Apostolus Paulus 2. Cor. 11.26. conquesti sæpiùs fuerint. Infidum sanè hominum genus! cælo inuisum, ac terris exitiale, quibus dum gladius in corde stringitur, inuidia, ac crudelitate politus, Pax & amor subdolis motibus in lingua eorum ventilantur.

Sensisse hos visus fuerat Regius vates, quare & omni animo, ac mente scelus abominans, *labia*, inquit, *Psal. 11.3.* *dolosa! in corde & corde locuti sunt:* hoc est duplici corde, dolosè, fraudulenter, atque mendaciter, vt Paphlagonicis non absimiles videantur perdicibus, quas duplici corde constare Plinius, aliique prodiderunt: in quibus omen est insitæ malitiæ, *Paphlagonicæ perdices, quales.* quod illas maximè fraudulentas & afferre perniciem edentibus dicat Ælianus lib. 10. cap. 35. vt non sit mirum, si ab Ægypto sapientes in hierographia sua, perdicem pro contumelioso posuisse legantur.

Quod autem natura in volucribus *Caprarum natura.* illis fecit, hoc improbitas & scelus in hominibus machinatur. Nec in quadrupedibus exemplum desit. Capræ namque dum lambunt arbores, & lambendo exsiccant, & cùm illas osculari videntur, occultum venenum infundunt, quo pereant: Sic nonnullos ore blando te velut suauiari velle, & amoris vinum infundere putes, cùm detestabili quadam machinatione insidias ponant, & quàm maximè velint nocuisse: verè *duplices animo*, vt S. loquitur Iacobus, *Iacobi 1.8* quasi duas animi habeant cellas, in quarum vna rectitudo ac veritas: & alia fraus, mendacium, perfidiaque versentur de quibus ita monuit Paulus: *per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*, in quo se vacuos omni genere beneuolen- *Rom.16.18.* tiæ.

tiæ, & Christianæ mansuetudinis, acerbosque hominum inimicos luce clariùs ostendunt: Magna profectò humani generis labes, calamitas neutiquam ferenda, *nisi quod multò tēpore* vt S. ait *Ignatius, durare non possit, tum quòd Deus eiusce modi sufferre non soleat, tùm verò, quòd illi promiscuè in statu degant violento, fictam virorum bonorum personam referentes, quorum censu carent.*

S. Ignatius.

Diuinum solatium quod ore sanctissimo, æquè ac prudentissimo Ignatij, nobis erat depromendum, vt autem nunquam excidat, probèque ab omnibus intelligatur, non minore cura, ac studio nobis est explicandum.

An simulationem hanc itaque plusquam veteratoria fraude tot iam annis in bonos grassantem, quod spectat, cum S. Thomas, aliique scholæ magistri eam opponi docuerint simplicitati, quam Isidorus Pelusiota virtutis ac Philosophiæ regulam, hoc est perfectionis Christianæ summam, & coronidem appellauit, facilè arbitrari est, quæ, qualisue ab omnibus sit habenda, sc. næuus tantæ pulchritudinis, quantam in homine simplicitas solet procreare: Vermis, quo dulcissimus hic paradisi fructus corrumpitur: Venenum, quod viuum animi candorem interficit; vitamque hanc tristem, ac longè molestissimam reddit. Habet quidem malus dæmon mille nocendi artes, modosque mille, at nullum magis perniciosum, quam ille sit, qui clanculum, & quasi per cuniculos malum operatur, de quo sic oris aurei sanctissimus Orator: *Nulla res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum, nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cauetur malum autem sub specie boni velatum, dum non cognoscitur, non cauetur, sed quasi bonum suscipitur, & ideo coniunctum bono, exterminat bonum.* Homil. 19. operis imperf.

Isidorus Pelusiota.

S. Ioan. Chrysost. hom. 19. op. imperf.

Nec clarè minùs ac peritè S. ille Clarauallensium Abbas Bernardus, dum sic in præsentem rem legitur esse locutus: *Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali. Etenim minus semper malitia palàm nocuit, nec vnquàm bonus, nisi similitudine, boni deceptus est, ita ergo in malum bonorum, boni apparere student, mali nolunt, vt plus liceat malignari.* Et hi quidem simulatores sunt, qui virtutis colore nequitiam tegunt, dùmque alienam iam formam induerint, gliscunt impr obè & impunè in obuios grassari non erubescunt, vt meritò pronuntiârit *Cicero: totius iniustitiæ, nulla capitalior est, quàm eorum, qui tum, cum maximè fallunt, id agunt vt viri boni esse videantur.*

S. Bernard.

M. Tullius Cicero.

Certiùs *Petrus Chrysologus*; *hypocrisis*, inquit, *crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, ieiunium ieiunio perimit, oratione orationem euacuat, misericordiam miseratione prosternit. Foris homo videtur*, inquiebat *Etherius Episcopus*; *intus bestia fremit, imò*; *vt benè notat* D. Gregorius, *assumit Agni speciem, vt draconis exerceat operationem. Intus Nero, foris Cato*; vt S. Hieronymus scribebat his verbis, epist. 58. *Verè monstrosa res est speciem habere columbinam, & mentem caninam* professionem ouinam, & intentionem lupinam: intùs esse Neronem & foris apparere Catonem. Ex quibus quæ Chimera exsurgat, subiungit, ita vt ex eorum contrariis diuersisque naturis, nouum monstrum, nouamque bestiam diceres esse compactam, iuxta illud Horatij.

S. Petrus Chrysologus.

D. Gregorius.

S. Hieron. ep. 58.

Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimera.

Vnde venit, vt qui tales sunt, in Christi peculium irrepant, sanctitatem veneno mellitæ orationis illitam præ se ferant, quales olim Montanistæ, qui triplicem quadragesimæ abstinentiam obseruabant: Euchitæ, qui perpetuò orandum esse docebant: Eucratistæ, qui à matrimonio tamquàm à re absurda se continebant, & hoc quidem ad famam, nomenque sanctitatis, vtque suos inter, veram esse Ecclesiam quâ possent viâ testarentur, fictisque sermonibus fraude irretitent incautos.

Montanistæ. Euchitæ. Eucratistæ.

Nec ab his procul discedunt, qui in sancto habitu Angelis appatent candidiores, intus vero cacodæmone sunt tetriores. Quod Gregorius ille Turonensium Antistes, non infi-ceto Apologo exposuit: Sutor, inquiebat, candidam felem in deliciis habebat quæ in dies vnum duntaxat musculum capiebat, accidit vt in vas atramento sutorio plenum incideret, vnde egressam, mures eam veluti monastico hoc indutam habitu posthac carnibus vesci non posse rati, liberè de cauernis suis progressi sunt, sed mox ingentem stragem passi, mirabantur quod colorem non animum mutasset. Ita & in his fieri amat, quibus vestis sanctæ beneficium, ad mala plurima perpetranda ostium aperit, de quibus Tertullianus lib. de cibis Iud. *exterius*, inquit, *candicant probitatis specie, intus tetrâ vitiorum labe nigri sunt*, qui, vt S. Thomas, cuius nomen non tam hominis quàm sapientiæ nouimen est, prudenter aduertit, *videntur continentia, ac ieiunio, quasi quadam pietatis veste circumdari: intrinsecus autem habentes animum venenatum, simpliciorum corda decipiunt*. Hoc vitium, crimen illud est, iuxta Richardum Victorinum, de quo dicitur: *accusauit Ioseph fratres suos crimine pessimo*. Vitium quod Deus singulariter detestatur, nullum aliud, quàm hypocrisis tectiùs intelligitur. Augustino itaque attestante, *simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas*. Hoc vitium per Ioseph detegitur, quando insidians malum per detectionem deprehenditur & arguitur. Quibus ita cognitis, planeque perspectis nemo mirabitur improbos hosce diuinis, humanisque legibus ad pœnas deposci, vt quam pridem promeriti fuerint sustineant animaduersionem, quare vt à factatorum Codicum oraculis auspicemur, immensum! quantum hic vapulent, non tam aliorum exemplo, quàm de merito proprio, ac damno. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, ait Sapiens cap. 1. 5. Fictum disciplinæ vocat Simulationem erudito artificio & malitioso coloratam, ad quam improbè concinnandam, velut doctrina quædam solertiaque adhibetur, quæ non potest non Deo displicere, haudquaquam enim amat falsum autor veritatis, *adulterium est apud eum omne quod fingitur*, inquit Septimius. Vnde aduersus eos in diuinis litteris multæ atque atroces summi Numinis minæ reperiuntur, vt apud *Isaiã*, vbi eos *gentem fallacem* nuncupat Deus, inquam ait se immissurum virgam furoris sui. Item Iob 36. 13. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei*: quæ verba Patres Græci ita intelligunt, vt simulatores contra se ordinent diuinum furorem, Dei fulmen in caput suum euocent & impellant.

S. Gregorij Turonensis Apologus. — Tertull. l. de cibis Iudaicis. — S. Thomas. — Richard. Vict. — S. August. — Sap. 1. 5. — Septimus. — Isaias 10. 6 — Iob 36. 13.

Messiæ verbis rem firmo, cum enim is acerbum, durum, insitatum & sceleratis hominibus repositũ vellet supplicium exprimere, dixit: *ponam partem illorum cum hypocritis*, quasi hypocritæ Dei fulmen quantum, quantum est, & grauem manum experturi sint aliquando vindicem suæ simulationis.

Matth. 24. 51.

Infelix hominum genus, de quibus ita apud Sapientem Eccli. 37. 3. legimus: *O præsumptio nequissima, vnde creata es cooperire aridam malitia & dolositate illius?* q.d. O improba cogitatio, vnde deuoluta es vel delapsa, tegere aridam in dolositate, id est, vt terram dolis tegeres? quare cum nec Deum conditorem pro patre agnoscas, nec naturam humanam matrem, sed mentis peruersæ sis meditatio & dolosa fabricatio, iure quis dixerit te à Tartari specubus & officinis vulcani, velut furiam aliquam siue Megæram prorepsisse, vbi ipse primus doli fabricator & architectus Lucifer te genuit, atque è puteo infernali emisit, vt terram cooperires & malitia tua obtegeres, omnem charitatis virorem depastura.

Eccli. 37. 3

Neque minus perspicuum est quid humana Iura de eadem hac peste pronuntiârint, cùm enim ad dolum malum pertineat, quæ totius Iustitiæ dehonestamentum est non leue, eisdem

Ius ciuile hoc hominum genus castigat.

dem pœnis coërceri plectique in confesso est.

Simulatio in aulis regnat. In aulis Principum regnare id vitium multi voluerunt, qui experientia docente, scitum illud *Ludouici Regis* cognouerant: *qui nescit simulare, nescit regnare*: Qua etiam ex causa Rauennatum Præsul ab aureo sermone clarissimus, Herodem à mundi Seruatore vulpem nominatam autumat, quæ fraudis artifex, simulationis magistra, plena strophis esse, audireque consueuit, calliditate nãque Herodes regnabat, præsidebat dolis, & simulatione pollebat, vt nec ouum ouo dixeris similius, quam illum vulpi, aulica sua simulatione. *Vnde Herodes vulpes dictus.*

Simulatio vbique dominatur. Sed profectò latiùs serpit hoc malum, quã vt aulæ parietibus coërceatur, in omni hominũ statu reperire est huiusmodi simulationis architectos, qui vultu, sermone, factisque alterum hominem decipiant, personatis illis lupis similes ex Euangelio, qui melote vestiti, vt ouiculæ obambulant, intus autem sunt lupi rapaces.

Grande nimis periculum! intestinum malum! quis medebitur? aut auertet? ille vtique, qui breue illud, atque ab ipso se destruendum voluit Deus. Ita pronuntiauit, dixitque olim Ignatius, & verum dixit. Nihil enim arte simulatum, & expressum durare diutiùs valet, aut prudentium mentes ac maturum iudicium fallere potest. Testem aduoco *Oseam*, qui posteaquam eiusce modi farinæ homines his verbis descripsisset: *colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius*. q.d. anima væcors interiora cordis, animique malitiosi colligat in sarcinam, & astringit, ne pateant, ne videantur: hinc inuolucris ea multis obtegit, dissimulat improbat consilia, oppanso velamine simulationis, conatur obtegere; quid autem illa fiat? *Dolores parturientis venient ei.* Illucescet, & quidem breui elucescet dies illa, cum tecta illa & studiosissimè clausa in apertam lucem proferentur. Vterum fert illa incesta mens, & pariet propediem, dolorem parturientis, angoremque persentiet, cum non alia erit obstetrix, quam Nemesis & ferro Numinis armata Iustitia. *Oseas 13 12.*

Eodem respexisse *Sophonias* cap. 1. 8. mihi visus est, cùm eiuscemodi minas ex ore diuinò acceptas hypocritis occinuit: *visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Vbi visitare è sacri sermonis vsu punire est, & castigare. Per vestem autem peregrinam, Rupertus intellexit hypocrisin, quasi filis simulationis opere plumario contextam ad decorem, futilemque pompam, hoc inane paludamentum mendacio illusum visitabit, excutietque Deus, atque in luce omnium populorum, vulpeculas illas ex inuolucris simulationis eductas hominum contumeliæ exponet. *Sophonias 1 8.*

Huc refero, neque, vt arbitror, inconcinnè, quod Xiphilinus, ac Dio Cassius in Nerone scriptis prodiderunt: Romanos Senatores seueros illos Catones importunè solicitauerat Nero, vt in sui gratiam populo ludum facerent, & saltum histrionicum in foro Romano inter se agerent: quod cum subterfugerent, vt alienum à dignitate sua, visit, dixitque si id eos puderet, omnes laruati in scenam prodirent: cum armatas illas Cæsaris preces excutere non possent, habitu maximè deridiculo, quo minus innotescerent, & saltus, quàm possent leuissimos efformando, laruati omnes in publicum prosilierunt: dum ecce, quos Imperator post cortinas seposuerat, satellites erumpunt, qui laruam singulis detrahant, & omni populo in ludibrium exponant, quo facto, ita omnes pudore suffusi fuerunt, vt suffecerit ad vitam non paucis eripiendam. Ita iusto Dei iudicio hypocritis ac simulatoribus vsuuenire clarum est. cum larua illis probitatis, ac sanctitatis detracta, fraudes eorum ac nequitiæ patefient: *gaudium* siquidem hypocritæ, vt Iob 20. legimus, *ad instar puncti*, id est, ad momentum, vel instans. Vbi vox hebræa posita, eadem est, quæ apud Ieremiam repentè, & *Xiphilinus. Dio Cassius* *Iob 20.*

 subitò,

subitò, quasi dicat gaudium mundi, quo hypocrita exultat, subitò extinguitur & euanescit, quasi scintilla, quæ hoc ipso, quod succensa splendorem emittit, exstinguitur, & absumitur: quod & ipsi hypocritæ apud *Sapientem* liberè confitentur, dum aiunt: *nos nati continuò desinimus esse.*

Sap. 5. 13. Firmatur autem ex eo quod sacer Euangelista scribit, dicens: Diabolum *ostendisse Christo omnia regna mundi & gloriam eorum in momento temporis*

Luc. 4. 5. (Lucæ 4.) Apertè designans, quam parua illa, atque fugacia sint omnia, quæ tantillo possunt repræsentari momento. Ita fugiunt ficta omnia, atque euanescunt: quid miraris? *Spuria vitulamina*, inquit Sap. c. 4.

Sap. 5 3. *non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt*: vel ex ipsa S.

Historia simulatoris detecti. Nicolaus Orlandinus l. 11. n. 7. Ignatij familia exemplum cape. Annus à salute parta millesimus quingentesimus post quinquagesimum primus, Collegio Romano illuxerat, cum diuina Bonitas, quæ læta tristibus, ac tristia lætis permiscere consueuit, surgentem familiam à veteratoria fraude pessimi cuiusdam simulatoris passa est infestari, sed, vt monui, nec diuturna eius simulatio fuit, nec pro natura sua falsus tenuit fucus: latitare subdolè domesticos intra parietes cœperat à Philippo Melanchtone, alioque hæreticorum antesignano, hæreticus iuuenis, eo Romam consilio summissus, vt res Societatis ac mores curiosis oculis exploraret, ex eaque nonnullos, si consequi posset, ad execrandum suum ac detestabile dogma traduceret, adeo neque ab ipsis hæreticorum insidiis nascenti collegio licuit esse securo. Adolescentem hunc oris dignitas in robore commendabat iuuentæ (erat enim natus annos tres & triginta) &, vt erat apprimè versutus, bellè simulabat se esse catholicum, admirabilique facultate sermonis, atque congressus in Societatem se nostram intruserat. Ad tyrocinium itaque admissus, obeundis suis rite partibus nemini cedere: sæpè exomologesin inter hebdomadam, sæpè sacram iterare synaxin, voluntariis suum plagis corpus accipere, colere externa pietatis officia, totum se ad disciplinæ præscriptum & moderatorum nutum, vultumque fingere: nihil denique, quod ad celandam sectam, & nefaria sua dissimulanda consilia pertineret, omittere. Cænaculo instruendo præpositus, socium sui muneris ac laboris adiunctum Oliuerium Manaræum habebat, quem ille remotis iam arbitris, testibusque domesticis, vt peregrinis doctrinis abduceret, tentare non semel aggressus, crebrò cum eo de cõtrouersis in Religione quæstionibus agitare sermones, crebrò de sacrarum Imaginum vsu, de potestate Romani Pontificis, de fide & operibus, de iis denique omnibus, in quibus minimè Catholicis cum hæreticis conuenit, miscere colloquia. Sensit Oliuerius post varias confabulationes fœdis ac perniciosis imbutum opinionibus socium, hominemque suspicatus hæreticum, obseruare eius omnia dicta, ac facta dissimulanter instituit, paucisque diebus quinque & viginti exitialia dogmata à Catholicis abhorrentia ex imprudentis ore collegit. Admonitus ea de re S. Ignatius, eum sine cunctatione ad summum hæreticæ prauitatis Inquisitorem Cardinalem Ioannem Petrum Carafam deferendum curauit. Is comprehensum hominem, & in custodiam inclusum, cum posteà suis se reus confessionibus indicasset, sententiamque mutasset; ne peccandi licentiam augeret impunitas, perpetuas ad triremes & probrosa transtra damnauit. Ita Orlandinus l. 11. n. 7. vsque adeo veritati consentire dixeris, quod suo expressit Apophthegmate Ignatius occultè, *improbos ac facinorosos, inter eos qui probitate delectantur, Deo eiusmodi nequaquam sufferente, diu durare non posse.*

Sed & alia assertionis nostræ causa est, status ille nempè violentus in quo degit simulator, quo, vti nemo vnus diu potuit persistere, ita neque aliquando perdurabit, ita scilicet na-

tura

Aristotel. l. 1. de cælo, text 18. tura docente pronuntiauit olim *Aristoteles* lib. 1. de cælo, textu 18. *nullum violentum perpetuum.* Quod non tantum in genere naturæ, sed & in genere morum ab eo dictum volunt: cum enim ponat Philosophus in tota serie seu coordinatione causarum agentium, cuilibet potentiæ passiuæ respondere potentiam aliquam actiuam, quæ deducat eam in actum, necessariò consequitur, vt violentum, quod est illi oppositum, corrũpatur.

Seneca ad Neronem. Viderat hoc, ac probè intellexerat Romanæ Philosophiæ Princeps Seneca, cum sic ad Neronem scripsit: *nemo potest personam fictam diu ferre: ficta in naturam suam cito recidunt: quæcunque verò ex solido nascuntur, in maius, meliusque procedunt.* Quod Horatius lib. 1. Epist. 10. in hunc modum expressit.

Horatius l. 1. ep. 10. *Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.*

Ductâ nimirum metaphorâ à ramis, qui appositâ furcâ torquentur aliò, quam natura posuerat, quâ sublatâ, vergunt eodem, quò prius.

Apologus simia. Quod & à Simia disces: Alebat quispiam simum animal, oblectandis hominibus natum, ac bellè puellari veste, feminea indutum mitella, ad fidium numeros saltare docuerat: dixisses non simiam, sed bellissimam quandam puellam, pyrrhicam saltationem agere: cum ecce, non nemini ex adstantibus nuces excidêre, quarum conspectu, mimica nostra saltatricula & cuius personam hactenus sustinuisset, & quos modos impræsentiarum versaret, oblita, ad naturam redit, nuces inuadit, conficit, decorticat, atque ori nucleos iniectos gulosè deuorat, hero nequidquam indignante. Quid agat? vsque adeo verum est, quod idem Horatius lib. 1. ser. Satyra 7. cecinit:

Horatius l. 1. serm. s. 7. ——————*tolle periclum,*
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.

& ita profectò fieri amat,

Sub niue quod tegitur, dum nixperit, omne videtur.

Et quam cito illa liquitur! leui fauonio, vno solis radio de nubibus promicante, deliquescit. Potest malus se occultare ad tempus, sed vt propediem, casu aliquo, verboue detegatur, necesse est.

Card. Cusanus tom. 2. exerc. l. 7. Simulatio detecta. Author est Nicolaus Cardinalis Cusanus à Nicolao V. Pontifice in sacrum ordinem purpuratorum Patrum adscitus, vir æquè pius ac doctus tomo 2. Exercitationum lib. 7. Mulierem fuisse externa specie, moribusque sanctam ac piam, peccata sua frequente exomologesi expiabat, peccatricem se, nequam Dei seruam, atque improbam, ore plenissimo profiteri non desinebat: Confessarius veritus ne præstigiæ forent, technæ, arque fallaciæ insignes, post pluries ab ea iteratas eiusmodi confessiones, subiunxit, se quoque audiuisse aliàs idem de ea dici à notis ac cognatis, proinde tempus esse vt se corrigat, atque emendet. Quo illa audito, turbari, irasci, ac conuitia in illos spargere, ac splendidè omnes asserere, mentiri. Respondit illicò confessarius, se nunc experiri, illam verè improbam esse, ac malam, & probam, bonamque velle videri cum non sit, quæ genuina hypocrisis est, vnde & diu latere nescia, laruam exuit, & quæ esset, ostendit.

Hypocrisis Empedoclis quomodo detecta. Quod aptè etiam adumbratum mihi videtur in eo, quod è Gregor. Nazianzen. de Empedocle Philosopho refert, qui hypocrisis morbo efflictim laborans, & Deus haberi infamiter cupiens, se in accensas Ætnæ voragines proiecit, vt qui nusquam compareret, raptus in cælum atque inter Deos relatus apud populum haberetur. At nòn sine numinis prouidentia, erumpens è monte magna vis cineris, vt sæpè aliàs, simul calceum vnum Empedoclis euomuit, quo superbi hominis hypocrisis patefacta constaret. Exinde *Calceus Empedoclis* abiit in prouerbium, quo astutam alicuius simulationem detectam significamus.

S. Cyprianus ep. ad Cæcilium. Bene proinde *S. Cyprian*: epist. ad Cæcilium: *hæc est vera dementia, non cogitare, nec scire, quod mendacia non diu*

diu fallant: noctem tam diu esse, quamdiu illucescat dies: clarificato autem die, & sole oborto, luci tenebras & caliginem cedere.

Simile. Atque hoc ita sese habere, à similitudine hac disces: vti breuis admodum mulieris fucatæ gratia est: nam halitu populari fucus inæqualiter difflatur, & ipsa facies maculosior redditur: sic qui statis quibusdam temporibus meliorem mentiuntur vitæ phantasiam, continuò in proximis conuentibus, eam speciem amittunt, ac quod minus exspectabant, magis vitiosi euadunt.

Cum igitur inficiandi nullus, aut dubitandi de Apophthegmatis huius sinceritate locus supersit, reliquum est, vt in graui hac temporum licentia, quæ tot, tantosque in plurimis fabricat cordis anfractus, malitia implexos, ac veteratoria quadam fraude obductos, è quibus viros bonos impetere non cessat, monentem Ignatium audiamus, cumque breue sit omne ac momentaneum quod simulatur, aut fingitur, nec eo nimium fidamus, nec pauidi terreamur.

APOPHTHEGMA OCTAVVM.

D*Icebat in rebus gerendis, illud cum primis tenendum, vt te rebus non res tibi submittas.*

Petrus de Ribadeneira l. 5. c. 11.

Commentarius.



QVisquis Ignatium Loiolam magni Pauli Tharsensis echonem dixerit, à veritatis linea neutiquam aberrarit.

Quid Echo. Echo ludibundæ naturæ prodigium: ab Hebræis בת קול Bat-col filia vocis appellata.

à Græcis Ἠχώ, siue φωνόκαμψις reflexio vocis;

à Philosophis, vox articulata, aut modulatus sonus, reciprocus ac motu aëris remissus, quaqua versus radians, obiecto directè corpori plano, & satis leuigato.

A Poëtis imago vocis, iuxta illud Virgilij Maronis:

Virgilius. *Saxa sonant, variisque offensa resultat imago.*

A Grammaticis repercussæ vocis, aut soni repræsentatio, dicta.

Et vox quidem grandis, ac clara erat Paulus, de quo Act. 16. 28. *Clamabat voce magnâ Paulus:* & verè magnâ, quæ ad fines vsque ac sola terrarum vltimarum audita fuit, vt Hymnopæus propheta cecinit: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* Psal. 18. at vocis huius Echo Ignatius fuit, cum doctrinam eius, Iustitiam, fidem, patientiam, longanimitatem, ac dilectionem assecutus, ea nequaquam emori passus in se fuit, sed multiplicato fœnore reddidit, factus prodigium multis.

Obiectum phonocampricum vt voci reddendæ idoneum ac commodum sit, planum ac leuigatum esse oportet, iusto distans interuallo, & profundum quidem; qualia in conuallibus reperias, vbi scinditur resultans aër, & acceptæ voces numerosiore repercussu multiplicantur.

Quis hæc vnquam in Ignatio desiderauit? cuius vita contumacium naturæ motuum asperiore domitu attrita, carnis ac sensuum voluntaria coërcitione, vt æqui soli area, fuit complanata, animus autem profundæ humilitatis conuallibus assuetus, nihil sublime sapuit, aut confragrosum, pectus verò solidum, aptum proinde atque oppidò idoneum, ad istius-

iſtiuſmodi voces meliore phonocampſi reddendas, quodque factum à Paulo, actum à ſe, ſuiſque demonſtrandum eſt.

Prætermitto cætera, vnum adduco, ex 1. ad Corinth. capite nono, vbi ſic loquitur: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Quod pluribus reddidit *Ignatius* in hunc modum, vt Petrus Ribadeneira ſcriptum reliquit: *in rebus gerendis illud cumprimis tenendum*, aiebat, *vt te rebus, non res tibi ſubmittas*, hoc eſt, vt rei gerendæ, non tuæ commoditatis rationem ducas, negotiorumque vtilitati diligenter ſeruias, & tempori, idque tam congruenter omnibus, vt omnes lucrifacias, ac ſapientem te hominum piſcatorem, Chriſtique miniſtrum attemperes, omnia omnibus fias, & non tibi, ſed Deo, ac fratribus, viuas in Chriſto. Libro 5. vitæ cap. 11.

1. Cor. 9. — *Apophthegmatis ſenſus.* — *Ribadeneira l. 5. c. 11.*

An non hoc eſt eſſe Echonem, nec ſimplicem quidem eam quales vulgò notæ ſunt plures, nec etiam heptaphonam, qualem in vrbis Romæ mœnibus, & Olympiæ porticibus auditam ferunt, nec octophonam, cuiuſmodi ad muros Auenionenſes reperiri ſcribunt: ſed polyphonam nobilem & raram Phonocampſin, pro qua nobis tam largiter indulta, vt aliquando poſt meritas Deo gratias redditas, ad eius expoſitionem veniamus tempus monet.

Non rem tibi aut negotium, inquit, *Ignatius, ſed te rei, negotioſe ſubmittas, vt omnibus omnia fias, & non tibi, at Deo & proximo viuas*: Hæc ſumma rerum omnium humanarumque actionum regula. Ars eſt, quæ compendio doceat, nunquam errare: artes cæteræ pani, hæc cælo lucrando facit, hanc artem neſciſſe, eſt cælum perdidiſſe, & nomen quidem huic arti pura, rectaque intentio eſt, quam Saluator noſter *oculum ſimplicem* appellare ſolebat.

Expenditur Apophthegma.

Et cur, inquies, ſimplicem? dicam: In Theologicis ſcholis appellatur Deus ſubſtantia ſimpliciſſima, in qua nulla ſit compoſitio, aut mixtura, nihil enim in Deo eſt, quod non eſt Deus. Sic oculus, ſic & intentio ſimplex vocatur, cui nil impuri, nullus ſui amor, aut vana ſpes admixta ſit, quæ cùm operatur, operis ſui finem conſtituit Deum, ſeu, quæ opera omnia negotiaque ad eius honorem reuocare conſueuit.

Puram requirit intentionem.

Pulchrâ id ſimilitudine melleus dicendi artifex Ambroſius expreſſit, dum Aquilæ ſolertiam huc adduxit, quam ait implumes ſuos pullos exploraturam, atque ab illegitimis ſegregaturam, vngue ſuſpenſos tenere in aëre, ac ſolaribus radiis opponere: qui irretortis oculis ſolem exceperint, pro filiis agnoſcere, cæteros autem, qui tremulis eum luminibus admiſerint, vt degeneres nido eiicere ac præcipitare. Optimè! Ita & ij prorſus, qui Deum rectо obtutu, reſpiciunt, actuſque ſuos omnes ſincerè & integrè ad Deum dirigunt, vt neque in muſtaceis laureolam quæritent, neque oculos aliò abductos reflectant, filij Dei habendi ſunt, contrà, qui euariantem oculum habent, & aliud in negotio, quàm id quod quærendum eſt, indagant, infelicem exitum ſortiuntur. Quamuis autem licitum ſit, atque laudabile, præmij cæleſtis intuitu Domino deſeruire, iuxta illud Pſal. 118. *inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*; non tamen ad heroicam Intentionis puritatem attingit, qui præter rei gerendæ, ſuæ quoque vtilitatis rationem ducit, quod redarguiſſe *S. Bernardus* dicendus eſt, cùm ſerm. 83. in Cant. ſic ſcribit: *Amant filij, ſed de hæreditate cogitant, quam dum verentur quoquo modo amittere, ipſum, à quo exſpectatur hæreditas, plus reuerentur, minus amant. Sed viris perfectis, ait Apoſtolus: æmulamini charismata meliora, & adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro: vult, vt ſeipſum explicat ad* Epheſ. 5. *Imitatores ſimus Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulemus in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos: id eſt, quod ſicut Deus benefactor noſter, ita nobis benefacit, vt*

Similitudo Aquilæ. — *Pſal. 118.* — *S. Bernard. ſerm. 83. in Canti.* — *1 Cor. 12. 31.* — *Eph. 5. 6.*

vt nihil à nobis repetat cùm bonorum nostrorum non indigeat, ita nos solo placendi, ipsi desiderio cuncta faciamus: unde meritò idem Bernard. serm. 83. in Cant. *Suspectus est mihi amor, cui aliud adipiscendi spes suffragari videtur; impurus est, qui & aliud cupit. Purus amor mercenarius non est: purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit, sed seipso contentus est. Mercedem quidem operis secuturam non nescit, sed eò nunquam respicit, neque ideo bene loquitur, vt bene pascatur, nec ideo sanctè agit, vt copiosè id exsoluatur.* Præclarè ad eandem rem *Publicus Mimus: Malus est vocandus, qui sua causa est bonus:* ergo non tantùm non licet mihi esse malum propter me, sed nec bonum etiam propter me: propter Deum omnia *Ad finem summi boni,* vt *Seneca* loquitur, *omne factum, dictumque respiciat necesse est.* Quod deinde exemplo confirmans, *amico*, inquit, *ægro aliquis assidet? probamus, & hoc si hæreditatis causâ facit, vultur est, cadauer exspectat;* tanti refert, quare aut quemadmodum fiant, vt non tibi res, sed te rebus submittas, non tuæ commoditatis, sed rei gerendæ vtilitatis rationem ducas: quod nisi fiat, nec tibi prospicis, nec alteri prodes: Non tibi, nam *si eo corde*, vt docet S. Augustin, l. 1. c. 21. de sermone Domini, *quis operetur boni aliquid, vt terrenum commodum adipiscatur: non erit ei cor mundum, quod in terra volutatur, sordescit enim aliquis cum inferiori miscetur naturæ:* Adde, mitiùs fore *in die illa terræ Sodomorum & Gomorrhæorum quam illis.* Matth. 10. cum eorum culpa factum sit; vt animæ ad suum Conditorem non fuerint conuersæ, non eas, sed sua illis quærentibus commoda & lucra.

S. Bernard. serm 83. in Cant.

Aurea Publij Mimi sententia.

Seneca rectam docet intentionē.

S. Augustin. l. 1. c. 21. de ser. Domin.

Matth. 10.

Φιλαυτία pestis rectæ intentionis.

Haud diu est, cùm vir doctus abs religioso asceta interrogatus quid Rectam Intentionem vitiare soleat quàm maximè? hoc responsi tulit: Amor sui, græcis φιλαυτία, cùm quis omnia non ad rem, quàm gerit, sed, suaui quodam meatu, ad se deriuat, hoc vnum maximè agitans, vt sibi prosit: suo bono & commodo, ad sensum suum, & lubitum, quod geritur cadat, res sibi, non ipse rebus subseruiat. Hic Amor sui, siluestris ille satyrus est, fera pessima tribus cornibus sinceram intentionem oppugnans.

Amor sui siluestri satyro comparatur.

Primum Cornu, *honoris, titulorum, laudis auiditas est,* quę hoc vnum molitur, & cogitat, præ cæteris eminere, laudari, æstimari.

Alterum. *Desiderium voluptatis est,* quæ docet cibum, potumque sumere, non tam necessitati, quàm voluptati, neque mensæ accumbere, vt fames sedetur, sed vt gulæ fiat satis, quod & in aliis obseruat.

Tertium Cornu, *Auiditas opum est,* quæ labores quidem multos ac varios iuuandis in speciem hominibus assumit, non tam vt eis bene sit, quàm vt propria marsupia, loculique tumescant. Ita Amor sui hoc spectat, vt vbique in sagina sit, ipse se pascat, se curet, faciatque, quod ille olim, de quo Gellius lib. 4. noct. Atticarum cap. vlt. Cùm quidem corpulentus ac nitidus equum haberet macilentum, ac strigosum, rogatus quid esset in causa, quod ipse longè curatior foret, quàm equus ipsius? respondit, non mirum debere videri, si equo suo esset habitior, quandoquidem ipse se curaret, equum Statius seruus. Ita prorsus Amor sui, quidquid non suum putat, aut id aliis mandat, aut leuissimè curat: ad commoda sua sudare, negotium sibi, non seipsum negotio accommodare, hoc esse sui muneris putat. Sed malè; quod vt latere neminem ex mente Apostoli queat, voluit *Ignatius* tam publicis, quàm priuatis sermonibus idipsum omnibus inculcatum, & tribus id quidem gradibus ostensis, per quos ad oppositæ virtutis apicem conscendamus, nos rebus, quas ad Dei honorem gerendas suscepimus, non autem res nobis submittendo.

Aul. Gell. lib. 4. noct. Att. cap. vlt.

Primus itaque gradus est *Rerum conditarum obliuio:* dum scilicet rebus in omnibus, vnicum Dei honorem sic attendimus, vt affectus omnis ad hæc

Primus gradus accomodandi se rebus, nō verò res sibi.

hæc caduca iuguletur: id solum spectando, quid placeat Deo: sic olim docuisse visus est mellifluus *Bernardus* lib. de interiore domo cap. 99. *Quomodò enim*, inquiens, *perfectè diligis, aut diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis? collige teipsum ad teipsum, & in solo diuinitatis desiderio requiesce*. Voluerat id antè magnus *Augustinus* his verbis: *Minus te amat, Domine, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.* In Confess. Gradus secundus, *Obliuio est sui ipsius*. Docet hæc modum, quo possit quis suimet non meminisse, solamque voluptatis nomine agnoscere eam, quæ in vna ac sola Dei voluntate quiescat. Sicut enim beatarum mentium in cælis summum gaudium, ac voluptas est, Dei cernere voluntatem per vniuersum terrarum orbem fieri, atque obseruari, nec vsquam reperiri quidpiam quod eius possit beneplacito restitisse: imò non sic lætari solent de cælesti gloria, quam possident, nunquàm finienda, quàm quod Deus illorum gaudiis plurimum delectetur; ita & hic fieri amat. In hoc gradu & ipsum se homo relinquit, & obliuiscitur sui, quod aliàs non omnibus æquè in expedito est: *nec enim arduum est relinquere sua, valdè autem difficilè relinquere se*.

S. Bernard. l. de interiore domo c. 99.

S. August. in Confess.

Secundus gradus.

Tertius gradus est, *cùm quis seruit Deo, non solùm, vt id Deo placeat, hoc enim nescio quid humani etiamnum retinet, sed quòd sibi sic seruienti placeat Deus*: cui vel ideo seruitur, quia tam bonus, tam potens, & iustus est: de quo sic Bernardus lib. de dilig. Deo. *O pura*, inquit, *& defæcata intentio voluntatis! eo certè defæcatior, quo in ea de proprio nil iam admixtum relinquitur, sic affici, deificari est*. Patet in Apostolo Petro, quem Christus vicarium suum iussurus, hanc in eo purissimam voluit intentionem excitare, *Petre*, inquiens, *amas me*? quasi diceret: hoc in præsentiarum ago, vt tibi muneris mei vicariam operam commendem, ouesque meas pascendas committam, cui sanè officio purissimâ opus est intentione; quare nec antè hoc ei munus imposuit, quàm Petrus tertiò aperuisset, quo cor suum, oculi, atque intentio collimarent, dicens: *Domine tu scis, quia amo te*; cùm tandem Christus ergo, mi Petre, si ego tibi adeo placeo, & seruire mihi vis propter me, nunc tibi meum gregem committo: *pasce oues meas*, idque tam congruenter omnibus, vt omnes lucrifacias, sapientem te pastorem attemperes, omnibus omnia fias, & non tibi, sed fratribus viuas.

Tertius gradus.

S. Bernard. l. de dilig. Deo.

Ioan. 21. 15.

Quod Dominus Petro, ductâ ratione ouium suarum, quas illi volebat commendatas, idem vnicuique nostrum, respectu habito alterius hominis, quem diligi à nobis iubet, desiderat inculcatum: quod veritatis ille Philosophus & Phœnix ingeniorum ac Princeps S. Thomas de Aquino expressum nobis reliquit in „ hunc modum: Et mos, inquiens, „ Dei, quod in omnibus operibus suis „ & ordinatione nihil commodi sui „ respicit, sed purè & principaliter „ æternæ & immensæ bonitatis suæ „ abundantiam, & hoc ad Angelicæ „ & humanæ creaturæ vtilitatem. In „ creatione quippe & conseruatione „ cælorum, quatuor elementorum & „ omnium quæ in eis sunt, non considerat suum commodum, sed ho„ minum, & Angelorum fructum. Si„ militer quidquid ordinat in crea„ turis quibuscunque, siue sit tempe„ ries siue intẽperies, siue penuria fru„ ctuũ, siue abundantia, siue sanitas, „ siue pestilentia: quidquid etiã facit „ circa homines, conferendo gratiã, „ siue subtrahendo, siue permittit eos „ sa nos esse, fortes, debiles, vel infir„ mos, pauperes, siue diuites viuere, „ siue mori, siue permittit regnare „ bonos, siue malos, affligere pau„ peres, siue iustè iudicare, siue iudi„ cium peruertere, omnia ordinat, „ omnia facit, omnia permittit pro„ pter suam inæstimabilem bonita„ tem & hominum communem vti„ litatem. Atque ita in rebus omni„ bus pura debet esse intentio no„ stra, vt nec placentiam, nec displicentiam

S. Thomas de Aquino opusculo 62

„centiam hominum aut nostrum „ commodum attendamus, aut gratiam in præsenti, aut gloriam in „ futuro, sed tantummodò purè & „ principaliter propter Dei admirabilem bonitatem, & secundariò, „ proximorum salutem: quantò au„ tem magis & purius partem Dei „ respicimus: & quantò minùs no„ stram, & aliorum vtilitatem attendimus, tantò acceptabiliùs est Deo, „ & tantò vniuersitati fructuosius o„ pus nostrum. Heu quantum Deo „ deperit & vniuersitati, quod in fa„ ctis nostris aliud respicimus, quàm „ purè Dei bonitatem! Cùm enim „ ventilabro suo separabit paleam à „ tritico, per sapientiam suam pu„ rum diuidet ab impuro, tunc so„ lùm triticum in horreum assumet, „ paleàm comburet igne, id est, so„ lùm id quod propter Deum factum „ est purè, vel dimissum in cælo re„ munerabitur & vniuersitati vtile „ reddetur, dicente prophetâ: *Re„ tribuet mihi Dominus secundum iu„ stitiam meam, & secundum purita„ tem manuum mearum in conspectu „ oculorum eius.* Hactenùs S. Thomas „ opusculo 62.

Ad singularia descendendû

Sed neque satis est affectum hunc in communi habere, v. g. circa vitæ statum, verum etiam circa singularia, vt in singulis hæc corda nostra possideat cogitatio: gratificaturus v. g. alteri, hæc secum animo voluat: huic homini, ô Deus! gratiam hanc præstabo pro singulari, quo in te sum, affectu, vt te Dominum meum, qui in omnes benignus es, pro viribus imiter, vt tibi morem geram, qui charitatem in alios mihi commendasti.

Daturus stipem, hos sibi fines constituat: benignè faciam egenis ad maiorem Dei gloriam, vt vniuersis eius beneficiis me gratum exhibeā: Ieiunaturus, id secum expendat: hoc tibi, Deus ieiunium offero, in vnione omnium quæ filius tuus Iesus, saluator noster cum in deserto, tum alibi tolerauit, vt eius vestigiis insistens honorem adaugeam.

Et sic in cæteris, quo fiet vt quod olim de suis Nazaræis pronuntiauit Ieremias, de nobis quoque dici non immeritò queat: *Sapphiro pulchriores,* siue, vt Symmachus legit: *Sapphirus membra eorum*, ac si diceret, singula opera, quæ in scriptura non semel per membra intelliguntur, sapphirum bonæ intentionis habent, cuius color similis cælo est: atque hoc erat quod omnibus post Doctorum gentium Paulum, Sanctus noster *Ignatius* suo hoc cælesti Apophthegmate voluit esse commendatum, posteaquàm id ipsum filiis suis parte 3. Constitutionum c. 1. §. 26. tantopere anteà præcepisset: *Omnes*, inquiens, *rectam habere intentionem studeant, non solum circa vitæ suæ statum, verum etiam circa res omnes particulares; idsemper in eis sincerè spectantes, vt seruiant, & placeant diuinæ bonitati, propter se ipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia quibus prænenit nos potiùs, quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum, & in omnibus quærant Deum, exuentes se, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, vt affectum vniuersum in ipsarum Creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, & omnes in eo, iuxta sanctissimam ac diuinam eius voluntatem.* Ita Ignatius, neque hoc loco duntaxat, sed, vt vir religiosus & doctus, lectus eum in finem totis Constitutionibus sedulò annotauit, ducentis & quadraginta duabus vicibus istic puram Intentionem diuini obsequij inculcauit.

Thren. 4. 7.

S. Ignatius 3 p. Const. c. 1 §. 26.

Et quam dixerimus fuisse causam? sciebat vir sanctus finem Societatis esse salutem, auxiliumque animarum, finem nobilem ac sanctum, ad quem sine idoneis mediis non peruenìatur: inter media autem, vel illa commendari, quàm maximè, quæ hominem cum Deo coniungant, tamquàm instrumentum, vt à diuina manu gubernetur, & finem quem sibi præfixit, assequatur, quouis alio terreno posthabito emolumento.

Persuasissimum id sibi habuisse B. Aloysium Gonzagam, Virgilius Ceparius

B. Aloysius Gonzaga de præsenti re iudicio. Vergilius Ceparius l. 2. c. vlt.

parius testatum reliquit, dum hoc eius monitum in cæteris recenset; „ Eo religiosior eris, inquiebat ille, „ magisque pius, quo vitam tuam diligentiùs secundum rationes æternas, minus verò secundum temporales gubernaris: sic vt, nihilominus nihil desideres, nihil oderis, „ aut quæsieris nisi pietatis caussa, „ tibique persuadeas, hoc demum „ esse religionem, pietatemque profiteri. lib. 2. cap. vlt.

Ioannis de Soto studium puræ intentionis.

Sed neque laici, quos temporales Coadiutores appellamus, ab hoc Patris sui spiritu degenerasse visi sunt: Ioannes de Soto sartorem agebat in collegio quodam Societatis in Hispania, vir sanctæ vitæ ac præclaræ, hic cum morti proximus esset, quam diuinitùs edoctus longè ante prædixerat, petiit ab adstantibus sibi fratribus acum dari, quæ puluillo ad parietem vicinum affixa pendebat.

Cùm illi resisterent, rati eum delirare, institit moribundus enixius sibi eam porrigi, mentis omninò cōpotem se asserens: quàm simul in manibus habuit: hæc, inquit, acus, clauis vice fungetur, quâ mihi cælum aperiam, adeoque cum ea mori, eamque Christo Redemptori offerre desidero. Nunquàm enim eâ vsus sum, nisi ex amore Dei, nec punctum vllum intuli, quo placere Deo meo non intenderim, prorsus quasi si Christo ipsi vestem consuerem. Nunquid hoc sincerè est se rebus, non autem res sibi submittere? Et ille quidem paulò pòst obiit, rectæ suæ Intentionis præmium in cælo collecturus.

Alphonsus Rodriguez eadē mente & spiritu præditus.

Nec ab eo discedere visus est alter Societatis eiusdem coadiutor Alphonsus Rodrigues, vulgatissimæ vir sanctitatis, & Collegij Maioricensis ostiarius. Is enim quotiescunque ianuam aperiebat, sic cogitationem, & voluntatem dirigebat, veluti si Christo Domino eam aperiret, ideoque sæpiùs eundem Redemptorem nostrum per eam introeuntem meruit videre. Tantæ dignationis est, ac meriti, recta Intentio, quâ vni Deo placere & obsequi studemus; quare sapienter nos monet Siracides Eccli. 35. 10. *Bono animo gloriam redde Deo, & ne minuas primitias manuum tuarum, & in bono oculo, adinuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* *Eccli. 35. 10.*

B. Magdalena de Pazzi.

Altè profectò id animo suo infixerat Ignatianis exercitiis sæpiùs exculta B. Magdalena de Pazzi, quam dicere solitam accepimus: *si crederem me vnosolo verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei, etiamsi non esset eius offensa, euadere in Seraphinum, illud tamen dicerem nunquàm.* Tam illa longè ab omni φιλαυτία recesserat, soli atque vnicæ diuini nominis gloriæ intenta, omnem odio habens rapinam in holocausto. Ita quondam cælesti voce admonitus S. Cassius Narniensis Præsul: *Age quòd agis, operare quòd operaris; quod cum Deo cœpisti, ad te, ab eo ne deuoluas: relinquamus vmbram,* clamabat *S. Ambrosius, qui solem quærimus: deseramus fumum, qui lucem quærimus*: ne aliquando nobis S. Basilius, improperet, quod Senatori terram ingredienti duabus viis: *Senatorem,* inquiens, *perdidisti, & monachum non inuenisti.* Nomen habes, quod Deo seruias, & studes tibi: Deum labiis honoras, cor autem longè est ab eo. Rationabile obsequium vult Deus. *Operari,* inquit Aristoteles, *sequitur esse*: à conditione operantis, & actioni sua vita accedit, & valor; *qui* namque vt ipsa loquitur veritas, *manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum,* dū in rebus gerēdis hoc in primis obseruat, vt omnibus omnia factus, non simulatione fallaciæ, sed compassione misericordiæ, vt loquitur *Augustinus*, omnes faciat saluos, non ad Lesbiam aliquam regulam, quæ tunc adhiberi dicitur, quoties præposterè non ad rationem quid factum, sed ratio ad factum accommodatur: verùm ad Christianam amussim, quam tunc sequimur, cùm ex mente *Ignatij* non iam lex moribus applicatur, sed mores ad legem emendantur, nec iam sibi homo res suas, sed se rebus submittit,

S. Cassius. S. Ambrosius. S. Basilius. Aristoteles. Ioan. 15. 5. Nō lex moribus, sed mores legi applicandi.

mittit, *omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaciat*; secùs monstrositas quædam, maximaque detorsio oriatur necessè est, dum non primariò & directè, sed secundariò & obliquè Deum respicimus, eundem voluntati, gustuique nostro accommodando, cùm verè contrarium faciendum sit.

Primùm itaque statuere oportet, firmiterque decernere, quòd Deo placere velimus, tum autem eligere, facereque id, quo Deo placeamus, media ad finem ordinando, ex proptio namque arbitriò ac beneplacito rem quampiam eligere, ac dein velle ad diuinam eius Maiestatem referre, fœdissima confusio, atque inordinatio est: tantumque abest, vt hac agendi ratione Deo fiat satis, vt ne hominibus quidem ipsis satisfacere possimus: hinc quoties alteri cuipiam homini gratificari contendimus, primum despicere solemus, officiumue illud, ac munus ipsi placiturum sit, non verò postea velle, vt gratum illud fiat sibi accidere, fieri namque potest, vt illud oderit & auersetur, quare id tunc agere velle, est alieni arbitrij dominium sibi arrogare. Quod si iam homo indignetur ita se tractari ab homine, qualiter id Deus ferat? si nostri similibus illo pacto minimè satisfdamus, existimabimus sic nos esse satisfacturos Deo? Periculosus nimirum hic error est, à quo, quisquis salutem suam amat, diligenter se expediet, sequendo quod præsenti suo aphorismo Sanctus docet *Ignatius*; velle namque sibi ablanditi, quod res suas ad Deum dirigat, rectamque habeat intentionem, quoniam dirigere id potest, quod Deus, quia sibi ingratum sit, dirigi ad se nullo modo velit, non mediocris insania est.

APOPHTHEGMA NONVM.

SI quando deferrentur ad eum coniecta in Societatem ab improbis vel ignaris rerum hominibus, maledicta, pacatißimo animo, hoc tantum respondebat: illud auertat Dominus, ne quando malè nobis dicant, & vera dicant.

Petrus de Ribadeneira, Daniel, Bartolus &c.

Commentarius.

Virtuti vitium aduersatur.


Tripode natum, quod protulit non nemo, in Adonidis hortis nullam herbulam sine angue, nullam purpuram sine blatta, nullum truncum sine teredine, nullum ramum sine cantharide, nullum sine eruca folium, nullam sine scarabæo rosam enasci: quod pulchrum est, sequitur momus: virtuti vitium aduersatur: vsu id multo, atque experientiâ edocti sexcenti, ita rem se habere non diffitentur, nec quotidiana exempla desunt; ab vno Ignatio, cæteris prætermissis, testimonium ducamus. Opus ille Deo auspice, moliebatur, vt superis gloriosum, atque hominibus salutare, ita & inferis exitiosum maximè & infestum; Societatem, inquam, Iesu: cùm odium satanæ malè sibi, ac suis à noua cohorte metuentis primo classicum cecinit, vnde totis agris turbari omnia, dici, ac fieri plurima, ne coalesceret, quam adultam non tam facilè opprimendam intelligebat: in Ignatio, primisque sociis omnium opera, omnem labotauit extinguere Societatem, in capite totam vitam corporis, messem in semine,

mine, in radice arborem, in fonte riuulos exsiccate.

Quantis hinc certatum odiis, atque calumniis! quot excogitata mendacia! procellæ vndique, & decumani fluctus, nullo littore fida statio, conspirabant in vnius exitium cymbæ, recentis adhuc & necdum satis firmis laterum compagibus aduersus inimicum imbrem & infundentes se vndas præualentis, timuêre non semel, nec minus anxiè, ad Patrem confugêre discipuli, quàm olim ad Dominum Iesum in puppi dormientem Apostoli, dum nauicula fluctibus aperiretur: & quid ille? humanos is casus animi magnitudine iam supergressus, solari eos, & prudentibus ex Christiana philosophia subsidiis communire satagebat, quod vel illa solennis ei vox, satis superque testatum nobis fecit: si quando enim [quod sæpè in recenti ordine, & indicto propalam bello contra vitia decertante eueniebat] deferrentur ad eum coniecta in Societatem ab improbis, vel ignaris rerum hominibus maledicta, pacatissimo animo, hoc tantùm respondebat: *illud auertat Dominus, ne quando malè nobis dicant, & vera dicant.*

O vocem præclaram, & dignam gnomen! quæ non tam doctorum virorum tabulis fuco sepiæ vel minio, quàm meliorum hominum cordibus cælestis sapientiæ graphio inscribatur, ad quam, siue dum hostium inuidia insontes corripit, siue maleuola quorundam ignorantia virtutem oppugnat, se, suaque omnia diligenter explorent; neque enim tam bene, cum rebus humanis hodieque agitur vt nullis calumniis, mendaciis, criminationibus virtus impetatur, in quibus vti se quisque gerere debeat, perspexisse, non minima laus est.

Vidit sanè *Ignatius* atque hinc in medio incendio immunis stetit, sat gnarus, nunquàm post conditum orbem, non fuisse virtutem quæ exerceretur, ac vitium quod exerceret: nec tam cælesti Domino placere famulos suos rebus præclatè gerendis, quàm aduersis alacriter, & cum fiducia perferendis, atque hinc in mediis ærumnis, & conuiciis immunis stetit, vnde factum cùm ab eo in custodiam coniecto Salmanticæ, ob falsum accusationem, quidam amicè quæreret, grauiterne ferret custodiam & vincula? tantumúe malum, responderit, tibi videtur esse carcer? atqui scito, vrbe Salmantina tota, non ita multas esse compedes, manicasque, quin ego plures Christi Domini causa, & imitatione vehementer exoptem, addebatque, si vsu veniret, delicata omnia, quæque prima mortalibus habentur his comparari tanti ea sibi nunquàm fore, quanti carcer, iniuriæque fuissent, in Dei gratiam exantlatæ. *Ignatij desiderium multa patiendi.*

Vos appello carceris custodes, ac ministri, vos, inquam, qui vestro muneri fideles non fuistis, estote veritati, nonne per id tempus factum est, vt vincti, fractis, arte naturali catenis, & ianuis euolarent, solo Ignatio in suo ergastulo perstante? Ille, ille sui custos fuit, ille sibi excubias egit, nullo innexus crimine, trepida impauidus in compede regnauit. Non vos, ô! fugitiui, sed Ignatius vincula elusit. Onusta ferro innocentia catenas honorat, catenarum domina libertate. Vitæ integritas se constantia tutatur, non fuga, neque animi securitas subducto vultu, sed porrecta fronte perlegitur, quâ calumniâ superatur, quod tantò à nobis securiùs, certiusque præstabitur, quantò eius naturam penitiùs datum fuerit intueri.

Eius itaque natales primò scrutemur, vt iis cognitis calumniam, virtute duce, atque innocentiâ, flocci facere cum *Ignatio* discamus.

Quid itaque est *Calumnia? Aculeus inuidiæ*, hoc est mendax & malitiosa infamatio virtutis, aut felicitatis alienæ, & scelere exquisito in aliquem conflata versutia. 1 *Quid Calumnia.*

Duo ad hanc concurrunt, prior, qui in absentem ambigua quædam iacit, aut eum falso rei turpis insimulat; Alter, apud quem calumnia

promitur, dum illi, qui detrahit, ante credit, quam rem habeat compertam.

Prior, sator calumniæ est, quam non vna via propignit, interdum impudenter mentiendo, dum in integros primò spargit haud sanè bellos rumores, ex quibus nescio quid malæ famæ exsurgat.

Nonnunquàm subdolè agendo, & hoc triplici ratione, aut enim nihil audenter promit, sed velitatur clandestinis, verùm mordacibus susurris: aut laudes alicuius edit, sed guttatim & malignè, vt modicæ laudis præfatione, sibi deinde in magnis vituperiis prçstruat fidem. Proximus huic est, qui edentatus mordet, ac tacendo detrectat. cùm paucula verisimilia, vbi sycophanta locutus est, insperatò imperat sibi reticentiam, vt plura relinquat suspicanda; talis vtique sermo audientem sæuâ suspicione pulsat, quâ sæpè insontem condemnat.

Alter est, qui malignâ credulitate aures præbens, dictaque probans, calumniantem fouet, vter nequior? non facilè dixeris.

Magnum viro bono tormentum, nisi scuto innocentiæ suæ tectus, ictus omnes cum *Ignatio* auertat, & euanidos illos didicerit negligere inuidiæ conatus; ad quod proderit non parum in expressam ab Apelle calumniæ iconem oculos conieciſſe, quàm ipse in hunc modum effinxit: *Quomodo Apelles pinxerit Calumniã.* Stabat eximiè compta, sed in solo eius aspectu iniuria, in vultu eminebat toto pectore correpta rabies. Sinistra flammeam retinebat facem, dextera adolescentem hominem coma prçhensum rapiebat, oculos & manus in cælum tendentem, ac fidem Deorum immortalium aduocantem. Ei aderat quidam anteambulo, multo pallore, homo vt è vultu eoniici poterat, impurus, nullâ oculorum acie, nullo vigore, sed eâ formâ, quæ est eorum propria, qui morbo sontico contabescunt; hunc facilè dixeris esse ipsissimum liuorem Ad dexteram assidebat quidam non minùs auritus quàm Midas, is propiùs accedenti Calumniæ manum porrigebat. Hanc quoque circumstabant mulierculæ duæ, quarum alteri nomen erat Ignorantia, alteri Suspicio, quod est vitium animi imbecillis, indocti, exulcerati; eratque falsa opinio, qua bonitas, veritas, sinceritas læduntur, crimine innocentia aspergitur. bonitas est reatus, quidquid alij sentiunt, occasio falsæ existimationis; haud longulè à calumnia, stabat aliud par mulierculàrum, Insidiæ & Fallacia, multis instructæ malitiis, atque, vt ille ait, falsi loquentiis. Ponè Calumniam stabat lugubri, & lacero quodam centunculo, pœnitentia, hæc, capite in faciem reclinato, cùm lachrymis & pudore, veritatem procul aduenientem excipiebat. Hactenùs Appelles loquenti suâ picturâ clarissimus, quâ nobis indolem, naturam, genium, consortium atque negotium Calumniæ ad viuum expressit, ne vel eam quis formidet impensius, vel suo veritatem officio defuturam, licèt aliquantisper exortum differat, pauidus vereatur, *neque enim qui malè dicit, & verum non dicit, timendus est*, cum omni horâ imminens veritas, calumnianti pœnitentiam, lachrymis & pudore in gloriam aduehere, & innocẽti suam cum laude famam restituere possit. Quòd vti felissimè experti fuêre non pauci, ita quoque magnis animis complecti non desierunt, quos inter incredibiliter experientissimus ille virtutis magister Ioannes Auila eluxit, cum quo Ignatius, pro ea caritate, quæ Sanctorum inter se animos nectit, arctissimo sanctæ necessitudinis vinculo coniunctus erat. *Ioannes Auila calumnia maior.* Quam autem geminum illud Euangelicæ sapientiæ lumen Ignatius & Auila hac in parte eonsenserint, operæ pretium fuerit perspexisse. Detulerant Ioannis Auilæ nomen ad Quæsitores fidei, quorum in Hispaniis tribunal præcipua iudiciorum seueritate celeberrimum est, homines non minùs libidinis, quàm iræ atrocis, atque nequiter ingeniosi;

ita

ita enim calumniam adornauerant, vt, quia fraus deprehendi non poterat, Ioannes post annua vincula, magis inter damnatos, quàm reos, ab ipsis Iudicibus haberetur, tanta sui nominis cum infamia, quantâ paulò ante fuerat famâ sanctitatis. Suaserant Amici, nec ij vulgares, vt humanis quibusdam modis quorundam exemplo, ad sui defensionem vteretur. Sed ne hac quidem ratione, neque aliâ adduci potuit, vt illo vteretur inuento, affirmans se Deo niti, suæque innocentiæ, hac se saluum fore; quandoquidem *Deus*, teste *Augustino, non amet, & deserat: præcipuè in tribulatione*. Imò in psal. 90. dicat de Iusto: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum*. Et seruauit id accuratè in Auila Deus, qui ex hac calumnia probatus, & fide plenus euasit, dum, manifestâ tandem fraude, suggestui redditus est, vbi is ad frequentissimam primum dicere aggressus Concionem, nihil de se præfandum sibi esse duxit; sed pro calumniantibus preces à circumfusa multitudine, serenâ fronte, lætis oculis, ac piâ quadam vocis suauitate deposcens, omnes in tantæ virtutis egit admirationem tubis ac tibiis magno ciuium solatio ac plausu personantibus. Tanti refert nocens, an innocens patiare. Primum deuitandum, alterum neutiquàm metuendum docet Apophthegma, nec frustra, nam vt bene philosophatus est Seneca, *si nullos tibi faciat inimicos iniuria, multos faciet inuidia: sed quis est*, teste Apostolorum Principe Petro. *qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* Pet. 3. 13.

Psal. 90.

Seneca.

Petri 3. 13.

Boni, id est, bonitatis, vt vertit Syrus & Vatablus Græcè enim est τοῦ ἀγαθοῦ μιμηταί, id est boni, in genitiuo, imitatores vbi per bonum, testibus Card. Hugone à S. Caro, Lyrano, Caietano & Thomâ Anglico, intelligitur ipsum bonum honestum, putà virtutem, quæ omnibus ad imitandum proponitur, vt eam moribus exprimant, & in seipsis depingant.

Vox autem *Æmulatores*, denotat vehemens studium, & ardorem boni, siue virtutis, illamque ardenter amandam & prosequendam iuxta illud veteris Philosophi effatum, *qui non zelat, non amat*, quod dum à nobis fiet, non est quod animum nostrum metus vllus conturbet, verè enim, quod optimè S. Augustinus aduertit, *impiùs sibi nocet, non alteri, cui nocere cupit*, iuxta communem Matris Ecclesiæ probatum omnibus sensum atque iudicium, *nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas*, atque hoc est, quod idem S. Augustinus, non verbo magis, quàm facto testatum omnibus reliquit, dum contra violentas iræ atque vindictæ motiones, animosè contendens, æquo animo & sereno iniurias ab aduersariis illatas constanter ferebat. Et quamuis interdum atrocissimas quasdam calumnias à se remouere conaretur non tam suimetipsius caussâ, quàm aliorum, qui offensionem inde fortassis contraherent, id agebat: verùm, cùm se frustra niti intelligeret, famæ mendacia ridens, *loquere & senti*, inquiebat, *de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset*. lib. cont. secundinum Manichæum cap. 1.

S. August.

Sensus S. Matris Ecclesiæ.

S. Augustinus li. contra secundinum Manich. c. 1.

Hic Rhodus, hic *saltus*, vt cum veteri paræmiaste loquar, ità viuendum & loquendum, commonente post Augustinum *Ignatio ne dum hostes malè nobis dicunt, vera dicant: sentiant dicantque de nobis quidquid libet, sola nos in oculis Dei conscientia non accuset, quòd vera dicant*.

Quo in genere ipsos melioris indolis, mentisque ethnicos habemus ante ambulones, quos luce clariùs est maiore solertiâ vitæ integræ conseruandæque innocentiæ operam dedisse. quia in commendando bonæ conscientiæ studio multi exstiterunt. Christianè omninò Philosophus Seneca, tametsi non Christianus: *Sapiens nunquàm sine gaudio est, gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia*. ep. 59.

Seneca ep. 59.

Nec acutè minus Marcus Tullius: *si optimorum*, inquiens, *consiliorum*

M. Cicero orat. pro Cluentio.

rum atque factorum testis in omni vita fuerit conscientia, sine vllo motu, summa cum honestate viuemus. Orat. pro Cluentio.

Socrates. Quod & *Socrates* non nesciuit, *dum interroganti, quis possit viuere omnis exsors perturbationis?* respondit: *qui sibi nihil conscius est mali.* Et Bias inter septem Græciæ sapientes viros, non incelebris, cum iussus esset dicere,

Bias. *quidnam in hac vita metu careret? bona*, inquit, *conscientia.*

Fuit Reus, quem denunciata mortis sententia, & futurus sequentis diei interitus adeo solicitum, ac timentem effecerunt, vt nocte illâ, quam habuit supremam toto capillo incanuerit.

Act.12. Contrà verò de Apostolorum Principe Petro ait Lucas c. 12. Act. *Cùm producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus.*

Vnde hæc viro confidentissima securitas? vnde ista omnis curæ ac solitudinis expers tranquillitas? vt inter vigilum manus inter carceris angustias, inter ferreas compedes, stans ante mortis confinia, Petrus, placido sopore mergatur? Causæ bonitas & proprium insontis conscientiæ testimonium.

Horatius l.1.ep.1. *Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* Horat. l. 1. ep. 1.
hoc quisquis assecutus fuerit, spódeo
——*Si fractus illabatur orbis,*
Idem ode 3. l.3. *Impauidum ferient ruinæ.* Hor. ode 3. l. 3.

Verum quidem est, nec inficior quosdam nonnunquàm hoc sub pondere, calumniis subinde irruentibus, ingemiscere, manusque supplices cum oculis ad cælum, ac Deum extendere.

Sed mortalitatis nostræ hæc infirmitas est, cum premimur, doloris sensum prodere. Ista autem gratiæ debetur atque innocentiæ felicitas, non opprimi sub sarcina, neque cùm vrimur conflagrare, rubo illi similes, quem Moyses cum admiratione insolentis prodigij conspexit vndique ardere, & tamen nusquam comburi, in quo summa illa maiestas deesse non solet. Neque hoc mirum; cùm enim Magnus ille Deus totum probi hominis cor occupat, inter incendia id amat conseruare: itaque audias Christianos non paucos, dum omnis quasi coniurata in caput eorum calumniantium ruit nequitia, cum Dauide gratulabundos ad Deum non rarò exclamare, ac dicere: *dedisti lætitiam in corde meo*, psal. 4. 7. nimirum omne hoc pectoris gaudium, quo pij mortales medias quoque inter calumniarum tempestates securi incedunt, ex bona conscientia scaturit, quæ omnem, quam ex iis amaritudinem subsentiunt, oppidò solet diluisse. Psal 4.7.

Id docuit *Ignatius*, nec segniter discipuli didicisse visi sunt, si Nicolao Arnaiæ, quem ille nunquàm suum diffitebitur, cætera Christianæ sapientiæ ornamenta defuissent, vel hoc vno verus Ignatij filius potuisset videri. Grauissimis enim calumniis inimicorum arte longè, lateque Mexicanâ regione, vulgo proscissus ac vexatus, tantâ egit patientiâ, vt rem totam Deo committeret, & tempestatis violentissimæ finem domestico tranquillissimæ conscientiæ in portu, nihil expostulans, nihil querens, neminique succensens securus exspectaret. Ita fieri voluit Ignatius, & ipsa calumniæ falsitas faciendum suadet, nam plerumque quamuis magno se murmure cælum misceat, sine fulmine detonuit, debiles siquidem pedes mendacium habet, quibus denique concidentibus in fumum abit. Nicolaus Arnaa.

Nicolao Balthassarem Aluarum eâdem Ignatij doctrinâ imbutum adiungo, qui pari patientiâ, quâ Magister, calumnias nouerat refutare: incitârant quosdam eximia, quæ ad diuina contemplanda, dona accepisse Aluarus ferebatur, & ea erant tunc in Hispania tempora, vt ostentantibus se per inscitissimam superbiam nouæ Illuminatorum sectæ magistris, extraordinaria hæc munera non immeritò viderentur formidolosa. Itaque Balthassar Aluarez.

que cum suspicionibus haud dubiæ audiebantur calumniæ, ac viri fama vndique carpebatur. Ad hæc in Patrum conuentu Prouinciali accusatus, parem si virtutum, quod profitebatur, ostendit magisterio. Nam & accusationem, amici vsus consilio, silentio dissimulatam disiecit, & interiorem animi rationem libello comprehensam ad eos, quibus ius erat inquirere, ita transmisit, vt omnia patientiæ librâ expensa videri possint, de re agens, nemine ne leuiter quidem læso. Quas ipsa virtus, falsitatis arguit calumnias, oblocutionesque patienter ferre, magnum esse non equidem negauerim: at vbi virtus ipsa læditur difficiliùs vincere solemus, vincimus tamen, si ex consilio *Ignatij* rectæ conscientiæ scuto tecti nullius nequitiæ impetus formidemus, neque animo subsidamus, certi, nihil nisi vero nixum, aut diu posse consistere, aut perniciosam nomini nostro labem inferre.

APOPHTHEGMA DECIMVM.

QVempiam, quod stomachosior esset naturâ, & subinde in amara verba prorumperet, se aliorum consuetudini alieno tempore subtrahentem blandè compellans Ignatius, na tu, inquiebat vehementer erras,, etenim hæc, & eiusmodi vitia non fugiendo, sed resistendo vincuntur.

Ioan. Petrus Maffeius lib. 3. vitæ S. Ignatij cap. 2.

Commentarius.



Vod olim Romanus sapiens non verè minus, quàm prudenter, ad Lucilium suum scripsisse legitur: *imperare sc. sibi. maximum imperium est*: eruditus quondam Pontifex Synesius sapientum omnium iudicio sanctiùs expressit: *illud*, inquiens, *primarium, ac summè regium, sui ipsius Regem esse, mentemque domestica belluæ, Iram putà, quasi moderatricem præficere*; quod & ab Augustino notæ sanctitatis, & eruditionis antistite lib. 5. de ciuit. c. 12. pridem licuit didicisse, dum quærit, vnde Reges sibi nomen vsurparint? respondet autem, non Reges, aut Dominos, à regnando, & dominando, sed à regendo, siue, vt Isidorus scribit, à rectè agendo dictos censeri: nec vates id Venusinus dissimulasse visus est, cum ita cecinit l. 2. ode 2.

Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quam si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Seneca. Synesius. S. August. Horatius l. 2. Car. ode 2.

Ex quo consequens est viros iustos, qui nullos, nec iræ, neque furoris affectibus abripiuntur, aut perturbationum animi motibus succumbunt, veros Reges esse, ac debere nuncupari; nec facilè quempiam è sapientibus inueniendum, qui sententiæ huic meritò queat refragari. Siue enim Iracundiæ naturam, atque pathemata, siue animorum strages, quas hominibus, non rarò inferre solet, lubeat considerare, plures, quæ nobis id persuadeant rationes erit inuenire. Quid namque est Ira? nisi ardor quidam animosæ facultatis, quo primum sanguis acenditur, deinde totum corpus inflammatur, adeò vt sæpenumero febres progignat, æstusque morborum, vnde & morbus dicitur & morbosi olim nominabantur

Rex est, qui se vincit.

M. Tullius Cicero. iracundi, vt optimus author & loquendi, & sentiendi M. Tullius *Cicero* his verbis expressit: *Benè*, inquiens, *maiores nostri cùm omnia essent in morbis vitia, quod nullum erat ira fœdius, Iracundos solos Morbosos nominarunt.* Hippocrates. *Hippocrates* autem aiebat *eum morbum esse grauissimum, qui faciem ægrotantis, quàm maximè mutat in diuersum*, atqui

Ora tument ira, nigrescunt sanguine venæ;
Lumina Gorgoneo sæuius angue micant.

Cætera licèt abscondere, & in abdito alere; ira se profert, & in faciem exit, quantoque maior est, tanto vehementiùs efferuescit. Adiice dentium inter se arietatorum, & aliquem esse cupientium, non alium sonum, quàm est apris, tela suo attritu acuentibus: vt bene Seneca l. 3. de Ira c. 4. expressit. Seneca l. 3. de Ira.

Sed molestius longè est, quod ab Ira pati animus solet

—— Furor, itaque mentem
Præcipitant.

Adiice articulorum crepitum, cum se ipsæ manus frangunt, & pulsatum sæpiùs pectus, anhelitus crebros, tractosque altius gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdumque compressa, & dirum quiddam sibilantia. Alia vitia accessus leues habent, & incrementa fallentia, in Ira deiectus animorum est. Ira effectus. Proinde ille, quid ira efficeret, interrogatus apud Senecam epist. 18. meritò respondit *immodica Ira gignit insaniam.* Seneca ep. 18. Etenim omnis Ira furor breuis est: vnde & in scholis Philosophi, & in prætoriis Iuris interpretes & in curiis magistratus, & in templis Religionis antistites, Iræ perturbationem, tanquàm animi violentam potentiam, & grauem quandam tyrannidem persequi solent; affectus hic namque humanæ naturæ minimè naturalis est: quid enim mitius homine, dum in recto animi habitu est? quid ira crudelius? homine quid amantius? quid ira infestius? homo in adiutorium mutuum progenitus est, ira in exitium: ille prodesse vult, illa nocere: ille etiam ignotis succurrere, illa etiam charissimos inuadere parata est: neque verò aliorum more affectuum solicitat animos ira; sed abducit, & impotentes sui in commune malum impellit. Et erit qui ab hac furia nolit quantociùs liberari? nemo crediderim, nemo profectò, cui læua sub parte mamillæ quid saliat.

Sed omnis de modo quæstio est, neque vna quæ istuc ducat, expedita satis via est: monstrare illam Philosophi, ostendere Ethici, docere re ipsa Græci, Latinique conati sunt Magistri, an certam & tutam omnes fuerint assecuti, rerum vsus edoceat necesse est. A Physicis proditum est lapidem, cui Corneolus nomen est, gestatum efficere, ne quis vnquàm irascatur, verissimumque esse aduersus Iram antidotum; easdem etiam vires Chelidonio lapidi, seu gemmæ inesse testantur ij, qui in expendendis naturæ rebus diu multumque versati sunt. Quibus præsidiis sibi comparatis ad vsum & commodum suũ aiunt vtiliter posse vnumquemque victoriam reportare; sed vana hæc esse, frequens experimentum, ac multiplex ratio satis euincunt.

Aristoteles de Ira. Quare Peripateticorum Principis nobile pronuntiatum est, *Irasci cuiuslibet esse hominis, ac facilè, sed irasci cui, & quantum, & quo tempore, & cuius rei causâ, & quomodo irascendum, non cuiusuis hominis, neque facilè esse.* Et veritatem quidem hanc quotidianus vsus fat, superque confirmat, cum fortes alioquin ac pios subinde viros conspicimus, quos fœdè vincat Iracundia consilioque despoliet, atque in miserrimam quandam conditionem abreptos, pessimæ subiuget seruituti, vt non sine caussa de hoc malo moderando, & curando complures è nostris scripserint libros, in quibus tam viâ, quàm ratione Iræ tam sanandæ, quam prohibendæ expressa sunt amuleta, quorum nonnulla hîc lectori meo statui repræ-

repræſentare, vt ad ſingulare aliquod cui palma ceſſerit, remedium pertingamus.

Moderanda iracundia. I. Ad primum quidem ſunt, qui principiis illicò obſtandum aiunt ne fruſtra malo poſteà medicamentum

Hippocrates. quæratur, nam, vt egregiè *Hippocrates, ſolent morbi ex paruis neglectis initiis, magni fieri ac diuturni.* Et ita fit omnino in Iracundia, vt niſi prompti attendamus ad illius primos motus coërcendos, ſubitò vires capiat, & exundet: quod Sapiens Eccle.7.

Eccle.7. 10. rectè annotauit, cùm dixit: *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Homo improuidus & vecors affectionibus ſuis habenas remittit, vnde in eius ſinu, vt dominarum quatundam catelli morari ac ſedem figere ſolent.

II. Alij ad Iram excludendam facere plurimum aſſerunt, præcognitum habere atque perſuaſum, homines ferè omnes perperam de rebus iudicare, ex naturæ ſcilicet corruptelâ, mentis caligine, ac cæcitate, prauâ animi voluntate atque libidine, vt magis ipſi, qui contemnunt, contemnendi ſint, aut potiùs miſerandi. Quoties namque in plateis occurrunt nobis homines oculis capti, à quibus non rarò vrgemur, pulſamur, impellimur, & tamen quia cæci ſunt, facilè eos toleramus.

At omnes, quibuſcum degimus cæci ſunt, ac magis tolerandi, cùm maior ac deteſtabilior ſit mentis, quam corporis cæcitas, Cur igitur hos æquo animo ferendos non arbitremur?

III. Sunt qui fidelem monitorem in Iram pronis adiungant, qui lucem, quam Ira turbârit, reſtituat, efferueſcentem animi motum dextrę componat, à dedecore, & vitio, abducat.

P.Virgilius. Sic veterum ille Poëtarum Princeps Maro, cuius doctum ingenium omnes & inuenta mirantur, cùm Achillem iuuenem nobilem ac generoſum deſcripſiſſet, iracundiâ furentem, gladium quoque excrentem ſuum, quo in Agamemnonem irruturus videbatur, finxit continuò adeſſe Mineruam, quæ hominem mulceat, & tranquillet, vt nihil improbè & inconſideratè moliatur: indicare volens Iracundiam eſſe feram veluti belluam, & atrocem, quæ impetu quodam vecordi proruit, niſi conſultò impediatur.

Mecænatis conſilium Augusto salutare. Ita profuiſſe multùm Auguſto Cæſari Mecænas legitur, cuius ſæuitiam pro familiaritate, & iure bono amicitiæ coërcebat, vnde cùm aliquando ſedens pro tribunali multos ca- Dio Lib. 55. pitali ſupplicio puniturus videretur, iam prouidens Cæſaris iracundiam Mecænas, cum præ turba, & circumſtantium hominum multitudine accedere propius non poſſet, ſcripſit in tabella hoc tantum: *ſurge carnifex,* quam tabellam in Auguſti ſinum coniecit. Legit monitum Cæſar, quo, velut affuſâ vndâ, ſæuiens iam Iracundiæ reſtinctus eſt ardor: nam derepente, nullo addicto, aut damnato, ſurrexit. Vt Dio lib.55. teſtatum reliquit.

Nonnulli dum alienos exceſſus IV. ſentiunt, ſua, quibus & ipſi excedunt vitia cogitanda ſibi proponunt: conſiderata quippe infirmitas propria, mala extenuat aliena; patiẽter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminerit, habere ſe fortaſſe non pauca, quæ alij in ipſo debeant ſufferre: & quaſi aquâ ignis exſtinguitur, cum ſurgente animi furore, ſua cuique ad mentem culpa reuocatur; vnde fit, vt ipſi nos damnemus, iudicantes meritò & iuſtè pati, quæ ferimus: neque enim tum bona noſtra magnifacienda arbitramur, cùm vitium noſtrum diligẽtius reputamus.

Ad hæc dixerit quiſpiam, ſi non vis eſſe Iracundus, ne ſis curioſus: Non enim expedit omnia videre, nec omnia audire: multæ nos iniuriæ tranſeant, ex quibus pleraſque non accipit, qui neſcit. *Arcanum neque tu ſcrutaberis vnquam*, inquit ille.

Nam omnia exactè obſeruare ac V. depræhendere, & quidquid gerit famulus, in medium adducere: quidquid agit amicus, quidquid exercet filius, quidquid clanculum garrit ancilla,

cilla, memoriæ subiicere, multùm affert irarum. Iulius Cæsar cùm sententiam deprehendisset epistolarum ad Pompeium missarum, ab his, qui videbantur in diuersis, aut neutris partibus fuisse, eam combussit, quamuis enim moderatè soleret irasci, maluit tamen non posse.

VI. Neque anima quoque negotia attingenda sunt, sed concedenda alia quidem æconomis, alia famulis, alia amicis, sic vt ipse per rationem ea tractes, quæ potissimum ad rem pertinent, maiorisque habentur momenti. Etenim quemadmodum minutæ litteræ visum, ita pusilla negotia, quoniam multum reddunt intentos, pungunt, & commouent irã.

VII. Reperire præterea quosdam est, qui iniuriam in ludum vertere suadent. Ita cum aliis Seneca, *circumscribenda*, inquiens, *multis modis est Jra, plerumque in ludum, iocumque vertatur, ita Socratem legimus colapho percussum, nihil ampliùs dixisse, quàm molestum esse, quod nescirent homines, quando cum galea prodire deberent, neque enim quemadmodum facta sit iniuria, refert; sed quemadmodum lata.* Senecæ

VIII. Quid autem dicemus de iis, qui fugam suadent, certissimumque huic morbo remedium ab ea promittant? *vir*, inquiunt, *iracundus*, vt habet Sapiens prouerb. 15. *prouocat rixas*; fuge igitur consuetudinem eius, nam nisi hoc feceris, necessè erit te aliquid de moribus eius haurire. In fuga hîc victoria est. Non enim hîc luctari te aut laborare oportet, tantùm ne exeas in prælium, & vicisti: ne colluctaris, & coronatus es. Sic illi: neque fuga hæc, aut potiùs recusatio certaminis, quod aliquis opinetur, turpis, aut ignominiæ loco ducenda est, cùm in externa quoque militia non omnis fuga in reprehensionem cadat, vbi ergo inimicus, aut nullius pretij, aut certamine indignus fuerit, qualis hic Iræ furor est, honestè declinari potest: vnde factum vt Doctores hi ad Iram propensis abstinendum suadeant, non ab hominibus solum, sed à rara, & insigni quoque supellectile, poculis, sigillis, statuis, quæ cùm fungilia & ruptioni obnoxia, si alicuius incuria pereant, magis dominum conturbant, quàm ea quæ paratu facilia sunt & vulgaria. Itaque cùm Augustus cœnaret apud Atedium Pollionem, fregerat vnus vas crystallinum ex seruis: commotus grauiter Atedius, rapi eum iussit, nec vulgari quidem morte petitutum, murænis obiici iubebatur, quas ingens piscina claudebat. Euasit è manibus puer, & confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus, quàm vt aliter periret, nec esca fieret. Motus est nouitate crudelitatis Cæsar: & illum quidem dimitti, & crystallina antè omnia, coram se frangi iussit, complerique piscinam. Meliùs autem ac prudentiùs hac eadem in re fecisse iudicatus est Cotys Thraciæ Rex, qui eùm ad Iram esset efferuescentior, quod genus hominum Microlypum Græci vocant, oblatis sibi ab hospite figlinis cælato opere, tornatilique ratione conspicuis, offerenti quidem gratum se præbuit, ampliter illum muneribus afficiendo: cæterum mox vasa contriuit omnia: facti protinus ex fide ratione reddita, quod vereretur, ne per incuriam ministros peccantes ea in re, sæuius, amariusque verberibus castigaret: itaque nihil hi ad victoriam super hoc vitio comparandam aptiùs, atque congruentius fuga occasionum sunt arbitrati.

Prouer. 15. Atedij Pollionis in seruum inclementia. Cothyos Regis victoria sui.

Prætermitto cæteros, qui vnà eum his in eodem genere versati sunt, quorum diuersas ex varia consideratione sententias iam produximus, non malas illas quidem aut sapientibus indignas, sed quarum consilio hostis ad internecionem cædi nequeat, aut extirpari. Accidi quidem his telis posse, ac supprimi aliquantulum non diffiteor, sed deleri posse nego: ad vitam stratus hic hostis, seriùs, ocyùs reuertitur, & vigorem, quem exuisse videbatur, resumit; alio proinde ac potentiore remedio opus est, quo malum stirpatus euellatur, & tutò sanitas efflorescat.

Et

IX.

Et hoc quidem dixerim id, quod S. noster *Ignatius* aureo suo Apophthegmate nobis impræsentiarum expressit, inquiens: *eiusmodi vitium non fugiendo, sed resistendo vinci oportere.*

S. Ignatius.

Qua de re clare, prudenterque, vt in cæteris assolet Doctor ille non magis Angelicus ingenio, quàm iudicio pœnæ diuino S. Thomas de Aquino 2. 2. q. 35. a. 1. quamuis peccata omnia fugienda sunt, inquiens, non omnium tamen eadem est ratio. quædam enim facillimè vincuntur, si fugiantur, cuiusmodi est intemperantis animi vitium, cuius importunitatem non difficulter euades, si te quàm longissimè remoueris ab obiectis, vt vocant, determinatis, & occasiones declinaueris periculorum, quæ frequenter se nobis ingerunt vniuersè, ac singulatim. Cùm enim imagines illæ suauitatem quandam habeant adiunctam, hinc fit, vt tantò quis eas sibi magis imprimat, & infigat, quantò iis diutiùs etiam resistendo, inhæret, ipsa cogitationis mora sensim sine sensu tantas in animo radices agente, vt posteà non sine diuturno labore maximisque periculis extirpari queat: non secùs ac qui in vliginoso, palustrique loco vestigium incautè fixit; quantò diutiùs insistit, tantò profundiùs immergitur, vsque dum, ad extremum retrahere se non possit. Tales planè sunt qui diutiùs in huius vitij consideratione morantur, quare vnum hoc ei remedium superest, si visco teneri nolint, ne tangant, sed fugiant, omnia, quæ vel turpitudinis cogitationem iniicere possint, docuit id ex Hebræis iuuenis ille sanctissimus ac Patriarcha Ioseph, Genesis 39. è nostris Antonius, & sexcenti alij, ex prophanis Democles apud Plutarchum, qui omnes victoriam de hoc vitio in fuga reperêre, quare sapienter Adamantius Origenes hom. 7. in genes. Tu ergo non illam solam persecutionem putes, quando furore gentilium ad immolandum idolis cogeris: sed si fortè voluptas carnis alliciat, si tibi libidinis illudat illecebra; hæc, si virtutis es filius tamquàm persecutionem maximam fuge.

S. Thomas 2. 2. q. 35. a. 1.

Libido fugiendo superatur, sed sola.

Origenes hom. 7. in Genes.

Certum itaque, fixumque maneat, quod *S. Augustinus* de hoc vitio pronuntiauit: *sola libido est, quæ fugiendo potiùs, quàm pugnando superatur*, cætera verò, faciendo fortiter, dum materia illis subiecta, quæ specie externâ allicit ad peccandum, penitùs introspicitur, cuiusmodi inter alia, Acediæ spiritus est, qui, vt rectè Cassianus admonet, non omittendis rebus spiritualibus, quarum nauseam, & quasi fastidium solet afferre, sed iisdem in memoriam, reuocandis, animoque tractandis, & quasi sub oculos subiiciendis vincitur. Causa est: quòd bona, spiritualia tantam in se habeant pulchritudinem, vt fieri non possit, quin si penitùs inspiciantur amentur, & expetantur. Itaque, si cui tædium in virtutis actione subrepat, eius excellentem præstantiam, fructusque secum perpendat, & sentiet se longè vehementiori tunc in ea ferri amore, quàm antè tædio eandem fuerat auersatus.

Acedia resistendo superatur.

Et huic quidem natura ac conditione suppar Ira est, cuius non iam fuga, sed ipsius considerata dedecentia, & oppositæ mansuetudinis decus, & gloria, viam ad victoriam aperiet: est namque teste Senecâ de Ira, lib. 1. *fœda visu & horrenda facies irato, vt nescias vtrum magis detestabile vitium sit, an deforme. Contra verò mansuetudinis vultus decorus.*

Seneca l. 1. de ira.

Vnde factum, virum quendam sapientissimum, cùm iræ turpitudinem animaduertisset, & se ad illam natura procliuem agnosceret, vt se ab ea alienissimum redderet, suam sibi irati imaginem pingi iussisse ac quotidie illam contemplari cœpisse: quo scilicet à se ipso irato maximè abhorreret. Atque ita ex Iracundo fieri cœptus est clementissimus. Non ille viso irati vultus sui probro animum demittere, neque ab eo fugere, aut quòd illi bilem, tanti mali incentricem mouere posset, declinare, sed maiore animo, mentisque concepto robore in hostem mouere, quo tandem

Modus superandi Iram.

dem eo exciſo, victoriam, vt accidit, reportaret, Sibyllini oraculi probè memor.

Virgilius Maro l. 6. Æneid. v 95

Tu ne cede malis, ſed cõtra audẽtior ito: Vſque adeo verùm eiuſdem Senecæ effatum eſt quod l. 2. c. 36, ſubnectit: *Quibuſdã iratis profuit aſpexiſſe ſpeculum: perturbauit eos tanta mutatio ſui.*

Seneca l. 2. de irac. 36.

Ad amandam itaque virtutem manſuetudinis, vitiumque Iracundiæ exſcindendum admodum vtiles, atque idoneæ, vel hoc nomine ſint iniuriæ, quæ non raró dant anſam manſueto, vt manſuetior euadat, & iracundo, vt abiecta ira manſuetudinem induat. Quæ exercitatio tota euangelica eſt, à Chriſto primum de cælo adducta, verboque, & exemplo Chriſtianis omnibus apprimè commendata, vt Bernardinus Roſſignolius lib. de act. virt. locuples author eſt.

Bernardinus Roſſignolius lib. de act. virt.

Neque hic indoles humana ſuccumbet. *trahimur omnes laudis ſtudio,* inquit Cicero, *& optimus quiſque gloria ducitur*: at laus, honor, & gloria, virtutis ſunt decora, ſtipendia, & præmia, qui igitur hæc nanciſci voluerint virtutem ſequantur, neceſſè eſt. Virtutes autem ſunt Iuſtitia, fortitudo, manſuetudo, benignitas, clementia, quas certè, ſi nullæ fuerint iniuriæ, contemptiones, ludibria, vexationes, contumeliæ, inſectationes, opprobria, calumniæ, nemo vnquàm conſequetur, cùm illæ velut certiſſimæ quædam materiæ ſint, in quibus eiuſmodi ſe virtutes exerceant; quod magnus ille orbis Eccleſiaſtes clarè expreſſit, cùm dixit: nullâ aliâ ratione meliùs virtutem perfici ac declarari, quàm his, quæ hominem oppugnant: *Marcet ſiquidem abſque aduerſario virtus*, ſiue, vt ille non malè cecinit:

Cicero.

Ars tua Tiphy iacet, ſi non ſit in æquore fluctus.

Vt hunc ille gloriæ ſuæ ſegetem; ita robuſtus Aſcetes contumelias, & inſectationes æſtimat præclara victoriæ ſuæ incrementa. Prudenter id, ſi quis alius, aduertit beatiſſimus ille Ioannes, cui ob inſignem eruditionem Climaci cognomen fuit, dum gradu 8. ſic loquitur: *Si quis ſeipſum tumore & iracundiâ facilè ſuperari perſpiciens, contra hæc manſuetudinis & tolerantiæ ancipitem gladium educere inſtituit: hic profectò: veluti fullonum ſalutarem officinam, fratrum monaſterium, ingredi laboret, atque eorum, qui maximè duri & immites ſunt, (ſiquidem hæc vitia perfectè exuere cupit) vt illic ex contumeliis & ignominiis, dum fratrum vexationibus extenditur, atque intellectualiter pulſatur, fortaſſis verò, etiam ſenſibiliter, calcibuſque tunditur & conculcatur; ſordes, quæ animæ illius veſtes maculârant. diluat. Ipſa tibi plebeia vox perſuadeat, probrum & contumeliam lauacrum eſſe vitiorum animæ. Solent enim ſæculares cum aliquem in faciem ignominiis, & contumeliis reſperſerint, gloriantes ad alios dicere: laui illum. Quod profectò verum eſt. Alia in his qui adhuc rudes imbuuntur ex fletu & Iracundiæ necatio; & alia in his, qui perfecti ſunt, commotionis commoda ceſſatio. Quippe prior illa lachrymis, veluti fræno quodam, ligata eſt: hæc velut ſerpens à beata tranquillitate, veluti à gladio quodam acutiſſimo, necata eſt.* Sic ille.

Ioan Climacus gradu 8.

Igitur qui ad laudem ac gloriam, quam cupiditatum victoria parere ſolet progredi contendit, virtutes perſequatur, & materiam in qua illæ verſantur, forti animo ſuſcipiat, neque aliter ſe voti compotem futurum arbitretur, neceſsè eſt: in quam ſententiam & olim iuiſſe magnum *Caſſianum*, verba eius l. 8. c. 17. ſatis demonſtrant, vbi ſic loquitur: *Quæcunque vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis non abolita ſentientur. Tamdiu enim ſibi patiens, quis videtur, & humilis, donec nullius hominis miſceatur conſortio, ad naturam priſtinam mox reuerſurus, cum interpellauerit eum cuiuſlibet commotionis occaſio. Quaſi verò vniuerſa virulenta ſerpentium genera vel ferarum, cum in ſolitudine, ſuiſque cubilibus immorantur, innoxia perſeuerent, nec tamen ex eo pronuntiari poſſint innoxia, quia nulli noceant. Hoc enim eis non affectus boni-*

Caſſianus l. 8 c. 17.

bonitatis, sed necessitas solitudinis confert. Quæ cùm lædendi nacta fuerint copiam, in semetipsis reconditum virus, & animæ feritatem protinus egerunt & demonstrant. Ideoque perfectionem quærentibus non sufficit contra hominem non irasci. Meminimus enim in solitudine commorantibus nobis contra calamum, cùm aut grossitudo eius aut exilitas displiceret, contraue scalpellum cum incidenda hebeti acie segniter exsecaret, contraque silicem, si fortè ex ea festinantibus nobis ad lectionem, tardiùs scintilla ignis emicuerit, ita indignationis irrepsisse motum, vt non aliàs perturbationem mentis, quàm vel contra insensibiles materias, vel certè aduersus diabolum maledictione prolatâ digerere atque euaporare possemus. Quamobrem ad perfectionis duntaxat rationem non satis proderit abesse homines, in quos ira moueatur, cùm si patientia priùs non fuerit acquisita, etiam erga res mutas, speciesque minutas execeri similiter iracundiæ possit affectus, qui residens in corde nostro, nec iugem nos possidere tranquillitatis statum nec residuis vitiis carere permittet. Quapropter si illam summam diuini præmij cupimus adipisci, de qua dicitur, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: non solum è nostris actibus Ira amputanda est, sed etiam de internis animæ, radicitùs extirpanda. Neque enim valdè proderit Iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illum arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta cordium non latent, inesse perspexerit. Radices enim vitiorum potiùs exscindendi præcipit euãgelicus sermo, quã fructus, qui procul dubio euulsis fomitibus nequaquàm vlterius paullulabunt, atque ita mens poterit iugiter in omni patientia & sanctitate durare, cùm hæc non de superficie operationis & actuum, sed de cogitationum fuerint penetralibus euulsa. Quod Ioannes Cassianus hîc tam propriâ theoriâ, quàm variâ experientiâ doctus literis consignauit, id Pelagius lib. 7. nu. 33. & Ruffinus Aquileensis in verbis Seniorum reapse visi sunt confirmare, dum sic scribunt: quidam frater dum esset in cœnobio & frequenter ad iram moueretur, dixit ad seipsum: vadam in solitudinem, & cùm non habebo cum quo litigem, forsitan requiescet à me passio. Dum ergo, egressus esset, & mansisset solus in spelæo, quadam die, cùm vas aquâ replesset, & posuisset in terra, subitò inuersum est. Cumque tertiâ vice repleslet, ac similiter contigisset, arrepto ipso vase, fregit illud iratus. Cùm autem ad se reuersus fuisset, cogitabat, quia à spiritu Iracundiæ esset deceptus, & dixit: ecce & solus sum, & tamen ab Iracundia victus sum. Reuertar in cœnobium, quia vbique pugnâ opus est, & patientiâ, & maximè Dei auxilio, & ita exurgens reuersus est ad locum suum.

Pelagius l. 7. n. 33.

Tanti refert antè prænosse, quibus armis oppugnandus hostis sit, vt tutò victoria de eo reportetur, neque curramus quasi in incertum, sic autem pugnemus, non quasi aërem verberantes, sed turbulentas animi cõmotiones non fugâ, quam nequidquàm prodesse iam vidimus, sed obnixu repugnante sub manum redigamus, certi tantùm illis decessurum, quantùm nobis animi, constantiæque accesserit ad confligendum.

Vnum autem hîc moneo, vt, sicut prophylacticen dicunt partem esse Medicinæ, quæ anteuertat morborum caussas, & ægrotationes, ita & hîc in animi perturbationibus eandem diligenter esse obseruandam: sita autem ea est in præuisione illorũ, quæ possent incidere, atque eiusce modi mentis comparatione, qua genus omne iniuriarum, quod pati possis, cogitatione præcipias, Deoque nixus ferre patienter, ac tolerare fortiter proponas, iuxta eiusdem S. Patris consilium, quo monebat, vt illi quibus corporis constitutio biliosa esset, ac feruentior, si cùm aliis iracundis hominibus versarentur, ante se comparent, ac sæpissime meditentur, non quâ ratione fugiant, sed huic periculo resistant. Atque hæc regia illa, ac præclara via est, quam tot, tantique viri generosè insisten-

Preparandus animus ad victoriã.

dem eo excifo, victor iam, vt accidit, reportaret, Sibyllini oraculi probè memor.

Virgilius Maro l. 6. Æneid. v 95

Tu ne cede malis, sed cōtra audētior ito:

Vſque adeo verùm eiuſdem Senecæ effatum eſt quod l. 2. c. 36, ſubnectit: *Quibuſdā iratis profuit aſpexiſſe ſpeculum: perturbauit eos tanta mutatio ſui.*

Seneca l. 2. de ira c. 36.

Ad amandam itaque virtutem manſuetudinis, vitiumque Iracundiæ exſcindendum admodum vtiles, atque idoneæ, vel hoc nomine ſint iniuriæ, quæ non rarò dant anſam manſueto, vt manſuetior euadat, & iracundo, vt abiecta ira manſuetudinem induat. Quæ exercitatio tota euangelica eſt, à Christo primum de cælo adducta, verboque, & exemplo Chriſtianis omnibus apprimè commendata, vt Bernardinus Roſſignolius lib. de act. virt. locuples author eſt.

Bernardinus Roſſignolius lib. de act. virt.

Neque hic indoles humana ſuccumbet, *trahimur omnes laudis ſtudio,* inquit Cicero, *& optimus quiſque gloria ducitur*: at laus, honor, & gloria, virtutis ſunt decora, ſtipendia, & præmia, qui igitur hæc nanciſci voluerint virtutem ſequantur, neceſsè eſt. Virtutes autem ſunt Iuſtitia, fortitudo, manſuetudo, benignitas, clementia, quas certè, ſi nullæ fuerint iniuriæ, contemptiones, ludibria, vexationes, contumeliæ, infeſtationes, opprobria, calumniæ, nemo vnquàm conſequetur, cùm illæ velut certiſſimæ quædam materiæ ſint, in quibus eiuſmodi ſe virtutes exerceant; quod magnus ille orbis Eccleſiaſtes clarè expreſſit, cùm dixit: nullâ aliâ ratione meliùs virtutem perfici ac declarari, quàm his, quæ hominem oppugnant: *Marcet ſiquidem abſque aduerſario virtus*, ſiue, vt ille non malè cecinit:

Cicero.

Ars tua Tiphy iacet, ſi non ſit in æquore fluctus.

Vt hunc ille gloriæ ſuæ ſegetem; ita robuſtus Aſcetes contumelias, & infectationes æſtimat præclara victoriæ ſuæ incrementa. Prudenter id, ſi quis alius, aduertit beatiſſimus ille Ioannes, cui ob inſignem eruditionem Climaci cognomen fuit, dum gradu 8. ſic loquitur: *Si quis ſeipſum tumore & iracundiâ facilè ſuperari perſpiciens, contra hæc manſuetudinis & tolerantiæ ancipitem gladium educere inſtituit: hic profectò: veluti fullonum ſalutarem officinam, fratrum monaſterium, ingredi laboret, atque eorum, qui maximè duri & immites ſunt, (ſiquidem hæc vitia perfectè exuere cupit) vt illic ex contumeliis & ignominiis, dum fratrum vexationibus extenditur, atque intellectualiter pulſatur, fortaſſis verò, etiam ſenſibiliter, calcibuſque tunditur & conculcatur; ſordes, quæ animæ illius veſtes maculârant. diluat. Ipſa tibi plebeia vox perſuadeat, probrum & contumeliam lauacrum eſſe vitiorum animæ. Solent enim ſeculares cum aliquem in faciem ignominiis, & contumeliis reſperſerint, glorìantes ad alios dicere: laui illum. Quod profectò verum eſt. Alia in his qui adhuc rudes imbuuntur ex fletu & Iracundiæ necatio; & alia in his, qui perfecti ſunt, commotionis commoda ceſſatio. Quippe prior illa lachrymis, veluti fræno quodam, ligata eſt: hæc velut ſerpens à beata tranquillitate, veluti à gladio quodam acutiſſimo, necata eſt.* Sic ille.

Ioan. Climacus grad. 8.

Igitur qui ad laudem ac gloriam, quam cupiditatum victoria parere ſolet progredi contendit, virtutes perſequatur, & materiam in qua illæ verſantur, forti animo ſuſcipiat, neque aliter ſe voti compotem futurum arbitretur, neceſsè eſt: in quam ſententiam & olim iuiſſe magnum *Caſſianum*, verba eius l. 8. c. 17. ſatis demonſtrant, vbi ſic loquitur: *Quæcunque vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis non abolita ſentientur. Tamdiu enim ſibi patiens, quis videtur, & humilis, donec nullius hominis miſceatur conſortio, ad naturam priſtinam mox reuerſurus, cum interpellauerit eum cuiuſlibet commotionis occaſio. Quaſi verò vniuerſa virulenta ſerpentium genera vel ferarum, cùm in ſolitudine, ſuiſque cubilibus immorantur, innoxia perſeuerent, nec tamen ex eo pronuntiari poſſint innoxia, quia nulli noceant. Hoc enim eis non affectus boni-*

Caſſianus l. 8 c. 17.

bonitatis, sed necessitas solitudinis confert. Quæ cùm lædendi nacta fuerint copiam, in semetipsis reconditum virus, & animæ feritatem protinus egerunt, & demonstrant. Ideoque perfectionem quærentibus non sufficit contra hominem non irasci. Meminimus enim in solitudine commorantibus nobis contra calamum, cùm aut grossitudo eius aut exilitas displiceret, contraue scalpellum cum incidenda hebeti acie segniter exsecaret, contraque silicem; si fortè ex ea festinantibus nobis ad lectionem, tardiùs scintilla ignis emicuerit, ita indignationis irrepsisse motum, vt non aliàs perturbationem mentis, quàm vel contra insensibiles materias, vel certè aduersus diabolum maledictione prolatâ digerere atque euaporare possemus. Quamobrem ad perfectionis duntaxat rationem non satis proderit abesse homines, in quos ira moueatur, cùm si patientia priùs non fuerit acquisita, etiam erga res mutas, speciesque minutas exerceri similiter iracundiæ possit affectus, qui residens in corde nostro, nec iugem nos possidere tranquillitatis statum nec residuis vitiis carere permittet. Quapropter si illam summam diuini præmij cupimus adipisci, de qua dicitur, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: non solum è nostris actibus Ira amputanda est, sed etiam de internis animæ, radicitùs extirpanda. Neque enim valdè proderit Iracundiæ cohibitus furor in verbo, nec in effectum prolatus, si illum arcanis pectoris nostri Deus, quem secreta cordium non latent, inesse perspexerit. Radices enim vitiorum potius exscindendi præcipit euãgelicus sermo, quã fructus, qui procul dubio euulsis fomitibus nequaquàm vlterius paullulabunt, atque ita mens poterit iugiter in omni patientia & sanctitate durare, cùm hæc non de superficie operationis & actuum, sed de cogitationum fuerint penetralibus euulsa. Quod Ioannes Cassianus hîc tam propriâ theoriâ, quàm variâ experientiâ doctus literis consignauit, id Pelagius lib. 7. nu. 33. & Ruffinus Aquileensis in verbis Seniorum reapse visi sunt confirmare, dum sic scribunt: quidam frater dum esset in cœnobio & frequenter ad iram moueretur, dixit ad seipsum: vadam in solitudinem, & cùm non habebo cum quo litigem, forsitan requiescet à me passio. Dum ergo, egressus esset, & mansisset solus in spelæo, quadam die, cùm vas aquâ repleßet, & posuisset in terra, subitò inuersum est. Cumque tertiâ vice repleßet, ac similiter contigißet, arrepto ipso vase, fregit illud iratus. Cùm autem ad se reuersus fuisset, cogitabat, quia à spiritu Iracundiæ esset deceptus, & dixit: ecce & solus sum, & tamen ab Iracundia victus sum. Reuertar in cœnobium, quia vbique pugnâ opus est, & patientiâ, & maximè Dei auxilio, & ita exurgens reuersus est ad locum suum.

Pelagius l. 7 n. 33.

Tanti refert antè prænosse, quibus armis oppugnandus hostis sit, vt tutò victoria de eo reportetur, neque curramus quasi in incertum, sic autem pugnemus, non quasi aërem verberantes, sed turbulentas animi cõmotiones non fugâ, quam nequidquàm prodesse iam vidimus, sed obnixu repugnante sub manum redigamus, certi tantùm illis decessurum, quantùm nobis animi, constantiæque accesserit ad confligendum.

Vnum autem hîc moneo, vt, sicut prophylacticen dicunt partem esse Medicinæ, quæ anteuertat morborum caussas, & ægrotationes, ita & hîc in animi perturbationibus eandem diligenter esse obseruandam: sita autem ea est in præuisione illorũ, quæ possent incidere, atque eiusce modi mentis comparatione, qua genus omne iniuriarum, quod pati possis, cogitatione præcipias, Deoque nixus ferre patienter, ac tolerare fortiter proponas, iuxta eiusdem S. Patris consilium, quo monebat, vt illi quibus corporis constitutio biliosa esset, ac feruentior, si cùm aliis iracundis hominibus versarentur, ante se compararent, ac sæpissimè meditentur, non quâ ratione fugiant, sed huic periculo resistant. Atque hæc regia illa, ac præclara via est, quam tot, tantique viri generosè insisten-

Præparandus animus ad victoriã.

tes diabolicum hoc, vitium, imo diabolum in eo, vt SS. PP. loquuntur, non fugiendo, sed resistendo, profligârunt. Et rectè id quidem ac prudenter, Apostolo essentiente, cùm sic loquitur: *resistite diabolo & fugiet à vobis*. Græce ἀντίστητε, id est, contra state, opponite vos, aduersamini, insurgite in eum, nolite fugere, vt Syrus: quocirca bene S. Ignatius in Exercitiorum libello, diabolum comparat fœminæ procaci, quæ viro timido impotenter dominatur, & insultat, audacem verò timet, eique silens se submittit.

Iacobi 4. 7.

Simile.

Tale hoc vitium est, quapropter non malè illi conuenit nomen Myrmicoleon, id est formica-leo, quod apud 72. Interpretes Iob 4. legitur, atque à S. Gregorio & Olympiodoro diabolo attribuitur, vtpote qui constantibus & resistentibus timidissimus, vt formica meticulosis autem ac fugitiuis terribilis, vt Leo, *audacius namque* vt ait *S. Bernardus, insistit à tergo, quam in faciem obsistat:* huic ergo iuxta Apostolum resistite fortiter, vt cum *S. Ignatio* non fugiendo, sed resistendo victoriam reportetis, quod eum voluisse certum est, cum tanto zelo hominem aggressus, quem alieno tempore se aliorum consuetudini subtrahentem aduerterat, veritum ne iræ succumberet, erroris coarguit, & vehementis quidem; eiusce modi vitia asseuerans non fugâ, sed obnisu superanda, quod hîc inter diuina viri Apophthegmata, iure locum inuenit, quibus ad omnem virtutem informamur.

Myrmicoleon quid?

S. Bernard.

Quamuis autem Sapientum hominum dicta ad animum nostrum probè instituendum, plurimum iuuant, natura tamen ita comparatum cernimus, vt exemplis magè quam præceptis, ferè omnes consueuerimus moueri, & excitari: quapropter visum est, hîc nonnulla, eaque clarissimorum sanè virorum facta commemorare, quibus animi ad eorundem imitationem non mediocriter inflammentur, præsertim cùm etiam *Anneus Seneca* in consolatione ad Martiam scripserit: *Omnes qui monere aliquem volunt, à præceptis incipere, & desinere in exemplis.* A quo autem ordiri hîc queam meliùs, quàm à Doctore ipso, vt tantò doctrina eius habeatur certior, quantò is eam non lingua magis, quàm opere visus fuerit confirmasse, & hic Ignatius erit.

Vis magna exemplorũ.

Senec.

Quos non illic ventos tulit? quas non subiit procellas? Adeo tamen nullis vnquàm tempestatibus cessit, vt illæ potiùs vires ejus augerent, & spem bonam accenderent, vnde factum, vt cùm naturâ ceteroquin esset vehemens, & ingenio præteruido ac biliosus, propter summam tamen lenitatem, quâ se ipse triumphauerat, nihil ignis natiui proderet, frigorique potiùs, ac languore obnoxium corpus traheret crederetur.

S. Ignatius ira domita nobilissimus.

Moysem sic laudat Gregorius Nyssenus, quem Patrũ Patrē Græca appellat Ecclesia, *de eo*, inquiens, *audiuimus, quod nec ab Ira, neque à concupiscentia vinceretur, vtriusque ei perhibente testimonium historia, quod suprà omnes homines lenis esset ac mitis, per lenitatem autem & clementiam iræ vacuitas, & ab iracundia animus alienus ostenditur, per concupiscentiam verò, eorum ardor, quæ vel negata, vel perdita bilem solent inflammare.*

S. Gregorius Nyssenus.

Non absimili quodam iure, hoc de S. nostro dixerim Ignatio, qui præ Moyse bilem in se efferuescentem singulariter sensit, quam tamen ita compescuit, vt genio suo phlegmaticus palàm à medicis haberetur, eo namque, vt inquit Ribadeneira, quod in interiori affectu vitiosum fuerat edomito, actio quidem vbi opus erat, vigebat, verum animi summa moderatio, vim efficiendi nulla ex parte minuebat. Triginta omninò annorum spatio, quibus meliora sectatus est, adeo non contumeliosè tractatus est ab eo quispiam, vt ne quidem verbo fuerit violatus. Præsidebat à se constitutæ Societati curis molestis & grauibus, at in omnibus ea mentis æquitate & animi pace, vt nec in aduersis, nec prosperis vnquàm

quàm sui dissimilis appareret. Neque hæc ætatis languori adscribi poterant: vigebat enim etiam tum in sene vegeta virtus, & si quando res ità tulisset, vt ad castigandam culpam vultum indueret seueriorem, eâ vi, & pondere verborum id exsequebatur, vt non audientium tantum animi, sed & parietes nutare viderentur, absque omni tamen interioris hominis motu.

Peculiari prodigio rem firmo: prodigium autem appello, quasi prodigium quod porro dicat, atque significet, quomodò Ignatij exemplo nobis sit ità superanda, quod licèt superiùs attigisse me memini, hîc tamen propter eximium, ac singulare discipuli studium, quo magistrum proximè imitatus est, opere pretium duxi commemorare. Fortè publica ibat via, Ignatius, atque à petulante puero, qui relictis in proximo ouibus, accurrerat, effusissimè nec sine cachinno ridebatur: bilem id alteri, nec immeritò, mouisset, non Ignatio: quin & monenti Iacobo Lainio peregrinationis socio, vt gradum adderet, seque importuni opilionis ludibrio eximeret, lætissimè arridens: cur inquit, puerum hunc insperatâ voluptate priuemus, nec inde se agere voluit, donec puero fuit irridendo libido, sibi verò superandæ iracundiæ occasio non importuna.

Longanimitas S. Ignatij in ferendis opprobriis.

Ita Ignatius, quem filiorum non pauci insigniter sunt æmulati, quos inter magistro dignum se discipulum consimili in rusticorum petulantia Paschasius Broëtus adprobauit; circumfuderant se rustici ad quadraginta Broëto malè pannoso, & dum otiosi lasciuirent, peregrino rustica insultabant licentia. Substitit Paschasius, frustrà indignante comite, cui eademque Ignatius olim Lainio, respondit, atque ore ad modestissimam mansuetudinem, oculisque cōpositis, illusores illos intuens, ita commouit, vt subeunto petulantiæ pœnitentia, virtutem hominis mirati accideren tad genua, & veniam, pacémque precarentur. Nimio validum expugnandis animis tormentum est mansueto!

Paschasij Broëti similis patientia.

Sed non hîc stetit discipulorum Ignatij, magistrum imitantium feruor, atque industria, altiùs prouecta est, è multis vnus, ac pro multis stabit Petrus Nauarras, cui tantùm natura spiritus addiderat, vt irarum ignes facillimè omnium vnus conciperet; quod vt cum virtute minùs conuenire sensit, instituit diligentissimè castigare, breuique tantos progressus habuit, vt naturam ipsam eruisse videretur, nihil illo tranquillius, nihil mitius: hac domesticâ victoriâ clarum, victis ignibus ire, Iaponicas flammas admirabili pugnâ vicisse mirum non est; non minus enim irâ animus inflammatur, quàm flammis membra exuruntur.

Petrus Nauarri magnus iræ suæ domitor & victor.

Quæ licèt ita se habeant, & verissima sint, durum intereà & potentem nacta est mansuetudo inimicum, non vno armorum genere instructum quorum nullum, quantumuis exiguum est contemnendum, exemplo sit, nusquàm aut facilius nos irasci, aut venia digniores nobis videri, quàm cùm de sapientia disputamus, quasi tunc innocenter fiat. Sed fallimur plerique opinione nostrâ quia sapientia mansuetudinem maximè amat, quam egregiè Franciscus noster Suarius coluit, factis docens, quantâ & hîc curâ sit mansuetudo colenda. Quamuis enim in disputando vehementissimus esset, vim tamen sapientiæ per clamores indecotos, aut quæ illis adhuc peiora sunt, iurgia & liberiùs dicta ostentare, hominis putabat esse illiberalis. Itaque si concertator aberraret mansuetissimè plerumque dicebat, se minimè libenter regredi progredi posse. si videretur, altiùs repùtans sapientiæ ingenium, quàm vt iræ famulitio stipari velit. Hic sensus Ignatij & filiorum eius fuit: cuius tantus splendor & gloria est, vt summos, ac medios in vtraque republica viros, non parum illustrasse visus semper sit. Belgio meo pedem efferre religio est; Principem bello maximo, ac diuturno,

Alberti Belgarum Principis mansuetudo,

no, fuorumque militum importunissimis seditionibus diu exercitum, Albertum se. Austriacum hîc habuimus, quem tamen iratum aliquando fuisse negant, qui eius res gestas composuerunt quod eo mihi quidem videtur admirabilius, quod plerique imperitantium irasci decorum putant. Quasi verò Leonum instar, tum maximè timeantur, cum rugiunt. Verum ignorare videntur, maxima quæque flumina minimo sono labi & magnam aquarum molem obiectis scopulis, per quos torrentes fracti, frangentesque maximo eum murmure decurrunt, non euerberari, vt longè superiorem. Quin & huic Iulianum Cæsarinum non magis Vaticana purpura, quàm virtute hâc eminentem adiungo. Mulam quâ sublimis vehi solebat, à pueri negligentia amissam inniriauerant familiares, Iulianus accitum hominem, de ea re interrogat & ille contumaciùs, quam Domino decuit, respondebat. Siluit diu Cardinalis, atque ad amicos conuersus. Vos verò, inquit, nolite, quæso admirari, me arrogantiam & contumaciam hominis non castigasse, verebar enim ne quid iræ, iam acrius se incitanti liceret, itaque dandum spatium rationi fuit, vt integram in administrans perturbationes imperium recuperaret, ne dum alios castigamus, ipsi aberremus.

Bene profectò, ac sapienter: quo vir optimus eam de se victoriam reportauit, quam nulla temporum vicissitudo delebit, idque iuxta prudentissimos B. Ignatij Apophthegma non fugiendo, sed totis viribus hosti obsistendo.

APOPHTHEGMA VNDECIMVM.

Sciscitante quodam, ecquæ denique via hominem ad processum in studio virtutum inducere queat? respondit: hoc vnusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab Amore suiipsius, & commodi proprij affectione sese abstraxerit.

Daniel Bartolus lib. 4 §. 27. Lib. Exercit. heb. 2.

Commentarius.



Quid sit Amor proprius.

Amoris proprij nomen, culpa eorum, qui re bona abusi sunt, odiosum factum est, vt aliàs in similibus non semel. Nemo tamen prudens ambigat, quin aliquis sit suimetipsius Amor honestus, & ex virtutibus legibus exeultus, imò etiam præceptus, ac necessarius, quapropter hîc, si vsquam, à falso verum discernere necesse est. Haud ita diu est, cum vir aliquis non minus prudentiæ laudibus, quàm peramœno florens ingenio Amoris vim, naturamque volens exprimere, Titionem pinxit, vnà sui parte ab igne, correptum, altera verò liberum, hoc lemmate subiecto: *qua non nocet, arripe.* Sunt namque & in amore dolores. Ignis est, caue lædaris. Et periculo vacuum, ac dolore consilium fuit.

Quapropter quod ille vniuersim de Amore, id ego de φιλαυτία dixerim singulatim, quàm sui ipsius Amorem Cicero nuncupauit, in quo, si vsquam, dolorum iliades affluunt, quas tamen catus effugias, si titionem, qua non nocet, parte arripuisse volueris; duas siquidem in eo partes

tes reperias, quarum alteram si vitâris, alteram verò tenueris, sine damno stabis. Sed antè, res propiùs inspicienda est.

Amare, inquit Philosophus, aliud non est, quàm cuipiam bonum velle, vnde amare seipsum, generatim loquendo, est sibi ipsi bonum desiderare: cuius occasione notandum obiter, omne quod creando, ad vitam conditum est, naturâ instigante commodis suis anquirendis incumbere, vt bene sibi, rectèque esse possit, vnde consequens est, se suaque non segniter amare.

Amor proprius in animantibus elucet dum ægra sunt.

Patet primò in animantibus, dum valetudine tentantur, vnde Capellæ cruciatum alui Siseli herba curant.

Cerui telo venantium saucij, dictamnum quærunt, ægri cinarâ curantur.

Hirundines cæcutientes oculos chilidoniâ expurgant.

Vrsus languens formicis sanatur.

Canes nauseabundi gramen, Apri hederam, Perdices laurum.

Ciconia origanum, Vpupa adiantum quærit.

Miluus thamno, Elephanti oleæ floribus, serpens fœniculo sibi medentur.

Ibides & grues clysterem inuenêre.

Hippopotamus venæ sectionem reperit.

Carducles euphrasiâ herbâ affectis oculis medicinam faciunt.

Homo se amat.

Quid homo? nequaquàm hic deses, aut segnis habendus est, sed eadem duce naturâ, quam matrem non minùs, ac cætera animantia agnoscit, quod commodum sibi atque conueniens sentit, prosequitur, fugit autem quod graue atque aduersum experitur: vnde quietem lassus requirit, animi tædio, molestiaque affectus inambulando refici desiderat, esuriens cibum, sitiens potum, frigidus ignem, æger medicinam, quærit: nec minore industriâ, ac solicitudine honores, opes, nomen bonum, officia, dignitates ambit. Quibus omnibus euidenter patet, quantâ sedulitate ac studio istuc feratur, quo sua quemque natura ad conseruationem sui solet instigare, quod nisi sit amare semetipsum, nescio quid tandem dixeris sui esse amorem. Atque ita se habet Amor, & proprius quidem ille, nec tamen culpandus aut arguendus cùm & in Christo Domino ac magistro nostro inuentus sit, tum quando Herodem & Archelaum fugit ac declinauit, vt se indemnem seruaret, in deserto esuriens sibi ab Angelis afferri cibum voluit, sitiens à Samaritana muliere potum flagitauit, somnolentus in puppi super ceruical dormiuit, amicos coluit & visitauit, calumniis se expurgauit dum sacrilegus Malchi cognatus ei alapam dedit, tum alibi sæpiùs, quibus sat superque concessus atque legitimus probatur sui amor, vtpotè absque vlla numinis offensa vsurpandus.

Quid itaque, inquies, Saluator ipse Christus Ioan. 12. his verbis expressum voluit, cùm dixit: *qui amat animam*, vitam sc. suam, & ex consequenti seipsum in hac vita; *perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam*? Dicet Chrysostomus cum Euthymio & Theophylacto: Qui amat animam suam, id est animæ suæ desideria & concupiscentias præ voluntate & mandatis meis, vt malit concupiscentias suas sequi, quàm mandata mea, hic deperdet animam suam in gehenna qui verò eam odit, concupiscentiis eius diuinæ legi contrariis resistendo; hic custodit eam, vt æternam beatitudinis vitam à me consequatur; quare si φιλαυτία nos solicitet, vt commodis suis atque suggestionibus morem geramus, quibus Deo aduersatur, repellenda vtique erit; contra verò, vbi bonæ voluntatis consensione, cum eo coniungitur, tutò sequenda: neque enim supremum illud numen vetare voluit, quò minùs nos amemus, idque secundum naturæ leges, quæ sicut amandos statuunt parentes, quamdiu nihil contra Deū præcipiunt, sic & carnem nostram,

Ioan. 12. 25.

Quomodò se quis amare debeat.

 quàm-

quamdiu ad malum non abducit. Quod & naturali actu suâ tetigit Philosophus 2 politic. 3. *non frustra*, inquiens, *quisque ad seipsum amicitiam habet*. Est verò id naturale. Sed cum amatio sui reprehenditur non illud reprehenditur, quia se amet, sed quia magis, quàm oportet, se amat: quo circa vir bonus esse sui amator debet vt l. 9. Eth. idem docet, nam honesta agendo & sibi & aliis proderit: prauus autem non debet, eo quod prauos affectus sequens & sibi, & aliis nociturus sit.

Aristoteles 2 polit. c. 3.

Obiectio.

Sed dicat fortasse aliquis: castigabat Apostolus corpus suum & in seruitutem redigebat, pluresque alij eodem spiritu imbuti ieiuniis, flagellis, chameuniis malè multabant, quæ nisi signa odij fuerint, quo erga illud ferebantur, nescio quid odisse denique dicendum sit; sed illi nobis dati sunt in exemplum, quorum intuentes exitum conuersationis, imitaremur, & fidem, ergo &c.

Responsio S. Thomæ.

Respondeo cum S. Thoma in 3. dist. 29. in explic. textus: non id eos egisse, vt malè corpori vellent, sed fomitem in eo malè regnantem supprimerent. Verùm Paulus infelicem se reputabat, quamdiu in carne viueret: *infelix*, inquiens, *ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*. Rom. 8. Non itaque vel corpus, vel vitam amabat, vt & nos vtrumque odio habeamus. An tantum abest, vt vas illud electionis corpus suum odio haberet, quod probè nouerat aliquando cælesti gloriâ potiturum, aut vitam oderat, quam sibi ad proximorum salutem tantopere conducere non ignorabat, quin potiùs ex æquo, iustoque, pro ratione gradus vtrumque tractabat: quare nec corpus suũ, licèt optaret illo solui, quo sentiebat se à clara Dei visione præpediri, nec vitam, licèt in meliorem optaret eam commutari, odio habuisse dicendus est.

Rom 7. 24.

An vllum sit præceptũ amandi seipsum.

Quæres igitur, ex quo capite aut lege quis ad amandum semetipsum compellatur, cùm eius nulla mentio fiat in præcepto Amoris? *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut te ipsum*, quibus verbis cum nihil de Amore suiipsius exprimitur, nihil quoque eidem videtur impendendum. Non ita profectò: Amor namque sui ipsius, his verbis comprehensus est, *Sicut te ipsum*, quibus eum à summo Legislatore præceptum esse, vel inde patet, quod ad eum, vt certam quandam regulam ac normam Amor proximi à Deo exigatur, *amicabilia* namque *ad alterum*, vt bene Aristoteles aduertit l. 9. Ethic. cap. 9. *proueniunt ex amicabilibus ad nos*. Addo quoque cum S. Thoma in 3. sent. dist. 28. q. 2. post hæc, opus non fuisse alio præcepto amoris sui ipsius, cùm vnusquisque satis superque naturâ suâ in eum feratur, vt excessus potiùs, quàm defectus metuendus sit, iuxta verissimum S. Spiritus effatum: *nemo carnem suam odio habuit*, hoc est, corpus, vitam, seipsum.

Matth. 22 37.

Arist l. 9. Eth. c. 9.

S. Thomas in 3 sent. distinct. 28. q 2.

Eph. 5. 29.

Doctrina hæc solida & liberalis est, quam vt perspicuè lector excipias, animaduertere oportet, in vno nos homine, circumferre homines duos, externum vnum, alterum internum.

In vno homine duos homines circumferimus.

Et primò quidem ad externum quod attinet, corpus quinque sensibus instructum eum nobis repræsentat: non tamen vt hic totus homo sit, sed sola pars hominis, & minor quidem illa, atque à cæteris animantibus parum diuersa.

Ad internum verò quod attinet constituit eum anima rationis particeps, cuius ope auxilioque res ipsas cognoscimus, libero vtimur arbitrio, ratiocinamur, diuinæ gratiæ, gloriæque compotes efficimur. Neque tamen hæc quoque anima totus homo dici debet, sed eiusdem pars & nobilior quidem, vnde hominis nomen obtinet, à potiore siquidem parte denominatio fieri solet. Nihilo tamen sociùs cùm animæ domicilium corpus sit, eiusque adminiculo vitales atque humanas actiones anima producat, hominis quoque nomen sortitur, sed externi & animalis; Anima verò,

quia

quia forma corporis est, vitam ei communicans & sensum, homo frequenter dicitur, verùm internus & spiritualis: vsque adeo vt ille habendus sit homo terrestris, qui vitam inordinatis cupiditatum suarum illecebris conformem trahit: hic verò cælestis, qui duce ratione superni luminis viam sectatur. vnde euidenter patet, quemcunque Christo fide, professioneque auctoratum videris, nequaquam se debere secundum hominem exteriorem amare, sed interiorem, iuxta S. Thomam in 3. dist. 28, q. 1. a. 6. ad 5. vbi sanctus Doctor sic loquitur: *amare seipsum quantum ad exteriorem hominem est vituperabile, sed quantum ad interiorem, est laudabile*: quod ante ipsum Plato l. 5. de legibus duce ratione perspexerat, „cùm scripsit in hunc modum: om„nium maximum quoddam malum „in animis multorum ingenitum „est: in quo cùm sibi indulgeant, re„medium quo sese ab illo liberent, „expedire nullo modo possunt. Est „autem id quod dicere solent, v„numquemque sibi naturâ amicum „esse. Et rectè profectò, si huiusmo„di esset erga seipsum vnusquisque: „at re verâ vsu venit, vt omnium „malorum quibus hominum vita „inuoluitur, nimius sui amor causa „existat. Is enim qui amat, circa id „quod amat, sanè obcæcatur: ac „proinde de rebus iustis, bonis, ho„nestis malè iudicat, cùm in ea est „sententia, vt opinetur maiorem si„bi, quàm veritati honorem tri„buendum. Non tamen decet, eum „qui vir magnus sit euasurus, in suis „rebus acquiescere, sed ea potiùs „complecti, quæ vel apud seipsum, „vel apud alium quempiam iustè „fieri videantur. Ex eodem verò „peccato hoc etiam omnibus con„tingit, vt quisque imperitiam suam, „sapientiam esse arbitretur, hinc fit, „vt cùm nihil, vt ita dicam, noueri„mus, omnia tamen nos scire opi„nemur. Cùm verò nos neque aliis „permittamus ea agere, quæ tamen „ignoramus, fit, vt ipsi illa aggre„dientes facere, turpiter erremus. „Itaque vnusquisque à cæco illo sui „amore abhorrere debet. & seipso „meliores sequi, vt huiusmodi qui„dem in re nullam verecundiam „prætexat, quâ à rebus præclarè a„gendis impediatur. Ita ille.

S. Thomas in 3. dist. 28 q. 1. a. 6.

Plato l. 5. de legibus.

Ex quibus porrò videas, quàm malè passim mortales verum sui amorem metiantur, cùm demum verè se sibi ipsis amorem impendisse existimant, dum omnibus suis cupiditatibus fuerint obsecuti: Quod esse potiùs odium sui ipsius docuit Aristoteles & optimè S. Augustinus lib. 14. de Trinitate cap. 14. *Sic condita, inquiens, est mens humana, vt nunquàm sui non meminerit, nunquàm se non intelligat, nunquàm se non diligat.* Sed quoniam qui odit aliquem, nocere illi studet, non immeritò & mens hominis, quando sibi nocet, odisse se dicitur.

S. August. c. 14. de SS. Trinit c. 14

Nesciens enim sibi vult malè, dum non putat sibi obesse quod vult: sed tamen malè sibi vult, quando id vult, quod obsit sibi. Vnde illud scriptum est: *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Qui ergo se diligere nouit, Deum diligit: qui verò non diligit Deum etiamsi se diligit, quod ei naturaliter inditum est, tamen non inconuenienter odisse se dicitur, cùm id agit, quod sibi aduersatur, & seipsum, tamquàm suus inimicus insequitur. Qui profectò horrendus error est, vt cùm omnes sibi prodesse velint, multi non faciant, nisi quod eis perniciosissimum est.

Verus itaque sui Amor, is est, quo corpori suo eatenus quisque bonum vult, quatenus consentaneum est ad finem corpori præfixum, qui est esse idoneum animæ instrumentum, atque adeo amandum est infrà animum, vt luculenter omnia ex Pythagora Philosophatur Hierocles, & ex Platone S. Basilius orat. de leg. gent. quem ait, D. Paulo in ea sententia esse conformem.

Quis verus sui Amor.

S. Basilius orat. de leg. gent.

Breuiter itaque & optimè Romanus sapiens ep. 14. *Fateor insitam esse nobis corporis nostri charitatem. Fateor*

Seneca ep. 14.

nos huius gerere tutelam, nec nego indulgendum illi, seruiendum nego. Multis enim seruiet, qui corpori seruit; qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. Sic gerere nos debemus, non tamquàm propter corpus viuere debeamus, sed tamquàm sine corpore non possimus. Huius nos nimius amor timoribus inquietat, solicitudinibus onerat, contumeliis obiicit, honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur eius diligentissimè cura, ita tamen, vt cùm exiget ratio, cùm dignitas, cùm fides, mittendùm in ignem sit. Quàm illi beati, qui sic se amant, vt oportet, qui se amant pro cælo acquirendo, odio habent pro vita æterna obtinenda! *Magna sanè ac mira sententia*, inquit, *Augustinus, quemadmodum sit hominis in vitam suam Amor, vt pereat, odium ne pereat: si malè amaueris, tunc odisti: si bene oderis tunc amasti. Noli amare ne perdas, noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Felices qui oderunt custodiendo, ne pereant amando.* Tract. 51. in Ioan.

S. Augustinus tractatu 51. in Ioan.

Natura magnetis.

Magnetem ferunt duas inter ferri lacinias positum, vnam magno naturæ miraculo attrahere, alteram verò repellere, eo siquidem latere, quo dum fortè cresceret, septentrionem respexit, ferrum inuitat, quo verò meridiem, illud abigit: hinc vnus idemque amat & odit, vult & non vult magnes: simile dixerim esse cor hominis, duos inter homines, externum scilicet atque internū collocatum, dum magno gratiæ cælestis auxilio illum odit, hunc verò diligit: ab illo auertitur, ad hunc inclinat: quæ illius sunt approbat, quæ autem huius reprobat, & damnat. In Rebecca, quod dico manifestum fiet, duos illa filios habuit, Esau, & Iacob: Esau discolum & arrogantem; Iacob verò mitem ac probum, quos inter, hunc mater dilexit, illum verò nequaquàm: sic humana voluntas duorum velut liberorum patens, hominis, inquam, animalis, & rationalis, quorum alterum, satanæ consentiens, de peccato concepit, qui velut infelix Esau factus stolidè turbidus, morosus, voluptati deditus, & crudelis: alterum verò Spiritui sancto obsecundans, ac rore cælestis gratiæ impregnata, peperit, qui velut quidam Iacob honestus, sobrius, ac prudens existit, quapropter & hunc diligit, & alium, qua talis est, auersatur. Vbi aduertendum sicut Mater filium veteri sui diligens, amare dicitur seipsam, quia is pars eius est, & contra odio habens, odisse eadem de causâ seipsam; Ita voluntas hominem suū amans spiritualem, quem Deo opitulante concepit, amare dicitur seipsam; odio autem habens animalem, quem in se, suggestionibus inimici consentiens, efformauit, seipsam odio habere perhibetur, qui denique verus & absolutus modus est ex parte vna amandi, ex altera verò odio habendi seipsum. Quod tamen non ita accipias velim, vt internecino odio animalem tuum hominem prosequare, cibo eum, ac potu, somno, aut quiete destituens, quorum illi hæreditarius ac legitimus debitor es: verum cum is diuerso se pacto soleat habere, vel vt rationi consentaneus, vel dissentaneus eidem, vt spirituali suo homini, tamquàm præsidi morem gerens, vel suo arbitratu, animique libidine viuere gestiens; si directori obediat, ei faciendum est satis; si sensu suo atque arbitrio viuere cupiat, cohibendus est: si æquum postulet, condescendendum, si iniquū, denegandum quod in figura, veluti terso quodam speculo ostendit, magni Patriachæ fidissima coniux Sara, quæ tamdiu Ismaëlem in domo sua versari passa est, quamdiu probè, modesteque se habuit, cùm autem vidisset, vt facer narrat historicus, gen. 21. Filium Agar ludentem cum Isaac, id est, irridentem & lasciuientem, vt alij ex Hebræo vertunt, vel vt S. Hieronymus legit, super primogenita contendentem, eiecit eum: ita & nos animalem hominem nostrum solari, eiusque debemus necessitatibus, atque infirmitatibus seruire ac compati, quamdiu inter æqui, bonique limites se continet quos au-

Cor hominum inter 2 Amores magneti simile. Patet in Rebecca tamquàm in figura.

Patet in Sara tamquàm in figura.

Gen. 21.

tem,

tem, vbi egressus fuerit, ac præteriri non formidauit.

Horatius l.1.ep.2.

—*Hunc frænis, hunc tu compesce catenâ.* Horat.l.1.ep.2.

Ita namque tractari, atque insolentiæ suæ pœnas dare meretur. Quibus in hunc modum expensis, sit superque nobis affulsurum luminis arbitror, quo videre liceat, quando fuimet Amor, naturalis illa in seipsum beneuolentia, diuinis humanisque legibus permissa, quando autem grauissimis illis propositis pœnis, quas Apophthegma hoc nostrum insinuat, omni generi hominum, potissimum verò iis, qui bene de Deo, bene de se, ac proximo mereri desiderant, vetita sit, & interdicta; quare cum iam in commentatione illius, huc nostra deflexit oratio, consectarium est, vt quæ, quantaque hæc damna, atque incommoda sint, quibusue ea remediis & alexipharmacis curentur, paucis aperiamus.

Damna Philautiæ.

Mali cognitio ianuam nobis ad interiora tendentibus aperiet: quid itaque *Philautia* hæc? eo siquidem nomine amat ex vsu nominari. Melior Theologorum natio super hoc accuratè consulta *Philautia*, inquit, *siue Amor sui, priuatus quidam animæ affectus est, quo nimium sibi homo indulget, immodicè blandit, ac placet*, vnde fit vt Dei amor in illo moriatur, & langueat, quo sui ipsius dilectio vigeat, & conualescat.

Vtrumque inter se committamus, & vberiore parallelo videmus, quantum hîc soleat peccari: neque enim illius stragem ac damna sat nouerimus, priusquam huius arrogantiam, & sensum clarè habuerimus perspectum.

Parallela Amoris sui & diuini.

Est amor itaque Dei prudens ac discretus.

Priuatus, siue proprius, temerarius & inconsultus.

Ille perspicax: hic cæcus.

Ille moderatus, & grauis: hic intempestiuus, & præceps.

Ille summissus; hic elatus.

Ille obsequens; hic rebellis.

Ille pacificus & quietus: hic rixosus & turbulentus.

Ille magno & excelso animo aduersos casus excipit: hic perturbato, fracto, atque afflicto sustinet.

Ille benignus: hic austerus.

Ille labori non parcit, vt Deo potiatur: hic virtutem ambit sed sine labore.

Ille Dei voluntatem explere desiderans, suam abdicat: idem hic non nolens, suam diuinæ commiscet voluntatem.

Hæ Amorum istorum Antitheses, quibus in hunc modum iuxta se positis id certò fiet, vt vtriusque natura magis elucescat.

Similitudo à Cometis.

Ita aiunt Cometas quosdam inueniri, adeo veris stellis non absimiles, vt eos Ptolemeus ipse stellas secundas veritus non fuerit appellare: quos inter peritiores tamen Astrologi facilè distinxerint, vbi inter se eos cœperint conferre, atque efficientias obseruare, quod dum faciunt, leui oculo & illarum cælestem materiam, & harum terrestrem, illas in cælo, has in tertia regione aëris consistere, illas scintillis quibusdam emicare, has pallore suffundi; illas constanter lucere, has verò ad oculum minui, illas ad normam moueri solitas, has motu suo abnormes; illas perbenigno in terras aspectu influere, has autem pestilente in hæc inferiora ductu infundi deprehenderunt. Claram profectò tam veri amoris sui, quàm falsi commissionem non iam, vt ante vidimus, adductis rationibus demonstratam, sed quasi in imagine, nec illa quidem peregrina, sed simillima expressam, quâ non solum philautiæ seu falsi amoris sui à vero diuersitas cognoscitur, sed eiusdem noxa, atque intertrimentum manifestè aperitur.

Exitium ingens, pernicies maxima quàm pestis hæc solet humano generi procreare, vt eam perspexisse, crediderim esse profligasse. Dabit hoc nobis Rhamnus arbor spinosa & sterilis, naturâ suâ, sed destinatione fœcunda: spinas hæc initio producit molles illas & teneras, ita tamen, vt

Rhamni & Philautiæ similitudo.

vt quanto tempore crescant, tanto indurentur, & in diem, pungant magis: frutex hic tempore sicca & glutinosa est, hinc æstate summâ, cùm sol feruet maximè, facilè flammam concipit & exardescit, vnde fieri solet vt hortulani nullas circum eum arbores ferant, nisi quas velint propediem videre exustas.

Talis Philautia, frutex sanè perniciosus, & spinis obsitus valentibus illis, ac præacutis, quibus eorum corda, diu, noctuque lancinat, qui eam ex agro cordis sui quantocius non exstirpant. Verùm quidem est primo aditu neminem pungere, aut inquietare, quia mucrones eius initio teneri ac flaccidi sunt: verùm, si crescere siueris rigorem senties, & oppidò te moræ illius pœnitebit. Philautia hæc arida quoque ac sicca est, secretum in se continet ac seruat ignem, quem tempore ac loco sibi opportunis euidenter effundit, quo virides virtutum plantæ exarescant, obeantque in fauillam, adeo vt, vbi vitam quis inuenire sperârat, mortem inueniat peracerbam: quod bene sapientissimus ille singularis pietatis antistes Augustinus tract. 123. in Ioan. notârat, *cùm nescio*, inquit, *quo inexplicabili modo quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat: & quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest viuere de se, moritur vtique amando se: cùm verò ille diligitur, de quo viuitur, non se diligendo magis diligit, qui præterea se non diligit, vt eum diligat, de quo viuit*. Sic ille.

S. August. tract 123. in Ioannem.

Nunquid igitur rectè de hoc pronuntiâro, *stipendium Amoris proprij mors est? initium*, vt olim S. dixit *Basilius, omnis mali? siue* vt S. Ignatius part. 8. Constit. §. 9. *grauissimus & capitalis omnis ordinis & vnionis hostis*. Accusamus hostium insidias & bella sociorum, arguimus mundi vitio accidere hanc nobis turbelam; amicorum prouocatione hanc petulantiam: affinium inuidia hanc tristitiam: dæmonem accersimus, cuius impulsu, fraudibus, ac dolis à

S. Basilius.

S. Ignatius p. 8. Const. §. 9.

cœptis deficiamus, ab apice virtutum absimus: sed frustrà, Amorem proprium arguere necesse est: quis namque aduersatur humilitati, quis resistit mortificationi, quis paupertati, quis sui met abdicationi, quis curæ in minimis defectibus eliminandis? Illa nempè molestia, quam apprehendimus, difficultates, quas fingimus, & nobis cogitando adumbramus, ob quas priuata potiùs commoda spectamus, quàm Dei gloriam, aut proximi salutem, amore proprio inualescente, variis persuasionibus abripitur appetitus, hæc illa fascinatio est, quæ teste Sapiente, rationem obscurat, huius stratagema est, quod intus nobis incommodat, nec opus est machinis foris admotis, vbi hostis habet muros, frustrà dæmonem, hominesque culpamus, pestis intra nos est, principium omnis mali, adeoque punctum primum, quo à fine vltimo & summo bono distrahimur. In vinea nostra vulpeculæ stabulantur, quæ eam demoliuntur, quas ideo sapientissima Sunamitis capi stringique desiderat, *capite nobis*, inquiens, *vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas*: vulpes est Amor proprius multas technas à naturâ edocta, atque in primis mortuam se simulat, vt gallinas occupet, canis latratum imitatur, vt custos pecoris non hostis existimetur: sic Philautia affectus suos sopit, charitatis vocem ac laruam mentitur, vnde, vt B. quondam Angela de Fulginio cap. 64. plus ab ea metuendum, quàm à dæmone ipso dicebat, qui nisi per eam, nihil in nos vsurpat potestatis, per eam verò quasi vulpeculam, semper è grege nostrorum affectuum pecus aliquod abripit, & pessundat: vnde, inquiebat, filij charissimi, nihil est in hoc mundo, nec homo, nec diabolus, neque aliqua res alia, quam tantopere habeam suspectam, quantum hunc amorem, mentem namque penetrabilior omni gladio ancipite transit, ac cor totum peruadit, & nisi coërceatur, animarum millenis calamitatibus inuoluit. De quo audiendus Isaias,

Cant. 2. 15.

Angela de Fulginio quid senserit de Philautia.

Isaias, dum sic loquitur.

Isaias c.14. 12.
Lapsus Luciferi effe-ctus Amoris proprij.

Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? detracta est ad inferos superbia tua, qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo; verumtamen ad infernum detraheris, in profundum laci. Isaiæ 14. Et quibus, dices, rudentibus? quos Philautia tua contexuerit, cùm tu intellecta diuinæ humanæque naturæ in Christo coitione, tibi admirabilem illam hypostaticæ vnionis gloriam, male ordinato appetitu arrogaueris. Quot in vno crimine flagitia! Superbiæ, inobedientiæ, vanæ gloriæ, iactantiæ, hypocrisis, insolentissimæ nouitatis, obstinatæ peruicaciæ, discordiæ, contentionis, ac rixæ, quibus nobilis ille Spiritus in æternum exitium est prouolutus.

Protoplastorum ruina à Philautia.

Neque hic finis fuit; ad hominem Philautia descendit, cùm primam illam mulierem, viso ligno, quod bonum esset ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, impulit; vt ferret de fructu eius, ederet, daretque viro suo, qui & ex eodem comedit, & ambo mortui sunt, & cuius manu? non vtique alterius quàm suimetipsorum. O funestam atque exitialem amoris sui pestem!

S. August. lib. 14. de Ciuit. c. 28.

Eleganter proinde ac conuenienter magnus olim dixit Augustinus: *Fecerunt ciuitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui, vsque ad contemptum Dei: cælestem verò Amor Dei, vsque ad contemptum sui.*

Illa in seipsa, hæc in domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam. huic autem Deus conscientiæ testis maxima est gloria: Illa in gloria sua exaltat caput suum: hæc dicit Deo suo gloria mea, & exaltans caput meum tu es.

Illa in principibus eius, vel in eis, quas subiugat, nationibus dominandi libido, dominatur: in hac seruiunt inuicem in charitate, & præpositi consulendo, & subditi obtemperando. Lib. 14. de Ciuit. c. 28.

Nec in capite malum stetit, in membra lues ipsa defluxit, sequè nouâ atque hactenùs inauditâ clade in campo Sennaar, genes. 12. palàm fecit: *dixit alter ad proximum suum, venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum, antequàm diuidamur in vniuersam terram.*

Turrim Babel condidit Philautia. Gen. 12.

Quid Philautiam referat, eamque manifestè nobis exhibere queat nescio, si hoc eius speciem non repræsentet. Expictam habet propriis suis coloribus pestem, quæ vitam, moresq; nostros hodieque inficere non cessat: non quidem iam sermo, linguaque confunditur, sed iam rerum ordo ac series, quod illo deteriùs est, in mentibus nostris perturbatur, cùm tanto non pauci consequendi honoris, lucri, ac commodi sui nisu, contentioneque feruntur, vt si quispiam iis impedimenti aliquid, moræque oblecerit, ita excandescant, vt de hominis statu excessisse videantur.

Apes mella, quæ stipant, extra modum amant, & complectuntur, hinc ad aluearia si quis propiùs accesserit, efferatæ hominem inuadunt, & aculeo figunt. Ita qui sibi, suisque voluptatibus immoderatè subseruiunt riualem non ferunt, primo motu, signoque habito insaniunt.

Philautia se prodit in riualibus. Patet in Auaria.

Quid de grauissima illa idolorum seruitute, Auaritia dicam! cui Philautia suos mancipare solet? nihil capiunt ab ea manus, plus æquo patca & tenax est, terram sibi defuturam subuereretur. Ventus septentrionalis est, quem Philosophi Cæciam vocant, non ille nubes à se abigit, aut propellit, vt alij boreales solent, sed ad se trahit, & cogit, nec tamen quidquam depluere consueuit. Ita Amor proprius totum ad se rapit vel vt singularis appareat, vel commodis suis affluenter blandiatur, nec quidquàm aliis impertitur. Quid? & hoc Amor sui pro more spectat, vt vbique in sagina sit, ipse se pascit, se curat, quidquid non suum putat, aut

Philautia in gula & cupedris cognoscitur.

id

id aliis mandat, aut leuissimè curat, ad commoda verò sua sudare, hoc esse sui muneris putat.

Philautia desidiam amat. Denique, vt finem faciam, mystas suos, desides, segnes, atque ignauos facit: hinc tædio bonorum operum pleni, negligunt omnia, ne quam sibi molestiam procreent, aut laborem.

Et hoc quidem se morbo correptam pacifica olim Sulamitis serò defleuit, cùm dilecto ad ostium identidem pulsante, atque inclamante: *Cant. 5. 2.* *Surge amica mea, aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*: & quid illa ad hæc? quod à Philautia didicerat: quomodò tibi apetiam? *expoliaue me tunicâ meâ, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodò coinquinabo illos?* Cant. 5. Hui sponsa regia! maculam dedisti in gloriam tuam, nimiâ in teipsam beneuolentiâ de amore Sponsi remisisti. Quia tibi bene ac commodè in pluma erat, nequaquàm surgendum existimasti, quo diuinum amantem frustrata ab eodem vicissim deseri merebaris: Sed illicò se correxit, & pœnitudine ducta, de lecto se subripuit, surrexitque, vt aperiret dilecto suo. At ille declinauerat, & iam transierat: sensit id acriter misella Sponsa, & vehementi tacta dolore quæsitura quem amiserat foras prosiliit, vbi inuenerunt eam custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusseruntque eam, & vulnerauerunt, tuleruntque pallium eius. Infelix Sponsa! hæc tuimet Amoris merces, hic fructus, sed amarus valdè, ad quem dentes comedentium obstupescant. Qui non vult cùm potest, non poterit cùm volet. Hoc venenum est à fatali illa arbore arbore distillans, quòd nulla ætatis aut conditionis exceptione hominum corda, etiam eorum, qui illud persequuntur & damnant, secreto quodam illapsu inuadit. Si causam quæris dabo non vnam.

Caussæ Amoris proprij inualescentis. Quòd occultè superbiam alant.

Quòd minutis vanitatibus dediti sint.

Quòd terrenarum rerum amoribus nuntium non remittant.

Quòd intentionum suarum amussim negligant.

Quòd multa inconsulto Deo aggrediantur.

Quòd se nec dum odisse cœperint.

Quòd turbidos animi motus refrenate prætermittant.

Quòd natura suadente alienos defectus pluris faciant quàm suos.

Vnde fieri amat, vt despicatui haberi formident, & contemptum declinent, amari velint, & procurent, seipsos dilaudent, quamuis initio sobriè, modestè ac piè, dumque ab aliis laudantur, licet oculos submittant, & sileant, intus tamen lætantur & gaudent: si lapsi fuerint, assentatoriis solatiis oblectantur, præsertim cùm eleuari defectus suos, minuíque intelligunt: quæ omnia vsque adeo se cordi habere demonstrant, vt neque assuetudine intepescant, neque diuturnitate temporis, vt in aliis omnibus fieri solet, delassentur, sed maioribus studiis inualescant; vnde, quod de Philautiæ victoria dicendum sit, liquet: hoc aio, nullam videri passionem tam difficilem expugnatu, vti Amor est sui, qui, vt ait S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 14. caussa omnis peccati & passionum inordinatarum fons est, qui quamdiu fluxerit, non aliud quàm luctuosissimum quoddam exitium, pestemque natus est procreare, nec cedere, nisi difficulter & raro totus mori. *S. Thomas 1. 2. q. 77. a. 14.*

Neque ideo tamen animum despondeas velim, Ægyptiâ lotus est, teste Plinio lib. 14. quæ ramos quidem amarissimos habeat, fructus autem longè dulcissimos: Tale studium qui Philautiæ edomandæ impenditur, asperum illud esse, acerbumque non nego, sed operis compendium nobile & præclarum fore; assevero; tentanda res, & quo modo?

Quomodo Philautia superanda. Eum nobis clarè detexisse visa est B. Magdalena de Pazzi, ille ductus è Carmelo fons notissimæ sapientiæ & sanctitatis, cum dixit, duos esse oculos

B. Magdalena de Pazzi. oculos Amoris proprij, alterum, propriam existimationem, alterum cupiditatem propriorum commodorum, qui, si eruantur, Amorem proprium metuendum non esse: quis verò hic se Vlyssem præbeat, qui monstro huic, nouo inquam Polyphemo vtrumque hunc oculum effodiat, atque ita ab eo se liberet, ac tueatur? S. docebit Hieronymus, tanta scientia præditus Augustino, vt quod ille ignorauerit nullus hominum sciuerit: in hunc itaque modum de præsenti materia scribit præfatus Doctor epist. 4. ad Rusticum: S. Hieronymus ep. 4. ad Rust. *Non facias quod vis; comedas quod iuberis: vestire quod acceperis: operis tui pensum persoluas: lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris, & quæ sequuntur*, Quibus iugulum Philautiæ, si aliis quibusquam, rectè petieris & pestem dissipâris.

Quomodo amorem proprium superârit Ignatius. Huc *S. Ignatius*, tum in præclaro hoc suo Apophthegmate in quo veram iustissimi certaminis huius necessitatem, propositis commodo atque incommodo eius nobis expressit, tum aliàs sæpè respexisse censendus est: nec plus verbo docuisse, quàm reapse præstitisse omnibus liquet: nam vt de eo Petrus Ioannes Maffeius l. 3. c. 12. scriptum reliquit: cubiculo vsus est perangusto, ac tenebricoso, cibi, potusque adeo fuit parcus, vt gustatum penitus perdidisse videretur, nisi quandò pauculis vesceretur castaneis, qui cibus in Italia pauperum & mendicorum est: nulli vnquam ferculo, quamuis famelicus ac ieiunus, arrisit, nullum edulij, aut condimenti genus vnquam indixit, nihil vnquam inter edendum est questus licet per adiutorum inscitiam, incuriamque cibaria malè cocta, conditaque, vinum etiam fugiens, aut acidum præberetur nihil denique sibi propriè apponi passus est vnquam. Comparauit vero tantum sui ipsius odium, atque ex consequenti Philautiæ victoriam, vt nulla inanis gloriæ, amorisque priuati cogitatione percelleretur cùm alioquin palàm sit, eâ lue, bonos etiam viros, & non è vulgo sanctos interdum afflari, perpetua quadam constantis animi sui affectione qua res cæteras omnes tractabat. Hinc illa vestitus, non sordidi, vilitas, hinc lectulus pauper. Operam libens ponebat in abiectioribus obsequiis, vt agrorum præsertim lectulos sterneret, & quoties de controuersia non planè liquebat, facilis in alienam sententiam abiret. Pueris Christiana fortè rudimenta tradentem obseruârat adolescentulus, hominem quippe Hispanum, impeditiùs Italicè loqui: confestim admonet, leges grammaticas aliud velle, adeoque emendatius quædam esse tersiusque efferenda. Ille intempestiuo adolescentis officio nequidquam & sensus, laudare studium, atque rectè, & ordine id eum fecisse, dicere; pergeret imò, suasque in lingua Italica mendas obseruaret, se ea, quæ moneretur sedulò correcturum.

Ioan. Petrus Maffeius l. 3. c. 12.

S. Ignatij de Philautia triumphi.

Magnum ad hæc Philautiæ domitor argumentum fuit, cùm omnes, etiam his, quos de contemnenda gloria libros scribunt, nomina sua præfigant, Ignatium rantopere desiderasse Societatem à Iesu nominari ne suum illi nomen à quoquam inderetur, neue sui vsquam haberi celebrior mentio posset.

Quo eodem spectat cùm toties, tamque seriò pugnauit, vt ne vniuersæ Societati præficeretur, donec tandem iniectâ religione ad prouinciam fuit accipiendam coactus.

Quis hæc audiens, legensque non dixerit Minoressani Tirocinij diuina fuisse apotelesmata, dum, quas ibi de Philautia referre cœpit victorias hic in amplissimum triumphum eduxit. Ita namque de primitiis illorum temporum adoreis historici loquuntur.

Bene quidem de suimet amoris victoria triumphare cœperat Ignatius, quo certior ac clarior ad cæteros campus aperiretur: id horridus ille apud Minoressanos saccus, pedes ac vertex perpetuo nudi, somnus raptus;

ptus, non datus collabentibur membris, cubatus humi, ter, & quidem cruenta repetita flagellatio, genuflexiones per septem horas, productæ quotidie clamabant: vt taceam leuiores illas appendices perpetuamque sui vincendi vigiliam, capillum inculte impexum, barbam horride promissam, vngues fædum in modum auctes, & nullâ diligentiâ castigatos, oris totius squallorem, quibus omnibus egregie clarissimis de Philautia ducendis triumphis felicissimè prælusit: vt nequaquàm temerè dicere solitus esset, quantum promoueris, tantum in spiritu promouisse iudicandus es; quod nec Venusinus ille vates in mediis, quibus suffundebatur, tenebris ignorasse visus est, cùm dixit l. 3. Car. ode 16.

Horatius l. 3 ode 16.

Quanto quisque sibi plura negauerit
A Diis plura feret.

Alphonsi Madridii in methodo seruiendi Deo de subacto amore sui doctrina.

Scribit Alphonsus Madridiensis in methodo seruiendi Deo, ex puro eius amore, nullâ in seipsum propensione, violato comedere, præstantiùs esse apud Deum, quàm sine obtinendi, augendiue in cælo sibi gloriam & beatitudinem, sese flagellis vsque ad sanguinis effusionem concidere, magisque illud motiuum ab illo superari, quàm gutta à toto Oceano, nux auellana ab vniuersa cælorum magnitudine exceditur. Quid erit si non comestionem, sed amoris proprij subactionem, tuæque voluntatis coërcitionem eodem incitamento præsentaris? In quo se Patri filium non degenerem probauit Franciscus Xaucrius, bello constantissimè proprio suimet amori indicto, vtpote cui omninò cibi potionisque modus naturali esset necessitate finitus, non voluptate. Mos ei semel dumtaxat in die cibum, & vnius fermè generis capere, qui non tam delectaret palatum, quàm sustineret naturam, ne pane quidem ipso, etiamsi suppeteret expleret famem. Lectuli mollitiem ita non amabat, vt quicunque locus ad cubandum aptus videretur, illi esset pro lectulo, Terrestria itinera, quamquàm sæpè esset equi copia, fermè conficiebat pedes. Cupiditates, motusque animi abhorrentes à ratione, quàm maximè frangebat, seque ipsum, quod difficillimum, ac pulcherrimum victoriæ genus est, omnibus in rebus vincebat. Argumento est quod veneriis valetudinario insanabilium inseruiens, in vlceroso homine à quo animus abhorrebat ore saniem exsugendo, in perpetuum se vicit. In grauissimis contumeliis, ærumnis, vexationibus nunquàm de quopiam querebatur. Nunquid hoc Philautiam domuisse suit?

S. Franc. Xauerij de Philautia triumphus.

Intellexerat id perspicuè & alter ille neque obscurus Ignatij discipulus P. Iacobus de Saura, dum magnis diuini amoris ignibus succensus, ad omnem penitus sui amorem exstirpandum, Deo vouit, se voluntatem eius impleturum totâ latitudine cordis sui, nunquàm verò suam esse facturum: cumque hoc modicum, atque exile reputaret, quia sola anima sic ligata erat, optans & hoc cordi suo prorsus insculptum esse quod potuit, fecit: pectus, qua parte cor suum occludit, profundè incidit, sanguineque inde excepto, votum illud suum in hæc verba conscripsit: Ex amore SS. Trinitatis, Iesu, Mariæ, & omnium Sanctorum voueo procurare maiorem perfectionem, voueo aspirare ad perfectionem Angelicam, non habere affectum erga vllam rem. præter Deum, procurare per Dei gratiam, habere continuum actum amoris diuini. Sic ille.

P. Iacobi de Saura de se parta victoria.

Eodem profectò mentem, eodem & oculos habuisse intentus B. Franciscum Borgiam, ex quo Ignatium nosse cœperat, nostrorum prædicat Annalium fides: hinc ille quidquid gustatu asperum atque insipidum, vel studio quæsitum, vel improuidè oblatum auidè accipere, defugere libèter intempestiuas honorum occasiones: negligi & ignorari malle, vt vel eo nomine sæpè via decederet ad aliud diuersorium, incommodo & valetudinis & itineris magno, ne honos illi putidè, vt fit, haberetur: Nunquàm auditum vel excidisse illi

B. Francisci Borgiæ magna sui victoria.

hæc

hæc passim obuia. Cum Marchio, Dux, vel Protex essem. Nobiles viros ita comiter appellabat, vt se illis inferiorem, superiorem nemine faciè declararet. Philippum Regem, iam tum Hispanicæ iuuentutis Principem, litteris supplex rogauit, daret hoc amicitiæ, & si qua exstarent officia, ne sacris iam initiatum, Ecclesiastica vnquàm dignitate oneraret; priuatum se viuere malle, atque inglorium, & eo se consilio titulis abdicasse. Nec eos defugisse satis habebat sui etiam vilitatem contemptumque studiosè quærebat. Patuit in Calensi collegio quod oppidum vulgo Portum Lusitani appellant: vbi cùm ostiarij officio fungeretur, atque aliquis porcum iugulatum eleëmosynæ vice obtulisset, humeris sublatum tacitus in superiorem domus partem, per gradus, non sine labore portauit: mirantibus sociis, facti commendationem sic elusit: quid mirum, inquiens, si porcum porcus commodè tulerit. Non dissimile nimitum quòd de Carolomanno, qui Caroli Martelli filius fuit. Cassini montis historiæ tradunt. Hic enim Austasiæ & Sueuiæ Rex, multisque operibus clarus, deinde cælestium amore captus, Romam priuatus & pauper venit, vbi à Zacharia Pontifice sacros ordines & religiosum habitum accepit, deinde cœnobio in Soracte monte ædificato illic aliquamdiu habitauit. Sed cùm propter vrbis propinquitatem à multis viseretur, transtulit se in Cassinatem montem, vbi à Petronace Abbate summo cum gaudio exceptus mirabiles in omni virtute progressus fecit, hinc cum Abbatis iussu, vir tantus pecudes pasceret, tantâ alacritate id munus obiuit, quantâ nunquàm anteà regium: quin imò cùm aliquando contigisset, vt vna ex ouibus claudicaret, in humeros sublatam ad stabulum vsque portauit.

Caroli Martelli de amore sui triumphus

Et huic nequaquàm cedere, si non antecedere visus est Adulphus Alsatiæ quondam Comes, iam S. Francisci discipulus, dum aliquando in sua ipsa ciuitate lactis lagenam, quã mendicato acceperat, deferens, tribus filiis, quos in sæculo reliquerat, magna cum pompa incedentibus occurrisset, atque ob eam rem, nescio quo pudore suffundi cœpisset, ita amorem sui domuit, vt elatam super caput lagenam inuertens, se totum lactè madefecerit, & Philautiam exstinxerit.

Adulphus Alsatia Comes.

Quin & hos inter tantarum virtutum adoreâ insignes viros, locus quoque sit sacro Gebennensium Principi, ac Præsuli Francisco Salesio, quem post alios multos, nouum spiritu & virtute Apostolum iure appellârim, cuius tanta quanta vita fuit de strata, à se Philautia trophæum fuit: sic namque de eo vir grauis, doctrinâ, morumque integritate conspicuus, quo ille sacræ pœnitentiæ administro diu, multumque vsus fuit nihil ad euitandum internum agebat Franciscus: nihil ad obtinendum cælum, sed ingenuè atque sincerè ad amandum solum Deum, nulla vel minimi commodi, vel incommodi ductâ ratione: hinc illæ velut de setaphico incendio eius pronatæ voces: si vel leuem aliquam amoris proprij festucam in corde meo residuam nossem, illicò eam ferro, flammâque persequerer. lib. 4. vit. c. 5.

Franciscus Salesius.

Fuge fuce: petitur hâc cælum viâ, nec alia tutior est, vel ipso teste Pontifice *Leone* quem rationum fidei Aristotelem dixêre sapientes: *tantò namque*, aiebat ille, *ampliùs se quisque amat, quantò ampliùs pro Deo amore, se non amat.*

S. Leo Magnus.

Quod & Fredericum Imperatorem minimè latuisse accepimus, cum teste Ænea Siluio, victis in Hungaria Gunziensibus, magnum, inquit, actum est opus, nunc autem maius restat, vt sc. vincamus nos ipsos, atque auaritiæ & vlciscendi nos cupiditati frenos imponamus: quo fiat vt de priuato publicus, de falsò, verus nostri Amor triumphet. Nec id difficilè fuerit, si rationem, salutem, ac Deum voluerimus irretorto oculo contueri.

Fredericus Imperator.

Melior itaque, ac sanctior nostri amor locum in nobis accipiat, vt clamat Theodidactus ille ex Zuollano suo asceterio Thomas l. 3. c. 5. *Nec enim fuerit, quo intret ad te Amor Dei nisi exulet amor tui: vbi seipsum aliquis quærit, ibi ab illo amore cadit, solus namque hic dominari vult, qui præcepit, vt feraris in Deum ex toto corde, ex anima tota. Partem non accipit gloriosæ indolis est, totum deposcit, vt totum tibi largiatur*: mercenarius alioquin non filius dicendus es amator tui, non Dei, nec enim amat, qui seruit: si dederis, vt præfatus author addit omnem substantiam tuam, adhuc nihil est; & si feceris pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est, & si apprehenderis omnem scientiam adhuc longè es, & si habueris virtutem magnam & deuotionem nimis ardentem, adhuc multum tibi deest, scilicet vnum id quod tibi summè necessarium est, atque expetendum, vt omnibus relictis te relinquas, & à te totaliter exeas, nihilque de priuato amore retineas. Hic Rhodus, hic saltus quo perpetuæ felicitatis brauium consequaris: res vna tanti est vt nusquàm nec fructuosiùs, nec honorificentiùs, quàm ad eam parandam nostra industria conferatur.

Thomas à Kempis l. 3. c. 5.

Laboriosa certamina gloriosas dabunt victorias. Non nisi Sampsonis opus est leonem discerpere, Dauid sis oportet, qui Goliathum sternas. Cæsaris est triumphos mereri. Regna & Imperia sanguine acquiruntur. Verbo vno, difficilia, quæ pulchra: qui scrutandis margaritis vrinantur, ima maris subeunt, nec monstra verentur natantia: qui terræ viscera scrutantur, vt auri metalla, fodinasque argenti reperiant talparum instar viuere sustinent in tenebris, soleque ipso ad menses destitui non grauantur; & Christianus hisce omnibus & maiora & certiora præ oculis, præ manibus nactus desideat? auertat qui potest, & vult Deus, quique virtutis huius doctorem nobis esse voluit *Ignatium* in terris, eundem nos patronum habere faciat in cælis, vt quantum in studiis spiritualibus voluerimus promoueri, tantum ab amore nostri, commodisque propropriis abstrahamur.

APOPHTHEGMA DVODECIMVM.

***L**Oci mutatione rarò mores mutari dicebat, quique captiuum se portat secum, difficulter admodum in hac domo prouinciaq; qua alia futurum meliorem.*

Daniel Bartolus lib. 4. c. 36.

Commentarius.

Homo natura mutabilis.



QVi attenta mentis indagine, naturarum omnium varietatem scrutati, diu, multumque eandem expenderunt, vulgo nihil homine inconstantiùs reperisse se testati sunt; adeò vt Polypus nullus, aut Chamæleon tot colores muter, nullus Tarandus tantâ varietate ad rerum speciem diuersarum se accommodet, quantam vnus homo induere consueuit. Herbam quandam, ait Antigonus Carystius lib. 1. rerum mirab. in oris maritimis inueniri, Tripolium nomine, quæ florem edit, cuius die vnâ ter color mutatur, sic, vt modò puniceus sit, modò albus, deinde giluus.

Antigonus Carystius l. 1. rer. mirab.

Proteum canunt Poëtæ infinitis modis in diuersa mutari: Empuzam mythologi

mythologi produnt in dissimillimas se formas induere: sed nec isti figmentorum subtilitate, nec Poëtæ admirabilibus suis inuentis, nec Historici continuatâ rerum gestarum memoriâ, tam inconstantem veritatem expresserunt, quàm vnus homo in se assolet exhibere, vt, quod de Theramene olim dixit antiquitas, versatiliorem esse cothurno, id de singulis propè hominibus ob singularem animi inconstantiam dicere possimus. Et rectè id quidem, nullus etenim Euripus tam mutabilis, nulla Chimæra tam varia, non poëticus Mars tam ἀλλοπρόσαλλος vt ex antiquo prouerbio, humanum animum non malè dixerim esse veluti campum, vbi frenetici Triones, & vagi Fauonij, Eurique arietent, vbi eodem ferè temporis momento, nunc hæ, nunc aliæ discurrunt auræ.

Et hanc ipsam mutabilitatem sacræ litteræ non desinunt variis modis insectari; ac primò quidem Ieremias iam pardi varietatem inducit: iam filiam vagam, quæ inconsideratissimâ temeritate rapitur.

Quin & sapiens Eccli. 9. ea causa *mulierem multiuolam* nominat. Doctor autem gentium Eph. 4. *Paruulos fluctuantes.* Iudas Apostolus c. 1. *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* S. Iacobus c. 1. *similes fluctibus maris qui à ventis mouentur:* quod simbolum est significantissimum inconstantiæ, & leuitatis, additque paulò pòst, *inconstantes in omnibus viis suis.*

Ecceli 9. Ephes 4. Iudæ 1. Iacobi 1.

Quam mobilitatem si quis in emblemate expressam velit, intueri, non sine gratia pinxerit lacum, atque in eo fluitantem insulam, quæ huc, illuc minimò flabrò agitetur, cui vice epigrammatis hæc addi poterit narratiuncula: In Morinis æstuaria sunt, in quibus insulæ natant [quas aliquando conscendi] quæ nunquàm die ac nocte eodem in loco visuntur, sed leni flatu impulsæ, quoquò versus circumferuntur.

Hæc siquidem cordis humani, ac voluntatis conditio, si vel minima honoris aura, vel tenuis voluptatulæ flatus, vel denique spes emolumenti quæpiam afflârit, continuò voluntatem istuc impelli videas, & eiectâ omni firmitudine ac constantiâ, leui ventulo in omnem partem agitari, locum suum deserere, & honesto animi proposito abdicato, turpiter fluctuare.

Quod petiit spernit: repetit, quod nuper omisit.

Et quam esse dixerimus huius mali causa?

Inuidus boni dæmon, vt in veritate nòn stetit, sic omnes cupit esse instabiles, & machinas eò conuertit. Illius dolis irretiti fiunt arundines vento agitatæ: filij vagi, quorum vultus in diuersa mutentur, addo & sæpenumero confunduntur. Quorum pictam effigiem, regum sapientissimus *Salomon* in arcanis suis monitis expressam reliquit: *sicut auis, inquiens, transmigrans de nido suo, sic vir qui dereliquit locum suum.* Prou. 27. 8. q. d. solent appetente verè aues quædam à frigidis, ad apricas regiones se conferre, quando vel maximè capi & irretiri solent: ad eundem modum, qui locum suum temerè deserit, vel officium commutat, vt suis indulgeat commodis, aut voluptati, non exiguum sibi periculum accersit.

Diabolus inconstãtiâ humanæ incentor. Prou. 27. 8 *Simile ab auibus.*

Nec procul hinc discedit Ieremias, cùm instabilitatem hanc luctu, ac lachrymis prosequens, causam, ac tanti mali labem attingit, *peccatum*, inquiens, *peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Thren. 1. 8. tum quia peccator se auellens à Deo, qui solus firmus ac stabilis cætera firmat omnia, necessariò iactari incipit; cùm enim omnis creata voluptas, quam ambit, fluxa sit, & euanida, ac multo felle permixta, simul atque id sensit, habitam fastidit, & aliam quærit, quam cum denuò emarcidam vidit, pari modo nauseat, & sic inter alternantia desideria & fastidia, quibus assiduè concutitur, miser vagari incipit, quærens requiem, & non capit.

Thren. 1. 8

Neque hic paradoxus, sed vt medicorum

Morbus epidemius Inconstantia

dicorum vtar vocabulo, epidemius morbus est, ac popularis: in omni hominum genere nihil communius est: vt mihi quidem sapienter dixisse videatur Aurelius Cassiodorus mentem hominum fuisse nominatam quasi μήνην, hoc est, Lunam, quod variâ vicissitudine commutetur. Quã enim multi hodieque reperiuntur, qui summo mane consilia ineunt, eaque præclara, quæ decreta esse videantur, ipsius fati laudabilia omnino proposita, de pietate suis temporibus celebranda, de pulcherrimis vitæ institutis suscipiendis, de superanda philautia, fugienda contentione, &c.

Cassiodorus mentem hominum Lunam vocat quare?

Vix mouerunt manum, cùm subitò effluunt ex animo præstantia illa decreta omnia, sitienter ambiunt quæ repudianda iudicârant, aliò mentem, aliò & oculos conuertunt, culpatur locus, desipiunt socij, alibi creditur & quies maior, & quæstus affuturus vberior, sed nesciunt vim mali penetralia occupasse atque in intimis sedere.

Exemplum Harpastæ.

Hos ego non ineleganter similes „dixerim Harpastæ, quam vxoris „suæ fatuam, hæreditarium in do„mo sua onus appellat Seneca, hæc „subitò videre desierat, & cæcam se „esse nesciebat, quare pædagogum „suum rogabat, vt migrare quanto„ciùs non prætermitteret, aiens do„mum tenebrosam esse. Hoc quod „in illa ridebat Seneca, omnibus „nobis accidere certum est. Nemo „se auarum esse intelligit, nemo cu„pidum. Cæci tamen ducem quæ„runt: nos sine duce erramus. & „dicimus. Non ego ambitiosus sum, „sed nemo aliter Romæ potest vi„uere. Non ego sumptuosus sum, sed „vrbs ipsa magnas, impensas exi„git. Non est meum vitium quòd „iracundus sum, quod nondum con„stitui certum genus vitæ, adole„scentia hæc facit. Quid nos deci„pimus? non est extrinsecum ma„lum nostrum: intra nos est, in vi„sceribus ipsis sedet: *& ideo diffi„culter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus*. Ita de sua Harpaste Seneca, dum ex illa nobis omnibus speculum ponit: restat, quod in illa conspexerimus, emendemus: huc præsenti suo Apophthegmate respexit *Ignatius*, de quo satiùs, quàm de *Scipione Africano* dixerimus, *ideo hunc nasci voluisse Deum, vt esset in quo virtus se per omnes numeros hominibus ostenderet*: hic itaque rem hanc, de qua agimus expendere solitus, loci mutatione, quã se Inconstantiæ labes prodere inprimis solet, rarò mores emendari dicebat, cùm enim captiuum se quis portat secum, difficulter admodum in hac domo, prouinciaque, præ alia, futurum esse meliorem iudicabat.

Laus spiritus applicata Ignatio.

Quod Sanctus ille Pater nequaquàm è suo nobis cerebro eliquasse dicendus est, sed à diuino illo spiritu suggessisse qui vitam omnibus, gratiamque infundit, sic namque is per os Salomonis: *si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*. Eccli. 10. 4. Eccli.10. 4.

Iterum per Iesum filium Sirach: *Confide in Domino, & mane in loco tuo*. Eccli. 11. 22. Et cap. 17. *Sta in sorte propositionis*, hoc est, iuxta Iansenium, & Carthusianum, in ea conditione, ad quam te Deus vocauit, aut quam tuo tibi proposito, rectè elegisti, perseuera. Nec alia mens, sententiaue Doctoris gentium Pauli fuit, qui ad constantiam hanc suos identidem hortari solebat, quos ad æternam vitam erudiebat, *fratres*, inquiens, *stabiles estote & immobiles* 1. Cor. 15. Et alio loco Philippensibus scribens, *stare monet in Domino*, c. 4. 1. Impiorum siquidem proprium est opus facere instabile, vt Prou. 11. 18. loquitur Sapiens, & omni vento circumferri tentationum; proborum autem atque sapientum stare, à suscepta pietatis via non discedere, sed immorari in bono. Atque huc refert, *Philo Hebræus* monitum illud Dei ad Mosem, *tu verò hîc sta mecum*: quo dicto numen voluit significare, nihil sibi gratius esse, quàm vt homo sui Creatoris imitatione, voluntatem in bono

Eccli. 11. 24. 1 Cor 15. 58. Phil. 4. 1. Prou. 11. 18. Deut. 5. 31.

Malach. 3. 6.

Mutatio mortis imitatio. *Nouatianus c. 4. de Trinitate.* *S. Bernard. serm. 81.*

bono fixam & locatam teneat. *Ego Dominus*, inquit ille, *& non mutor*, à quo longiſſimè recedit, quiſquis mutationi ſeipſum ſubiicit. *Mutatio* namque, vt eleganter aiebat Nouatianus de Trinit. c. 4. *portio eſt mortis:* quem ſecutus S. Bernardus ſerm. 81. in Cant. *Omnis*, inquit, *mutatio, quædam mortis imitatio eſt.* Omne namque quod mutatur, dum de vno ad aliud tranſit eſſe, quodammodò neceſsè eſt moriatur quod eſt, vbi eſſe incipiat quod non eſt, vt ſint tot mortes, quot mutationes. Scimus autem ex oraculis veritatis Deum ſolum habere immortalitatem: & hoc eſſe Nomen, Naturamque illius, eſſe *qui eſt*, vnde ſequitur, vt ſit expers omnis mutabilitatis ad quem propius accedunt, qui auguſtam hanc illius dotem æmulari contendunt, & quantum fas & vires ſinunt conſtantiam ſequuntur.

Abraham vir conſtãs & ſtabilis. Gen 18 22 *Philo hebræus de Abraham.*

Talis autem fuiſſe magnus Abraham inuenitur, de quo in diuinis litteris proditur, *ſtabat coram Domino:* quod Philo Hebræorum diſertiſſimus in hunc modum illuſtrat. Stare & immutabilem obtinere mentem propè ad diuinam potentiam accedit: quia in Deum immutabilitas, in creaturam mutabilitas naturaliter cadit. Si quis igitur natiuam ſuam procliuitatem refrænans, cogit eam ſtare, cohibetque, is vt Deo iam propinquus, agnoſcat felicitatem ſuam. Idem cecinit S. Ephrem Syrus diuini Spiritus lyra dictus à Theodoreto: *In loco*, inquiens, *habitationis tuæ, vel quem à Deo aſſignatum accepiſti, lubens permaneto, otium atque deſidiam à te repellens.*

Ephrem conſtãtiam commẽdat.

Item S. Ambroſ. in pſal. 4.

Neque ab hac mente alienus S. Ambroſius fuit, qui ſic in pſal. 4. legitur commentatus. *Si ſpiritus poteſtatem habentis in te aſcendat, vt habes in Eccleſiaſte, locum tuum ne derelinquas. Etenim te ſuperiorem Chriſtus conſtituit, quem ad imaginem Dei fecit. Tene ergo ſuperiorem fidei & pietatis locum, quem à Deo accepiſti, vt ſuperior factus, aſcendentem de inferioribus, hoc eſt, de terrenis & ſæcularibus ſpiritum nequam facilè repellas, & ſigna eius non recipias in pectore tuo, non occupet animæ tuæ veſtibula, nec introitus mentis tuæ.* Conſentit quoque *S. Hieronymus* tract. de Virg. ſeruanda loquens in hunc modum: *quaſi in procinctu & in acie ſtamus ſemper ad pugnam. Vult nos loco mouere hoſtis, & de gradu decedere, ſed ſolidanda veſtigia ſunt, & dicendum: ſtatuit ſuprà petram pedes meos, & petra refugium herinaceis.* Pſal. 103. 18.

Itẽ S. Hier. tr. de Virg. ſeruanda.

Pſ. 103. 18.

Item S. Bernardus ſerm. de quadrupli. ci debito.

Idem S. Bernardus ſerm. de quadruplice debito confirmat, dicens: *ſecundum impetum ſpirituum veſtrorum, huic tepido dæmon remiſſiorem, illi feruenti, vitam arctiorem proponit, hoc ſolum expetens, & exſpectans, vt quoquo modo tollat eum à concilio Iuſtorum & congregatione. Profectò ſpiritus ille, qui tibi hoc ſuggerit, ſpiritus mendax eſt, qui tibi inuidet locum tuum.*

Apophthegma S. Antonij.

Vnde inter Apophthegmata SS. PP. haud poſtremum: *quocunque in loco conſederis, non te citò inde moueris, ſed in eo permane:* quod *Magni Antonij* effatum eſſe volunt, cùm quidam eum interrogaſſet, quid faciendo gratus Deo exiſteret? Aureum ſanè reſponſum, & omnibus accinendum! ſed quid pluribus telis opus ex hac SS. Patrum pharethra depromptis, quibus hoc inconſtantiæ cacoëthes profligemus? cùm & gentiles Philoſophi, naturali, quo pollebant naturæ inſtinctu, vt velites quodam, ac ferentarij milites hîc operam ſuam ſtrenuè commodârint?

Seneca ad Lucilium.

Et primas quidem hîc ferat Seneca Romanæ philoſophiæ Siren, dum ad Lucilium ſuum ſcribit in hunc
„ modum: Ex his, quæ mihi ſcribis,
„ & ex his, quæ audio, bonam ſpem
„ de te concipio, non diſcurris, nec
„ locorum mutationibus inquieta-
„ tis. Ægri animi iactatio eſt. Pri-
„ mum argumentum compoſitæ mẽ-
„ tis exiſtimo, poſſe conſiſtere, &
„ ſecum morari. Nuſquam eſt, qui
„ vbique eſt. In peregrinatione vi-
„ tam agentibus, hoc euenit, vt mul-
„ ta hoſpitia habeant, nullas amici-
„ tias. Non prodeſt cibus, nec cor-

„ pori accedit, qui statim sumptus „ emittitur. Nihil æquè sanitatem „ impedit, quam remediorum cre- „ bra mutatio. Non venit vulnus ad „ cicatricem, in quo crebra medica- „ menta tentantur. Non conuale- „ scit planta, quæ sæpè transfertur. „ Nihil tam vtile est, quod in transi- „ tu prosit. Hæccine Philosophi an „ Theologi pronuntiata? Iure ambi- „ guam, si nomē authoris celaueris. „ Et alio loco: Maximum indicium „ est, inquit, malæ mentis, fluctua- „ tio. hoc ergo à te exige, vt qualem „ instituerís præstare te, talem vsque „ ad exitum serues. Effice vt possis „ laudari: si minus, vt agnosci. De „ aliquo, quem vidisti heri, merito „ dici potest: hic quis est: tanta mu- „ tatio est. Epist. 120.

Epist. 120.

Ita vbique. *Seneca* sibi similis est, „ quin & epist. 28, fortè simillimus: „ hoc tibi soli putas accidisse, & ad- „ miraris quasi rem nouam: quòd „ peregrinatione tam longâ, & tot „ locorum varietatibus non discussi- „ sti tristitiam, grauitatemque men- „ tis. Animum debes mutare non „ cælum. Licèt vastum traieceris ma- „ re, licèt, vt ait Virgilius noster, „ *terræque, vrbesque recedant*, sequen- „ tur te, quocunque perueneris, vitia.

Idem ep. 28

Hoc idem cuidam quærenti Socrates ait: quid miraris, nihil tibi „ peregrinationes prodesse, cùm te „ circumferas? premit te eadem caus- „ sa, quæ expulit. Quid terrarum iu- „ uare nouitas potest? quid cognitio „ vrbium, aut locorum? in irritum „ cedit ista iactatio. Quæris quare te „ fuga ista non adiuuet? tecum fu- „ gis. Onus animi deponendum est, „ non ante tibi vllus placebit locus. „ Talem nunc esse habitum tuum „ cognita, qualem Virgilius noster „ Vatis illius inducit, iam concitatæ „ & instigatæ, multumque habentis „ in se spiritus non sui,

„ *Bacchus vates, magnum si pectore possit*
„ *Excussisse Deum.*

„ Vadis huc & illuc, vt excutias in- „ fidens pondus, quod ipsâ iactatio- „ ne incommodius fiet: sicut in na- „ ui onera immota minùs vrgent: „ inæqualiter conuoluta, citiùs eam „ partem, in quam incubuere de- „ mergunt. Quidquid facis contra „ te facis, & motu ipso noces tibi, „ ægrum enim concutis. Non pere- „ grinaris, sed erras, & ageris, ac lo- „ cum ex loco mutas: cùm illud, „ quod quæris, bene viuere, omni lo- „ co positum sit. Num quid tam tur- „ bidum fieri potest, quàm forum? „ ibi quoque licèt quietè viuere, si necesse sit. An pleniorem commentarium, magisque accuratam Apophthegmatis sui declarationem, si vel suæ relictum optioni fuisset, exoptare potuisset Ignatius? Non vtique reor.

Sed nec vnus Seneca est, quem vidisse hæc credas, Plutarchus Chæronensis Philosophus, & ille multiiugâ eruditione mirabilis, hic quoque sic censuit: *vitæ genus aliud, atque aliud identidem mutare, à molestiis, perturbationibusque animum eximere nequit. lib. de tranquil. anim.*

Plutarchus lib. de tranquil. anim.

Quin & ab Aula testimonium accipiamus: Lucius Verus, qui cum M. Aurelio Antonino Imperium gessit, luxu & libidine diffluens mancipium voluptatis, turbante Vologese rempub, missus ad Parthicum bellum ab Aurelio fuit, vt Martis periculis venerem purgaret, sed confisum Aurelij fefellit euentus, nullâ Lucij emendatione secuta, qui in Syria terrarum voluptuosissima confidens, palàm obiens, quæ Romæ clanculum rediit inde libidinibus corruptior, tenaciorque consuetudinis prauæ; adeo animus mutatione cæli non curatur.

Lucius Verus Imp. frustra peregrinatus ad vitæ emendationem.

Accedunt Poëtæ & illi formandis moribus idonei magistri: quos inter veteres Iambici ita cecinêre:

Bene viuere omni cuilibet positum est loco:
Felicitatem nullus homini aufert locus.
Nil ipsa acerbi affert loci mutatio.
Vix vlli ingenium commutatur cum loco.

Poëta Iambicus loci mutationē dissuadet.

Nec

Nec argutè minus ac doctè Romanæ fidicen lyræ Q. Horatius idem prosequitur, cum Ballatium suum, qui, vt morosi homines solent, fortè molestiæ alicuius vitandæ causâ, quodúe alibi melius sibi futurum speraret, in Asiam, pulcherrima quæque loca visendi studio abituriret, monet, nihil referre quo quis loco agat, cùm in animi æquitate beatitudo consistat verba eius lib. 1. Epist. 11. hæc sunt:

Item Q. Horatius l.1.ep.11.

Romæ laudetur Samos, & Chios, & Rhodos absens,
Tu quamcumque Deus tibi fortunauerit horam,
Gratâ sume manu: nec dulcia differ in annum.
Vt quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas. Nam si ratio & prudentia curas
Non locus effusi latè maris arbiter, aufert.
Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: nauibus atque
Quadrigis petimus bene viuere, quod petis, heic est:
Est Vlubris, animus, si te non deficit, æquus.

Quæ omnia strenuè aduersus eos militant, qui mutatis sedibus, vitam, moresque subitò se mutaturos credunt, quod quàm vanum sit, ostendit etiam *M. Tullius Cicero* in oratione pro Quinctio his verbis: *fit magna mutatio loci, non ingenij.* Et elegantet in Demosthenem Æschines ludens etiam in nominis similitudine, cùm non ideo, quod in Macedoniam legatione functus esset meliorem factum diceret, hæc addit: οὐ γὰρ τὸν τρόπον ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετηλλάξας; quem locum pulchrè expendit Petrus Victorius lib. 18. cap. 13.

Item M. Cicero. Item Æschines.

Quamuis autem hæc omnia de loci mutatione bene, ac sapienter dicta sint, de ea tamen vnicè, atque præcipuè intelligenda sunt, quæ sine iusta causa, ex animi leuitate, nobilitate, atque inconstantiâ temerè ex vno loco in alium fieri consueuit.

Iusta autem causa triplex est: Prima necessitas: Secunda, vtilitas. Tertia pietas.

Triplex mutandi loci iusta causa.

Necessitas est, cùm quis ob famem, pestem, bellum &c. locum mutat vti fecisse. *Noëmi* ob famem, peregrinando in Moabitidem regionem legimus. Item *Sunamitidem* hospitam Elizæi, abeundo in terram Philisthiim, imminente fame. Eodem spectat vrgens persecutio, qualis *Eliam* à facie *Achab* & *Iesabelis* & S. Athanasium ob persecutionem Arrianorum solum vertere coëgit, de quibus ait Apostolus ad Heb. 11. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & in cauernis terræ:* fugere namque *persecutionem*, vt bene S. Bernardus notat, *non est culpa fugientis, sed persequentis.* Epist. 1.

Ruth. 1. 1. 4. reg. 8. 2. 3. reg. 19. 3. Heb. 11. 37 S. Bernard. ep. 1.

Vtilitas est, cum quis institor exteras adit regiones, vt merces reipub. proficuas importet, aut vir contra infideles militaturus patriâ excedit.

Pietas, dum iussu Dei cum Abrahamo peregrinamur, consitentes quia peregrini & hospites sumus super terram, vel cum Apostolis ex zelo euangelisandi gentibus, ad hæreticos, ac paganos digredimur. Hisce autem causis cessantibus, ex sola animi mobilitate de loco commigrare in locum, indecorum est, inutile, noxium, ac stultum.

Mutatio, namque, vt ait Plato lib. 7. de legibus, omnibus in rebus præterquàm in malis, est periculosa; Et hùc spectasse *S. Ignatium* in confesso est, ad eos maximè intendendo, qui leuis animi sui commotione studia, officia, occupationes, exercitia, imò statum mutant, de vna domo, collegione in aliud, de ordine vno ad alium, maiorem prætexentes quietem, ac sanctimoniam transmigrare contendunt. cum sæpè ea causa non subsit, sed animi quædam mobilitas atque inconstantia, nec considerent sua esse vitia quæ

Plato l. 7. de legibus. Mutatio periculosa.

putant

putant loci; vnde fiat, vt quocunque abcesserint, se vbique sint inuenturi: *Seneca ep. 47.* hoc siquidem teste *Senecâ* ep. 47. *habent inter cætera boni mores, placent sibi, & permanent: leuis est malitia, sæpè mutatur, sed non in meliùs*, quod *Eccli. 27. 12.* Sapiens Eccli. 27. 12. his verbis confirmat, *homo sanctus in sapientia manet, sicut Sol, nam stultus sicut Luna mutatur*: quem locum sic interpretatur *S. Ambros. lib. 4. hexam. c. 8.* Ambrosius l. 4. Hexam. cap. 8. *Scriptura*, ait, *stultus vt luna mutatur; ideo sapiens non cum luna mutatur, sed permanebit cum Sole, vnde non luna stultitiæ particeps est, quia non luna mutatur vt stultus, sed stultus vt luna, dum stultus & insipiens ad motum eius, qui Christianus fuerat incipit esse sacrilegus*: Scitè hoc aduertit ac deplorat *S. Bernard. apologia ad Guilielmũ Abbatem.* S. Bernardus, his verbis: *Scio nonnullos de aliis Congregationibus & Institutionibus ad nostrum ordinem peruolasse, pulsasse, intrasse. Qui hoc quidem agendo & suis scandala reliquerunt, & nobis nihil minus attulerunt, dum quantum illas sua temeraria discessione, tantum nos turbârunt suâ miserâ conuersatione. Et quoniam superbè spreuerunt quod tenebant, & temerè præsumpserunt, quod non valebant, digno Deus exitu, eorum tandem patefecit ignauiam, quia & impudenter deseruerunt, quod imprudenter arripuerant, & turpiter redierunt ad id, quod leuiter deseruerant. Cùm enim claustra nostra sui potiùs ordinis impatientiâ, quàm desiderio nostri expetiuerint ostendunt quod sunt, dum à vobis ad nos, à nobis ad vos instabili leuitate peruolantes, & nobis & vobis, & omnibus bonis scandala faciunt. Quamquàm ergo nonnullos eorum nouerimus qui & fortiter Deo authore cœperunt, & ipso protectore fortiùs perseuerant, securiùs est tamen, vt perseueremus in bono, quod cœpimus, quàm quod incipiamus, vbi non perseueremus.* Apolog. ad Guil. Ab. Bene profectò quod ante eum, S. quoque Ephremum Edessenæ *S. Ephrem. adhortat 4* Ecclesiæ diaconum Adhort. 4. suos docuisse legimus his verbis: *In quo vocatus es opere, firma anchoras & funes, ne in pelagus nauis tua paulatim impellatur, & tunc docebit te experientia, quali pace in portu constitutus fueris: magnus siquidem* teste Apostolo 1. Cor. 12. *quæstus est pietas cum sufficientia*, græcè αὐταρκεία, animo sibi sufficiente, suisque contento: sed quid? *1. Cor. 12.*

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus:

Nec hic arando futurus habilior, vt nec alter ephippiis ferendis quietior.

Ita viuitur, neque hesterna querimonia est, annis plurimis prouecta, sed necdum confecta. Albertus Abbas Stadensis qui circa annum cIↄ. ccLVI. floruit, & Chronicon scripsit, *Albas Stadēses in Chronico. Contra instabiles.* in quo discursationes quorundam perstringens, sic scribit: fortè ibis aliquando sepulchrum Domini visitare, tunc cogita, quod dicitur:

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Vix aliquos vidi imò nunquàm, qui redierint meliores, vel de transmarinis partibus, vel de SS. liminibus, quod debitâ deuotione nec exeunt, nec redeunt; deberent enim tali cogitatione proficisci, quasi essent de sæculo migraturi.

Pudet me, certè ac miseret nostræ hac in parte imbecillitatis. Vix stabile atque firmum vnius diei propositum retinemus, vt experientia sæculorum & locorum omnium declarat. Quoties vidimus hominum greges, qui vt in aurea basi virtutum collocati, magnâ constantiâ hæsuri in loco videbantur; ij tamen, quasi Circæo poculo memoriam omnem abiecissent, minimis momentis immutati, fugiunt, quod tenebant, quod diligebant studio immenso, paulò ante, nunc graui & infinito odio prosequuntur: dicerem ego illos similmos hyacintho, qui cum facie cæli mutatur: Sereno quippe gratus est, atque perspicuus, nubilo autem coram oculis, euanescit, atque marcescit. Et vtinam cæli faciem intuerentur, atque ad nutum imperantis, monentisque Dei, mores suos atque impetus accommodarentũ essent nobiles hyacinthi, & Deo cari, nunc autem

tem mutationis suæ principem atque ducem, concupiscentiam habent, sitque in eis, quod Sapiens diuinitùs asseruit. *Inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum*, hoc est, dissipat inconstanti & leuissimâ mutatione, *neque sinit quietum esse animum & hærentem in loco.*

Sap. 4. 12.

Faustus Rhegiensis serm. 2. ad Monachos.

Quàm præclarè autem hanc rem docuerit Faustus Rhegiensis sermone 2. ad Monachos testatum nobis facit Bibliotheca SS. Patrum, tomo secundo his verbis: *Quid prodest, quod discedis, qui vndique adstrictus es vinculis passionum? Quin hinc atque hinc circumuallant vitia sua? Dignè aliquis discederet, si eò ire posset, vbi eum diabolus inuenire non posset. Nemo se fallat, non fugiet aduersarium de loco ad locum, sed de vitio ad virtutem, de passione ad emendationem. Si eum fugiat, sequitur. Emenda te, & fugies te, sicut ait Apostolus: Resistite diabolo & fugiet à vobis.*

Iacobi 4. 7.

Sunt nempè Religiosi non pauci, qui cùm se alicubi vexari tentationibus quibusdam sentiunt, ad alia monasteria transmitti vehementer rogant, ad quæ deinde translati non paucioribus, sed pluribus vrgeri se experiuntur, eoque se peius habere, quo crebriùs de loco in locum demigrârint. Quibus occinit Faustus: Quid iuuat demutare loca vel asceteria, si tè vitia tua comitentur, &c. Optimum ab hoste profugium, est vitæ sanctioris studium. Locus enim quamuis nonnunquàm ad victoriam quid conferat, vt tamen superior euadas, non ille semper, neque solus facit. In foro sanctus: dæmoni in reconditissima eremo esse potes. Et multa quidem antè, nec pœnitenda, ex Seneca in hanc rem attulimus, quibus ea adiungere, quæ libro de Tranquillitate animi ad Serenum scripsisse legitur operæ pretium fore crediderim non leue. *Naturâ*, inquit, *humanus animus agilis est, & pronus ad motus. Grata omnis illi, excitandi se, abstrahendique materia est; gratior quibusque pessimis ingeniis, quæ occupationibus libenter deteruntur. Sunt enim quædam quæ corpus quoque nostrum, cum quodam dolore delectant: vt versare se, & mutare nondum fessum latus, & aliò atque aliò ventilari. Qualis ille homericus Achilles est, modò pronus, modò supinus, in varios habitus se ipse componens. Quod proprium agri est, nihil diu pati, & mutationibus, vt remediis vti. Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, & littora perertantur, & modo mari se experiuntur: ita semper præsentibus infesta leuitas est hoc se quisque modo semper fugit.*

Seneca lib. de Tranq.

Sed quis prodest, si non effugit? sequitur se ipse, & vrget grauissimus comes. Itaque scire debemus, non locorum vitium esse, quo laboramus, sed nostrum. Infirmi sumus ad omne tolerandum, nec laboris patientes, nec voluptatis, nec nostræ, nec vllius rei diutiùs. Hoc quosdam erit ad mortem, quod proposita sæpè mutando, in eadem reuoluebantur, & non reliquerant nouitati locum. Fastidio illis esse cœpit vita, & ipse mundus: & subit illud rabidarum deliciarum: Quousque eadem?

Aduersus hoc tædium, quo auxilio putem vtendum, quæris?

Inspicere debemus primum nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos, quorum causa, aut cum quibus agendum erit.

Ante omnia necessè est seipsum æstimare quia ferè plus nobis videmur posse, quam possumus: aliis infirmum corpus, aliis parum idonea est verecundia, alij non habent iram in potestate, &c. his vtilior negotio quies, est.

Æstimanda sunt deinde ipsa, quæ aggredimur, & vires nostræ cum rebus, quas tentaturi sumus comparandæ. Debet enim semper plus esse virium in latore, quam in onere. Necessè est opprimant onera, quæ ferente maiora sunt. Quædam præterea non tam magna sunt negotia, quàm fœcunda, multumque negotiorum ferunt, & hæc refrigienda sunt.

Hominum denique delectus habendus est, an digni sint, quibus partem vitæ impendamus, an ad illos temporis nostri iactura perueniat: quidam vltro officia

officia nostra nobis imputant: & hos deuita.

Ita veteris ille, sed prophanæ Philosophiæ genius Seneca, Christianis olim non leuem incussurus pudorem, dum, quod ille solâ duce naturâ cognouit, illi nec diuinæ gratiæ adiuti auxilio satis perspexerunt, impotentibus animorum suorum cupiditatibus, quas cohibere debuerunt, potius incensi, quàm iis domitis. Deo ac rationi obsequentes. Turbam prætereo, quam aduocare possim: Vnum dabo, nec eum proletarium, in quo luce clariùs, quid hîc fieri conueniat, quid non, omnibus detur perspexisse.

Ioannes quidam erat Verdolaius, quem olim rem animarum, per Aragoniæ, Valentiæque, ac Catalauniæ regna vaniter curantem, tantaque tùm à sacra facundia, ac doctrina, tum à pietate, ac magistratibus gestis auctoritate, vt parem ei vix vllum homines eius ætatis recordarentur, inuitauerat hunc S. Ignatius ad ineundam secum Societatem, datis ea de re literis: quas ille cùm lætissimus accepisset, ac veneratione summâ asseruaret non tamen de Societate quidquam expediit, antequàm B. Ignatio, aliisque, velut columnis subductis vt collapsura propè ipsa videretur, tamquàm diuinâ manu, vt interim auctoritate suâ fulciret, adminiculi instar admotus est. Quippe adeo factum istud mirati sunt populi, eaque Societati commendatio, accessione eius obuenit, vt passim voces audirentur, oportere aliquid sanè Verdolaium in eo cœtu vidisse, in quem tantâ prudentiâ, tantâque sanctimoniâ vir, se, suamque ætatem vltimam commisisset. Ille quidem profitebatur tum demum se locum inuenisse aptum sibi, planeque ex animi sui sententia. Ac, tametsi ad labores non parum addiderat, tamen beneficium hoc veluti in exactorum laborum nonnullam mercedem, à Deo sibi traditum prædicabat. Cæterum ætate iam denega, cum scrupulis agitare cœpisset, atque obrepente laborum tædio, occupatâ hâc vitâ distrahi sibi curas quæreretur, ne, quantâ tranquillitate cupiebat, in vnius summi contemplatione boni fixas haberet, ad hæc à gerenda sociorum præfectura, discursandoque, euangelizandi caussâ, abhorreret, nostros homines meritoriis equis, quibus sine vllâ requie, huc, illucque cursandum, comparans, his tentationibus paulatim adductus est, vt quietem alibi maiorem, quàm vbi primò summam repererat, quæsiturus, ad Carthusiam, quam Scalæ Dei in Catalaunia vocant, migraret.

Franciscus Sacchinus p. 2 l. 8. n. 131.

Verùm, quod iis euenit, qui, vt ait *S. Basilius*, præ insolentia nauigandi cum in magna naui, nauseâ conflictantur, magnitudini id nauigij tribuunt, transgressique in lembum, nihilo nauseant minus; quia secum transferunt in stomacho bilem, eius mali caussam: Id monacho quoque Verdolaio vsu venit. Interrogatus deinde, vt abundaret otio, ad rerum contemplationem supernarum, cum gemitu respôdit, se quidem, ita octonas quotidie horas fatigari cantando, vt posteà otium non ad contemplationem, sed ad quietem requireret. Idem viro nobili secessum, à sæculo meditanti, consulentique vt plures expertum ordines, ad quem potissimum accedendum sibi censeret, iis Societatem suasit verbis, vt nostri pudoris non sit referre. Hactenùs tamen iuuerit meminisse, vt Religiosi homines, hoc etiam tanti viri exemplo edocti consuescant in ea, quam semel complexi sunt, vitæ formâ, ad perfectionem, tranquillo eniti animo, nec à præstigiatore satana circumscribi se, & circumagi vanis imaginibus sinant: cumque in difficultates occurrunt, non quemadmodum declinent eas, sed quo pacto superent, consilium ineant: Ingruunt enim multiplicatæ in fugientem; contraque fortiter euntem fugiunt.

S. Basil.

Quæ cùm ita sint, liquet abundè, quanta nobis incumbat necessitas, vt etiam atque etiam constantiæ studeamus, conemurque omnes pro viribus

ribus generosæ mentis fortitudinem adipisci, ad frænandam animi inconstantiam mentisque insolitam mutabilitatem corrigendam.

Quò in primis spectasseS.Ignatius præclaro hoc suo Apophthegmate dicendus est, nec plus enuntiasse verbis,quàm reapse tam per se,quam suos ipse præstitit, quibus Spiritum suum ad regendam Societatem moriens communicauit, vt omnes scimus, qui historiam nostram testem temporum istorum, lucemque veritatis non segni mente, oculoque inspeximus, ac post cæteros prudenter aduertit P. Daniel Bartolus,qui rem hanc ita nobis testatam reliquit l.4. n.37. Ideo vir sanctus non summutabat de loco vno in alium dyscolos, aut difficiles, spe melioris profectus aut frugis, per eiusmodi mutationes obtinendæ; nam cum omni in loco, aut domo religiosa æqualis debeat vigere disciplina, legumque sacrarum obseruantia, quocunque eos mitteret, præuideret,vbique eos non minimam molestiarum segetem, offensarumque materiam reperturos, nec vsquam corrigendos vtilius, quā vbi iam morbus eorum cognitus foret atque perspectus.

Daniel Bartolus l.4 n.37.

Et hic Spiritus Ignatij semper fuit, eritque,quamdiu Parentem filij,Doctorem ac Magistrum grata non desinet posteritas intueri. Magni viri testimonio rem confirmo: Annus agebatur suprà millesimum quingentesimus septuagesimus septimus,Societatis 38.cum Nicolaus Ormanettus Pontificius ad Regem Hispaniæ internuntius,à Prorege Barcinonensi rogatus,vt curaret Iosephum Ayalam traduci Madritum, ad.conciones: statim Alphonsum Sandouallium MadritanoCollegio præfectum super ea re allocutus, dixit: sibi quidem nullo modo probari, vt religiosi homines quærerent ex vno loco in alium migrationem: nam id contumaciæ genus esse,seque super Proregis postulatæ ad præpositum generalem scripsisse adeo languidè,vt latam portam relinqueret liberæ eius voluntati, ad id decernendum, quod maximè consultum censeret. Ipsi verò Proregi respondisse cogniturum se num quid obstaret, cur Ayalam minùs expediret Madritum acciri. De reliquo absurdum sibi admodum videri in transferendisReligiosis hominibus,vias alienas, atque extraordinarias iniri. Quod ad Religiosum bonum spectat,nequaquàm hunc vel illum ambire vel præferre locum,sed in eo libentissimè degere, vbi moderatores collocent. Hoc caput aiebat se Proregi scripsisse, vt cognosceret erratum suum, & ab eiusmodi curis abstineret in posterum. Deinde vehementer cœpit Sandouallium hortari,vt recto exemplo se impendens, nequaquàm sineret alio quopiam auerti,id docuisse Fundatorem Societatis Ignatium, & id curæ potissimum habuisse, vt hunc in ea spiritum suscitaret.

Loci mutatio non procuranda. Sacchinus l.4.hist. Soc.l.5.n. 147.

Ita Franciscus Sacchinus parte 4. hist.Soc.lib.5.nu.147.

Quod tantò minus admirabimur, cum S.Thomam Aquinatem Doctorem vita & eruditione Angelicum idem docuisse 2. 2. q. 189.a.8. luce clariùs eius scripta testentur.

Id docuit S.Thomas Aquinas.

Sed hæc fortè dicuntur à me verbosius,cùm res sit perspicua.Contraho igitur vela, aioque summam laudem mereri illam animi fortitudine, quæ facit, vt nec appetitionibus suis concupiscentia, nec ira turbulentis motibusChristianum animum à constantiæ legibus amoueat. Hâc virtute qui præditi sint,non dubitem dicere sui victores gloriosos, omni mundo superiores, beatis Angelis finitimos, Deo caros. En quo Ignatij sacrum Apophthegma ritè intellectum homines vocet. *Ergo qui sitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Apocal.22.17.

Apoc.22. 17.

APOPHTHEGMA DECIMVMTERTIVM.

Dicere identidem solitabat: longè ad infima descendendum esse ei, qui eniti ad sublime quandoq; velit.

Petrus de Ribadeneira l. 5. c. 3. Iacobus Bidermannus.

Commentarius.

Humilitas proprio nomine appellanda.



Ntequam de victoriosissima hac virtute Humilitatis scribere instituã, antiquis Philosophis incognita pariter atque inuisa, vtpote quæ locum vix in aliarum censu poterat inuenire, Christianis verò temporibus læta caput cælo extulit, mortales compendio crescere doctura, rogatas velim delicatas politicorum hominum aures, patiantur me latinam vocem, non latinè vsurpare, sed Christianè, donentque hoc meæ aduersus pulcherrimam virtutem pignus charitatis illam non offendere voce superbiore, nec enim, vt opinor, nomen mutârit, libenter, quamuis magnanimitatem non grauatè hospitio excipiat, operatione, non autem ingenio disparata, cum gloriam atque honores vtraque habeat in potestate, quos illa admittit vt seruos, istâ vt hostes arcet, nec tutum illi eorum opera vti, nisi huius armis victi, ac latè fuerint profligati. Vnde non appositè minus, quam vere Romanum Imperatorem Tiberium de humano genere sensisse, author est Cornelius Tacitus: dum optimos quosque mortalium, altissima cupere pronuntiauit, quod & L. Annæus Seneca Romanæ Philosophiæ Syren Lucilium suum celasse non potuit, cùm ad eum sic legitur scripsisse: *magnanimos nos natura produxit, & vt quibusdam animantibus ferrum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pauidum, ita nobis gloriosum & excelsum spiritum*: & rectè id quidem plerum namque rationis animal homo est, atque ad magna natum: vnde quoque fieri amat, vt à pueris natiuo quasi fomite eiuscemodi scintillæ absistant, non ante sopiendæ, quàm in clarissimam lucem gloriamque erumpant, vno tantum hoc illis infelicibus, & perperam consultis, quod verum modum istuc ascendendi, vel negligant, vel ignorent.

Tiberius Imp.

Annæus Seneca.

Qui se humiliat exaltabitur.

Quemnam igitur modum, aut viam dixerimus, quæ nobis ad gloriam atque excelsa grassantibus ineunda sit? non equidem illa, quâ dum hactenus celsitudinis locum quæsiuimus, celsitudinis appetitu ducti sumus, & à veritate abducti. Non inquam illa: sic enim Gigantum fabula, non iam fabula, sed vera historia fieret, dum sicut eis labor fuit omnibus vnus imponere Pelion Ossæ, quo tantum abest, vt cælum conscenderint, sed ad ipsa etiam tartara sint deuoluti, quod ne sic & nobis eueniat aliquando, alia tentanda est via, quam nos magnus ille hominum assertor Christus Iesus & docuit, & commendauit: *cum*, inquiens, *inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te, sit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi, amice ascende superiùs: Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur*. Lucæ 14. 8.

Probatur ex scriptura. Lucæ 14. 8

Probatur ex Patribus

Vnicus in sublime aditus, via, ratio,

tio, gradus Humillitas est quam & tenuisse, & docuisse omnes, quotquot vera sapientiæ laude floruerunt in confesso est: & testium quidem religiosissimorum nubem, si quærimus, omnis facilè suppeditabit ætas. Primus itaque sit acerrimi vir iudicij sanctissimus Mediolanensis Ecclesiæ Præsul *Ambrosius*, dum sic loquitur: *Quantò quis est abiectior in hoc sæculo, tantò magis exaltabitur in futuro; nam per quot gradus humilitatis quis descendit in præsenti, per tot gloriæ gradus exaltabitur in futuro.*

S. Ambros.

S. August. Doctorem suum sequatur Augustinus; *magnus*, inquiens, *esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento priùs cogita humilitatis: & quantam quisque vult & disponit super imponere molem ædificij, quantoque erit maius ædificium tantò altiùs fodit fundamentum.*

Idem alibi succinctius: *mensura humilitatis cuiusque, in mensura ipsius magnitudinis data est: quare vis esse excelsus? esto humilis, quia surgimus sancti, cùm fuimus humiliati. In psal. 126.* Nec infelicius S. Hieronymus, dum infit: *quantò humilior, tantò sublimior.*

Idem in psal. 126.

Max. Taurin serm. de S. Mich. Nec prætereundus hîc *Maximus* Taurinensis, vir verè maximus & sui nominis implens mensuram: *humilitate*, inquit, *peruenitur ad regnum, simplicitate penetratur ad cælum. Quisquis ergo cupit diuinitatis tenere fastigium, humilitatis ima sectetur.* Serm. do S. Mich.

S. Bernard. serm. 2. de Ascens. Sed quam nobis hîc facem è Clara-valle sua præfert Bernardus? clarissimam sanè, & si quæ hîc vnquàm tenebræ fuerint, earundem nobilissimam excultricem: *descende*, inquit, *vt ascendas, humiliare vt ex alteris hæc enim est ad sublimitatem via, & non est alia, præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit, quia sola est humilitas, quæ exaltat.* Serm. 2. de Ascens.

Idem c. 39. de modo viuendi ad sororem. Et cap. 39. de modo viuendi ad Sororem: *Quantò humiliter fueris tantò te maior sequetur gloriæ altitudo. Humilia te vt exalteris, ne exalta, vt humilieris: humilitas casum nescit, scit ascensum.*

Nec Græcia hic debeat siluisse, quàm ex ore aureo, aurea sua pridem eloquentia *Ioannes Chrysostomus* perfudit, quid itaque ad rem nostram aureus ille orator? Verba hæc Apostoli quibus Ephesios suos ad virtutem concitauerat: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cælos*, explicare cœperat, cùm hæc subiunxit: *Quando Deo tribuuntur ascensiones, necessarium est primum descensum illius considerare, sicut in aqua fit, quæ tantò altiùs ascendit, quantò illam ad ima magis deduxeris. Quod ergo alibi dicit: propterea exaltauit illum Deus, illud & hîc dicit. Qui descenderat, idem ipse est, qui & ascendit suprà omnes cælos.* Eph. 4. 8.

S. Ioan. Chrysost.

Ad Eph. 4. 8.

Item hom. 32. in c. 4. Ioan. Et Hom. 32. in c. 4. Ioan. *Nihil humilitati comparandum est, ex qua Christus beatitudinis principium fecit: tamquam enim quoddam immensi ædificij fundamentum humilitatem primum iecit.*

S. Basil. Seleucia Episc. orat. 28. Huic adiungo S. Basilium Seleuciæ Episcopum oratione 28. vbi sic scribit: *Quantò fastum comprimis, tantò gratiam attrahis, modus enim amplificandæ gratiæ est vis humilitatis.*

An Belgium nostrum abesse hinc Belga sustineat? nequaquàm profectò: accedat itaque magnos inter scriptores vel postremus, Scriptor inquam religiosissimus ex ord. Can. regularium S. Augustini Venerab. Thomas Malleolus à Kempis, qui lib. 3. c. 42. *Tantò*, inquit, *altiùs homo ad Deum ascendit, quantò profundius in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit: Et lib. 2. non reputes te profecisse, nisi omnibus te sentias esse inferiorem.*

V. Thom. à Kempis.

Et rectè quidem hæc, inquiet aliquis, sed nunquid eiuscemodi naturæ, ac conditionis humilitas est, quod hominem mundo despectum ac segnem reddat? dum illos nobis innatos gloriæ igniculos, de quibus ante diximus, sopit & non rarò penitùs exstinguit, inuecto affluenter earum rerum fastidio, quæ gloriam comitantur,

tantur, & alunt: quod tunc fieri amat, dum vltrò oblatos honores respuit, titulos calcat, & amplissimos dignitatis gradus neglectui habet.

Sed heus, quisquis hæc vel obiter animum subire pateris, audi, & crede.

Non obtusa adeo gestârunt pectora Patres,
Nec tam auersus equos horum Sol iunxit ab orbe.

Vt tantis illi tenebris obuoluti, quid deceat, aut dedeceat nequierint perspexisse, longè alia modestiæ, quàm vt Latini nominârint, Religiosi Ascetæ humilitatem appellamus, natura siue conditio est, quæ Doctore suffragante Angelico 2.2.q.61.a.1. ad 2. laudabilis quædam sui ad ima demissio est, hominem tamen non segnem, aut inertem, sed magnanimum & gloriosum reddens: magnanimitas quippe, vt bene aduertit noster Leonardus Lessius lib. 4. cap. 4. dub.7. de Iustitia & Iure, non opponitur humilitati, sed rectè conuenit cum ea; quod in Beatis omnibus videre licet, sicut enim illi in se humillimi, ita, & ex donis Dei summè quoque magnanimi sunt, imò nulli magis magnanimi quàm isti, qui sunt verè humiles, quod ritè ostendunt, dum vanos omnes honores, vt futiles vmbras, & tumidos fumos excelso animo despicere contendunt.

S.Thomas 2 2 q.61.a.1.ad 2.

Leonard. Lessius de Iust & Iure l.4.c.4. dub.7.

Quibus in hunc modum ita rationi consentientibus, introspicienda penitiùs ac dignoscenda venit humilitas, vt, quod de ea propositum Apophthegma enuntiat, probè intelligamus. Hanc itaque scholæ nostræ Angelus 2.2.q.161. essentialiter consistere ait in appetitu, secundum quem aliquis dirigit, moderatur, ac refrenat impetum animi sui, ne inordinatè tendat suprà se, per laudabilem submissionem ad ima, secundum interiorem electionem, motumque animæ, præcipuè respiciens subiectionem hominis ad Deum.

S. Thomas 2.2 q 161.

Quid sit humilitas.

Vnde non nemo sic virtutem hanc describit: *Vera Humilitas est per quam homo suam conditionem agnoscens, sui vilipensionem diligit, & ex hoc amore libenter, ordinatè, & promptè Deo se subiicit, & homini propter Deum.*

Quomodò autem, & quibus gradibus istuc deueniatur, varij, neque infeliciter ostendere conati sunt.

Quomodò ea obtinēda

Author Glossæ ordinariæ in Matthæum, tres gradus huius virtutis proponit: quorum primus est, subdere se maiori, & non præferre æquali: & hunc vocat sufficientem. Secundus: subdere se æquali, nec præferre minori: quem appellat abundantem. Tertius, subesse minori: in quo ait omnem Iustitiam adimpleri, & nominat superexcedente.

3 Gradus huius virtutis.

S. Anselmus raro vir ingenio, nec minore prudentiâ, septem hic gradus inuenit: 1. Contemptibilem se agnoscere. 2. de hoc gaudere. 3. hoc confiteri. 4. id aliis persuadere. 5. sustinere patienter hoc dici. 6. pati contemptibiliter se tractari. 7. hoc amare.

S.Anselmus 7.gradus humilitatis recenset.

S. verò Benedictus Nursinus, cuius nomen titulus sanctimoniæ est, duodecim nominat, quos S. Bernardus, quibusdam immutatis suo calculo probauit: primus est, Odium peccati. 2 fuga delicti. 3. metus odij. 4. in omnibus subesse Creatori. 5. obedire meliori. 6. obtemperare compari. 7. obsequi inferiori, 8. subesse sibi. 9. finem suum iugiter meditari. 10. opera sua semper vereri. 11. Cogitationes suas humiliter confiteri. 12. per omnia ad manum, ad nutum, ad libitum Domini moueri: & per hos quidem gradus vt tantò quis securiùs gradiatur, quantò illi magis firmentur, duo inter latera eos voluit arctari, quorum dexterum dicit esse contemptum sui, vsque ad amorem Dei; sinistrum verò, contemptum mundi, vsque ad amorem regni cælestis.

SS.Benedictus & Bernardus 12 gradus humilitatis recensent.

Hæc illi, aliique complures non minus rectè, quam piè, de gradibus humilitatis ad posteros transmiserunt, quibus S. Ignatius de Loiola ætate licèt suppar, sententia tamen, iudicioque fortasse non impar, postliminio accessit: Et multi quidem

Quid S. Ignatius senserit de humilitate.

ex antecessoribus multa copiosè ac piè de humilitatis gradibus philosophati sunt, at, nisi me huius viri Sancti fallit amor [quantum autem videre licet, non fallit] nemo est qui breuius, distinctius, accuratius eos expresserit aliquando.

Humilitatem itaque hic suis coloribus depingens, eiusce modi operatione vel animi affectione eam definit, qua satis indicat spectare se illam quæ in voluntate Deo se subiiciendi, atque ipsi se conformandi sita est: quapropter tres omninò modos eam consequendi prudenter adiungit: quorum primus, & ad salutem quidem necessarius est, quo pœnitus quis se subdat diuinæ legi obseruandæ, vt ne mundi quidem totius oblato dominio, vel extremo vitæ discrimine obiecto, transgrediatur ex deliberato mandatum vllum diuinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Ita ille: prudenter & necessario statuēs, nullam in eo homine esse posse speciem humilitatis, qui aliquod præceptum diuinum grauiter vrgens ausit violare. Cùm enim omnis inobedientia, sit eius, quæ Superiori exhibenda etat, subiectionis denegatio, quid aliud dici potest, quam superbiæ rebellantis impudens ostentatio? & verò quid humilitatis illi homini superesse credendum est; qui Superiori, qui Deo, quam debet voluntatis subiugationem cum flagitio denegat? atque hæc grauissima illa causa est, quare *S. Ignatius* speciali modo in Societate elucere voluit humilitatem quia in illa maximè voluit Obedientiam eminere, & per eam suos ab aliis ordinibus distingui: perfecta autem Obedientia sine humilitate esse non potest: nam sicut currus vno equo non satis commodè trahitur, vt ait S. Dorotheus, doct. 1. nisi & alterum opponas: ita Obedientia humilitatem coniugatam sibi deposcit: præsertim, cum, vt Deus Pater, *S. Catharinæ Senensi* in Dialog. c. 154. significauit: *Obedientia ab humilitate, tamquàm à nutrice quotidie nutriatur, vnde tantum est aliquis obediens, quantum est humilis, & tantum est humilis, quantum est obediens.*

Tres gradus humilitatis secundum S. Ignat. 1. gradus.

S. Catharina Senensis.

Secundus gradus, & maioris adhuc perfectionis est, vt fixo animo ad diuitias, paupertatem, honorem ignominiam, breuitatem vitæ ac longitudinem æquè simus propensi, vbi æqualis est diuinæ laudis & salutis occasio: vtque nulla vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita, adducamur vnquam, vt culpam, licet venialem tantum admittere decernamus. 2. gradus.

Quibus verbis B. P. hunc modum describit, non tantum maioris perfectionis, quàm primum, sed etiam heroicæ cuiusdam virtutis quàm duplicem facere videtur, ita vt prima eius pars sit affectuum & cupiditatum in res quasuis, adeo potentem esse, vt nullam in rem iucundam aut iniucundam, blandientem aut terrefacientem pronioribus animis feramur; altera verò, nullum nisi è laudis diuinæ respectu motum admittere: vnde fiat, vt si vitæ mortisque sortem, honorem & contemptum par diuina laus excipiat, nihil videatur esse cur altet alteri præferatur, quod profectò non est aliud quàm nihil ampliùs suum in terris agnoscere, atque animum penitùs ab humanis subduxisse affectibus, quod præ cæteris virtutibus humilitas præstat, dum spei, & audaciæ passiones, teste Angelico Doctore 2.2. q. 161. a. 6. ita regit, ne quis plus, quam te ipsâ conueniat, suæ personæ adscriptum velit, ne animus ad altiora feratut, sed despici potiùs, & se in vltimo cupiat loco collocari.

S. Thomas 2.2. q. 161. a. 6.

Tertius denique modus, humilitatis absolutissimæ est, vt duos priores iam adepti, etiamsi nullo superaddito laus Dei par foret, ad maiorem tamen Imitationem Christi eligamus potius cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperiem, contemptum & insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores & sapien- 3. gradus.

tiæ existimationem.

Et hunc gradum absolutissimæ vocat humilitatis, quid enim illi superaddi possit non facilè quisquam reperiet. Hic omnis gloriæ, splendoris, æstimationis & famæ, quæ elationi,ac superbiæ fomitem ministrare solent, appetitus infringitur, & quæ humilitatem quàm maximè conciliant, ac decent; vt contemptus & insipientiæ nomen,ac species amantur.

Sic ille, tum clara admodùm æterni luminis collustratione repletus, tum vsu multiplici peritus: quocirca mirum nemini videri debeat S. Ignatium tanquàm magnum humilitatis magistrum à beatissima Virgine olim electum fuisse, vt doctrinam traderet de humilitate conquirenda B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi:nam vt scribit Nicolaus Puccinius in eius vita 2.p.c.12. apparuerunt ei, 18.Decemb. an. 1594. „ S. Albertus Carmelita, & S. Pater „ Ignatius cælitus electi, vt eum ea „ tractarent de humilitate: *Ignatius* „ autem sic cœpit: Ego *Ignatius* missus sum à Genitrice sponsi tui, ad „ tractandum tecum de humilitate: „ audi ergo verba mea: humilitas „ debet infundi, sicut oleum in lucernam in nouellas plantas religionis: & sicut oleum occupat totum vas, in quod funditur, ita humilitas, & vera cognitio eius, debet tali modo occupare potentias „ animorum earum, vt vertendo se „ à dextra & sinistra parte, non videant aliud, quàm humilitatem & „ mansuetudinem, Et sicut elychniū „ non potest ardere sine oleo;sic nouellæ plantæ non dabunt in religione splendorem sanctitatis & „ perfectionis, si quouis momento „ temporis non erit eis data notitia „ ipsius humilitatis, nec probentur „ aut exerceantur in ea, donec clarè „ cognôrint, quantoperè sit necessaria hæc virtus veræ Religiosæ.Quæ „ virtus non est aliud, quàm continua vna cognitio sui non esse, & „ continuum gaudium, de omnibus „ illis rebus, quæ nos possint inducere ad nostri contemptum. Sed „ procurandum est, vt in depressionibus, quæ illis fiunt, vt ad hæc „ gaudia pertingant, sint continuæ „ & firmæ reuocando eis in memoriam, quod non ob aliud sumpserint habitum quem gestant; Quare „ ne dæmonium partem hîc habeat, „ debet nutrix earum vti sanctâ quadam arte, vt, dum vult deprimere „ vel iudicium, vel voluntatem earum, & ipsæ repugnant, vel ad impatientiam moueri incipiunt, eas „ seuerè reprehendat, ostendatque „ eis rem esse magni momenti, quàuis Id fortassis in re minima contingat. Sed dum infundit oleum „ humiliationis, ex altera parte debet instillare suaue balsamum consolationis, ostendendo eis, quantoperè Deum honorent, in talibus „ actionibus,magnum fructum,quem „ colligent, & magnum opus quod „ faciunt, vt ita amore capiantur „ humilitatis, & aliud non velint, „ nec ad aliud aspirent, quàm ad illam.Insuper humilitas extrinsecùs „ debet resplendere in omnibus verbis, gestibus, & operibus,vitarique „ debet omne verbum,quod non redoleat humilitatem,sicuti sunt vitæ in sæculo blasphemiæ; Ita debet in religione vitari quiuis gestus „ destitutus humilitate: contrà verò, quæri atque vsurpari quidquid „ eam redoleat, aut commendet. „ Quemadmodum enim mundani „ homines, qui ea, quæ mundi sunt, „ sequuntur diligunt & quærunt honores, famam, magnam nominis „ existimationem in terra: sic qui „ procedunt in spiritu, amant & ardenter exoptant quæ iis omninò „ contraria sunt, Hactenus Ignatius ad Magdalenam.

S. Ignatius à B.V. missus vt B. Mariæ de Pazzi doctrinã traderet de humilitate. Nicolaus Puccinius 2.p.vita c.12.

Verba aurea & plena salutis! nec ab iis discrepantia, quæ suis olim dum apud nos degeret occinere, atque inculcare solebat: ac primò quidem dum quempiam ad superbiam propensum esse animaduerteret, exerceri volebat in rebus abiectioribus,

bus, quas ad humiliandum ipsum vtiles fore videbat, nec eos solùm, sed quos ad regendum alios destinabat, maximè verò præpositum Generalem hac exerceri & præpollere virtute cupiebat, parte 9. c. 7. §. 5. p. 4. c. 10. §. 4. p. 3. c. 1. §. 13. In summa, omnibus ad maiorem in spiritu profectum commendatissimam virtutem hanc esse volebat, vt ex ea, quam anno 1547. ad PP. Lusitanos dedit, epistola, liquet vbi inter media, quæ ad profectum ducunt primo loco posuit humilitatem. Cùm enim citasset SS. illud Christi monitum Matth. 5. *Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est*, subdidit, quod ad il-„ lum attinet, certum omninò sit, „ eum semper esse ad liberalitatem „ paratum, modo altam in nobis, „ profundamque viderit humilitatem.

S. Ignatius p. 9. Const. c. 7. §. 9. p. 3. c. 1. §. 13.

Matth. 5.

Neque ea his, illisue chartis semel illeuisse contentus, crebris prætereà solitus fuit inter familiares vsurpare sermonibus, habet enim teste Hieronymo, nescio quid latentis energiæ, addam & ego perfectionis & complementi, viuæ vocis oraculum, quod vel hinc colligere licèt, cùm dictus Pater post varia præcepta ac monita in suis regulis ac constitutionibus expressa, Apophthegma hoc identidem memorare soleret: *longè ad infima descendendum esse ei, qui eniti ad sublime quandoque velit:* quod ipse ex eo, quo velut clarissimo speculo, ad omnes actiones suas moderandas pridem vtebatur, indubiè didicerat, ac dudum ante factis illustribus designârat, Christum Seruatorem intuitus qui cùm per naturam diuinitatis, teste *Bernardo*, non haberet, quo cresceret, quia vltra Deum nihil est; per descensum, quomodò cresceret, inuenit.

Quanta vis viuæ vocis.

S. Bernard.

Allubetne, bone Lector, ad sacri nostri Apophthegmatis illustrationem Christi ascensum ex descensu paucis vnà mecum inuestigare?

Dei filius, ex summo imus, formam serui accipiens, quem cæli, & terra capere non poterant, in angusto præsepio collocatur. Qua tantus ecce decreuit Gigas! Magnum principium, quia grande mysterium! à pedibus incipiendum sibi existimauit magister humilitatis, vt profundissimæ suæ doctrinæ & stabilia iaceret fundamenta, & methodum instituteret nouæ lectioni congruentem, in similitudinem hominum factus apparuit in terra, quæ est scabellum pedum eius.

Quomodò Christus creuit per descensum.

Sed qui descendit, ipse est qui ascendet, de illo namque Isaias vaticinatus, *ecce*, inquit, *seruus meus exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit.* Cap. 42. Eodem quippe temporis puncto dum infans vagit in stabulo, cælestes eum choraulæ in cælum laudibus efferunt, nox sicut dies illuminatur: stabulum vertitur in cælum: Atque ita non malè dixeris, *hic scopas effloruisse*, quod sub Valente Imperatore legimus palàm accidisse: rem verè admirabilem, quæ humilium deinde personarum exaltationem velut simbolum præcessit: Ex humili siquidem Magnus.

Isaias c. 42.

Die octauâ non solum habitu inuentus, vt homo, sed mirabilius aliquid audio, clamat Bernardus, *formam habet peccatoris, & insigitur velut quodam cauterio latronis, qui descendit, ipse est, & qui ascendet*: hinc subdit: *imponitur ei Nomen, quod gloriam indicat Maiestatis.*

S. Bernard.

Vixdum natus ad mortem quæritur, cunabulis bella mouentur, & ecce tyranno illuso, stella cæli lingua, infantem loquitur, Magi Regem agnoscunt, thesauros deferunt, & qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus.

Fons puritatis, quasi purificationem venit facere delictorum, vt ait Bern. serm. 3. de purif. sed ô miracula! ô prodigia! ô mysteria! Anna prophetisat, senex exultat, & diuino docet oraculo, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam Israëli exortam, atque ita suscepit vmbram; daturus lucem.

S. Bernard. serm. 3 de Purific.

Nocte secessit in Ægyptum, triste exilium! persequente homine Deus fugit: sæuiente terra, cælum trepi-

Chrysolog. serm. 150.

dat. pauor patris filio fugiente monstratur: commune refugium fugit, auxilium latescit omnium formidat fortitudo cunctorum. Chrysolog. serm. 150. O dolor! Interim tamen muta saxa fugitiuum Deum agnoscunt, inanimes plantæ authorem suum pronæ venerantur. Ita namque Cæsar Card. Baronius ad an. Christi Primum, de Arbore Persica, aduentu Domini incuruata, idolorum simulachris collapsis testatur ex S. Hieronymo, Palladio, Ruffino, iuxta Isaiæ vaticinium: *ecce Dominus ascendet super nubem leuem & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti.* Isaiæ 19.1.

Card. Baronius tom. 1.

Isaiæ 19.1.

Venit Iesus à Galilæa ad Iordanem, qui secundum S. Thomam interpretatur descensus, vt baptisetur à Ioanne: baptisatur, vt omnem iustitiam & humilitatem legis impleret, inquit S. Hieronym. nec Dominus dedignatus est accipere baptisma serui, vt discant superbi exemplum humilitatis,& ecce aperti tunc cæli sunt, ac toto se infudit illapsu Spiritus sanctus, ait Chrysologus, *vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, vox de cælo audita est: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Matth. 3. 17.

Accepto baptismo ingressus desertum, se à dæmone permisit tentari, quæ maior fuit Christi humilitas, quam si Rex aliquis longè potentissimus in suo conclaui à vilissimo quopiam mancipio multâ sineret se molestiâ affici, aut ad res indignas solicitari, Cùm ecce cælestium spirituum cuncti aduolarunt, qui debellato atrocissimo hoste congratularentur ei, mensamque in deserto sternerent Deo, ac principi suo ministrantes.

In rupe Thaborea de excessu, de acerbissimo mortis suæ cruciatu loquebatur, verum quæ,ac qualia summæ diuinitatis argumenta illicò patuêre: *resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius alba facta sunt sicut nix*, adeoque gloriosius apparuit, vt Petrus raptum se, licèt præpropere, arbitraretur in cælum. Quanta ex summissione euectio!

Matt. 17.3

Venio ad postremum, cumque principem ac singularem humilitatis actum, quem D. Thomas p.3.q. 49.a.3. ex professo tractans quadruplicem nobis describit.

S. Thomas p.3.q.49.

Primò, quantum ad passionem & mortem cuius debitor non erat.

Secundò, quantum ad locum, quia corpus eius positum est in sepulchro, & anima in Inferno.

Tertiò, quantum ad confusionem, & opprobria quæ sustinuit. Denique ad hoc, quod olim traditus fuit humanæ potestati, secundum quod ipse dixit Pilato, Ioan. 19. *Non haberes in me potestatem nisi datum tibi esset desuper.* Et ideo per suam Passionem meruit exaltationem, quantum ad quatuor.

Ioan. 19.

Primò, quantum ad resurrectionem gloriosam, vnde dicitur in ps. 138. *tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.*

Psal. 138.

Secundò, quantum ad Ascensionem in cælum. Vnde dicit Apost. Eph. 4. *Descendit primum in inferiores partes terræ: qui autem descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cælos.*

Ephes. 4.

Tertiò, quantum ad confessum paternæ dexteræ, & manifestationem diuinitatis suæ, iuxta illud Isaiæ 52. *exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè, sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius, ac forma eius inter filios hominum.* Et ad Philippens. 2. *Humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, vt sc. ab omnibus nominetur Deus, & omnes ei reuerentiam exhibeant, sicut Deo, & hoc est, quod subditur, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum:* quod æquâ lance expendens Ambrosius serm. 14. in psal. 118. *quanta*, inquit, *fecit Dominus, audeo dicere, & non flexi genu, sed flexi ei, postquàm se humiliauit.*

Isaiæ 52.

Philipp. 2

S. Ambros. serm. 14. in psal. 118.

Quartò, quantum ad iudiciariam potestatem, dicitur enim, Iob 30.

Causa

Iob 30. *Causa tua quasi impij iudicata est, causam iudiciumque recipies*, quod clarè coram Caipha ipse edixit, his verMatth 16. bis: *amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cæli*; nimirum vt reddat, vnicuique secundum opera eius. Matth. 16. & 26. Atque ita eodem S. Doctore adstipulante necessaria erat Christi Passio ratione finis ex parte ipsius Christi, qui per humilitatem Passionis meruit gloriam exaltationis, & ad hoc pertinet Lucæ vlt. quod dicitur Lucæ vltimo: *nonne oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam?* Et S. Augustin. tr. S August. tract 104. in Ioan. 104. in Ioan. *vt mediator*, inquit, *Dei & hominum, homo Christus Iesus resurrectione clarificaretur, vel glorificaretur, priùs est humiliatus passione, nonne enim à mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas claritatis est meritum: claritas humilitatis est præmium.*

Vale itaque Ambitio, vale fastus, atque superbia: nulla via ad gloriam certior, nulla securior quàm Deo nota humilitas quod & olim Plinius non verè minùs, quàm prudenter ad Plinius. Traianum Aug. scripsit: *Cui nihil*, inquiens, *ad augendum fastigium superest, hic vno modo crescere potest, si se submittat.*

Melius id à Iesu suo didicerat *Ignatius*, ac diu multumque cum animo suo versârat, cùm & sibi per eadem vestigia eundum intellexit, si ad eum, quem mente præceperat veri honoris gradum cuperet euolare. Nec temerè id quidem aut imprudenter: fontium enim scaturigines obseruârat, aquas suas è præcelsis montibus per arcanos terræ meatus, seu venas quasdam in subiectas valles deriuare, atque istic fortè exitu reperto, qua premebantur incumbentium aquarum mole, magna vi eluctari; hoc tamen sibi à natura velut iniecto fræno, vt altiùs non valeant scaturire, quàm earum, ex qua descenderant, fuerit erigo. Ita & secum indubitanter, tum ex rerum natura, tum peruulgato Christi exemplo actum iri certissimo persuasus, quantò magis se quis ante depresserit, tantò altiùs euasurum, huic se modo penitùs prosequendo totum tradere decreuit, tam vt rebus suis cautè prospiceret, quàm ne ad docendos euocatus, plus ab eis exigeret, quàm prior ipse fecisset. Quapropter statim à primo suæ Conuersionis exordio ad intimam sui ipsius notitiam studuit penetrare, iis adhibitis mediis, quæ plurimum istuc facere posse cognôrat, cuiusmodi ea sunt, quæ nobis Exercitio 2. primæ hebd. expressa reliquit: *Quomodo ad sui cognitionem deuenerit S. Ignatius.* Considerabo meipsum quisnam aut qualis sim; additis exemplis, quæ me in maiorem mei contemptum trahant: vt si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium cætum comparatus: quid deinde sit multitudo vniuersa mortalium, si cùm Angelis beatisque omnibus conferatur. Adde quid rei sit tandem, quidquid est creatum, præ ipso Deo creatore: Iam quid homuncio ego vnus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, prauitatem animæ, atque corporis fœditatem, ac me tamquàm vlcus siue apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxit. Ita Ignatium totum in sua iura redegerat Humilitas, vt dictis, factis, animique sensibus suas per artes illum exerceret, ipse autem facillimum ei morem gereret, vt si homini alius à maiore Dei gloria quærendus fuisset scopus, Humilitas, vicinissimus scilicet fuerit reponendus. Quæ suos tutò solet exaltare. Nec sanè prudentem virum sua fefellit opinio, vt ex sequentibus palàm fiet.

Vixdum in castris virtutum mereri cœperat, cùm humilitatem ceu virtutum omnium matrem ac fundamentum tenerrimè complexus lacer, ac tunicula malè sarta, vix dimidium tectus immiscuit se mendicabulorum cætibus, mendicabulo similis, sui incuriùs, vt cæsarie impexâ, capite nudo, ne quidem vngues, sibi *Facilis à sui cognitione ad humilitatē transitus.*

præcidi,

præcidi, aut barbam attonderi pateretur. Cùm mendicis, etsi honestiore loco posset, hospitabatur: homines, hominumque æstimationem fugiebat, lacessitus iniuriis, calumniis oppugnatus, incredibili lætitiâ replebatur. Cùm inter hæc facies eius & caput eximio quodam fulgore splendescere, vti Barcinone à Ioanne Pasquali, atque ab Isabella Rosella, dum fæci plebis immistus concionem in templo audiret, & in hospitali domo à domesticis, dum istic æger inter pauperes cubaret, visus est.

Qui se humiliat exaltatur.

Magna hæc humilitatis præmia! sed quibus humilium celsitudo Deus, ab Ignatio extollendo non desiit, cùm ille à se magis ac magis demittendo non cessaret, quod haud multò post nouis indiciis, in itinere Veneto datum fuit animaduertisse: Derelictus à comitibus itineris, Venetias venerat Ignatius, nec viam ad publica Xenodochia nôrat, nec portitori conducendo nummi suppetebant, quare assuetus longo iam vsu malè cubare, sub porticu Procuratoria intendentibus se tenebris, vacuum opificis cuiusdam fulcrum inuenit, in quod fessos artus vtcunque refecturus se coniecit. Cuba, cuba fidenter hoc strato, duro licèt, ac frigido, Ignati, mollius tibi atque honestius præparat cubile, qui humilibus solet prospicere Deus: nec longa erit mora. Vix itaque peregrinus noster incubuerat, cùm vicinum Senatorem Marcum Antonium Treuisanum perspectæ virum integritatis, posteà in Venetiarum Ducem electum cælestis excitauit, vox, & increpuit, quod in multa veste, mollique stratu decumberet ipse, cùm interim Dei famulus peregrinus non longè à vestibulo illius ædium iaceret in publico, pauper & omni humanâ ope ac solatio destitutus. Itaque ingenti metu, & horrore perfusus confestim prosiliit, & quæsitum diligenter Ignatium perhonorificè excepit: ita solet, qui se abiiciunt, colligere Deus: quod Chilonem Lacedæmonium, teste Diogene Laërtio, vidisse accepimus, cùm interrogatus ab Æsopo, quid ageret in cælo Iupiter? respondit: excelsa humiliat, & humilia extollit. Magni artifices, quo maiorem sibi gloriam comparent, viliorem materiam pulcherrimo operi subiiciunt: Deus vt præclarissimum opus elucubret, humiles & abiectos exaltat, idque eo luculentiùs, quo hi se magis atque profundiùs demittunt.

Post humiliationem Ignatius exaltatur.

Sed his in Ignatio comprobandis plusculum adiiciamus, iam studiis finem imposuerat, cùm ad negotia quædam domestica in Hispaniam præsenti quâdam necessitate reuocatur: haud erat ignarus quantum insidiarum ac fraudum, illecebris patriæ ac propinquorum soleat inesse, quare postquàm ei appulisset neque ad fratris, neque ad vllius amicorum domum voluit diuertisse, aut ab eis quidquam in necessarios vsus suos corrogasse, sed ad publicum Xenodochium concessit, stipemque ostiatim coëgit, homo id dignitatis, familiæ ac propinquorum; hinc ad tradenda pueris fidei rudimenta prodibat, ac tertiò per hebdomadem ad populum dicebat, tanto spiritus feruore ac contentione, vt trecentis etiam passibus, & eo ampliùs distantium ad aures vox eius perueniret. Enituit autem hic velut in magnifico quodam theatro singularis eius humilitas, cùm se diu, multumque in magno dolore atque mœrore fuisse dixit, quod adolescens vnà cum aliis in hortum cuiusdam ciuis simul intrasset, ac fructuum aliquantulam copiam furtim abstulisset, magno Domini damno, qui quod furti authorem nesciret, falsâ suspicione deceptus hominem quendam in custodiam trudi curasset, ac pecuniæ certa summa multari: itaque nullâ suâ culpâ & famâ, & bonis fuisse spoliatum: Ego, inquiebat sum reus, ille innocens est, ego deliqui; hominemque ipsum, qui in concione fortè aderat, proprio nomine appellans, etiam, atque etiam rogat, sibi vti ignoscat. Se quidem publicè voluisse

luisse bonæ illius existimationi satisfacere, & vt iacturam bonorum, quam sui causa fecerat, etiam resarciret, & quantum posset compensaret, habere se dixit possessiones duas, quas illi dono, omnibus audientibus, dabat. O magnam Ignatij submissionem! quanta verò ea fuerit, explorare si lubet, euectio mox secuta docebit: Valetudinem viro iam diu epileptico, & mulieri contabescenti restituit, adductam quoque energumenam, vt consuetis Ecclesiæ adiurationibus curaret, edito permodestè responso, se initiatum non esse, tamen oraturum pro ea, precibus fusis, ab iniquo obsessore penitùs liberauit.

Ita qui sese coram hominibus non mediocriter abiecerat, suprà homines non vulgariter est euectus: non absimilis illi fonti in Dodona, qui in meridie semper deficit, qua de caussa ἀναπαυόμενον vocant, mox increscens ad medium noctis exuberat, vt Plinius scribit l.2. c.103. Plinius l.2. c.103.

Magnum præterea modestiæ argumentum in Ignatio fuit eum tanto opere desideraiut ipse Societatem à Iesu denominari, tum, vt in eum solum, tamquàm in exemplum ferendæ crucis omnes aspicerent, tum verò etiam ne suum illi, nomen à quoquam inderetur.

Verebatur enim, ne, si communi deliberationi nominis arbitrium permitteret, socij pro suo in Patrem optimum amore, nascentem hunc cœtum ordinem Ignatij, aut Ignatianum appellarent, quod nullo modo passurus erat Ignatius. Cuius sententiæ suæ doctoribus Apostolis vsus fuisse videtur, quorum humilitatem commendat S. Augustinus, quod eos, quos ad religionem suam adiunxerant non Paulianos, non Petrianos, sed Christianos nominârint.

Id iam consecutus erat *Ignatius*, cum ecce noua, sed ex humilitate, exorta discordia fuit, de vltimo sc. infimoque loco. Coneors omnium sententia nouellis copiis præfecerat Ducem Ignatium, sed qui omnium iudicio probatur, non probabatur suo: itaque diu acerrimè restitit, ac tandem coëgit Patres in suffragia rursus ire. Rursus electus, rursus detrectauit onus, donec Confessarij imperio compulsus admisit onus: quod deinde non minore humilitate gessit, quàm ne gereret laborarat.

Sic ille, quid autem Deus qui *humilia respicit in cælo, & in terra? suscitat de terra inopem, & de stercore eleuat pauperem, vt collocet eum cum Principibus, cum principibus populi sui.* Psal.112. quod hic patuit non obscurè, vnde, quod Sauli per Samuelem Deus olim diei voluit, de *Ignatio* rectè dici à nobis queat? *cum paruulus esses in oculis tuis caput in tribubus* Israël factus es: minimum se existimabat Saul, atque à regio ille splendore adeo abhorrebat, vt in abditissimum domus angulum se coniiciens eousque absconditus delituerit, donee diuina se detegente manu, à populo ad sceptrum inuitus traheretur. Psal.112. 1 reg.14. 45.

Minimum se rebatur Ignatius, & in gentem maximam à Deo factus est, maximis à Deo donatus gratiarum prærogatiuis, quas inter non postrema stetit prudentia, de qua sapientissimus ille Pontifex non verè minus, quàm gloriosè pronuntiauit, Marcellus, inquam II. Maius apud se momentum Ignatij authoritatem habere, quam omnes rationes, quæ ab ingenio in contrarium exeogitarentur: vnde factum, inter omnes, quorum opera in instituendis ordinibus diuinâ sapientiâ vsa est, neminem, dum viueret, tantam familiæ suæ, quantam illum vidisse dilatationem. Fuerunt aliæ fœcundæ quidem, & sub ortum suum instar fontium recens prorumpentium è terra, qua patuit via, se diffudêre: sed fundatorum auspiciis, pleræque vix aliquot regnorum fines, paucæ vnam orbis partem excessere. *Marcelli II. de Ignatio iudici.*

Quid Ignatius? per extremas terras, extrema peruagatam maria vidit Societatem: vbique gentium, non sedes modo, sed & prouincias rexit. In Europa nouem; vnam in Asia (sed quam

quam vastam?) Indiam, vltimos hominum Iapones complexam: vnam item in Africa, ita tum censebatur, Æthiopiam: Brasiliam in America, postremam. Quibus quid additura esset dies nec *Ignatium* diuina bonitas, nec suos *Ignatius* voluit celare. Atque ita honoratus est, qui inglorius latere, quamque ipse minimam Deus maximam ei Societatem ostendit.

Domesticos omnes exemplo sibi ad virtutem atque incitamento esse dicebat *Ignatius*, neque quemquam præter se vnum sibi displicere. Ita quamuis suprà cæteros ipse tunc esset, omnibus tamen æquare se, infraque infimos ducere, non simulatâ mansuetudine solebat. Atque hoc est, quod Theophilus Raynaudus noster, vir litterarum omnium eruditione clarissimus ac magnus? S. P. Ignatij Hyperaspistes, in doctissimo opere suo, cui titulum fecit S. Ignatius Loiola, Anima mundi, dicere voluit, dum eum, cùm tantùs coram Deo esset, omnique perfectionum genere insigniter splenderet, tamen sibi ipsi, inuisibilem fuisse, ac ferè aliis, quantum in ipso erat quamdiu superstes fuit, inuisibilem inquit, quia eximias illas perfectiones suas non perspexit, ita vt posset eum Iobo profiteri, *etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Nihil certè illo demissius, nihil in oculis suis vilius erat, vt de eo vsurpare liceat ad veritatem, quod *Hilarius Arelatensis* de S. Honorato dixit: *quis in illa sublimitate virtutum, sibimet ipsi minor videbatur? Quamuis enim cælestibus muneribus abundaret, tamen præ humilitate deiiciebat se infrà omnes mortales, non secùs ac si meritorum egestate premeretur, vt omnis bonorum operum, quæ assiduè obibat, honor & gloria in Deum refunderetur.*

Theophilus Raynaudus.

Iob 9.21.

S. Hilarius.

Vnde in cruciamentis illis infelicis æternitatis, sentire non videbatur aliud, quàm Dei gloriam, sanctissimumque Dei nomen diris exsecrationibus laceratum: cùm interim aliis & frequenter, multis à terra eubitis sublimis appareret, adeò vt inter se felici certamine, Deus cum Ignatio hic se abiiciendo, hunc ille honorando contendere viderentur.

Prope Basanum Anachoreta quidam degebat magnâ virtutis & sanctitatis opinione, qui cum *Ignatium* curiosiùs obseruat, nec quidquam singulare in vestitu à communi clericorum habitu, quo ille magnâ modestiâ vtebatur, diuersum videt, scilicet apud se ipse eum contemnere cœpit, ac parui facere; cùm solito vehementius oranti reuelare dignatus est Dominus, quem ipse parui faceret, Apostolico spiritu plenum esse, & ad multorum salutem, vas electionis cooptatum. Ex quo suam ille temeritatem dolenter incusans, Ignatium studiosiùs colere, atque obseruare instituit.

Finem non inuenirem, si reliqua consectarer, quare ad supremos actus transeo, vbi velut sol in occasu, suauius virtute hac eluxisse inuentus est. In vltima itaque ægritudine, quamquàm nihil præter cæterorum dierum consuetudinem dolebat, ipse tamen diem imminere senserat, què summus prætor dixisset. Itaque confessione piaculari, & epulo Christiano reficitur, iubetque morituro solennem noxarum veniam, quo liberior excessus esset, à Pontifice postulari. Interim domi ad medicos curritur: ij captis experimentis, nihil periculi timendum pronuntiant. Quos ille quidem, etsi grauiter falli sentiebat, nullo sibi verbulo admonendos censuit, modestè veritus, ne occulti aliquid rescisse diuinitùs videretur: Ita nemine metuente, sibi nocte illa relictus, die postero, hora post ortum solem, suauissimo Iesu nomine, quem sibi cum Virgine matre astantem videbat, inter mortuis quidem vocibus, sed mente viuaci, repetito, animam in cælesti regno magnificentissimè triumphaturus, efflauit.

S. Ignatij finalis humilitas.

Vir verè humilis, qui cum obitum suum præsciret, neque Vicarium generalem creare, neque filios suos aecersere,

cerſere, neque benedicere voluit, vt illi ſpes omnes ſuas in Deo conſtitutas haberent, ipſum nihil fuiſſe, nihil eſſe arbitrarentur, humilitatis ſtudio paternum affectum ſilentio ſic obuoluente, quo factum, vt & hunc quoque ſummæ ſui deſpicientiæ fructum decedens Ignatius in altiſſimam gloriæ ſedem extulerit. *Deſcenſu euectus eſt.* Atque hic mihi in mentem venit ſuperbia primorum hominum poſt terrarum omnium eluuionem, qui cùm, vt eſt in S. hiſtoriis turrim, quo caput non poterant, aſtris affinem erigere molirentur ſurgente opere, deſcendiſſe narratur Deus retrogrado motu docens eſſe ſcandendum; quod certè Ignatium non ignoraſſe patuit, cum Ribadeneiræ perſamiliariter aliquando aperuit, id ſeſe precibus à Deo flagitaſſe, vt mortui cadauer inhumatum in cœno, lutoque prouolueretur, vbi feris & volucribus pabulum fieret. Nam quid ni ego, inquiebat, me hac deuotione dignum cenſeam, qui pars vltimo ſim cæni, ac luti: quo non inferior humili Franciſco viſus Ignatius fuit. Nam ſi de illo S. Bonauentura teſtatur, huius virtutis inſtinctu, morientem in nuda humo decumbere voluiſſe, hic & viuens, & moriens de ſe ita ſenſit abiectè, vt optaret in fimo ſepeliri, vbi ſimul memoria ipſius omnis tumularetur, vt exclamari meritò poſſit cum Ioanne Chryſoſtomo de Ignatij demiſſione: *O humilitas, quæ nec poſt mortem deficit!* hom. 54. in Matth. Hac vſus modeſtiâ eſt Ignatius, ſed quem Deus inſigniter mox euexit: Nos depreſſum ſingulatim cum euecto componamus.

Humilitas S. Frãciſci.

S. Ioan. Chryſoſt. hom. 54. in Matth.

Humilitate finali altius euectus Ignatius fuit.

Solus eſſe, atque à ſuis in morte voluit derelinqui: ſed Angelorum gauiſus eſt ſocietate.

Virtutes ſuas, ac ſanctitatem moriens obtexit. Cæleſtes faces ac lumina eum viſa ſunt colluſtrare.

In fimetum ac cloacam abiici voluit cadauer, & ſtellas inter viſum eſt, in mobili ſepulchro cubare.

Auibus ac feris cedere voluit in paſtum, & Angelis in laudes ceſſit ac cantus. Dum enim ſacra eius oſſa transferrentur, ſuprà pheretrum, vel potiùs triumphi currum aſperſit Deus aſtra pro floribus.

Nomen ſuum voluit eſſe infimum, & obſcurum, hinc primis à Conuerſione ſua temporibus, dum litteris chirographum adiiceret, hac formulâ vti conſuêrat: Ignatius virtutum inops, vel certè, Ignatius pauper & peregrinus. Et en dæmonibus formidabile fit, teſtis Petrus Ribadeneira, dum cacodæmonem ad nomen Ignatij impotentiùs ſolito clamantem audiit (vexabat namque is adoleſcentem quendam, vetueratque ne quis Ignatium ſibi nominaret) illum ſe principem in hoſtium numero ducere.

Ore, ad hæc linguaque inuocatum morbos pellere; papyro inſcriptum mortem arcere, febres, doloriſque moleſtias exſtinguere non ſemel obſeruatum eſt.

Vix dum exceſſerat, cum P. Iacobus Laynius deſperatus à medicis grauiſſimo morbo decumbebat, & ecce nomine eius magna fidentia inuocato ab omni ſtatim ægritudine libertimus ſurgit.

Sic ad infima deſcendit, ſic ad ſublimia eniſus Ignatius fuit ad exemplum vtique poſterorum, archetypon, inquam, maximè, admirabiliſque virtutis, cuius ectypa ducere, imitarique omnes condecet Chriſtianos præcipuè autem eos qui de Societate cenſentur: quibus virtutem hanc tantopere commendauit B. Pater, iam 3. p. c. 1. §. 3. ab omnibus eam ſeruari iubens in animo; iam in exteriori homine, deferendo aliis 3. p. c. 1. §. 4. Iam in ratione veſtitus eam oſtendendo 6. p. c. 2. §. 15. Speciatim autem requirendo eam in Rectoribus 3. p. c. 10. §. 5. deſiderando eam ſplendere in Generali 9. p. c. 7. §. 2. Ad hæc in formula viuendi oblata Paulo III. ſpeciali voto obedientiæ, quo Profeſſos Societatis Romano Pontifici obſtringi voluit, id expreſsè faciendum poſuit. Ad

Quanto ſtudio humilitatem commendârit ſuis Ignatius.

Dd maiorem

maiorem nostræ Societatis humilitatem. Et meritò, quia, vt ait Gregorius XIII. in Constit. Ascendente Domino: hoc Institutum omninò humiles & prudentes in Christo requirit.

Nec certè, quæ magna Dei in Socios benignitas erat, vel Ignatij spes decollasse visa est, nec summi Pastoris exspectatio falsa fuit, de Petro Fabro constans annalium fides est, adeo primogenitum hunc Ignatij filium in huius studio virtutis solitum fuisse patrem referre, vt alter ipse Ignatius videretur, ex quo tantum is capiebat fructum, vt sibi omne hominum genus adiungeret, & omnes aditus ad Principes viros amplissimosque Præsules aperiret, & apud omnes gentes, quocunque pergeret, summis, mediis, infimis amabilem simul, admirabilemque eum redderet, vt author est Nicolaus Orlandinus in vita l. 2. c. 12. vnde factum, vt docto cuidam viro, qui se Societati adiunxerat bona monita præscribens, consuleret in hunc modum: *sta in vltimo loco, quamdiu poteris: sectare vilissima, & abiectissima, officia, ex his enim gradum optimum in Christo crucifixo tibi poteris acquisiuisse.*

Petri Fabri humilitas.

Nicolaus Orlandinus in vita l. 2. c. 12.

Nec minùs in hac palæstrâ doctore Ignatio eminere visus est S. Franciscus Xauerius, bellissimus ille *Ignatij* filius, imago animi ac virtutis paternæ, cuius indicia in eius vita nec pauca sunt, nec obscura, tum verbis passim edita, tum factis luculenter. Et ad verba quod attinet, quis illis, quæ Tursellin. l. 6. cap. 8. de viro hoc Apostolico recitat, non incalescat?

S. Francisci Xauerij humilitas.

Ingemiscens subinde in ore habebat, ô arrogantia, venenum Christianæ virtutis, quantum obfuisti, obes, obfutura es orbi terrarum? quàm es Instituto & perfectioni Societatis Iesu contraria! quantopere piis & salutaribus sociorum conatibus aduersatis! negabat enim quemquàm germanum Societatis alumnum esse, ac Deo fideliter operam nauare posse, nisi contemptorem sui, & de se ipso, suisque rebus abiectè demisseque sentientem. Sed nec minùs exemplo quàm voce eloquens. Xauerius fuit. Iam proficiscens in Lusitaniam, comitum sedulò curabat equos: Iam in valetudinario, ad abiectissima quæque ministeria auidissimè descendebat, Goam autem apostolicus Legatus cùm venisset, Episcopi genibus aduolutus literas regias, ac pontificium diploma tradidit, his non secùs, quàm illi visum foret, vsurus. Nec verò exteriorem modo humilitatem coluit, sed multò magis interiorem illam, quæ in sui despicentia sita est.

Etenim cùm propter eximiam sanctimoniam haud secùs quàm vir Apostolicus suspiceretur, se tamen ipse nequissimum omnium mortalium iudicabat, honorem omnem perosus, honorantes auersatus: quo factum, vt pro more suo Deus, quantò is sese magis deprimeret, eum altiùs eleuaret: hinc per omnia fermè miraculorum genera, virtus eius eminuit, & dæmones quidem non tantum ipse pugnando sæpè deuicit, verum etiam ex obsessis corporibus eiecit, quà ipse per se, quà per Neophytos, quæ singularis eminentiæ prærogatiua est. Nec minor in morbis quàm in dæmonibus depellendis eius vis eminuit: moribundos non solum à morte, sed etiam mortuos tam viuus, quàm mortuus ad vitam plures reuocauit.

Ita attollitur, qui sese ad infima demisit.

Nec fugiebant hæc B. Franciscum Borgiam, cùm adeò studiosè in vnam hanc animi submissionem incumberet; quod vel hinc colligere liceat, dum suum ad pedes Iudæ, apud inferos locum esse fatebatur. Vnde ad infima mediastini officia, tam domi in coquina, quàm foris in nosocomio se demittere non formidabat: nec semel vrgente Carolo Imperatore in eminentissimum Cardinalium ordinem transcribendus, gemitibus purpuram est amolitus. Verùm latere sub modio lumen vetuit Deus,

Deus, quod candelabro destinârat: sanctitatem viuentis,& defuncti beatitatem, subsecuta mortem diuersa, eaque non pauca miracula suprà hominem extulerunt, iuxta Dei-hominis sanctissimum decretum, tam Matth.25. quàm Lucæ 15. & 18. in sacras tabulas relatum: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*: quod Vrbano VIII. Pontifice Maximo, applaudente Ecclesia consecutus fuit: dignus, cui etiam in tanto seu naturæ, seu gratiæ fastigio, de se submissè sentienti, idem quod Seraphico olim Francisco, elogium detur admirandæ subuectionis: *Franciscus pauper & humilis, cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.*

Matth.25 Lucæ 15. & 18.

Andreas Oviedus.

Præteriisse hîc Andream Ouiedum genuinum Ignatij discipulum nefas sit, & qualem ac quàm humilem virum! qui longè profectò ad infima descendit, moxque ad sublime, ducente Deo euectus fuit. Antequàm ad Societatem accederet, Deo vouerat, vt si repulsam ferret saltem ad obsequia vltima coadiutorum temporalium admitti tantus Theologus postularet: Formula voti hæc erat: *Ego Andreas Ouiedus non cum dolo aut fraude, sed spontè ac liberè voueo, & promitto omnipotenti Deo, gloriosæque Virgini Mariæ, & omni curiæ cælesti, me perpetuò secuturum & obseruaturum ordinem Societatis Iesu, &c. quod si verò aliquid obstet, ratione cuius, meritò, in eorum Societatem recipi non debeam, ipsique presbyteri consueuerint recipere aliquos sub eorum tamen obedientia, pro ministerio domus, vt sc. coquinæ, portæ, expensæ, aut pro seruitio Patrum & Societatis prædictæ, promitto & voueo Deo omnipotenti, me futurum vnum ex iis perpetuum aut temporalem, ad prædictorum Patrum voluntatem. Ita est manu proprio.*

Votum P. Ouedi.

A S. Patre itaque admissus, submissione animi, odio sui, humanarum rerum contemptu cessit nemini. Cùm ecce vigilante super humiles Domino, cum B.P. virum quæreret, qui Gandiensis Collegij prima iaceret fundamenta, Andream ad id munus destinauit.

Exinde Neapolitano Collegio Rector datus, vnde Pontifice summo iubente, & Rege, Episcopus in Æthiopiam missus, exstinctoque Patriarchæ subrogatus, verum Apostolum egit, miraculis plurimis tam viuus quàm mortuus clarissimus: quæ inter, hæc ad rem nostram maximè memoranda, quibus humillimum virum de terra, & per terram sepulchri sui, non mediocriter eleuauit, dum ea inde allata, & in potum hausta, depulso morbo, vlceribus, emplastri in vicem imposita facta fuit salutaris.

Ita quæ latere amat humilitas, latebris abdita libentiùs crescit, quod & in Bernardino nostro Piccino euidenter patuit, qui cùm tota Sicilia virtute, scientiaque foret celeberrimus, Claudium Aquauiuam Præpositum Generalem rogauit, vt cùm patria in terra magnus ab omnibus haberetur, latebras sibi opportunas, apud exteros, quærere posset. Exoratus itaque per litteras assensit Claudius, in Italiam euocat, ac Tiburi paucis edocendis pueris omnibus ignotus addicitur, in eoque tam humili opere supremum diem clausit. Consecuta est mortuum, quam viuens fugerat, & multo quidem cum fœnore, gloria, laudatusque est publicè in Collegio Romano, rarò apud nos honore, ac non nisi summis viris delato.

Bernardinus Piccinus.

Huic non absimile est, quod de Ioanne Baptistâ Carminatâ, viro vndequaque sanctissimo ac sapientissimo, vt communem veluti parentem Panormitani eum colerent, & venerarentur Annales nostri testantur, qui cùm exhausto viribus corpusculo paucos sibi vitæ dies superesse intelligeret, ac sanctimoniæ famam vereretur, eam vel post fata opprimere tentauit. Paucis antequàm obiret diebus ad Superiorem adit, obsignatumque libellum tradit, rogans antè obitum suum ne resignaret, quæ in

Ioannes Bap. Carminata.

illo scripta essent, sciri operæ pretium sibi videri.

Nec ita multò pòst moritur Carminata: Præpositus minimè dubius arcanum aliquod magnum diuinitùs acceptum, quod viuens prodere noluisset, eo contineri, aperit statim, sed alius longè erat libellus, in quem ipse coniecerat quidquid, integrâ veritate, ad se deprimendum ac denigrandum corradere poterat, aut inuenire.

Quæ vbi perlecta, stupore defixi omnes qui aderant, solidam hominis admirari humilitatem; cui tamen minus è sententia res cecidit, hæc enim quæ ille ad obseruandam sui nominis famam exarauerat, magnum famæ fuerunt incrementum: vulgatumque est ab eo, qui arcana vitæ omnia, nouissimâ exceperat confessione; Carminatæ in omni eo bello de quo maximè querebatur nihil vnquam tristius, quod doleret, accidisse, quæque lilia nascentem exceperant, intaminata morienti superfuisse. Sic, qui se deprimit, erigitur, illius mensura, huius facta iam norma.

Omitto cæteros, ne historiam videar velle texuisse, de quibus id liberè pronuntiâro; vt olim Apelles subtilissimo, nescio quo, atramento, imaginum, quas pinxerat, colores ita obuelabat, vt quantum floris ac lucis decederet, tantum gratiæ adderetur; ita in his florem nobilitatis, eruditionis atque virtutis dissimulatæ longè amabiliorem conspectum fuisse, quamquàm tacentibus, erupisse tamen, & quasi furto se prodidisse, plus placuisse. Atque ita ascenditur descendendo! cùm enim non vtcunque Christus dixerit, *qui humiliatus fuerit, exaltabitur*; *sed qui se humiliat, exaltabitur*: & Ignatius, longè ad infima ei descendendum esse, qui eniti ad sublime quandoque velit, necessè est, vt nos ipsi sic humiliemus, si aliquando sic ascendere velimus, iuxta verissimum *S. Prosperi* effatum: *non acceditur ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem, & cui propinquat subditus, ab eo recedit elatus*: addiderim, bona tanti Doctoris venia, & perit prostratus: cui testimonium dedit *B. Petrus Damiani* Epist. 15. *Quidam*, inquiens, *Clericus audax & bellicosus suo fastu, & armis magnus euaserat, ideoque de prædiis quibusdam litem habuit cum nobili viro, quàm prælio decidere statuit; ante prælium tamen adiens templum, audit, casu hæc verba legi, omnis qui se exaltat humiliabitur; qui verò se humiliauerit, exaltabitur: ad quæ mox ipse: sententia hæc*, inquit, *in me falsa est, si namquè ego me humiliassem, nunquàm tam magnus euasissem: mox inito certamine, cum equus eius sitibundus ad vicinam aquam illo inuito procurreret, atque ipse eum reducere conaretur, ecce tibi gladius hostilis ob eius blasphemum transfixit, virumque occidit, ac superbum prostrauit, veram sic esse Christi sententiam demonstrans.*

Matth. 23.

S. Prosper.

Petrus Damian. ep. 15.

Hoc antè, Iudicium Sirachidæ fuit Eccli. 2. *Deprime cor tuum & sustine*: est enim natura cordis nostri palmæ similis, cuius cor quantò plus opprimitur, tantò altiùs exsurgit, vnde Cant. 7. inter Sponsæ laudes refertur, *statura tua assimilata est palmæ*: depressa namque crescit sublimior: quod alius hoc lemmate firmatum voluit: *Ianua gloriæ humilitas*, & ego hac memoratu dignissimâ obsignabo ceremoniâ, quâ Corinthij sibi Archiducem creant: Est patens vallis ad vittum oppidum, nec procul hinc lapis in prato erectus, quem rusticus occupat, hinc bouem, inde equam manu tenens: accedit futurus Dux agresti habitu, pileo tectus, calceos & pastoralem baculum gerens, venientem intuitus qui lapidem obtinet, Illyricâ voce, quis, inquit, est hic? Respondent comites; Princeps regionis est: tum alter, quæro, quo me iure hac à sede dimouebit? ait Comes Goritiæ 60. denariis hic à te locus emitur, & vestimenta, quæ Dux exuet, habebis: & eris tu cum tota tua domo liber. Quibus dictis rusticus futuro Duci alapam infligit, iubetque simul iustum & æquum Iudicem esse, & loco cedit,

Eccli. 2.

Cant. 7.

Ceremonia qua Corinthij Archiducem creant.

dit. Tum lapidem Dux occupat, nudum gladium vibrans. Ferunt & aquam agresti pileo delatam potare, in futuræ sobrietatis argumentum: dein sacris operatus in vicino sacello, humili veste deposita, paludamentum induit, sedensque pro tribunali, ius populo dicit. Sabell. l. 5. En. 10. Ita summa spectantibus ab imis incipiendum est, quibus fundamentis nixa virtus, ad summum honoris apicem solet eluctari, iuxta antiquū illud: *Bene vixit, qui latuit bene*; sed, vt olim felicior conspici possit.

Sabellicus l. 5. enneade 10.

Et hæc omnium semper magnorum Ascetarum mens, atque doctrina fuit: testis mihi è pluribus vnus sit P. Balthassar Aluarez, quo sua ætas, vel teste S. Theresia, illustriorem spiritu non nouit: hic itaque dum nobilissimæ cuidam Dominæ religiosum ordinem ingressæ scriberet, sic legitur fuisse locutus: Si quæras in „ quo maximè debeas eminere? di„ co in te valdè, valdè, valdè (ter „ hoc repetit) humiliando. Ne exi„ stimes te aliquid proficere nisi te„ omnium minimam reputes, nihil „ est honorabilius in creatura Chri„ stum Dominum nostrum cognoscente, quàm quòd eidem sit in re „ aliqua similis. Et vix aliam inue„ nies, in qua magis sibi ille complaceat, aut magis nunc tibi expediat, „ quàm hæc. Ideoque Christus Do„ minus noster, qui, quà Deus est, „ nostram nouit imbecillitatem, „ viasque nostræ perditionis, & ap„ tissima eius remedia, valdè serio, „ vt S. Augustinus aduertit, com„ mendauit, vt disceremus ab ipso, „ quod humilis esset corde. Humili„ tas, in verbis, ac ceremoniis, siue „ moribus quibus mundus decipitur, „ facilè obtinetur; at cordis, quæ „ Deo placet tardiùs & magna ad„ hibitâ curâ comparatur. Cùm igi„ tur religionem ingressa sis, vt stu„ deas illi placere, certo tibi persua„ deas, tunc te maximè placituram, „ cùm omni tuo conatu contenderis „ pretiosam hanc margaritam com„ parare. Sic ille.

Balthass. Aluarez studio humilitatis doctrina.

Claudo Comment. verbis Abbatis serm. 3. in Nat. S. Ioan. & doctrinam obsigno: *O beatæ humilitatis excelsa maiestas, quæ dum suo iudicio in ima deprimitur, ad cælestia subleuatur, quare si non placet humilitas ex sui honestate, & æquitate, placeat saltem ex vtilitate quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam diuinam, sed nec ad gratiam humanam vlla pulchrior aut iustior, & sæpè nulla compendiosior.*

S. Bernard.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVARTVM.

Fortiter & hoc dixisse fertur Societatis operarios altero tantum pede terræ insistere, altero ad iter suscipiendum subleuato esse debere.

R.P.N. Goswinus Nickel in epist. ad vniuers. Societatem.

Commentarius.

Idea operarij Societatis.

Breue verbum, sed efficax! quo Euangelicos operarios, quales sacra Iesu Societas suos omnes esse desiderat, velut expressâ quâdam imagine beatus Ignatius designauit, maiore longè efficacitate atque prudentiâ, quàm olim veteres illi Macedones, Alexandri sui Regis imperium exprimere cupientes, eum pede vno terræ, altero aquis insistentem depinxerunt: gnauus hic namque dominicæ cultor vineæ, & apta ad opus suum re-

gula, & præsenti solet agnosci effigie, si quod Apophthegmate hoc exprimitur, fideli non desinat animo ac mente complecti; *stando nimirum*, vt magnus docuit Apostolus, *succinctis lumbis, pedibus calceatis*, addam, & altero è terra subleuato, *in præparationem euangelij pacis*, vt anchora velut sursum attractâ, quæ nauem fundabat, ac rudentibus, quibus detinebatur solutis, nihil iam reliquum sit, quod cursum remoretur.

Ephes. 6. 14.

Atque hoc erat amplissimæ rei caput, quod Princeps Apostolorum Petrus 1. Pet. 1. 13. tantopere neophitis suis commendabat, dum eos ad bellum expeditos, cum dæmone ineundum, ad animas Deo lucrandas, ad iter in cælum promouendum esse volebat, tollendo nempè omne id, quod gloriosum hoc iter retardare queat, vt est stola ad talos defluens, nata gressum, nisi succingatur, temorari, plantæ luto infixæ, nisi ante soluatur. Vnde *S. Hilario*, *zona*, *est efficax in omne bonum apparatus, quo ad omne ministerium promptæ voluntatis cingulo simus accincti*: quæ promptitudo iterum per calceamenta libertatis indicia, significatur, quibus prompta alacritas animi, partim ad ambulandum viam euangelij pacis, partim ad eam gentibus barbaris, atque infestis annuntiandam, per infensissimos dæmonum & hostium cuneos, fortiter pergamus, atque in cælum pede certo penetremus.

1. Petri 1. 13.

S. Hilarius.

Et hinc quidem Marci 6. 9. Apostolis & Prædicatoribus Euangelij, sandalia dantur, quo sc. audenter & alacriter munus sibi iniunctum suscipiant, & omni timore huminum, affectuque seposito, illud promptâ exerceant libertate, quod pulchrè admodum S. Basilius, magnus nomine, doctrinâ, eloquentiâ, sanctitate maximus, in admonitione ad filium spiritualem, sic legitur prosecutus: *Miles terrenus quocunque locorum mittitur paratus ac promptus est, neque se vxoris, aut liberorum gratia excusare audebit: multò magis miles Christi, sine aliquo impedimento, regis sui imperio debet obedire. Ille in prælio galeam ferream gestat: huius galea Christus est: ille loricâ, ne vulneretur, induitur; hic pro lorica, fide Christi circumdatus est. Quid itaque timendum? incitandus duntaxat ad officium animus est, pes ocyùs de terra leuandus, ne flantem spiritum interposita mora eludamus.*

Marci 6. 9

S. Basilius admonit. ad filium Spiritual.

Et talem quidem hoc aureo suo, scitoque Apophthegmate S. Pater Operarium deposcit, nulli cupiditatum glebæ affixum, neque in puluere vanitatum repentem, neque solum pedibus radentem, aut ambobus pedibus eidem inhærentem; sed in agendo promptum, sine cunctatione expeditum, quales, dum è Nilo bibunt, canes nobis Solinus describit, quos nisi currentes lambitare aquas, ne à Crocodilis, quibus Nilus abundat, deprehendantur, testatum reliquit.

Solinus.

Quales iterum esse in aluearibus legimus apes, de quibus S. Augustinus: *non frustrà in mellis copia pinnas habent apiculæ, necitit enim hærentes*: hinc vbi mel fuderint, auolant illicò, fauis suis adhærescere metuentes, hoc est à mellificio præpediti; Neque hic prouida vtilitatis animalium, insectorumque natura mater, hominibus velit esse nouerca, quæ ideo in Canibus, Apibus &c. nos edocet, vel ipso Christo Domino, ac Seruatore nostro his verbis inuitante: *respicite volatilia cæli*, vt quid fugiamus, quid sequamur, dum id quod in eis prælucet, in prompto habeamus.

S. August.

Matth 6. 26.

Neque id sanè ignorasse Aurelium crediderim Augustinum sapientissimum illum pietatis antistitem, dum ser. 33. de verbis Domini sic legitur argumentatus: *Amor rerum terrenarum, viscus est spiritualium pennarum: ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas vt columbæ, quando volabis, vbi verè requiescas? quando hîc vbi malè hæsisti, peruersè requiescere voluisti.* Et iterum in epist. 1. Ioan. *Fuge mundum, si vis esse mundus: si tu es mundus, iam te non delectat mundus. fuge creaturas,*

S. August. serm 33. de verb. Domini.

Item in ep. 1. Ioan.

creaturas, si vis habere creatorem, omnis creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat: miluus in cælo cognoscit tempus suum, nec id homo cognoscere prætermittat in terra.

Atque hic denique verus erit ex mente Ignatij Euangelicus Operarius, quem nulla cupiditas terræ teneat affixum sed sola Dei dilectio in sublime feruet euectum.

Cui autem huiuscemodi virum similem dixerimus, aut cui comparauerimus eum? Procul sanè & de vltimus finibus pretium eius. Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia, nec lapis sardonyx, vel saphyrus. Repertus tamen est nuper lapis aliquis longè excellentissimus, tùm pretio, tùm naturâ verè mirabilis, quem Augustinus Thuanus l. 5. hist. ad Regem Galliæ allatum scribit, ex India Orientali, quem licèt operario nostro adæquare nolim, illo famem figurati eum, describique faciè comprobârim, quo fiat, vt eius nobis dignitas magis resplendeat, & virtus clariùs elucescat. Scribit itaque præfatus author, lapidem hunc stupendâ specie, naturaque pollentem, miro lumine ac fulgore coruscasse, vt totus ardere videretur, splendore nullis fermè oculis tolerando: fuisse insuper in eo, hoc admirabile, quod terræ impatientissimus, si eâ cooperiretur, suâ sponte, & vi facto impetu, confestim in sublime solitum euolare: contineri verò, includique vllo loco angusto, nulla hominum arte potuisse, nec vllis sordibus inquinati. Quid ais Lector? nunquid insignis hæc operarij nostri idea, dignaque effigies? in qua, & clarissimam eius lucem ad exemplum: terræ fastidium, rerumque terrenarum fugam ad virtutem: aduersantium, atque obsistentium propulsationem ad victoriam, licet intueri? quæ omnia, vt in aliis S. Ignatius, requitebat, ita & in se antè voluit esse expressa, hinc cum Præpositus esset generalis, aliquoties dicere auditus est: *si summus Pontifex imperaret, vt ostio Tyberino scapham,*

Aug. Thuanus l. 5. histor.

vel nauigium quodcunque primum inuenisset, clauo, malo, velis, remis, cæterisque ornamentis spoliatum condescenderet, & ita absque vllo commeatu mare traiiceret, se id non solum æquo, sed etiam libenti animo facturum.

S. Ignatij à terrenis auulso & animi libertas.

Nonne id erat animo à terrenis auulso, pede altero stare eleuato, sibi ad gloriam, cæteris in exemplum? hauserat idem non infeliciter ille ex sacra illa Societatis decuriâ pœnè par magistro discipulus S. Franciscus Xauerius, dum Nicolao Bobadilla, quem vnâ cum Simone Rodericio, sic iubente Pontifice, ad Indicam Messem Ignatius elegerat, grauiter ægrotante, illum in huius locum, his verbis suffecit: *non te, inquiens, Francisce, clàm est, Simonem à me, cum Bobadilla in Indiam destinatum, hunc autem morbo attineri: te, ego alios ad vsus apud me retinere te statueram, sed Deo aliter visum, qui segregauit te in Euangelium suum. Age igitur, macte virtute vir, ducem sequere Deum, qui te in Indiam vocat.* Nec pluribus opus, & qui altero tantum pede terræ insistens, alterum ad iter suscipiendum pridem eleuârat, quare se Christi causâ respondit paratum esse ad omnia & quidquid hîc esset siue oneris, siue periculi non dubitanter subire: vt namque cætera sibi humana, diuinaque præsidia deessent ad obsequendum Deo, propensam obsequendi voluntatem certè non defuturam, eundemque fore & obedientiæ finem & vitæ. Magnitudo sanè animi singularis! quam etiam post decennalem apud Indos moram, nequaquam imminutam *S. Ignatius* sibi persuadens, cùm *velocem fore tabernaculi sui depositionem prouideret, Franciscum Romam reuocandum statuit, epistolâ ad eum scriptâ, quâ expositis sui consilij caussis, ad extremum vna littera, I. seorsum subscriptioni adiecta, rem omnem designauit,* innuens sc. adeo se eius obedientiæ confidere, nec dubitare, quin Romam vel ex vltimis terris, & ex medio Euangelij cursu reuocanti statim obtemperaturus esset. Neque sua Ignatium

S. Francisci Xauerij expeditus ad omnia animus, eiusq; magnitudo.

ratium opinio fefelliſſet, omninò enim illud I. eius animum perpuliſſet, qui nulli glebæ alligatus tenebatur, niſi ante Ignatij literas perlatas, ille iam ad ſuorum laborum præmia euolaſſet.

Petrus Faber. Ex eodem fonte biberat Petrus ille, quem Societas poſt *Ignatium* & Xauerium Fabrum ſuæ agnoſcit amplitudinis, ab *Ignatio* ſiquidem per ſextiles calores, qui Romanum cælum tum primò ſubeuntibus peſtiferum reddunt, in vrbem reuocatus, quamquàm curatiſſimè amicis, medicisque monentibus, cunctaretur paululum, dum pluuiæ æſtatem frangerent, nihilominus conſtanter irè perrexit; quis enim eleuatum alterum habens pedem, vnique ſolum inſiſtens, ſuſtineat impellentem? ſecutus eſt itaque S. Spiritus impulſum, & verum Societatis ſe Operarium, cui viuere ſemper neceſſarium non ſit, obedire autem ſemper neceſſe eſt, morte obita demonſtrauit, quod è beata cæli regione, quam tantâ hac virtute conſecutus erat, palàm facere non prætermiſit, cùm ſe amico, beatâ luce effulgentem oſtendit, monens obedientiam illam, quæ mortali noxia fuerat, frugiferam immortali ſibi fuiſſe, magna acceſſione felicitatis.

Tanti eſt pede ſubleuato, quo affectionum noſtrorum libertas denotatur, ſe Deo promptum & expeditum offerre, quod primi olim Chriſtiani ritè perſpexerant, cum in templo precibus operam daturi, in clauſulis orationum, vt author eſt Clemens Alexand. Stromat. l. 7. pedem vnum ſolebant ſummâ animorum conſenſione de terra leuare, vt præ amore ſempiterni domicilij, ſtudioque magno cæleſtem, iam hinc euolare videretur: quod Operarius noſter imitatus, ad maiorem Dei gloriam proſequendam, lucrumque animarum conuertit. *Clemens Alexand. Strom. l. 7.*

Et rectè id quidem, ac iuſtæ conſentaneum rationi, quis enim ſiccis oculis aſpiciat hominem in conquirendis opibus concitum, in venandis honoribus alipedem, ac feſtinum, cur dem verò in promouendo Dei honore languidum, ſuique comparandâ ſalute frigidum, ac ſegnem? & quot tamen indies huiuſmodi propudia datur intueri? teſtis mihi ſit vnus ille in cæteris religioſiſſimus, idemque certiſſimus Thomas Malleolus à Kempis lib. de Chriſti imitatione, vbi ſic in rem noſtram ſcribit: *pro modica præbenda, longa via curritur, pro æterna vita, vix pes de terra leuatur!* quod ſi de ætate ſua theodidactus ille ſcriptor pronuntiârit, optandum foret in noſtram minimè conuenire; neque id ſolum, ſed inſuper vt quod ſubleuato pede decernimus, manu ſtrenuâ exſequamur, ſicut C. Plinius prudentiæ politicæ ſcientiſſimus, his verbis innuit, *Manus*, inquiens, *debet congruere cum gradu, ſemperque cum dextero pede*. q. d. pedem dexterum è terra leuaſti, vt iter ſuſcipias? manum pariter ad opus extende: in quo abſoluta Operarij noſtri perfectio conſiſtit, vt quod de eiuſmodi ait *Chryſoſtomus*: *tamquàm pennati totum peruolitare orbem parati ſimus, & velut incorporei, labores omnes & pericula contemnere, & tamquàm iam cælum poſſidentes cuncta terrena deſpicere.* *Thomas à Kempis de Imit. Chriſti.* *C. Plinius.* *S. Ioan. Chryſoſt.*

An expediat Miſſiodem petere vel exſpectare. Verùm non leuis hîc vna quæſtio, tum ad cognitionem pulcherrima, tum ad conſiderandam religionem neceſſaria, exſurgit, an ſatis ſit eiuſcemodi Operarium illæſam Superioris voluntatem præſtolari, an verò expediat eam ſibi vltro depoſcere, & feruentia ſua deſideria, quibus in miſſionem fertur, identidem explicare?

Et duo quidem hic conſideranda inuenio: *Reſponſio.*

Primò, rem vnam periculis multis expoſitam ſemper fuiſſe iudicatam, expeditiones huiuſcemodi proprio arbitratu ſuſcipere, proinde à Præſidibus ac Præſulibus, aut ſaltem Confeſſariis hunc motum eſſe exſpectandum, niſi turpiter errare, atque à Deo Domino deſeri velimus, quod vel ex hoc Moſis facta intelligi poteſt,

ſeſt, qui dum virgam ſuam manu teneret, portenta ac miracula plurima in ea deſignauit, vbi verò eam dextera ſua excuſſiſſet, in ſerpentem abire conſpexit, ita vt ſacrâ teſte Scripturâ & ipſe fugeret Moſes: Idê autem iſtiuſmodi Operariis euenire ſolet, qui iuſſi quidem miracula patrant, iniuſſi autem miſerè ſerpunt, tantumque abeſt, vt proſint, quin potiùs & aliis ruinam, & ſibi damnum, virtutis ſpecie, non leue apportent. De quibus olim apud Hieremiam queſtus legitur Deus, *non mittebam*, inquiens, *Prophetas, & ipſi currebant, non loquebar ad illos, & ipſi prophetabant. ſi ſtetiſſent in conſilio meo & nota feciſſent verba mea populo meo, auertiſſem vtique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis.* Cap. 21. Quod cùm illi neglexerint, manum ſuam abſtraxit Dominus, vt Euangelici Concionatores diſcant bene, ſubditi eſſe, ne mali operarij aliquando exiſtant: atque hoc eſt, quod Apoſtolus gentium Paulus ad Rom. 10. his verbis nos docet. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* cùm enim opus illud eiuſmodi ſit, quod multò opus habeat præſidio & gratiâ, quomodò iis aliquis deſtitutus id exequatur? vnde factum vt B. Ignatius in ſeptima Conſt. ſuarum parte, quâ de Miſſionibus agit, ſuis perinde eſſe debere ait, in quam orbis regionem à Superiore mittantur, vt vel in eam ad tempus proficiſcantur, vel ſedem ſtabilem figant, tam inter fideles, quàm infideles, tam in Indiam, ad Barbaros, quàm ad hæreticos, nullâ tamen ratione procurare, aut eniti debere, vt ad hunc potiùs locum, quàm ad illum mittantur, ſed prorſus indifferentes eſſe oportere: quare cùm Iacobus Laynes, qui demortuo *Ignatio* in gubernanda Societate proximè ſucceſſit, deſiderium quoddam ardens ſentire ſe dixiſſet in Indiam proficiſcendi, quo miſeros illos populos in cæca gentilitatis nocte degentes, & operariis Euangelicis deſtitutos in viam ſalutis reuocaret, Reſpondit illi S. P. *equidem nihil horum deſidero.* Cauſſam à Laynio interrogatus: *quandoquidem*, inquit, *obedientiæ votum Pontifici ſummo præſtitimus, vt ipſe nos pro arbitratu, quocunque maior Dei gloria vocârit, emittat; ita debemus eſſe indifferentes vt non magis in hanc, quàm in illam partem inclinemus.* Quin & addidit: *ſi ego me ad Miſſionem Indicam, vti tu ſentis, impelli ſentirem, in partem potiùs contrariam me inclinare ſatagerem, vt ad illam æqualitatem pertingerem, quæ ad obedientiæ perfectionem obtinendam neceſſaria eſt.*

Hieremiæ 21. — *Rom. 10. 15.* — *Cupiebat Ignatius indifferētes Operarios.* — *Iacobus Laynes ab Ignatio inſtruitur circa Miſſionem indifferentiā.*

Quæ licèt ita ſe habeant, aduertendum nihilominùs.

Secundò eſt, nihil hîc virtuti decedere, ſi quis ſubditus ardentia ſua deſideria, votaque, quæ, mente iam à terrenis auulſa, concepit, atque in huius dignitatis labores accenditur, Præſidi ſuo, ea tamen animi facilitate, vt in vtrumque paratus ſit, explicârit, vnde dicto loco *S. Ignatius* addit Superiores gaudere debere, quòd ſibi huiuſcemodi deſideria ſubditi proponant, vnde colligant ad hoc illos à Domino vocari; atque omnia maiori ſuauitate abſoluenda; quod in eodem S. Patre clarè apparuit, dum Hieronymum Natalem aliquopiam mittere decreuiſſe, ex quo nihilominùs antequàm mitteret, ſcire voluit, quonam ipſe potiſſimum propenderet, vt maiori facilitate res tota perageretur: neque enim rarò fieri ſolet, vt Deus inmediato quodam influxu, huius numeris amorem quibuſdam inſtillet, vti patet in Samuele lib. 1. Reg. cap. 2. Præcipuè verò Eſaiæ 6. vbi cùm Dominus Prophetam ad nobilem quandam expeditionem mittere decreuiſſet, noluit eum vltro eligere, ſed elatâ voce virum explorans, *quem*, inquit, *mittam & quis ibit nobis?* Vix verbum finierat Dominus, cùm Eſaias; *ecce ego, mitte me*. q. d. dum ego hic præſens adſtem, otioſa ſolicitudo eſt, alium quærere operarium iam mentis meæ ardor moras in executione non patitur, cur alium quæris? ecce ego, mitte me. Et votum Prophe-

1. Reg 2. — *Iſaiæ 6. 8.*

Prophetæ impleuit Deus, missus fuit ad expeditionem fructuosam adeo, & illustrem, vt vberiorem gloria, ac meritis illustriorem orbis terrarum non viderit aliquando.

Quærit hîc acerrimi vir iudicij & melleæ eloquentiæ flumine exundans S. Ambrosius l. de verb. Isaiæ: *S. Ambros. l. de verb. Isaiæ.* cur vatem deposcere voluerit, quod ei poterat imperare? respondens autem, inquit: *Seruulo suo poterat imperare, quem dignum, vt mitteretur inuenerat; sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, quia vt ipse se offerret præstolatus est, & quamuis eius sciret affectum exspectauit tamen vocem, vt gratiam cumularet:* vbi suprema hæc verba attentè consideranda sunt: *exspectauit tamen vocem, vt gratiam cumularet*; qui namque Præsidum suorum voluntatem in Missionum negotio anteuertit, næ ille cumulatè admodum gratiæ suæ dona exauget.

Idem confirmat summus Pontifex Anacletus epist. 2. dum Christum Seruatorem nostrum duos & septuaginta illos viros Apostolicâ eloquen- *Anacletus epist. 2.* tiâ persuasos, & Messis fæcunditate mirificè captos, eorum præcibus, in operariorum numerum adscripsisse *Lucæ 10. 1* refert: *designauit*, inquiens, *& alios septuaginta duos, & misit illos ante faciem suam:* apertè hoc facto demonstrans, neque virtutis perfectioni, neque prudentiæ legibus aduersari, desiderare atque vltro deposcere ad huiuscemodi munera destinari, modo desideria hæc, & postulationes neutram in partem propenso studio, in medio perseuerent, animo quamlibet in partem, tam aientem, quàm negantem indiscriminatim parato: quod certè nulli cordato, prudentique viro difficilè erit persuadere, neque enim omnes de Societate Missionibus impendi debent, sicut nec cælites omnes continuò in terris versantur, vt Deo suo, quod maximè amant, animas lucrentur, sed quando sic Deo visum est: secus, immobiles diuinis laudibus hymnisque concinendis in cælo operam nauant, nec minùs isto otio, quàm illo motu, Deo placent, sibique gratulantur: quod vel in militibus liceat agnouisse, qui non minora stipendia referre solent, dum in præsidiis versantur, quàm dum infesto cum hoste confligunt, cuius non alia caussa est, quàm his absentibus facilè in castra, vrbesque hostis irreperet: quem, hâc ratione auertunt, & rem vtilem præstant: sic nullâ quoque laude, meritoque illi frustrantur, qui cæteris generosè præsidum arbitrio, Missiones obeuntibus, ipsi eorundem voluntate Collegia tuentur, suisque exemplis ac doctrinâ Christianum populum ad virtutem inflammant; quare hi linguis aliorum concionari, alienis pedibus iter peragere, sed propriis manibus itinerum merita colligere dicendi sunt, non secùs ac Saulus nondum Paulus, teste Ioan. Chrysostomo, dictus est o- *Act. 7. 59.* mnium lapidantium manibus Stephanum lapidasse, quia vestes eorum seruârat, neci consentiens Leuitæ.

Esto itaque, vehementi desiderio ad Missiones anheles, anchoram leuaris, rudentes expedieris, vela expanderis, classicum cecineris, caue oram soluas, nisi afflante spiritu, Architalassi, inquam, poppysmate ac voluntate, est namque non tarò, & in portu salus, contra verò sæpiùs in alto naufragium, dum id vel temerè, vel inconsultò petis, aut, quia necdum affecta apud Deum victoria est, aut ipse ἐθελοθρησκείαν nostram castigare intendit. O quot eiusmodi ossibus albentes scopulos conspicit Amphitrite! quos tristi exitio ἐθελοκίνδυνοι isti socij consecrârunt, dum periculis, ad quæ non mittebantur, succubuerunt, vnum dabo è multis, ne temerè quod dixi, videar pronuntiasse: Author est Petrus à Ribadeneira vir fide ac scriptis clarissimus, qui tragædiam hanc rei nostræ insigniter stabiliendæ, in Dialogis suis, *Petrus Ribadeneira, in dialog.* testatam his verbis reliquit: Fuit, inquit, à paucis retro annis Religiosus quidam flagrantissimo Conuersionis infi-

infidelium zelo incensus, solitus identidem Euangelicos Hispaniæ operarios verbis acribus perstringere, quòd cum præ oculis haberent indies Africam Maurorum legibus pollutam, sordibus ad stuporem infectam, nequidquàm tamen istuc se conferrent, nec fretum traiicerent, pereuntibus opem allaturi.

Hæc ille diurnis, nocturnisque horis meditans, igne zeli sui assiduè torrebatur: cùm die quâdam ante sacrorum Antistitem se stitit, rogans obnixè, vt sibi magni loco beneficij munus hoc committatur: Antistes rei grauitate, plenaque periculis aleâ prudenter expensâ, abnuere visus, hominem ad orationem à se dimisit. Non acquieuit tamen, sed denuò reuersus, & maioribus verborum phaleris, ac precum tormentis Antistitem aggressus, tantum effecit, vt vel inuitus facultatem concesserit, non, quod sic rebus istius expedire iudicaret, sed ne vlteriore repulsâ homo nimium affligeretur. In Africam itaque traiiciens, ad portum Arrachianum appulit, vnde Bocanum Mauritaniæ Tingitanæ vrbem, Mareucos Hispani appellant, incolæ Marocco, secundo cursu digressus, mox rete Euangelij expandere cœpit. Cùm ecce primâ suâ ad populum allocutione, acriter in Maurorum sectam inuectus, multis conuitiis ac sannis non segniter in gentis deliria congestis, fustibus, alapisque malè mulctatus, in fœdum carcerem deiicitur, infestâ fame, nec minùs pestilentibus aquis enecandus, cuius tormenti atque miseriæ finem, cùm præter vnam, eamque tristissimam mortem, nullum nec consequi, nec sperare quidem posse videretur, nefarium admodum cum Mauris inire fœdus decreuit: hîc illi, orthodoxæ fidei diuortium, ad cætera omnia surdi, misero proponere, Christum abiuret, Mahumetum admittat, eiusque ritibus ac legibus initietur, quas ante tot iniuriis affectas violârat, exposcere. Acquiescit infelix, Catholicam fidem eiurat ac vehementi pauore contertitus Mahometo sacramentum dicit.

Nec mirum: non enim cælesti illo robore ac virtute ex alto induebatur, quibus assolet Deus illos communire, quos ipse ad huiusmodi certamina ac luctas benignè emittit.

Hâc itaque lege vinculis, custodiaque egressus, præputio minuitur, variisque Maurorum ritibus suo ordine expletis, quantum anteà scommatum ac conuitiorum in Mahometanam sectam effuderat, tantum in Christi legem proiecit. Acquiescere his sanè potuisset infrænis Maurorum sæuitia, sed finem nullum inuenit, donec altiori metu Christianos perculsuri, ne quid simile in gentem suam, Prophetamque committere aliquando attentare ue auderent, hominem publicè accusatum, damnatumque altissimis ignibus absumpserunt, animâ pariter ac corpore miserrimum longè hominem perdentes. Exemplum in ingens omnibus Euangelicis operariis ne iniussi prouinciam ambiant, iussi verò non detrectent, illic deseri metuentes, hîc verò se adiutum iri, neutiquàm dubitantes, quod dudum antè tam in Mose, quàm in Iona liberè, neque dissimulanter docuisse Deus visus fuit, cùm illum ad sui populi sospitatem mittere decreuisset, atque ipse, tùm quia illitteratus esset, tùm verò ore bleso verba frangeret conuenire Pharaonem detrectaret: & perstitit in sententia sua Deus, & legatione functus est Moyses: nec tamen cælestes minas effugit; apparuit siquidem ei Angelus Domini stricto gladio formidandam ei in paucis necem intentans, vt vel sic moram, teste S. Augustino, quàm in parendo diuinis mandatis traxerat, expiaret. Exodi 4. 18.

Ad Ionam verò quod spectat, durus quidem, sed vtilis Niniuitis nuntius mittebatur, quod munus cùm & ipse obstinata mente detrectaret, vsque ad viuum ceti grandis sepulchrum persecutus est hominem Deus, vt operarius omnis euangelicus agnoscat, quamcunque in hoc munere Ionæ 2. 1.

obeundo

obeundo moram, vel morte ipsa, eius saltem periculo appendendam, nec dilatum iri pœnam, quæ culpam breui interuallo comitari solet. *Si namque dicente me ad impium*, inquit Ezechielis cap. 33. Dominus, *morte morreris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat ipse, impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram*: quis se hic insontem fore sperârit? *Morti, cui non contradicis*, inquir, *S. Gregorius* hom. 1. in Ezech. *adiungeris*: nõ minus namque patrat scelus, qui nequàm à scelere reuocare non conatus, quàm qui simpliciter patrat, ideo similis eris in pœna, cui non dissimilis silentio factus es in culpa. Orbis totus in maligno positus, vitiorum flammis aduritur. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Securis ad radicem arboris posita est: nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Rogandus Dominus messis, vt mittat operarios in messem suam: ne verò propriæ salutis & maioris perfectionis quæsito colore, ab Apostolico munere quis resideat, æterni iudicis sententiam audiat in operarium nuper Euangelicum prolatam, Bernardinum, inquam à monte Vlmi, ex sacra Capuccinorum familia virum religiosum. Post aliquot hic annos in Apostolicis missionibus ac laboribus consumptos, incredibili orationis ac diuinæ contemplationis amore captus, omninò se à prædicatione atque hominum frequentia abstrahere cœperat, vt eo liberiùs cum Deo colloqui posset: quæ dum secum deliberat, aliquando orans in ecstasin rapitur in qua Christum Iudicem videt, veluti sibi iratũ, coram tribunali assidentem: vbi cùm vitam eius ad examen vocaret accusari cœptus est, quod prædicationi, ad quam à Deo vocatus esset, maximo animarum dispendio abnueret insudare, ex quo æquum fit, talento, quo se indignum dederat, spoliari: quare Iudex sententiam ferre, vt ei linguá, qua prædicationis munus exercere debuerat, protinus exscindatur. Nec mora: ex sequendæ rei præfectus aderat, cum Bernardinus metu nimio ac pauore concussus, lachrymisque perfusus Iudicis animum ad clementiam flectere, meliora promittere cœpit quo illud linguæ suæ amputando supplicium effugiat: qua tandem sponsione acceptа Christus sententiam suspendit: & Bernardinus ad se reuersus pristinis se laboribus reddere atque ad populum dicere, eumque excolere postliminio cœpit maiore zelo & obedientia quàm ante fecerat aliquando. Ita S. Ordinis historicus ad an. Christi 1565. nu. 32. Bene itaque ac sapienter magnus *Ignatius* Societatis Operarios altero tantum pede terræ insistere, altero ad iter suscipiendum subleuato esse debere, hoc suo Apophthegmate pronunriauit: in quo admirabilem viri sancti zelum atque prudentiam licet agnoscere, cum eodem illo suo dictamine, & rectè agendi præceptum, & modum eius quod præcipitur exequendi, sub vnum oculorum obtutum adduxit, & pericula, in qua cæteroquin essent lapsuri, studuit amoliri.

Ezech. c. 33.

Greg. hom. 1. in Ezech.

Psal 13 3. Matth 3. 10.

Cantatissima pridem mythologis, atque poëtis fuit hasta Achillis, quam ille à parente suo Peleo hæreditârat; cuius hæc erat insignis prærogatiua, vt vulnera, plagasque, quas infligeret, ramento suo consonaret, vt bene cecinit ille:

Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Sublimioris ordinis ac gradus est Aphorismus hic, ore *S. Ignatij* profusus, de quo Dauidicum illud pronuntiârim: *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, dum quod auribus insonat, mentibus, vt effectum dent, singulariter demonstrat. Iter ingressuris omnis sarcina tollenda est, impedit siquidem viatorem, quidquid Psal. 106 20.

eum

eum grauat: Operarius Euangelicus, liber ab eodem sit necesse est, agilis, inquam, & expeditus, cui ad standum perfecte, vno in pede consistere satis sit, alio ad vicariam operam alteri deferendam parato, quod in se nullus agnouerit, qui ambobus pedibus terram premit, vt onus quo grauatur, leuius ferat, ac tale quale solatium emendicet, nam vt bene Lactantius Firmianus l. 7. c. 1. *Virtutis via non capit magna onera portantes: Augustus admodum trames* (addam ego, & accliuis) *per quem ducit ad cœlum, hunc tenere non potest, nisi qui fuerit omnibus exsolutus*; quod & in illis qui se mari committere destinant, aduertere licet, anchoras hi soluere, & nauem procul à terra subducere solent: ita & hic agendum, temporalia excutienda & deferenda sunt, si namque ea diligere est cordis radices, qui sunt animi affectus, in terram immittere, atque ibi hærere, vnde humor non modicus ad cupiditatum alimentum exsugitur, quo interior homo noster retardatur, clarum fit, quàm ab omni rerum terrenarum amore ac desiderio expeditos nos esse oporteat, vt simus, quos vitæ nostræ ratio postulat, omnium horarum operarij (sicut monet R. P. N. Gosuinus in Epist. ad vniuersam Societ.) parati circuire docendo, & nihil tollere in via, non peram, non panem, neque zonam: qua etiam ex caussa nullum Christus Saluator noster in numerum Apostolorum recepisse legitur, nisi qui proprias abiecerat facultates, quod Ἀδελφόθεος ille Apostolus cognomento Oblias murus ac præsidium gregis sui probè intellexerat, cum, non tam admirando, quàm asserendo scripsit cap. 2. *nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & heredes regni?* vtique profectò, quos solos atque præcipuè muneri Apostolico idoneos reputabat, vtpote qui nullis oneribus prægrauati, aut terræ affixi, mobiles & expeditos ad quemlibet nutum diuinæ sese offerant vocationi, & fructum afferunt in patientia. Ad quod

Lactant. Firmianus l. 7. c. 1.

Quo quis pauperior, eo liberior ad quemuis motum.

Iacobi 2. 5

audisse iuuerit Vatem Euangelicum Isaiam, qui de sublimi specula, futura prospectans, & mentis oculis cernens subactas Christi iugo gentium pœnè omnium nationes, atque idololatriam flagitiorum omnium parentem, cum sua sobole profligatam, tanti operis miraculum hoc epiphonemate conclusit: *Conculcabit eam pes, pedes pauperum, gressus egenorum.* Apostolorum sc. inquit S. Hieronymus, virorumque Apostolicorum, qui Christi paupertatem imitantes, magna animi libertate, vbicunque impetus sancti Spiritus erit, illuc gradientur, quoniam illic mandauerit Dominus benedictionem, & plurimorum vitam, vsque in sæcula. Nec mirum: *simile* namque *simili gaudet*, vt vetus habet Paræmia, nemini non cognita, per paupertatem siquidem diuinam in nobis exprimimus imaginem, adeo vt dixerit Seneca ep. 8. *Incipe cum paupertate habere commercium: audi hospes contemnere opes, & te quoque dignum finge Deo, nemo alius Deo dignus, quàm qui opes contempsit.* Cùm Adam ad imaginem Dei creatus fuit, nudus perstitit vsque quo diuinam in anima similitudinem amisit; quare vt reformetur in nobis, repetenda prisca paupertas est. Vestitus de paradiso eiicitur, vt nudus illuc reuertetur.

Isaiæ 26. 6.

Seneca ep. 8

Et hic quidem non dubiis ille scopus est in quem à primo conuersionis suæ exordio mentis oculum Ignatius conuertit, dum suos paternis monitis instituens ita legitur allocutus.

Quicunque huic Iesu Christi militiæ nomen dederint, die, noctuque succincti lumbos ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt, nostræ quippe vocationis erit diuersa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga vbicunque maius Dei obsequium, & animarum lucrum speratur: quod vt tanto maiore cautelâ, prudentiâque consequatur, addit, velle se, vt præter tria vota substantialia, quartum quoque fiat summo Pontifici, vt Vicario, qui nunc est,

S. Ignatius suos ad omnimodam expeditionē informat.

Quartum Votum Societatis ad Missiones.

vel pro tempore fuerit, Christi Domini nostri, nimirum ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico quocunque gentium, sua Sanctitas iusserit, inter fideles, vel infideles, ad res quæ diuinum cultum & religionis Christianæ bonum spectârint.

Ita ille: non minor posteà futurus ad exemplum, quàm hîc fuerat ad præceptum: neque enim verborum ambitu se officium expleuisse ratus, paupertatis viam summa morum constantia ad extremum vsque decucurrit, & pulcherrimis exemplis impressam reliquit, ibi video abiectos littore in ipso nummulos, qui persoluto amicorũ benignitate naulo Hierosolymitano superfuerant, ne aliqua ab illis, in portu diuinæ prouidentiæ nauiganti, tempestas cooriretur: ibi, quam amici obtruserunt nolenti, primis, quos obuios habuit, ad obolum vsque pecuniam distributam, ne quid minus à sua spe facere videretur: ibidem sæpiùs peregrinantem, ac nauigantem nullo viatico, nisi quod illum confidentia in Deum instruxisset expendo. An non id dixeris altero tantum pede terræ insistere, altero autem ad iter eleuato prouolare?

S Francisci Xauerij expeditissima paupertas. Quam verò sub hoc vngue profecerit non degener ille magnæ Aquilæ pullus Franciscus Xauerius, qui viam Indis in cælum, Societati in Indiam aperuit, vel hinc dabitur intueri, dum eum, vbicunque locorum quæsierimus, ibidem sanè non minus paupertatis, quàm caritatis Apostolicæ virum inueniemus: atque eius quidem paupertatis, quæ non plus illi ad gloriam, quàm aliis contulerit ad salutem hunc sibi comitem adsciuit, ab ipso statim Missionis suæ initio: sic enim ex vrbe & complexu suorum discessit, vt nihil secum, præter simplicem corpori tegendo vestitum, & in quotidianas preces Breuiarium exportârit? hanc in Indiam soluens, omnis viatici & commeatus loco sibi futuram, in natem secum intulit; præter simplicem crassiore textu laceruam ad arcenda circa bonæ Spei promontorium frigora, & sacros aliquot libellos, nihil ex iis, quæ regius curator illi complura offerebat ad vsum nauigationis admittens. Vestis longo vsu attrita, cibus mendicato quæsitus, nec tamen quidquam existimationis, aut gratiæ deperditum fuit.

Nam, vt de cæteris sileam, cùm mendicitas vltimæ infelicitatis atque ignominiæ nota sit apud Iapones: tamen eum in Xauerio etiam venerabantur, habebantque firmissimi argumenti loco, tum vt Christianæ legis & fidei sublimitatem perciperent, quæ, præter cælum & res sempiternas, nihil in pretio haberet, tum etiam, vt Xauerij sanctitatem cognoscerent, qui eius quam prædicabat, diuinæ sapientiæ, & cælestis vitæ formam, actibus exhiberet.

P. Petri Fabri paupertatis amor. Idem in primogenito S. Ignatij Petro Fabro suspexit Albertus Moguntinus Archiepiscopus, idemque S. R. E. Cardinalis, dum speciosis remissis, cum excusatione, muneribus, intellexit ipsum ex eorum numero esse, qui omnia bona sua secum portarent; cuius diuitiæ erant, nihil habere. Idem quoque Monomorapæ Rex, quantumuis barbarus in Consaluo Sylueria obstupuit, vt eum non iam hominem, sed suprà communem euectum gentium modum, herbaceo ex genere progenitum exclamaret. *Consalui Sylueria paupertatis amantissimi.*

Ludouicus Bertonius. Quid verò de Ludouico nostro Bertonio dicam, qui eodem in pallio, quod secum ex Italia tulerat, 40. in Peruuio annis Euangelio proseminando vsus est.

Didacus Samaniego. Quid de Didaco Samaniego? qui primos inter, apud veram Crucem Ecclesiæ fundamenta iecit, cùm in summa rerum omnium nuditate nihil vnquam peteret, annos tres suprà triginta eadem veste vsus est.

Gaspar Barzæus. Quid denique de Gaspare Barzæo Belgâ? qui Armuziæ in attrita tunica Dei verbum proseminans, Saracenis & Lusitanis, quibus illi sacerdotis sui paupertatem exprobrauerant,

rant, vestes certatim offerentibus, ac tandem non sine conuitio, ne pannosus incederet, rogantibus constantissimè restitit: & quanti hinc exstitêre fructus! quos certè nullâ satis linguâ eloquatur; calamus autem in S. Patriarchâ Dominico, ne domestica sola videar consectari, luculenter ostender: inficiebat Ecclesiam pestifera Albigentium lues, iamque Tolosates corruperat, longè maius damnum & contagione hæretici dogmatis,& vi, atque impetu armorum datura; nisi malo, latiùs indies gliscenti prohibendo manus valida adhibita fuisset. Eò igitur vbi tam periculosè res Christiana laborabat, Summus Pontifex viros religione & sapientiâ spectatissimos legârat, qui, vt curam omnem pro rei grauitate, diu, multumque posuissent; vix tamen vllum diligentiæ atque operæ suæ pretium retulêre, donec eodem missus sanctissimus Patriarcha Dominicus animaduertit, longè aliter, atque illi, qui se in eo labore antecesserant, agendum sibi esse: scilicet non dignitate personæ, non splendido comitatu, non pretiosâ supellectile, non denique instructâ ad maiestatem speciei, authoritatem & gratiam aucupandam. Quare totus ad Apostolici Concionatoris formam compositus, in pauperrimo corporis cultu detractis etiam calceis & mendicato victitans prędicationem apud infectos hæreticâ lue populos aggressus; Breui illud effecit, vt facilè postmodum fuerit, putrescens illud Ecclesiæ membrum, iam incolume, & integrum suo corpori redonare. Sic commodissimè feritur Euangelium, dum sator non quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Rem enimucrò paucorum! vt vel in aureo illo nascentis Ecclesiæ sæculo Paulus lamentabatur, nunc autem, vt plures in spem magnam succrescant, Ignatius probatissimo suo Apophthegmate effecisse laborat.

S. Dominicus PP. Fundator paupertatis amantissimus.

APOPHTHEGMA DECIMVMQVINTVM.

INterrogatus, quâ re, siue ex authoritate gradus sui, siue ex debito officij sui reformare quis possit aut debeat mundum? Respondit: oportere eum à seipso incipere, deinde transire ad familiam suam denique ad ciuitatem metropolim: ita fore, vt aliquid efficiat: secùs, oleum & operam perditurum.

Daniel Bartolus lib.4.§.36.

Commentarius.

Dei erga Ecclesiam prouidētia.



QVanta Dei, ac Domini nostri erga dilectam sibi sponsam Ecclesiam cura, & prouidentia semper fuerit, atque etiamnum esse cognoscitur, vel hinc perspicuè liquere arbitror, quòd ipsum se tradiderit non solum pro ea, vt sanctificaret illam mundans lauacro aquæ, in verbo vitæ, exhiberetque sibi gloriosam, non habentem maculam aut rugam; sed & abiens hinc, atque concludens peregrinationem suam, quosdam dederit Apostolos, qui toto orbe ad prædicandum Euangelium gentibus mitterentur: quosdam verò Prophetas, qui occulta, atque obscura panderent, & explicarent: alios Euangelistas, qui fidei nostræ articulos ethnicis proponerent, eosque ad baptismum præpararent: alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædi-

Eph. 4. 11. ficationem corporis Christi. Eph. 4. 11. Vbi pro Consummatione, textus græcus habet καταρτισμὸν à verba καταρτίζειν, quod duo significat: primùm, rem collapsam restaurare, ac reformare. Alterum perficere, absoluere, & consummare.

Quæ duæ res, vt plenæ euiusdam dignitatis atque vtilitatis habitæ semper fuerunt, ita quoque operosæ admodum ac seriæ iudicatæ sunt, nec leui brachio, manuque tractandæ, ne quod fortassis efficere per nos voluerit Deus, socordia nostra, ignauiaque inane atque irritum aliquando reddatur, eum ad opus tam nobile, ac præclarum ab eo fuisse electum, auctoritate donatum, officio instructum sufficere ad gloriam nequeat, nisi eisdem integrè, conuenienterque vtamur.

Et hæc quidem, vt alia omnia, diuinæ gloriæ decempeda metiri solitus Ignatius, altè inspexerat, nec vllâ poterat dissimulantiâ occulere, quæ mente animoque vsque adeo comprobabat, *quis enim celauerit ignem?* hinc ea crebris vsurpare sermonibus, aliisque commendata velle enixius, quæ tùm ad singulare Dei obsequium, tùm verò ad alteriùs hominis salutem facere posse arbitrabatur, vnde præsens natum Apophthegma quod suprà ex Daniele Bartolo recitauimus. qui, licèt postremus de S. Patris Ignatij dictis ac Daniel Bartolus. factis accuratum nobis commentarium dederit, non tamen postremam laudem sacros inter Historicos reportauit.

Tribus modis corrupti sæculi mores corrigendi iuxta S. Ignatium. Et tres quidem præstantissimo hoc Christianæ Philosophiæ dictamine suggeri nobis vias inuenio, quibus corruptos sæculi mores corrigi, nouisque atque optimos restaurari ac perfici *Ignatius* voluit ab his, quos vel Dei vocantis authoritas, vel charismatis melioris æmulatio hisce rebus idoneos fecit.

Ad primum quod attinet, ordiendum à seipso docet, vel Catone in moralibus distichis occinente.

Cato. *Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.*

Et rectè id: nam qui sibi nequam est, cui bonus erit? Sicut enim Deus in rebus naturalibus effectus quosdam ad perfectionem non adducit, nisi per ipsas caussas perfectas, vt in generationibus patet; ita planè in spiritualibus fieri amat, cum perfectum esse oportere, vel saltem perfectionis cupidum, cuius ministerio ad aliorum salutem Deus vtatur, iisque ornatum virtutibus, quas aliis procuret, quibus si careat, difficulter eas cæteris instillet, vt bene ex ipsa ratione disserit Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. in hæc verba: *quemadmodum filios corporales non procreant homines, nisi in perfectione quadam ætatis ac virium; ita neque à viris bonis spirituales filios, nisi in virtutum perfectione progigni certum est.* Clemens Alexandr. Strom.

Videre id prophani sapientes, cùm laudem hanc suo requirerent in Oratore, ex quibus vnus Quintilianus perfectum à se Oratorem institui professus, qui esse nisi vir bonus, vt aiebat ipse, non potest, non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigebat: & meritò, qui enim euiuspiam vitium corripit, vacet eo necessè est, alioquin dicta factis deficientibus erubescunt: quæ caussa fuit, cur emunctoria, quæ lucernis in templo Domini expurgandis vsui futura erant, Deus aurea esse voluerit, vt vel colligi queat, qualem denique velit Doctorem ad purganda populi peccata missum? *Non confundant*, inquit S. Hieronymus, *sermonem tuum opera tua, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre disputat de Ieiuniis*: Epist. 2. ad Nepotian. S. Hieron. epist. 2. ad Nepotian.

Notârat idem S. Cyprianus, cum lib. 12. Abusuum sic loquitur: *nunquàm fit efficax constituentis authoritas, nisi eam effectu operis cordi affixerit audientis*, licèt autem in hoc genere doctrinæ homo non sit principalis Doctor, sed minister Spiritus sancti, non est tamen instrumentum mortuum, S. Cyprian. l. 12. abusuum.

mortuum, sed viuum: potest quidem Spiritus sanctus pro sua potestate, quocunque voluerit instrumento vti, communiter tamen & secundum legem ordinariam, vtitur ministris accommodatis, & optimè dispositis ad tale ministerium. Et ita experientiâ compertum est, tum Concionatorem habere vim ad sanctificandas animas suo ministerio, quando ipse sanctus est: & sic de cæteris.

S. Gregor. Nazianz.

Quare optimè *S. Gregorius Nazianz.* quem Ruffinus tantæ fuisse scribit authoritatis, vt putaretur hæreticus, qui ausus esset ei contradicere, comparat hic malos Doctores malis pictoribus, qui lingua pingunt, vita expungant, ita vt, verbis eius vtor, *purgari priùs debeant, quàm purgare: lux fieri, quàm alios illuminare: ad Deum appropinquare, & ita alios adducere: sanctificari, & ita alios sanctificare: priùs manibus ducere, id est, exemplo suarum actionum, inde consilium dare.*

S. Gregor. magnus in c.5. Cant.

Atque hoc est, teste S. Gregorio Magno in cap. 5. Cant. quod labia sponsi lilia esse dicantur, cum illos per quos Christus loquitur necessè sit, mundos esse, & per eos bonum odorem aspergi.

S. Isidorus l. 3. de summo bono.

Quid? quod, vt ait *S. Isidorus* lib. 3. de summo bono cap. 37. *interdum Doctoris vitio, etiam ipsa vera doctrina vilescit: quia dum non viuit, sicut docet, ipsam quam prædicat, virtutem contemptilem facit.*

S. Ioan. Chrysost hom. 38. ad pop.

Si non habueris opera, inquit Ioan. Chrysostomus hom. 38. ad Popul. *tantum loquens, non profuisti, sed & potiùs læsisti: Meliùs est tacere.* Quare? *opus mihi reddis impossibile. Cogito namque, quod, si tu tanta differens non efficis, multò magis ego veniâ dignus sum.*

Spartanorū prudentia.

Intimis sanè confundi soleo medullis quoties Plutarchum, atque Aulum Gellium lego de Lacedæmoniis scribentes, cum orationem satis bonam audissent, quam improbus Orator ad eos habuerat, probasse quidem, quæ ille dixerat, sed displicuisse illis, quod malus esset author sequendus; ideoque decreuisse, vt alius bonis ornatus moribus, eandem repeteret, nec praui hominis secuti consilium viderentur. Tanti mores arguentis, vitamque inculpatam docentis Spartani facere solebant. Quis itaque communem illum orbis Ecclesiasten Paulum non audiat, cum in Timotheo suo, ac Tito formabat populi Magistros? *in omnibus*, inquiebat, *teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est* [aduersarium purà gentilem, Iudæum, vel hæreticum] *vereatur (confundatur) nihil habens malum dicere.* Quæ verba sic exponit Chrysostomus: ô Tite, Archiepiscope, esto exemplar virtutum & bonorum operum omnibus ad imitandum, velut Archetypus, & primitiua quædam imago, habens in se omnia, quæ bona & honesta sunt. Nam, vt benè ait *Seneca, longum est iter per præcepta; efficax & breue per exempla*, atque hoc est Doctorem esse instar conchæ & non tantum canalem, vt S. dicere Bernardinum accepimus: Quænam autem propriè ac nominatim illa sint, quæ Apostolus in Doctore desideret, his verbis expressit: *Oportet*, inquiens, *eum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, pudicum, non vinolentum, sed modestum, non litigiosum* &c. vtrectè Theophilactus hinc collegerit Præsidem, ac Principem velut stellam aliquam esse oportere, ad quem subditi oculos suos conicientes illustrentur, vt viam possint salutis tutò reperire. Siue, vt Claraualensis Antistes Bernardus ad Eugenium scripsit: *formam Iustitiæ, sanctimoniæ speculum, Prælatorum exemplar.*

Tit 2.7.

S. Ioan. Chrysost. in dictum locum.

Seneca.

Tit 2.7.

Theophilactus.

S. Bernard.

Et hæc quidem, eorumque similia surdis nequaquam auribus acceperat sæculi nostri Philosophorus, Romanæ curiæ purpuratus Senator *Carolus Borromæus*, qui Ecclesiam suam Mediolanensem, statumque meliori formæ restituere desiderans incredibili desiderio accensus emendandi

S. Caroli exemplum.

corruptos Cleri, ac populi sui mores, ad imitationem Seruatoris nostri Iesu, qui antè cœpit facere, ac deinde dicere, personam longè aliam ab ea, quam ante gesserat visus est induisse, ac primò quidem nullum sericum adhibuit indumentum, sed eius generis tantum, quæ sacræ personæ conuenirent: posteriorem tunicæ partem, quam nonnulli solent Præsules magis demissam humi trahere, libenter æqualem reliquæ recipiebat. Vestimentis quidem omnibus diutiùs vtebatur ac tritis; sed quæ in conspectu non erant, in primis resarciri haud semel iubebat. Operâ suorum exuendi, vestiendique corporis caussâ, ferè non vtebatur. Publicum vestitum differebat, donec ad sacrum Missæ officium prodire vellet. In cubiculo verò priuatim pulla quidem & rudi veste vtebatur, quam suam appellabat, cum dignitatis suæ reliquas esse diceret. E fenestra nihil in via vnquam, quidquid ibi audiretur, spectauit. Ephæbos in domum non admisit: cum femina nunquàm locutus est, quin ex grauioribus domesticis vnus, pluresúe adessent. Domum nullâ sui parte pictam esse voluit, nisi viridem paruuli cubiculi sui tincturam, visus gratia quæsitam, picturæ loco numeraueris. Atque inito quidem cum Mediolanum esset venturus, ædesque Archiepiscopales iussisset instaurari, cœperant lacunaria quædam pingere, atque ornare, quod ipse statim prohibuit, pictaque, inducto albario, deleri iussit.

Si quid in mensa, domesticoque sumptu paulò copiosiùs, largiusúe fieri animaduerteret, solebat statim corrigere. Cibum & potum ita sumebat, vt nihil gustare videretur: nec querebatur vnquam vel datum aliquid quod nollet, vel secùs factum ac vellet, nisi quod fortè meliùs esse sentiret, quàm sibi proposita abstinentia ferret. Somno quinque horas dabat in lecto paleato & canabino, sæpè etiam, si opus erat, breuiis spatium impendebat: Quam verò parcus in iis erat, quæ ad sui corporis commodum, domesticamúe affluentiam pertinere posse viderentur, tam erat in cæteris omnibus, quæ pietati conducerent, liberalis, prorsusque opum magnanimus contemptor humanarum.

Patuit, cum aureorum quadraginta millia, ex iis quæ in regno Neapolitano vendiderat, allata essent ad eum in cubiculum, statim auferri iussit, atque in vsus pios elargienda distribuit.

Cumque in his, aliisque pluribus ad sanctorum virorum tenuitatem, paupertatemque quotidie propitiùs accederet; in apparatu quoque itineris, & comitatu idem facere decreuit: quare dum ad viginti duos equites, pedites multos secum haberet, cum ad diœcesanas Ecclesias visendas proficisceretur, præter mulos, qui supellectilem portarent, nimiumque id esse existimaret, paulatim numerum ita minuit; vt in reditu non ampliùs omninò, quàm duodecim, vnumque clitellarium mulum duxerit. Supellectili illâ suâ pretiosissimâ, planeque regiâ sese spoliauit, plurimam Romæ & Mediolani per Ecclesias distribuit: peristromata lectorum, conopæa, vmbracula, quæ solent amplitudinis caussâ in aulis haberi, instrumenta, vasaque argentea, Statuas, antiquæ artis pulcherrima monumenta, sacris item locis addixit, vt venderentur, reliqua ipse vendi iussit, pretiumque in sacros piosque vsus erogari.

Lis illata erat eius nomine Cardinali, primus Pij V. annis, de nobili Abbatia aureorum annuorum circiter duodecim millium: cumque accepisset sacros Rotæ Romanæ Iudices nonnulla, iudicasse quibus facilè, vel potiùs sine dubio se caussam obtenturum coniiceret, sponte cessit, ac præter omnium opinionem remisit quidquid in ea re consequi posset: hinc, litem nullam, quæ ad se priuatim pertineret, in qua esset actor, prosequi apud se constitutum

habebat:

habebat; nec enim eam sibi satisfacere rationem aiebat: quod posthabitâ omni diligentiâ, nedum perturbatione, Iudicibus rem totam posset permittere: respiciendum quoque esse, quomodò posset ille, vnde peteretur ex actione commoueri, cuius animum, remittendo sedare, & ad amorem allicere in sua manu esse videret.

Ita Carolus à sua persona cœpit, aliis iuxta Apostolum profuturus: nec malè: *doctrinae enim molesta caussa est dicere, nec facere*, vt ait *S. Augustinus: validiora siquidem, teste S. Leone, exempla sunt, quàm verba, & plus opere docetur, quàm ore*: vnde de Carolo dixerim quod de S. Basilio Gregorius Nazianzenus: *tonitruum erat eius oratio, quia vita erat fulgur: vnius namque splendor, alterius incendium est.* Quod nuper in Paulo V. laudatissimi nominis Pontifice liquidò patuit, qui non tam legibus, aut pœnis suos in orbita modestiæ, & humanitatis continebat quàm exemplo vitæ inculpatæ, qua dum vbique præfulgebat, dyscolis plus timoris attulit quàm grauissimis scitis, aut decretis. Vt reuerà factis præstitisse dicendus sit, quod aiebat Græcus ille comicus Menander: *Mores loquentis cogunt non oratio.*

S. August. S. Leo.

Paulus V. PP.

Nec sacris hæc dumtaxat occinenda Præsulibus, eisque tantummodo conuenire existimanda sunt, profanis quoque competere Principibus certum est, quos Deus, ac natura regendis populis præposuit, vt quos sibi accepêre subiectos, exemplis antè præueniant, quàm regere imperio assuescant, *quales enim in repub. Principes fuerint, tales erunt & ciues.* Nihil veriùs: nam, *Plinio* authore, *vita Principis censura est, eaque perpetua*: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio hîc nobis opus est, quàm exemplo: quod in hunc modum præclarè expressit poëta

Plin.

——————*componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*

Vidisse id, ac clarè perspexisse crediderim nobilissimum illum Ariani Comitem Elzearium, dum patre mortuo, aditisque ditionibus suis, publicum rei statum ex authoritate, & debito officij reformare cœpit, non aliunde ducto principio, quàm à persona sua.

Elzearij Comitis exempl.

Hinc ipse sæpiùs cum Deo in spiritualibus deuotionis exercitiis agere familiariter: ieiunare quot sextis feriis, totaque Dominici Aduentus tempore. Sacrosanctam Eucharistiam sumere dominicis diebus quadragesimæ, & magnis feriis per annum.

Quotidie 12. pauperum lauare pedes, eosque cibo ac potu refectos, eleëmosynâ donare.

Nulli pauperum à se stipem petenti obsistere.

Rebelles subditos, multasque eorum iniurias, vicinis Principibus, vt se de illis vindicaret, vrgentibus, prudenter sufferre, qua demum patientia id obtinuit, vt ad officium redirent, vt eum amarent, vt patrem.

Tantam sibi patientiam comparârat, vt nemo quantumuis familiaris vel domesticus ob quamcumque molestiam, vel afflictionem, quidquam eum vel dixisse, vel fecisse, impatienter, aut iracundè, potuerit animaduertere.

Cùm apud Calabriæ Ducem qui regnum Neapolitanum pro patre suo Roberto administrabat, gratiâ & auctoritate valeret maxima, quæ plurimis proderat, & auxilio erat, nullius tamen munus vnquàm suscedit, quantumuis sine culpa, aut vitio id admittere potuisset, ne vlli foret offendiculo, aut occasio præter ius, aut fas quidquam recipiendi.

Hæc ille, quibus non absimilia de Alexandro Luzagio, claris natalibus orta Brixiæ, tradit Octauius Hetmannus in vitæ eius historia.

Eadem de Ioanne Baptista Rentiaco, stirpe prænobili apud Nor-

mannos genito, P. Ioannes Bapt. S. Iure ex Societate Iesu quatuor libris complexus est.

Quæ licet verè magna, & laude digna habenda sint, atque adeo vt fructus vberes in hominum animis producere queant, plurimum valeant; non tamen Ignatio sufficere visa sunt, alterum prætereà est quod diuino suo Apophthegmate requirere visus est, nimirum, vt hic, quicunque is fuerit, posteaquàm se rectè excoluerit, ad domesticos suos transeat, ac propriam familiam antè reformet, quàm ad extraneos se extendat: meminerat vir sanctus id ab Apostolo impensius requisitum, ac Timotheo fuisse commendatum, vt & ipse hoc, à Doctore exigeret, *domui suæ bene esse præpositum* καλῶς πεοϊςάμενον, id est, qui domui suæ benè præsit, eamque moderetur, non vt, teste S. Hieronymo, opes augeat, sed vt, quod populo præcepturus est, priùs à domesticis exigat, *filios habens subditos, cum omni castitate*: hanc Apostolo dignissimam addens sententiam: *si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei, diligentiam habebit?*

Pars altera Apophthegmatis quæ domesticus concernit.

1 Tim. 3. 5.

Idem sensisse visus Seneca, cùm epist. 47. scripsit: existimasse olim veteres Romanos domum pusillam esse rempub. & Aristoteles lib. 1. politicorum cap. 3. in domo quandam reipub. speciem admittit: qui ergo exteris præesse atque prodesse cupit, primò domesticam administrationē rectè obeat necessè est, vt eo velut præludio se ad publicum munus disponat: vnde in Concilio 3. Carth. c. 18. prudenter statutum fuit: Episcopos, Presbyteros, Diaconos, non priùs ordinari debere, quàm omnes, qui in domibus eorum sunt, Christianos Catholicos effecerint. Quod ritè intelligens Pius V. æternæ memoriæ Pontifex, verè maximus, Romanam liberaturus curiam variis, grauissimisque calumniis, quibus propter aulicorum corruptos mores laborabat, primum omnium in suos ipse familiares animaduertit, quod reliquorum Ecclesiasticorum familias exemplum inde petituras arbitraretur. Nam optimus ille & verè pius Præsul, suis dicebat talem sese familiam cupere, quæ vitâ, vestitu, moribus reliquos ad virtutem excitaret.

Seneca ep. 47. Aristotel. l. 1 Polit. c. 3.

Concil. Carth. III. c. 18.

Et reuerà hanc domesticæ disciplinæ & moderationis cogitationem etiam inter tot, tantasque orbis terrarum curas, à summo illo Præsule suscipiendam esse docet S. Bernardus, dum sic ad Eugenium lib. 4. scribit: *sunt*, inquiens, *quæ te ignorare, nolim, mores tuorum & studia. Non oportet vt vitia domus tuæ vltimus scias, quod quamplurimis nouimus contigisse. Quapropter alius alia dispenset, de disciplina, tu, proinde, illud nemini credas. Domum Episcopi decet sanctitudo, decet honestas, morum disciplina & custos. In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil resideat impudicum, nihil indecens patiare.*

S. Bernard. l. 4. de Consid.

Memorabilis quoque est illa epistola quam illustriss. & vitæ sanctimoniâ clarissimus Cardinalis Carolus Borromæus ad Battoreum Collegam scripsit: curabis, inquiens, familiam castam, nec patieris inter domesticos tuos quempiam viuere, cuius non modo minùs pudica sint facta; sed cuius etiam non sint verba, & mores admodum pudici habeasque domi probatæ virtutis viros, qui in hanc rem inuigilent, & qui te crebrò de domesticorum vita commonefaciant. Modestia in verbis, & cultu corporis cernatur. Insuper curabis vt iuramenta à familia tua absint, turpes sermones, scurriles ioci, conuicia, contumeliæ, & omnium verborum genera quæ alios lædant, inter tuos nec dici nec audiri fines. Vestitus autem etsi decens esse poterit, cauebis tamen, vt à familia viri ecclesiastici procul sit is corporis ornatus, quo milites & profani iuuenes vti solent. Nihil itaque quod vanitatem & ostentationem præ se ferat in tuo, & tuorum ornatu conspicatur.

Nec segnior hîc in opere, quàm verbis

S. Caroli Borromæi circa domesticos cura.

verbis Carolus fuit, priusquàm enim Cleri, populique Mediolanensis reformationem auspicaretur, octoginta circiter de domo sua vno tempore missos fecit, eos ferè omnes, qui clericali vitæ minùs apti videbantur, quos benignè admodùm, liberaliterque tractatos dimisit.

Serica indumenta non sibi solum, sed familiaribus omnibus interdixit, qui neminem ex eis anteà sine sericis, splendidisque vestimentis admittebat.

Vestitu clericali, etiam qui clerici non essent, nisi ratio muneris, eo videretur indigna, omnes vti iussit: qui non vterentur, nigra tamen indumenta, eaque modestissima, & à prophana consuetudine remota, omnes ad vnum adhibuêre.

Mobiliores quos addictos sibi famulos habere conueniebat; postremo tempore non famulos, sed clericos fere apud se habere voluit, quibus inseruiendi cura ita incumberet, vt etiam literarij studij, sacrarumque exercitionum iis tempus daretur.

Domestica munera ita distribuit, vt quam minimum cuique vacui temporis relinqueretur: neque frustra limina terendo tempus consumerent.

Homines nobilitate, scientia, vel spe aliquâ inflatos recipere non solebat, receptos autem ne quid elationis fortè lateret, iis ministeriis exercebat quæ humilia, viliaque putantur.

Non solum communi quâdam probitate, sed præcipuis piæ, religiosæque vitæ institutis atque exemplis studebat populo familiam suam prælucere. Ad eam rem quotidiana suppeditabat adiumenta, erat enim spiritualis disciplinæ præfectus, qui quotidie aliis ex Euangelio, vel sacris omninò diuinisque rebus, articulatim tradebat; quæ ad salutem suam cogitarent ac meditarentur, quæ inter se deinde, certo tempore conferebant, tum statis etiam diebus Caroli exemplo inuitati flagella sibi ad veniam peccatorum impetrandam plerique adhibebant.

Vesperi antequàm cubitum irent, vniuersi ad excutiendam factorum diei conscientiam, accipiendamque sacræ aquæ aspersionem conueniebant.

Cibus autem religioso, & cœnobitico modo ferè dabatur, vno constabat obsonio, & iurulento ferculo, cum pomorum, vel simili additamento, altero ante, altero post reliquum cibum, omnia verò vulgaria, nihil prorsus delicatum, vel exquisitum.

A mensa in sacellum ibant, vbi litania cum inuocatione Sanctorum consueta, precibusque adiunctis habebatur.

Atque his, aliisque Carolus Cardinalis Borromæus in vmbra suos exercebat, mox in lucem reformationis maximæ proditurus.

Neque id sacram duntaxat politiam decere cogites velim, ciuilem quoque ac palatinam cùm maximè dico, quid enim aliud sibi volunt diuersæ, eæque perfectò laudabiles Galliæ Regum, palatinæ constitutiones, quibus nimirum in seruitia aulica, adeoque Curiales omnes, vel leuiter in aula peccantes, grauius animaduertitur, nisi quod Reges illi morum integritatem à suis maximè domesticis desiderârint: aliquas de iis libemus, ex lib. 18. Const. Henrici III. tit. 32. *Qui in regia contumeliam, vel verba famosa in alium iecerit, quiue mentiri alterum, etiam propulsandæ iniuriæ gratia dixerit, mox carceribus tradatur, pœna pro atrocitate iniuriæ ei repræsentetur.*

Regû Galliæ palatinæ constitutiones.

Henrici III.

Qui in cœnaculo Regis, aut Reginæ alium mentiri dixerit, aliamue contumeliam intulerit, illicò ad supplicium rapiatur. Qui in regia pugno, aut armis quem pulsauerit, vel percusserit; pugno aut capite pœnas luat.

Plures alias, qui volet, legat in Cod. Henrici III. li. 18. quarum nouissima hæc est: *tenebitur insuper præfectus*

fectus Prætorio, quot hebdomadibus summariè inquirere in omnes noxas, easque referre ad sanctius nostrum concilium, vt hoc pacto rerum perperàm in curiâ nostra gestarum reddamur certiores.

Præclaræ profectò Constitutiones, & dignæ quæ vbique obseruentur, neque in aula solum, sed in omnibus virorum Principum familiis, quibus regendis aliis, ius incumbit, vt in Comite Ariani Elzeario præclarè factum sola deprædicant terrarum vltimarum: neque enim is propriâ contentus virtute, annis quoque studiis suæ cœpit inuigilare familiæ, atque ab ea, quod in reliquo populo efficere cogitabat, ordiri. Primum itaque statuit vt omnes è domo suo missam vnam integrè audiant.

Elzearij Comitis Ariani vigilantia & cura super familiam suam.

Secundò, vt castè viuant & purè, qui secùs facerent eos domo eiiciebat. Nolebat enim vt quisquam pane suo vesceretur, quem sciret peccato mortifero implicatum, ne alios inficeret, neue illius peccatum ipse fouere videretur.

Tertiò, vt nobiles & milites: itemque virgines ac matronæ, qualibet hebdomade peccata sua confiterentur, & quot mensibus sacrosanctam Eucharistiam deuotè sumerent.

Quartò, vt eædem Virgines & Matronæ matutinis horis Deo, & piis exercitiis vacarent, à prandio manuariis operibus sese occuparent.

Quintò, vt nemo ausit blasphemare Deum, Deiparàm, vel Sanctorum aliquem: nec quisquam falsò iuret, aut leuiter absque caussa, nec impudica, vel inhonesta verba proferat.

Huius constitutionis transgressores hac ratione puniri volebat, vt, vel toto prandio coram aliis sederent in terra, solo pane & aqua contenti, vel toto die, in cubiculo manerent inclusi communi cibo vescentes.

Sextò, vt nulli fas sit ludere tesseris, aut alio ludo turpi & inhonesto, si quis contrafecisset, grauis illum pœna manebat.

Septimò, vt omnes è sua familia pace, amicitiâ, & concordiâ inter se fruantur, alius alium non offendat, neque verbo, neque facto.

Octauò, vt quotidie à prandio, vel aliâ horâ vespertinâ, nisi impedimentum interueniret, de rebus spiritualibus collatio instituatur, cui & ipse non raro interesat, & cæteros animabat. Vnde factum vt in eius domo tanta omnium foret charitas, tanta morum maturitas & honestas, tanta pax, pietas, benignitas, puritas, vt dempto habitu, potiùs ibi benè institutum monasterium, quàm aula. Comitis esse videretur: quod etiam de familiæ Thomæ Mori Erasmus dicere solebat, illi vel maximè familiaris, teste Thomâ Stapletono in illius vita cap. 9. Domus Mori schola est & gymnasium Christianæ religionis, vtique eius viri, qui eam, quam animo suo exeollendo antè impenderat, familiæ suæ curam ac solicitudinem non subtrahebat. Omitto quæ de vxore ac liberis præfatus author scribit, quæ omninò exquisitissima sunt, ad famulos ac ministros venio, quorum incredibilem curam habebat Morus, ne vel otiosè, vel ludos inhonestos exercendo, tempus vt perderent, aut malè collocarent. Quosdam itaque eorum, qui eum foris comitabantur horto colendo præfecit, distributo quasi in regiones horto, vt erat amplus, suâ cuique regione assignata. Castitatis eam curam habebat, vt in diuersis habitaculis ministri, & ancillæ cubarent, & rarius conuersarentur, nec nisi ob res necessarias feminæ in eam partem domus prodirent, in qua agebant viri. In more habebat singulis noctibus, cùm domi esset, familiæ suæ bonam partem in aulam domus conuocare, antequàm cubitum irent, pariterque cum illis orare, hoc etiam Cancellarius regni facere non destitit: Cùm aliquis seruorum peccaret, ita obiurgabat, & cum tantâ lenitate, vt post obiurgationem

Thomas Morus solicitè familiam curabat.

Thomas Stapletonus de vita Thomæ Mori c. 4.

gationem magis amaretur, &c.

Alexander Lusagius domesticorũ magnam curam habebat. Non dissimilia de nobilissimo viro Alexandro Lusagio scripsit Octauius Hermannus lib. 2. cap. 4. Totus namque hic post optimam sui curam, in domesticos ferebatur: hos, quotquot idonei forent spiritualibus *S. Ignatij* exercitiis imbui, excolique volebat, exemplo suo, monitisque promouebat, si quem vel fallente diabolo tristem vel improba quauis tentatione solicitari animaduertisset, eum ipse ad se euocatum benignè alloqui, solari, atque ad aperiendum mentis suæ vultus suauiter adhortari: quo fiebat, vt illi ad se redirent. Magnâ morum integritate pollere omnes cupiebat, hinc famulorum nulli in eam ædium partem patere aditum volebat, in qua fœminæ degebant. Si quid Domino deferendum censerent, id ab omnibus non ex odio, sed ex fidelitate fieri volebat. *Octauius Hermannus l. 2. c. 4. de vita Alexandri.*

Dynasta Rentiaci cura qua familiam complectebatur. Sic ille, quibus non inferiora secutus Dynasta ille Rentiacus quem nobis doctissimo suo calamo nuper Ioan. Bapt. S. Iure descripsit, quantam autem ille in domesticis suis virtutem, Iustitiam, caritatem ac longanimitatem exigeret, ac porro promoueret, pluribus in locis testatus est, ex vno, vt aiebat iste, disce omnes: De suis quempiam audierat, iracundiæ quadam commotiuncula limites Christianæ charitatis in asserendis Domini bonis excessisse, quare cum absens esset, ei in hunc „ modum scripsit: Magno animi „ mei mœrore intellexi rem quam „ designasti, & quamuis plenam o„ mnibus, quæ mihi de te relata sunt, „ fidem non habeam, sat, superque „ tamen rationis nactus mihi vi„ deor, vt rectè iudicem, credamque „ incensæ cupiditatis impotentia, „ vlteriùs te prouectum esse, quàm „ vel nominis mei fama, vel tua vir„ tus sanè permittant. Si te solis o„ culis commodo meo, lucroque ad„ dictis aspicerem, optandum mihi „ foret, à te omnes funditus aboleri, „ quotquot mihi, meisque rebus ma„ lum ac damnum velint; sed cum „ Christiano ritu, & mihi & tibi vi„ uendum, aut posteà ardendum sit, „ alia iucunda est via: malim ita„ que domum meam perire, quam, „ vt denuò à te, tuique similibus, „ quid simile audiam esse commis„ sum, &c. p. 1. c. 3. *Ioan. Bapt. S. Iure p. 1. c. 3. de vita Rentiaci.*

Ita is suorum actionibus inuigilabat, & si vllibi exerrassent, statim in viam rectam reducere conabatur.

Binis igitur hisce præmiis, ac velut præludiis, quorum alterum nostri ipsorum personas, alterum verò familiarium nostrorum capita respicit in hunc modum præmissis, suo hoc Apophthegmate volebat Ignatius, tum in vtraque republica, tum in quacunque administratione amplissimos fructus sperari posse, procul hinc omni eo facessente incommodo, quod destinatis rerum nostrarum consiliis obstaculum afferre, aut impedimentum possit: non enim hic doctorem culpa redarguat: non medico sui curam alter obiiciat: non de vicinia ad lares proprios immemorem remittat arbiter; neque Romanum Satyricum allatrantem metuat lib. 1. Serm. sat. 3.

Cùm tua peruideas oculis malè lippus inunctis, *Horatius l. 1. Sat. 3.*
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Domo propria sedulò expurgata, tutò sordentem viciniam redarguas, atque efficiendi potens mundam asserues.

S. Caroli Borromæi in ciuitatẽ & ditionem Mediolanensem gloriosa promerita. Testabitur id, quamdiu erit Mediolanensis ciuitas, ditioque eius amplissima in suo Carolo, & perfectissimè absolutum, & absolutissimè perfectum: qualem namque eam inuenerit, nouit Italia, qualem verò reliquerit, Europa obstupuit vniuersa. Quæ si explicare hic contendero, insignis, procul dubio, temeritatis arguar, cum ea quæ scripturus essem, Insubrum sciam nec tecta, nec saxa

saxa reticere, & ea quæ multorum annorum spatio, atque labore confecta sunt, viderer vnâ paginâ velle concludere.

Quoties ille, quæ Catholicæ fidei sanctitatem inficere, vel modicum adoratus fuerat, non maiori cum laude, quàm admiratione sustulit?

Quoties hæreseos labe infectos Tellinæ vallis, ac Sabalpinæ regionis incolas, peregrinationibus ingenti molestia susceptis, ad saniora fidei dogmata reuocauit?

Quoties ritè sanctionibus editis, liberiorem Sacerdotum viuendi licentiam compescuit, ac sanctissimis admonitionibus collapsam cœnobitarum quorundam disciplinam instaurauit? Ecclesiasticam iurisdictionem recuperauit? cultui diuino pristinum nitorem reddidit? obseruantiam S. Concilij Tridentini introduxit, & admiranda catastropha clerum simul ac populum ex ignorantiæ & vitiorum tenebris ad lumen cognitionis Dei, & virtutis imitationem attraxit?

Quid autem dixero de valle Mesulcina? vbi non paucos hæreticos ad Catholicam religionem & inueteratos peccatores ad pœnitentiam reuocauit. Veneficos, & sagas, quibus ea regio suprà modum scatebat, ad abiurandum detestabile commercium induxit, & resipiscentibus sacramentum reconciliationis impertitus est. Adeoque breui temporis interuallo vniuersam plagam à vitiorum illorum contagiis, maiore quàm exprimi potest stupore omnium, nec non fidei & pietatis catholicæ augmento repurgauit. Sic desita reformat, qui sese ante restaurat.

Nec in Elzeario hæc regula fefellit, quem suprà vidimus ante à se, ac domesticis suis generosè sustulisse omnia, quæ à subditorum, ac clientum moribus aliquando pulsurus erat, cum Patre mortuo in ditiones suas, Comitis nimirum ac Baronis satrapias commigrasset, quod illi non infeliciter cessit, dum eis viuum se atque illustre virtutum exemplar exhiberet; Patuit hoc, luce ipsâ clariùs, cum à Roberto Rege Neapolitano, datus filio primogenito Carolo Duci Calabriæ moderator, adolescentem moribus corruptum, verbis procacem à vitiis abductum; ad frugem se dignam, & virtutis amorem suauissimè reuocauit: nec mirum, videbat namque in moderatore suo Elzeario, regius adolescens, quod ille ab eo exigebat perspicuè eminere, atque adeo doctoris caussam agere vehementer, cui perdifficile erat restitisse.

Elzearij Comitis erga subditos paternarum.

Quid autem de Dynasta Rentiaco hîc dicemus? cuius & ante virtutum exercitia, quibus tum se, tum suos excolere satagebat descripsimus, vnde factum vt ad extraneos digressus facilè à vitiis & morum corruptela abductos, ad vitam Christi legibus conuenienter ducendam, habuerit obsequentes: mira sunt, quæ P. Ioan. Bapt. S. Iure in hanc rem adducit, vnum nequeo præterisse, tanta eum virtute solitum pollere, vt cum ditiones suas obiret, non opus fuisse, vt verbis dyscolos ad virtutem incenderet, aut à vitiis abstractos ad vitæ probitatem instigaret, sola eius præsentia, sola aspectu peccantes fuisse correctos. Contigit genialibus appetentis quadragenarij ieiunij diebus, eum ad domum quandam negotiorum caussa diuertisse, vbi cum esset, audiisse voces cantantium in choro, & psallentium in vnum, subitò itaque domo egressum in media platea spectaculum leue atque nefarium intuitum, nullo verbo prolato, solo oculorum coniectu ita omnes perculisse, vt dissoluta saltatione ad se redierint vniuersi, quos dein super rei indignitate allocutus, ad lacrymas compulit, ex quibus illicò non pauci ad templum, sacramque exomologesin se contulerunt piè obeundam.

Nec minus Dynasta Rentiacus præstitit.

Quisquis igitur, vt bene *Ignatius*, mundum reformare desiderat, à seipso

ipso incipiat, & rem Deo gratam, reipub. vtilem, sibique præstiterit gloriosam.

Quid autem hîc S. Pater? an velut æs sonans, aut cymbalum tinniens? Nequaquàm profectò: Apophthegma ipse suum non verbò magis quã opere expressit, vt rectè hic dixeris, *quod in eo sonus hoc fuerit index.*

Quod hic docuit Ignatius re ipsa præstit. Et exigebat id quidem vocationis eius diuinâ mente concepta designatio, qua ad reprimendam multorum licentiam, morumque corruptelam corrigendam Deus Ignatium selegerat: nec latere id eum poterat, de quo tam euidentibus signis ac nobis non semel fuerat commonefactus.

Primum Minorissæ sub ipsa conuersionis suæ exordia, quando adhuc tironem agens, octo ipsos dies abductus a sensibus, totusque Deo vacans à summo Imperatore Iesu, noua militandi documenta hausit, quomodò militum delectus habendi, eique sacramento adstringendi, atque in aciem educendi; denique Societatem certis legibus, præceptisque conformandi potestatem, ac sapientiam diuinitus accepit, vt quam de vitiis, id est, hostibus suis reportare satagebat victoriam, certiùs consequeretur.

Deinde cum scriptum iam militem educere cœpisset, isque Parisiis egressus Venetias contenderet, atque in grassatorum manus incidisset, dum illi variis interrogationibus tirones exagitant, conuersus ad prædones rusticanus homo, nescio quo afflatus spiritu, mittite, inquit istos, qui ad Prouinciam aliquam reformandam contendunt, vt videretur iam tum eos voluisse Deus, quas ad caussas admouendi mox essent, vel illâ vaticinatione edocere, atque vnà quibus quantisque virtutum præsidiis ad hoc opus necessè foret commonere vt bene Nicolaus Orlandinus lib. 1. hist. nu. 109. annotauit. Quod *Orlandinus l. 1. hist. n. 109.* maturrimo ante iudicio secum ipse expenderat iam *Ignatius*, & porro non desiit in suis identidem promouere.

Et ad eum quidem quod attinet, vix dum de cælestium voluntate fa- *A se Ignatius cœpit.* ctus certior fuerat, cùm à se ordiri placuit, ad quod tantis impendiis, vocabatur: nec fortiùs cogitauit, quàm fecit, domum, opes, consanguineos, se ipsum deseruit. Montem Serratum petiit, vbi velut æger salutis suæ percupidus, diligenter in primis optimum, maximeque solertem animarum medicum peruestigauit, cui plagas animi sui detegeret, quod & tribus ipsis diebus magnâ diligentiâ, ingentique peccatorum dolore præstitit.

Et quoniam fugiendo, nemo se potest fugere, quin improbus ille sui Amor reditum audeat sperare, vinculum illi perenne iniecit, castitatem vouit, profani Martis exuuias magnæ Matri dedicauit. Inde primo diluculo, vt tenebris virtutem celaret, Manresam contendit. Ibi quidquid nuper animorum atque irarum in hostem gesserat in se conuersurus. Specus hic erat inter amnis crepidines, qui hiatu modico in profundum patebat: circum vndique vepres, eoque haud facilis accessu. Ponenda hoc loco rerum meliorum incunabula fuere. At incredibile memoratu est, quàm sese afflictare id loci, & quantis rigoribus corpus atterere laborârit Ignatius, earum maximè voluptatum reliquias persecutus, ad quas auidius olim adhæsisset. Vetus illi consuetudo fuerat, capillamentum curiosius struere, comamque velut in statione disponere. Illam tunc vt elegantiam vindicaret, detectò capite, crinibus turbidis, atque impexis horrere, & ob barbam, atque vngues prolixè deformes despicatui esse cæteris cupiebat, tum deinde lectulum, somnumque humi capere, noctem pleramque vigiliis, lacrymisque exigere. Ad hæc plagis ter quotidie corpus incessere, septemque ipsas horas flexus inter preces ducere. Per dies præterea singulos, siue diuina fierent, siue vespertinis, vltimisque precibus opera daretur, adesse, cum egregia quadam voluptate

perseuerabat. Victus lautitias rebatur, acri, durique panis crustulum, quod pro stipe acceptum, ipse famelicus interdiu non sæpius semel, cum fontana sumebat, reliquo, & quidem meliore, quod obuenisset, in pauperes erogaro. Hausit interim eam diuinitùs lucem, qua libellum excitiorum conscripsit, in quo per suos gradus viam sibi aperuit ad altissimum sanctitatis fastigium quam illa æterni Patris sapientia, è cælo in terras secum detulit, factisque ac voce Apostolos docuisse visus est, qua ipse imbutus, mirum, quàm excolendis aliis idoneum se præbuerit instrumentum: quod & in sociis, ad omne virtutum genus efformandis mox adhibuit, vt quos à Deo sibi concreditos acceperat, cælesti illâ exercitatione ante expoliret, quàm ad exteros emitteret excolendos, quodque in se ante expresserant, aliis communicarent.

Quam rem vt non illi solum, quibuscum vixit, sed & omnes, quotquot ab eo in hac Societate victuri essent, certiùs assequerentur, antequàm in vineam Domini operarij fideles destinentur, maiorum suorum iussu in affectus schola, ipso statim in limine, integri mensis spatio, sacris libelli exercitiorum commentationibus solerter voluit exerceri, vt si qua in re, ex assidua illa contentione, quæ per aliquot annos, in expoliendo per studia intellectu posita est, humilitatis ac deuotionis feruor intepuisset, aut Dei penitior intelligentia fuisset rerum creatarum cognitione obscurata, ea sic pristino, & ampliori etiam nitori restitueretur, itaque quam ante ipsi in sese virrutem adornassent, tutò, nec minore cum fructu in cæteros deriuarent, felicissimos diuini huius Apophthegmatis successus & exitus collecturi.

Nec eâ vice duntaxat, sed quoties vel operosa Missio foret adeunda, vel Christiana expeditio suscipienda, hinc voluit auspicium duci, tanto vbique progressu, quantum orbis stupuit vniuersus: quocirca nobis ille rogandus iam μακαρίτης vt, qui saluberrimi huius consilij nobis fuerit author, eiusdem exsequendi, apud Deum velit esse Patronus.



SACRORVM

SACRORVM APOPHTHEGMATVM

S. IGNATII DE LOIOLA

QVIBVS

IVSTE CVM PROXIMO

VIVAMVS IN HOC SÆCVLO.

LIBER TERTIVS.

PROEMION.



Vstitiæ in diuinis litteris non vna est notio, aliis eam accipientibus pro iustitia interna, quâ homo iustus constituitur coram Deo, de qua *Apostolus ad Rom.* 3. loquitur: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes.* *Varia acceptiones Iustitiæ.* Dicitur autem, Iustitia Dei, teste S. Augustin. lib. de *Rom. 3.* spir. & lit. *non quâ ipse Deus Iustus est, sed quo induit hominem, cum iustificat impium.* *S. August. l. de sp. & lit.*

Aliis pro iustitia externa, vel operibus bonis, vt apud Ezechielem cap. 18. 22. *Si iustus egerit pœnitentiam &c. in Iustitia sua, quam operatus est viuet.* *Ezech 18. 22.*

Aliis, pro omnigena virtute, vt apud Mathæum cap. 5. Christus: *Beati qui esuriunt, & sitiunt Iustitia,* de qua S. Greg. Nyssenus: *Omnis virtus hîc nomine Iustitiæ significatur.* *Matth. 5. S Greg. Nyss.*

Aliis denique, teste *S. Ambrosio* lib. primò de off. *pro ea virtute quæ suum cuique tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem seruet.* *S. Ambros. l. 1. de off.*

Et hæc quidem bipartita est, *generalis* quæ suum cuique tribuit, habito respectu ad bonum commune: & *particularis*, quæ ius suum alteri reddit in particulari, vt emens carnem, lanio vendenti: Et de hac quidem postrema, hæc nostra procedit disputatio, qua suum cuique tribui solet, cuius tantus decor & gloria est, vt in ratione virtutis præstare omnibus moralibus videatur, quæ circa alterum versantur, quia tamquam Domina, & Imperatrix, quasi cæteris moralibus imperat: qua de caussa Philosophus 5. Eth. tanto eam loco esse asseruit, vt neque Hesperus, neque Lucifer sit æquè admira- *Aristot. l. 5. Ethicorũ.*

 bilis.

perseuerabat. Victus lautitias rebatur, acri, durique panis crustulum, quod pro stipe acceptum, ipse famelicus interdiu non sæpius semel, cum fontana sumebat, reliquo, & quidem meliore, quod obuenisset, in pauperes erogato. Hausit interim eam diuinitùs lucem, qua libellum excitiorum conscripsit, in quo per suos gradus viam sibi aperuit ad altissimum sanctitatis fastigium quam illa æterni Patris sapientia, è cælo in terras secum detulit, factisque ac voce Apostolos docuisse visus est, qua ipse imbutus, mirum, quàm excolendis aliis idoneum se præbuerit instrumentum: quod & in sociis, ad omne virtutum genus efformandis mox adhibuit, vt quos à Deo sibi concreditos acceperat, cælesti illâ exercitatione ante expoliret, quàm ad exteros emitteret excolendos, quodque in se ante expressetant, aliis communicarent.

Quam rem vt non illi solum, quibuscum vixit, sed & omnes, quotquot ab eo in hac Societate victuri essent, certiùs assequerentur, antequàm in vineam Domini operarij fideles destinentur, maiorum suorum iussu in affectus schola, ipso statim in limine, integrl mensis spatio, sacris libelli exercitiorum commentationibus solerter voluit exerceri, vt si qua in re, ex assidua illa contentione, quæ per aliquot annos, in expoliendo per studia intellectu posita est, humilitatis ac deuotionis feruor intepuisset, aut Dei penitior intelligentia fuisset rerum creatarum cognitione obscurata, ea sic pristino, & ampliori etiam nitori restitueretur, itaque quam ante ipsi in sese virtutem adornassent, tutò, nec minore cum fructu in cæteros deriuarent, felicissimos diuini huius Apophthegmatis successus & exitus collecturi.

Nec eâ vice duntaxat, sed quoties vel operosa Missio foret adeunda, vel Christiana expeditio suscipienda, hinc voluit auspicium duci, tanto vbique progressu, quantum orbis stupuit vniuersus: quocirca nobis ille rogandus iam μακαρίτης vt, qui saluberrimi huius consilij nobis fuerit authot, eiusdem exsequendi, apud Deum velit esse Patronus.



SACRORVM

SACRORVM APOPHTHEGMATVM

S. IGNATII DE LOIOLA

QVIBVS

IVSTE CVM PROXIMO

VIVAMVS IN HOC SÆCVLO.

LIBER TERTIVS.

PROEMION.



IVstitiæ in diuinis litteris non vna est notio, aliis eam accipientibus pro iustitia interna, quâ homo iustus constituitur coram Deo, de qua *Apostolus ad Rom.* 3. loquitur: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes.* *Variæ acceptiones Iustitiæ. Rom. 3.* Dicitur autem, Iustitia Dei, teste S. Augustin. lib. de spir. & lit. *non quâ ipse Deus Iustus est, sed quo induit hominem, cum iustificat impium.* *S. August. l. de sp. & lit.*

Aliis pro iustitia externa, vel operibus bonis, vt apud Ezechielem cap. 18. 22. *Si iustus egerit pœnitentiam &c. in Iustitia sua, quam operatus est viuet.* *Ezech. 18. 22.*

Aliis, pro omnigena virtute, vt apud Mathæum cap. 5. Christus: *Beati qui esuriunt, & sitiunt Iustitia,* de qua S. Greg. Nyssenus: *Omnis virtus hic nomine Iustitiæ significatur.* *Matth. 5. S. Greg. Nyss.*

Aliis denique, teste *S. Ambrosio* lib. primò de off. *pro ea virtute quæ suum cuique tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem æquitatem seruet.* *S. Ambros. l. 1. de off.*

Et hæc quidem bipartita est, *generalis* quæ suum cuique tribuit, habito respectu ad bonum commune: & *particularis*, quæ ius suum alteri reddit in particulari, vt emens carnem, lanio vendenti: Et de hac quidem postrema, hæc nostra procedit disputatio, qua suum cuique tribui solet, cuius tantus decor & gloria est, vt in ratione virtutis præstare omnibus moralibus videatur, quæ circa alterum versantur, quia tamquam Domina, & Imperatrix, quasi cæteris moralibus imperat: qua de caussa Philosophus 5. Eth. tanto eam loco esse asseruit, vt neque Hesperus, neque Lucifer sit æquè admirabilis. *Aristot. l. 5. Ethicorũ.*

bilis. Quanta autem virtutis huius tum necessitas, tum vtilitas sit, Christianus noster Seneca Ambrosius lib. 2. de paradiso luculenter expressit. *Quartus*, inquiens, *est fluuius Euphrates, qui latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne Iustitiæ, quæ omnem animam pascit. Nulla enim abundantiores videtur habere fructus virtus, quàm æquitas, atque Iustitia, quæ magis aliis, quàm sibi prodest, vtilitates suas negligit communia emolumenta priuatis anteponit. Et paulò post: Quia vbi prudentia, ibi & malitia: vbi fortitudo, ibi iracundia: vbi temperantia, ibi intemperantia plerumque est, aut alia vitia sunt, vbi autem Iustitia, ibi concordia est virtutum cæterarum*, &c. vt olim præclarè Christianorum ille Philosophus, & Philosophorum Christianissimus S. Basilius de ea in hunc modum pronuntiarit: *Rectam, veramque nosse Iustitiam magnæ cuiusdam scientiæ, perfectique animi est: summi autem*, teste S. Gregorio, *eandem colere, ac sua cuique iura seruare*: concludit autem: *Iustò ergo Iustum exequi, est in assertione Iustitiæ ipsam Iustitiam quærere* l. 3. moral. capite decimo tertio. Rectè itaque Dominus Deuteron. 16. *Iustè quod Iustum est*, inquit, *persequeris, vt viuas*. Ne Apocalypticum istud probrum in te cadere aliquando audiatur: *nomen habes quod viuas, & mortuus es*. *Apocal. 3.* Atque istuc; vt præfiscinè dixerim, ea, quæ tertio hoc libro illustranda suscepi, S. Ignatij diuina Apophthegmata, legitimè referuntur, nimirum vt Iustè cum proximo, *exspectantes beatam Spem, & aduentum gloriæ magni Dei in hoc sæculo viuamus*.

S. Ambros. l. 2. de paradiso.

S. Basilius.

S. Gregor. l. 3 moral. c. 13.

Deuter. 16.

Apocal. 3.

APOPHTHEGMA PRIMVM.

Rem grauis, magnique planè momenti esse dicebat, vt quisquis inter homines agere; versarique tutò desiderat æquus sit omnibus, obnoxius nomini.

Nicolaus Orlandinus Hist. Soc. l. 5. n. 24.

APOPHTHEGMA SECVNDVM.

Pluris sibi esse aiebat cuiusuis fratris salutem, quàm thesauros omnes vniuersi mundi.

Pet. de Ribadeneira l. 5. c. 8.

APOPHTHEGMA TERTIVM.

Omnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum quæ spirituales sunt, aut videri volunt, vitandam esse dicebat: sed earum maximè, quæ ætate, conditione, ac statu periculosiores sunt, quarum ex consuetudine, plerumque

rumque aut fumus sequitur, aut flamma.

Andreas Lucas l.5 c.31. Daniel Bartolus l.4.§.37. Pet. de Ribadeneira l.5.c.11.

APOPHTHEGMA QVARTVM.

Ego inquiebat, cuiuslibet istarum muliercularum (de nonariis, sermo erat) vnius duntaxat noctis impediuisse peccata, atque in Deum iniurias, pro omnibus totius vitæ laboribus, & operibus, magnum præmium duxerim.

Iacobus Bidermannus l.1.c.17. Nicolaus Lancicius c.12.

APOPHTHEGMA QVINTVM.

Sæpè in ore habebat Angelos in rebus agendis, iuuandisque proximis esse imitandos, qui ea vna quidem parte, nullum prætermittunt in procuranda hominum salute genus industriæ: ex altera verò, successu, quicunque sit, nihil beatæ suæ, æternæque pacis amittunt.

Petrus Ribadeneira lib.5.c.11. Nicolaus Orlandinus lib.16.n.111.

APOPHTHEGMA SEXTVM.

Quin & illud crebris vsurpare sermonibus insueuerat: licet non reperiatur vbique ea, quæ deberet esse morum integritas, si quis tamen, vel in publica concione, vel in populari commercio, Principes, Magistratus, aliosque Ecclesiasticos particulatim reprehenderet, generaturum potiùs damna, & scandala, quam aliquid allaturum remedij, aut vtilitatis, proinde ab isto Inuectiuarum genere, sedulò temperandum esse.

Franciscus Suarez tomo 4. de Relig. lib.9.c.1. Ribadeneira lib.5.

APOPHTHEGMA SEPTIMVM.

Solenni suo carmine admonebat, id à nostris fieri hominibus oportere, vt sermonis ingressum externis facilè concederent, exitum sibi reseruarent, quasi verò acceptum quodcunque sermonis metallum auro tingere atque in illud vertere, vtrorumque summoperè interesset.

Oliuerius Manaræus in epist. ad Nicol. Lancicium. Iacobus Miro in excerptis. Daniel Bartolus l.4.§.36.

APOPHTHEGMA OCTAVVM.

Dicebat S. Ignatius: si aliquid esset, quod desiderium viuendi diutiùs in

se excitare posset illud fore (licèt in eo planè se resolueret) vt in admittendis ad Societatem, posset esse restrictior.

Ioannes Polancus in aduersariis p.181.§.23. Daniel Bartolus lib.3. §.17.

APOPHTHEGMA NONVM.

Iis quos sacris expeditionibus destinabat, dicere solitus erat : ite, omnia accendite, & inflammate.

Cardinalis Ludouisius in Panegyrico.

APOPHTHEGMA DECIMVM.

Dum mali, aiebat authoris liber legitur, primò quidem placet ipse liber, paulatim deinde, qui librum scripsit : qui demum probatus blande in animos molles influit, & lectoribus iam beneuolis, suique amantibus doctrinam suam facilè persuadet, vt quidquid ab illo scriptum, id etiam verum iudicetur: ita quod infectum veneno longissimè etiam serpit, nisi principiis occuratur.

Petrus de Ribadeneira lib.5.cap.10.

APOPHTHEGMA VNDECIMVM.

Cùm de Oratione apud alios ageret, eiusque vsum traderet, & suaderet, à nonnullis interrogatus, quomodò verò ipse Orationem institueret? respondit: hoc non dicam, sed id tantum, quod vos scire de ea opus est, hoc namque caritatis, & necessitatis est, alterum illud uanitatis.

Alphonsus Rodericus tomo 1. Exercitij virt. Christianarum tract. 3. cap. 6. ex relatione Ferdinandi de Trejo Episcopi Salamanticensis, qui fuit vnus ex iis, qui ex ore S. Ignatij id ipsum audierunt.

APOPHTHEGMA DVODECIMVM.

Dum quispiam eum interrogasset, qualem denique cuperet esse hominem Societatis ? Religiosus, inquit, Societatis Iesu Magnus esse debet secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare hostes Ecclesiæ, vt consequatur hereditatem Israël.

Zacharias Trinckellius die 13. maioris gloriæ Dei.

APOPH-

APOPHTHEGMA PRIMVM.

REm grauis, magniq́; planè momenti eſſe dicebat, vt quiſquis inter homines agere verſariq́; tutò deſiderat: Æquus ſit omnibus, obnoxius nemini.

Nicolaus Orlandinus l.5.hiſt.Soc.n.24.

Commentarius.

VIdere ſchœnobatas eſt, ac peraúriſtas, quoties ſe ancipiti ſuo committere tabulato ſolent, trutinarium baculum manibus ſtringere conſueuiſſe, ne dum corpus pro vario motu in aërem librant, ad hanc, illamúe partem inconcinnè declinent. Et rectè id quidem, nec minùs ad noſtri inſtructionem comparatè, vt, qui viâ imprimis periculoſâ ad cæleſtem patriam peregrinamur, in qua modò fortuitorum incurſuum varietas, modo diuerſarum conſuetudinum frequentior vſus, in tranſuerſum nos omni hora rapere queant, niſi turbulentos mentium noſtrarum motus diuinæ voluntatis ſacomate in æquilibrio cohibeamus: Et ſunt illi quidem non pauci, quibus diu noctuque propellimur in tranſuerſum, vnus tamen ac cæterorum omnium Princeps Amor eſt, vehemens ille, atque in vtramque partem inquies, & præceps motus, qui ſi moderatus, ac rectus ſit, hominem ſaluum præſtat: contrà ſi à ſapiente alienus ac diſpar plurimis natus eſt ærumnis inuoluiſſe, quare modum hic feciſſe viſus Ignatius fuit, dum Iacobum Lainium, & Alphonſum Salmeronem, quos Tridentum ad ampliſſimam illam æcumenici Concilij panegyrin mittebat, hoc in cæteris Apophthegmate, *Æqui ſitis omnibus, obnoxij verò nemini*, inſtructos dimiſit.

Dictum ſanè aureum! & nunquàm ſatis laudatum! quo vir prudens ſic cum hominibus verſandum arbitrabatur, vt neque his nimiâ familiaritate iungamur, neque illos faſtidioſis moribus aduerſemur ait, quod indecorum magis eſt, his turpi aſſentatione obſtricti, libertate noſtrâ exuamur, aut certè, quos fuiſſe oportuit, ampliùs amici non ſimus, quos decet verum loqui.

——Rex Jupiter omnibus æquus.
Tros, Rutuluſq́ue fuat, nullo diſcrimine habendus.

Amandi omnes, proximi enim ſunt, quos charitas ſuo gremio complectitur, ſed immoderato nullus, ac nimio amore diligendus eſt, Cùm omnibus, aut noſtræ, aut alienæ conditionis hominibus conuerſandum eſt, quando id, vel neceſſitas, vel vtilitas requiſiuerit, ſed nullus, quantumuis ſanctus, ad nimiam familiaritatem admittendus, quam vel ille prudenter reſpuet, vel propoſito viræ perfectioris, quod cœperat, infelix excidet. Perfectus enim Dei amor omnem alienum amorem reiicit, & vera cum Deo familiaritas ſuſpectam omnem cum hominibus amicitiam proſcribit. *Peculiaris amoris incommoda.*

Atque hæc vna omnium vtriuſque ſcholæ Magiſtrorum mens, atque ſententia ſemper fuit.

Charitatem, inquit, *S. Baſilius, habere inter ſe mutuam omnes debent, non ita tamen, vt duo, treſúe ſeorſum à cæteris ſodalitatem inter ſe coëant, quandoquidem hæc non charitas eſt, ſed ſeditio, & diuiſio, & eorum, qui ſic coëunt, improbitatis iudicium: ſi enim communis decus diſciplinæ carum haberent, qui tales ſunt, ſine dubio communem, æqualemq́ue* *S. Baſilius conſt monaſt.c.30.*

lemque aduersus omnes charitatem tenerent. Const. mon. c. 30.

Item orat. 1 ex cõgest. *Quemadmodum enim*, vt idem obseruat S. Doctor orat. 1. ex congestis: *Deus promiscuè lucem omnibus impertitur, sic Imitatores Dei, charitatis ipsorum radium æqualiter communicare omnibus debent.*

S. Ioan. Chrys. Quid namque proderit, teste S. Ioan. Chrysost. *quod aliquem vehementer amas: humana est illa dilectio. Si verò non est humana, sed propter Deũ diligis, dilige omnes. Nam Deus ita præcepit, vt & inimicos quoque diligamus. Si enim inimicos diligere præcepit, quantò magis eos, qui te non contristant:* vnde factum vt S. Carolus Borromæus non tam Romanæ Curiæ purpurâ, quam cælestis huius doctrinæ gloriâ nobilis, Oblatos S. Ambrosij instituens, ad vitam sacerdotio dignam, inter alia dixerit hæc verba: *vitent diligentissimè, ne quemquam diligant singulari, præ ceteris amoris affectu, qui, vt plurimum inordinatus esse solet, sed æquali omnes pro singulorum ratione & statu, charitate prosequantur.* S. Carolus Bor.

S. Polycarpus in epist. Hæc eadem illa doctrina fuit quam S. Martyr Polycarpus, tot antè sæculis, datâ ad Smyrnenses epistolâ, tantoperè eis commendauit, monens, vt diligant omnes æqualiter, in omni continentia.

Non potuit hoc latere Claudium Aquauiuam quintum Societatis nostræ Præpositum Generalem, Italæ pietatis gemmam, & virtutum omnium Doctorem eximium, qui sic in parenetica quadam epistola de felici Societ. progressu locutus est: Nec „ verò prætereundum videtur, quantum valeat ad animarum seruandam vnitatem, vt fugiat vnusquisque priuatas illas amicitias, quas in congregationibus, velut indecentem quandam pugnam appellabat S. Basilius, & quisquis peculiari affectu ducitur erga quempiam, vel quod sit ei sanguine iunctus, vel quod illius consuetudine delectetur, seipsum, inquit, accusat & prodit, quod non habeat integram charitatem.

Hugo Clun. Quæ causa quoque fuit, ob quam Hugo Cluniacensis hæc suis inseruerit statutis: *Nec se quis, cui sibi videtur associet, quia hæc causa est singularitatis.*

S. Theresia in itinere perf. c. 4. Videtur quidem, inquit S. Theresia, excessus huiusmodi charitatis „ nullum inter nos damnum afferre „ posse, tantum tamen damni & imperfectionis secum trahit, vt neminem id credere mihi persuadeam, nisi qui suis id oculis perspexerit. Hic namque diabolus intricatissimas excitat tricas, quæ in conscientia eorum, qui non nisi rudi quodam modo placere Deo, & seruire student, patum aut vix sentiuntur, adeo vt hoc etiam virtutem esse putent: at qui perfectioni comparandæ intendunt, id optimè intelligunt: hoc namque voluntati suum paulatim robur eripit, ne illa se Deo amando totam impendat, communitati verò, quam euidentissima damna creat. Inde fit, si qua personæ amatæ iniuria irrogetur, vt amans eam, quodammodo sentiat; deliciosi ad hæc aliquid sibi desideret, vt id in amatam conferat: tempus denique captet, ad colloquendum cum ea, idque sæpiùs, magis ad indicandum illi, quanto in ipsam amore feratur, & aliàs id genus nugas; quàm vt ipsa Deum diligat. Rarò enim eiusmodi arctæ amicitiæ, aut familiaritates eò tendunt, vt vna alteram magis in Dei amore promoueat: imò verò idcirco eas à Dæmone induci credo, vt schismata & factiones in religione excitet. Per amorem itaque Dei, vos rogo, à singularibus hisce amicitiis, quamuis eæ sanctæ sint, abstinete si autem voluntas magis in hanc quàm illam propendeat, nostrum est, acritet ei resistere, & nullatenùs permittete, vt hæc nobis affectio dominetur. Non patiamur, charissimæ, vt voluntas nostra alicuius sit mancipium, nisi illius duntaxat, qui illam pretioso suo sanguine sibi comparauit: hæc Theresia in Itiner. perfect. cap. 4.

non

non tam de suo, quam diuino illo, quo plena erat, spiritu prolocuta, quibus quod addam, nihil præter vnam S. Thomæ Aquinatis sanctissimam obseruationem inuenio. quam in 3. dist. 22. q. 3. c. 1. ad 3. sic expressit: „Corporalis præsentia Christi poterat esse nociua, quantum ad dilectionem, quia cum non solum spiritualiter sed etiam carnaliter diligebant, conuersantes cum eo corporaliter. Et hoc est de imperfectione dilectionis; quocirca, vt rectè obseruauit S. Chrysostomus, Christus post resurrectionem non est versatus cum discipulis quadraginta diebus. sed per quadraginta dies, aduolabat enim, ac deuolabat rursum. Cur ita tandem? subducebat animos illorum ad altiora, nec patiebatur illos similiter erga ipsum sic affectos esse, quemadmodum priùs fuerant. Siquidem sic erant affecti, vt admodum ægrè ab illo diuellerentur, vnde & consolans illos dixit: *expedit vobis vt ego discedam*. Hom. 1. in Acta.

S. Thomas in 3. dist. 22. q. 3. a. 1. ad 3.

S. Chrys. hom. 1. in acta.

Abigendus itaque è cordibus nostris peculiaris hic nimius amor, vt omnis retrò antiquitas, & neotericorum grauis authoritas innuit; ac commendat.

Certè dum lego, qua hîc solicitudine ac cura, S. olim Gertrudis laborârit, confundor, à virgine tot viros ingenio, & doctrina præstantes superari: Cauebat hæc maximè in verbis, ne cuiuscunque hominis cor sibi attraheret, neúe in vllius se amicitiam insinuaret. Omnem enim amicitiam humanam, cuius aduertere poterat causam, fundamentumque non esse Deum, vt virus lethale abhorrebat. Vnde tantopere diuinis amoribus addicta erat sincerissima hæc Dei Sponsa, vt ne vnum quidem verbum tolerare æquanimiter posset, quod humanum, ac voluptarium redoleret amorem. Nam licet maximè eguisset, obsequiis, tamen ac beneficiis cuiuscunque carere malebat, quam admittere vt humano cuiusquam fauore, cor eius vel ad momentum occuparetur. Insin. lib. 1. cap. 7. Vbi similem inuenias? sane procul, & de vltimis finibus pretium eius, vnde rarissimæ atque pretiosissimæ aduehi solent margaritæ indeque rear, accersendam, ne talium exemplo mundus destituatur.

S. Gertrudis peculiarem amicitiam auersata Insinuat. l. 1. c. 7.

Sed bene prouidit iusto Deus æquus amori,

Cùm nobis Ignatium non tantùm in exemplum, verùm etiam hîc tradidit in Magistrum, quo duce atque doctore, & tales ipsi nos effici possimus, ac tales procudere Amatores. *Omnes sitientes*, clamabat olim Propheta, & nunc Ignatius, *venite ad aquas & qui non habetis argentum properate & emite absque argento. Quare appenditis argentum non in panibus & laborem vestrum non in saturitate?* Audite audientes Ignatium & delectabitur in pinguedine doctrinæ eius anima vestra. Inclinate aurem vestram in verba oris eius: *æqui omnibus, obnoxij estote nemini*, hæc veræ, suauissimæque amicitiæ lex est, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus expressimus.

Isaiæ 55. 1.

Ergone, inquiet aliquis, rusticitatem induam, & ingrati animi nota, infami illo charactere signari me cupis? quis enim non videat, planeque sic sentiat, nisi officiosæ quorundam beneuolentiæ intimiore quapiam familiaritate, affectuque respondeam, stupiditatis me atque hebetudinis arguendum, quibus omni passim hominum societate proscribar?

Obiectio.

Non hoc voluit Ignatius, nec rusticum, aut ingratum vllum procudere vir sanctus intendit, sed cautos omnes, & in amore proximi circumspectos, neque enim in his officiis, mutuisque obsequiis abesse periculum solet, quo in grauiores lapsus, funestosque casus incauti proruamus, de quibus antè monuisse B. Aëlredum Abbatem memini lib. 3. cap. 25. de Charitate Officialis affectus, inquit, cæteris, qui admittendi sunt, periculosior: siquidem admittendus est, sed permaximè cauendus. „Quid

Responsio.

B. Aëlredus Abbas l. 3. c. 25. de Charit. Quam noxius & periculosus sit peculiaris Amor.

„ Quid enim tam dignum, tam consonum rationi, quàm vt vicem rependas amanti! obsequenti officium! gratiam munera porrigenti. „ Quid deinde cauendum magis, „ quàm ne delinitus obsequiis, vel „ muneribus illectus, aut foueas vitia, vel faueas vitioso? Nec de his „ mihi sermo est, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, qui „ iustitiam venalem habentes non „ homini, sed muneribus fauent: sed „ de his qui obsequiis, vel muneribus prouocati, non iam munera, „ sed ipsum hominem quodam interno complectuntur affectu. Admittendus est, inquam, iste affectus. sed & cauendus: admittendus ne sit ingratus officio, cauendus ne non tam homini impertiatur, quam vitio. Proinde quamuis „ in muneribus vel obsequiis suscipiendis, magna sit habenda discretio hoc attendendum, vt cum erga eum cuius beneficiis vtimur, vel „ obsequijs adiuuamur, quodam mouemur affectu, ipsius personæ dignitas diligentiùs inspiciatur, vt si „ fortè eius meriti sit, affectus ipse „ officialis transeat in rationalem, & „ quem cœpimus diligere, quia nobis gratus, diligi incipiatur, quia „ virtutibus adornatus. Euenit aliquando, vt vir optimus ob exteriorem quandam austeritatem, non „ facili affectu in cor influat intuentis, quem si aliqua occasione oblata munificum nobis senserimus, „ insensibiliter ipse, quem austeritas „ illa oppresserat quodammodò, & „ obruerat, erigatur & vt ita dicam, „ excitetur affectus; & virtus, quæ „ priùs placebat, sed non sapiebat, „ ipsi affectui quasi cordis palato. licèt ad aliud adhibito, sua se suauitate ingerat & infundat, atque „ ita mirabili modo sapiat & delectet. Quod si talis forte fuerit, in „ quo non sit virtus quæ placeat, „ quantum quidem eius desiderari „ potest correctio, affectus admittendus est, simplex autem affectus „ ille, qui quamuis certis quibusdam „ causis moueatur & moueat; hominem tamen sine alterius respectu „ causæ complectitur, per omnia temperandus. Ipsa sanè obsequiorum, „ vel munerum redhibitio, vtrique „ secundum rationem; non secundum affectum impendatur. Sic & „ desiderium quo eorum præsentia „ desideratur, vel actus quo ipsa præsentia comparatur, rationem sequantur non affectum. Hæc ille: quibus allatæ oppositioni abunde „ factum est satis.

Restat vt ad imminentia à neglectu doctrinæ huius detrimenta oculos conuertamus, vnde integra, accurataque obseruandæ eius cura succrescat. Ac primùm quidem nimia illa familiaritas, immoderataque amicitia cor hominis creatarum rerum amoribus inficit, vanis desideriis, atque inutilibus cogitationibus replet, quibus illa quæ erga Deum charitas in nobis vigere debet, si non tollitur, certè infirmatur, dum mentem à Deo auocat, & in vilem creaturam immoderatiùs inclinat, vt B. Aëlredus, vbi suprà, hac eum censura non veritus sit notare: Amor hic peruersus est, hominem exuens homine, formam induens bestialem, quod rationis, quod honestatis, postremo quod vtilitatis est obruens quodammodò & abscondent hic amor propriè conuenit bestiis, excusatur in pueris; nam illis ratio non infunditur, in istis sopitur.

Secundò, non pauca hinc vitia pullulare videas, quibus virtutum fructus elidantur: sicut enim malus, cui ramus pyri insertus est, non mala, sed pyra producit; ita cor, cui immodicus alterius hominis amor insitus est, cui dictum, *puluis es, & in puluerem reuerteris*, terrena opera & lutulenta profert.

Tertium, ad desertionem fidei Deo datæ, hominem adducit. Nam velut Sponsa infidelis Sponso est, & in adulterium sensim proclinat, quæ oculos in alium, quam in sponsum, coniicit, eique in corde locum attribuit, ac velut in idem cum sponso, amoris

amoris consortium admittit: Sic & infidelis anima lustralibus iam aquis initiata ac Christo desponsa, si alteri priuatis studiis inordinatè affici cœperit, magnis se lapsibus exponit.

Sed esto, aliquis hæc mala, aut de eis aliquod ex nimia cum quopiam familiaritate non sentiat, quod certè rarum erit, & fortè non ex eo, quod res hæc sese ad eum modum non habeat, sed quod seipsum homo non cognoscat, nec intimas cordis latebras scrutetur, vnde

Quartum detrimenti genus exsurget nullo velamine obtegendum, scilicet discordiæ, rixæ, & dissensionum seges, dum quisque nititur familiarem suum potiori loco collocare, ac suprà alios efferre, vnde quid nisi Iustitiæ & æquitatis violatio metuenda, cum dignus non amatus repellitur, & indignus amatus extollitur.

Adde plenam proximi offensionem, dum frequentiores quorundam collocutiones, coitiones sine vlla necessitate animaduertens, facilè quid fecius suspicetur. Quis namque hanc amicitiæ singularitatem considerans, os suum obturet: & non cum altero colloquens vitium arguat, apertamque procacitatem condemnet? Atque huc referendus oculus ille, manus ac pes de quibus Dominus Matt. 18. *Si oculus tuus, aut manus, aut pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.* Neque enim de oculo, aut manu, aut pede corporis loquitur, sed vt ostendat, ait Chrysostomus, præstare, si quem amicum habeas, etiam charum perinde ac tuum oculum, eum quoque reiicere, & à tua præcidere familiaritate, si modo te scandalizet, hoc est animæ noceat. Quid enim iuuat habere oculum, cum reliquum corpus lædatur, & pereat? Ergo si detrimentosæ sunt eiusmodi amicitiæ, resiliamus & fugamus ab eis, amorem creaturæ deponamus, qui nos inficit, proximum turbat, & hominum inter se societatem abefactat. Hæc S. Ignatij mens fuit, hic perspicuus Sanctorum sensus, quem vel ex vno Cyrillo dum

Matth. 18.

moralia documenta tamquàm è promptuariò rerum naturalium fœcundissimo profert, dabitur collegisse: ita namque is libro primo Apologorum cap. 19. in rem nostram philosophatur: Spinosum erinaceum cernens vipera, pellem eius mirata dixit: tu quis es? cui ille, fidelis amicus; nam amicus is est cui vna tecum est anima; at verus est, cui si multum adhæseris, pungit. Nam qui verè diligit, in lusibus etiam corripit & qui in facinoribus blanditur, odit. Ad hæc vipera dixit: placet certè satis, quod amicitia sit intima vnitas cordium, quod autem veritas eius spina sit, minus placet, vera namque dilectio, non in superficie, sed in re, non in asperitate, sed in tranquillitate fundatur. Nonne spina de radice maledictionis processit? Tunc Erinaceus punctus hac inuectiua, subiunxit: scio, charissima, quod amor & odium in sola substantia radicentur, vnde in venenosa lethalitate tua, generalis inimicitia est, & in medicinali tua virtute, amicitia est communis: Attamen dilectionis veritas, falsitasque subiectæ substantiæ, notantur ex cortice. Verus enim amor deforis pungit, & mulcet intus: foris est acer, & intrinsecus dulcescit, exterius percutit, & interius medetur. Est enim quasi medicina amara. Nam vt Aristoteles scribit: *diligit quasi odiens senex*: & Dauid fideli amatori dictum est quod se oderat, diligendo se: fictus verò Amor oculorum nitet in lumine, sapit in ore, mulcet in aure, ridet in facie, placet in cute, intus tamen venenum Satdoum est, quia nimirum quos petimit, risu perire facit. Spina ergo erinacea, verus & sensatus amicus est, & pictura viperea, fraudulentus. Quibus addens, aiebat: spina quippe mea de radice maledictionis non pullulat, sed internam substantiam charioerem esse demonstrat. Spinis enim armat natura rosas, & sub spinoso cortice, fructum condit castanea medullatum.

Cyrillus l. 1 Apologorũ c. 19.

Aristoteles.

His auditis vipera dixit: postquàm verus

verus amicus es, & sensatus, vellem si placeret, speciali amicitia tecum stringi. At ille respondit: *Ego certè Amicus sum cunctis, intimus paucis, fidelissimus vniuersis.* Nam qui non omnes diligit nullatenùs ex virtute amauit. Et qui intimus est pluribus, dilector nullius est magnus. Minuitur enim virtus, cum diuertitur.

Sic mater plus diligit vnicum, quàm simul numerum, si habuisset, natorum. Attamen, si tandem vis audire, nulli ego intimâ dilectione adstringor, nisi cuius virtutem longis temporibus, atque veritatem, in mille calamitatibus comprobaui. Vinum enim nouum, nouus amicus, sapit enim in ore, bullit in ventre, fallit in capite; latet turbulentum in fæce: & ideo nolo tuus esse amicus, amicus stultorum similis eis efficitur: quo dicto repudiatam dimisit.

Vini & amici comparatio.

Atque ista hactenùs, quibus S. P. Ignatij Apophthegma non parum illustratur: ad cætera exinde transeamus, vnde non luminis minus, quàm dignitatis eidem feneremus.

Percunctatum se Romæ fuisse quempiam Grammaticum, primæ in docendo celebritatis, inquit Aulus Gellius lib. 7. Noct. Attic. cap. 17. non hercle experiendi, sed discendi magis studio, & cura, quid significaret obnoxius, quæque illius vocabuli origo ac ratio esset: audisseque eum dici obnoxium, cui, quid ab eo, cui esset obnoxius, incommodari possit. Verè quidem & iustâ originatione vt ait Festus, quamuis non complectatur omnia, ad quæ nouo deinde vsu hoc vocabulum detortum est: si quidem ad deinctum quoque, obstrictumque ingenti beneficio, deriuatum fuit, sicut ad expositum etiam alicui rei, & pronum, obligatumque ad aliquid, quo illud Plautinum spectat in Asinaria.

Aulus Gell. lib. 7. c. 17.

Maximas opimitates, & gaudio effertissimas
Suis heris ille mecum vnà pariet, gnatoque & patri.
Adeò vt ætatem ambobus nobis sint obnoxij,
Nostro deuincti beneficio.

A quo nec abludit Cæcilius in Chrisio:

Quamquàm, inquiens, ego mercedè hic conductus tua aduenio,
Ne tibi me esse ob eam rem obnoxium reare,
Audibis malè, si malè dicis mihi.

Denique obnoxius, ligij nomine dici cœptus est: ita enim Clemens Papa, Clementina Pastoralis. §. rursus, de Roberto Siciliæ Rege. *Rex ipse noster, & Ecclesiæ Romanæ, ratione Regni subditus, homoque ligius est, & Vasallus.* Vbi glossographiis, dicitur *ligius*, inquit, *quasi ligatus.* Differt autem Vasallus à Ligio, quia Vasallus iurat Domino se fidelem fore, saluâ regiâ, aut Imperatoria fide: Ligius verò contra omnes, ne Rege quidem excepto, fidem, operamque pollicetur. Quam distinctionem non solum glossographo, sed vniuersim omnibus rei feudatariæ scriptoribus constat placuisse.

Quæ distinctio inter ligium & Vasallum.

Ligius porrò fiebat quis, cùm homagium Domino suo faciebat. Quodque homagium barbari dicunt [sunt enim hæc omnia vocabula Italo-longobardica] id Budæus Clientelaris officij sponsionem, agnitionemque appellat. Est verò homagium facere, hominem se Ligium constituêre.

Et quoniam capti amore adolescentes in suarum se esse amicarum potestate profitentur, seque illis perpetuam fidem seruaturos recipiunt, ita quoque se ligios vocant, vnde Petrarcha Cant. 48. strophа 9.

Mente pudicus erat Iuuenis, pudibundus & actu
Posteà quam Lauræ est factus homo ligius.

Petrarcha Cant. 48. stropha 9.

Dicti autem primum Ligij, quod ligatis Reges pollicibus illos fidei, imperiisque suis sic vinciant, atque obnoxios faciant vt Iouinianus Pontanus lib. 2. de bello Neapolitano ritum faciendi hominem ligium perquàm eleganter recensens, scriptum reliquit.

Iouianus Pontanus l. 2. de bell. Neapolit.

Venio ad alteram partem: *Æquus omnibus.* Quid autem Æquus? Integer,

ger, probus, iustus, quique neutram in partem se inclinat, viâ rectâ graditur. Ita Marcus Tullius Cicero Prætorem æquum & sapientem appellat, vnde *Æquitas*, naturalis moderatio, quæ in pectoribus hominum residet, rectè definitur *absoluta bonitas, viri medulla, germanaque Iustitia*, qua dum quispiam pollet, omnibus facit satis. Nulli obnoxius, cunctis verò æquus; nec alicui, ob noxam, pœnæ adductus, quam vt effugiat, ab officio decedere cogatur: sed noxa & nexu, vt vetus habet paræmia, solutus, in æquilibrio consistit, nec munere, aut donis, nec Magistratu quopiam, aliove auctoramento obstrictus in transuersum fertur quo veritatem eloqui formidet, quasi bouem portans in lingua, aut argentangina fauces gerens obstructas: de quo non facetè minùs, quam verè M. Valerius Martialis lib. 5. Epigram. 18. ad Quinctianum.

Martialis l. 5 ep. 18.

Odi dolosas munerum, & malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit
Auidum vorata decipi scarũ musca?

Infelix conditio? qua nequidquam ea melior, quæ alterius vel fauoris emerendi, vel opis conquirendæ, aut gratiæ, se fidei aliorum submittunt. Hoc sensuri, hoc dicturi quod nulla æqui, boniqùe adhibitâ ratione, alterius sederit arbitrio, aut voluntati. Iniquè profectò! cùm nullus homo tam charus nobis esse debeat, vt in illius gratiam veritas vllo modo supprimatur, aut æquitas, conculcetur, vti Galenus scriptum reliquit.

Id certè voluit Valerius Martialis dum lib. 12. Epigram. 34. sic monuit Iulium suum, quem multis volebat aduersitatibus ereptum.

Martialis l. 12 ep. 34.

Si vitare velis acerba quædam,
Et tristes animi cauere morsus;
Nulli te facias nimis sodalem:
Gaudebis minus, & minùs dolebis

Æquus itaque ille fuerit de quo Horatianum istud hoc sensu dicatur:

Nullius addictus iurare in verba magistri.

Verus *αὐτόνομος*, qui nullius peregrini placito subsit, non tamen sine legibus ipse, sed Deo probatis viuens; vtpote ad normam diuinitùs institutam, quæ charitate & pietate concreta est, *nulli obnoxius, æquus omnibus vitam instituit*, qua lege regi, verè viuere est, nulli iuxta Apostolum Rom. 13. quidquam debendo nisi vt inuicem diligamus: quo deficiente fieri amat, nostra omnia retrò lapsa referri, nam vt bene S. Augustinus lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 9. scripsit: *Quisquis metu cuiuslibet potestatis (vel honoris, lucriùe cupidine ductus) veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem (vel caducas res magis amat) quam Deum.* Rom. 13. S. August. l. 1. de Ciuit. c. 9.

Contrà, verè iustus & æquus, qui velis remisque suadente Ignatio diligenter id fugit, & sinceram in omnibus veritatem sibi propositam habet, ad eamque solam, iudicium suum, ceu ad Lydium lapidem conuertere solet! Non meus hic sed *Epicteti* sensus est: *Approbato eos*, inquit, *qui bene consulere cupiunt, non etiam eos, qui vbique adulari student: illi enim vtile in veritate cernunt, isti verò, quæ potentibus placent, spectant: corporumque vmbras imitantes, omnibus illorum dictis assentiuntur.* Epictetus.

Infelices homuli! qui sic gratiis litant, apud quos plus valet amor rerum terrenarum, quam ratio, & Dei timor. *Sed Deus*, vt inquit Apostolus *non irridetur*, græcè μυκτηρίζεται, quod significat nasum suspendere, aut irridere suspenso naso, vti faciunt, qui cum alios deceperint, à tergo, ad eos linguam, nasum, digitum in signum irrisionis extendunt, licèt enim hominibus fucum facere quis possit, Deo tamen illudere nemo potest: *quæ enim seminauerit homo, hæc & metet*, perspicuum id fiet in Thoma Cardinale Volsæo. Humili loco hic natus homo vafer & catus, in aulam Anglicanam irrepserat, cum statim in Regis gratiam se insinuare cœpit conformans actiones suas & iudicium actionibus, & iudicio Regis. Gal. 6. 7. Thomæ Card. Volsæi vafrities.

Eſt autem hic modus Principibus viris placendi expeditiſſimus, fauere illorum conſiliis, & ad exſecutionem cupiditatum ipſorum maximè lubricarum ſtrenuam, audacemque operam nauare.

Senſerat id Rex Henricus, quare hominem ſibi reddere obnoxium magis, magiſque ſtudio contendit; nec vincula hæc viſus ſubterfugere Volſæus fuit, quæ ſibi caſura in præclaris falſo ſperabat.

Primò itaque Sacellanum Regium eſſe voluit, nec ita multò poſt, ab eleëmoſynis quoque eum ſibi conſtituit, deinde Tornaco in poteſtatem ſuam redacto, Tornacenſis Epiſcopatus vectigalia liberaliter donauit. Poſt fructum Epiſcopalium redituum,& Epiſcopum Lincolnienſem, Dunelmenſem, & Vintonienſem nominauit, tum etiam Archiepiſcopum Eboracenſem; vt omittam locupletiſſimas Abbatias quibus eum oppidò ditauit: Tanto autem Thomam Rex fauore proſequebatur, vt Regni Cancellarium, & Cardinalem breui viderit creatum.

Quibus omnibus beneficiis, aliiſque plurimis non vulgariter Regi factus obnoxius, æquitatem in alios ſeruare neglexit. Regem pridem aduerterat alienis amoribus occupatum, atque à propria coniuge animo, affectuque diſſidere, quare diuortium ab ea quod Regi nequaquàm diſpliciturum nouerat iniquiſſimè ſuggerere cœpit,ęternam ſic familiæ Imperatoris maculam inuſturus, dum materteræ eius à regio thalamo, cum ignominia penitus diſiungendæ conſilium parit, nec minùs Catholicæ Eccleſiæ incommodatur, dum ſementem tartarum calamitatum iacit, quibus Eccleſia vſque in hanc horam toto illo Regno miſerrimum in modum affligitur, & laceratur. Verè iniquus factus his omnibus, quia Regi malè obnoxius erat. Et qnæ finis? quam ſanè neutiquàm exſpectârat Volſæus, iuſto autem iudicio ſtatuit Deus, cùm Papa Regis diuortio obſiſtente, atque vna, ex alia, moleſtia Regem inuadente cœpit à Cardinali ...s animus tantò acriùs auerti, quantò benignius ante in illum fuerat conuerſus, Rege malorum omnium ſuorum culpam in ipſum conferente. Quod cum multi ex Principibus viris, qui Volſæo Cardinali omnia ex ſuo arbitratu adminiſtranti parum fauerant, intellexiſſent, ita fortunæ eius rotam ſuccuſſerunt, vt eam planè euerterint. Collatis namque conſiliis multa criminum capita in illum collegerunt, eaque ſuis chirographis firmata Regi tradiderunt. vnde factum, vt in conſilium non ampliùs adhiberetur, & ab omnibus paſſim negligeretur. Nec ita multò pòſt, iuſſu Regis à Duce Norfolciæ apprehenſus ſe abdicare primum Cancellariæ Magiſtratu, deinde Vintonienſi Epiſcopatu, tum autem magnificentiſſimo à ſe Londini exædificato palatio, quod Rex ipſe inuaſit, exire fuerit coactus: denique pœnè omnibus bonis exutus, primum in villam Atherienſem, mox in Eboracenſem Archiepiſcopatum ſit ablegatus. Quid ni infelicem hunc virum non acu, ſed ſpiritu ſuo prophetico tetigerit Ieremias
dicens: *Maledictus homo qui confi-* Ierem. 17.
dit in homine, & ponit carnem bra- 6.
chium ſuum & à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myrica in deſerto, & non videbit, cùm venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili: quæ omnia in Volſæo completa, luce clariùs apparent: vt non ſine grauiſſima cauſſa, certiſſimaque ratione, altum ingemiſcens, dixerit: *Ego quia*
non Dei, ſed Regis fauorem quæſiui, Volſæi ſi-
hinc Dei gratiam perdidi, & Regis rius, ſed
non acquiſiui: tanti fuit Ignatianum ſeruus plan-
Apophthegma neglexiſſe. ctus.

Contrà verò, *benedictus vir, qui*
confidit in Domino, & erit Dominus Ierem. 17.
fiducia eius. Erit quaſi lignum quod 8.
transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas & non timebit cùm venerit æſtus. c. 17. 5.

Patuit id non obſcurè in Nicolao

Nicolaus Card. de Flisco. lao Cardinale de Flisco, cuius exemplum tantò lubentiùs vsurpo, quantò Vaticanam purpuram, quam prior moribus suis dehonestârat, is æquitate suâ, magis deinde extulit, ac celebrauit, hic itaque cùm se Iulio II. tum in eius electione, tùm deinde in ipso Pontificatu, sæpè, vt res poscebat, opposuisset, nil auribus dans, vel aucupio fauoris indulgens, tantum abest, vt damnum vllum acceperit, quin insuper ab eo ipso ditatus sit reditu septem millium aureorum: quin etiam tantò in pretio habitus, vt scriptum sit, consecutam esse communem hominum opinionem, teste Ioanne Rubeo, non posse bonum Cardinalem à Pontifice non amari.

Vnde constat verâ ac sincerâ dicendi, agendique libertate, non modò nihil perdi, sed sæpè etiam, non minimum lucrum acquiri, vt bene ait prudentissimus, atque integerrimus scriptor Hieronymus Platus *Hieronymus Platus l. de officio Cardinalis.* noster, in libro illo quem de officio Cardinalium scripsit ad fratrem Flaminium Cardinalem. Imò, inquiens, quod bene notandum, perdent fortassè non parum: & meritò, qui Pontifici, aut aliis Principibus resistunt propter aliorum Principum aut dynastarum gratiam, aut studium partium, vel ob aliquam propriam commoditatem: qui verò amore Iustitiæ, aut religionis, bonique communis, *nulli obnoxij, omnibus æqui id faciunt*, si præsertim reliquæ vitæ testimonium accedat, potiùs, vt dixi, multum conquirent. Quo magis deploranda est præsens ætas, in qua subinde videmus Curias clingues, vt Plinij, in panegyrico, verbis vtar, in quibus dicere quod velis, periculosum: quod nolis, miserum est. Occurrit Ignatius, cuius vtinam sanctissimum Apophthegma malleolo aut celte prudentiæ, omnium cordibus inscribatur, *Æquus esto omnibus, obnoxius nemini.*

Quæ licèt secundum hanc expositionem & sensum ita se habeant & rectè quidem ac bene; non tamen obsistere Euangelico operario dixerim, quo minus ille cum Doctore Gentium Paulo, omnibus omnia fieri possit ac debeat, vt omnes lucrifaciat, tum eorum beneuolentiam quibuscum agere contigerit sibi impensius demerendo, tum eorum moribus, citra tamen adulationem & neglectum debitæ correctionis, se conformando. *Quomodo quis omnia omnibus fieri possit ac debeat, vt omnes lucrifaciat.*

Primũ. Ad primum enim quod attinet, dici vix potest, quantum ab homine, quem simili modo deuinxeris ad frugem bonam non impetraris.

Nouerat id sanè Ignatius, cuius inter præcipuas laudes ac virtutes, quibus velut hamo capere homines solebat, vna erat, prolixa quædam in omnes vel tenuissimos, cum liberalitate coniuncta voluntas, qua nec sumptui, vbi opus erat, nec labori parcebat, lib. 1. hist. Soc. §. 75.

Et quamuis in hunc finem ipsa opera satis efficacia amoris iudicia haberi possint, non abs re nihilominùs fuerit, idem & verbis, aliisque signis exterioribus, citra assentationem tamen, illis testari, eos magnifaciendo, in pretio habendo, eisque sua fidendo, conferendo cum illis nonnulla, quæ aliis non communicarentur, quædam etiam committendo eorum iudicio, imò & seipsum illis subiiciendo, quando id sine incommodo fieri potest: hæc enim omnia inuitant & obligant ad redamandum, & ex consequenti, vt sibi faciliùs veram ab eo virtutem persuaderi sinant inducendo: quam autem illud S. Ignatio feliciter in Francisco Xauerio cesserit, nouit orbis terrarum vniuersus; familia is natus erat amplissima, & spiritus gerebat ingentes, & alta quædam versabat in animo, splendida magis ac speciosa, quam frugifera, ac salutaria: & hoc se animo Lutetiam contulerat. Obseruârat id Ignatius, quapropter vti eo familiariter cœpit, & arctâ quâdam necessitudine coniungi. Et quia videbat qua re maximè posset altus & ingenuus animus deuinciri, ei & ipse multum pro merito, & di- *Quomodo lucratus fuerit Xauerium Ignatius.*

 gnitate

APOPHTHEGMA SECVNDVM.

PLuris sibi esse aiebat cuiusuis fratris salutem, quàm thesauros omnes vniuersi mundi.

Ribadeneira l. 5. c. 8.

Commentarius.

REctè admodum, ac sapienter scripsit Aristoteles, vnus ille inuestigandæ veritatis author nobilissimus, in œconomiæ ratione primam, & principem domus partem, esse ἄνθρωπον, hominem, de cuius vtilitate, atque ornamentis bonus pater familias, assiduè cogitet sic vt de nullo magis: in quo imitari debeat summum vniuersitatis epistatam Deum, de cuius plus quam paterno in suos amore, coronatus Vates sacrum ænigma proposuit, dicens: *Misericordiam & veritatem diligit Dominus.* Pro quibus in primigenia lingua est: *Sol, & scutum suis est Deus.* Res simbolis inuoluta, à latino interprete excellenter aperitur: Scutum ad misericordiam; ad veritatem Sol refertur: hoc suorum ipse salutem prouocat: illo tuetur. Sol vitam infundit, Scutum noxia propulsat. Quid Dei filius, cum ad nostram humanitatem descendit, aliud fecisse credendus est quàm quod viderat Patrem facientem? Præter Apostolos illos duodecim, magnus quoque numerus discipulorum plerumque Christum sequebatur, & tamen adeo paternè illis, qui omnia reliquerant, prouidus iste Pater familias prospexit, vt nihil sibi vnquàm defuisse ipsimet faterentur. Quod tunc cognitum fuit, cùm ex illis sub finem inquisiuit, *quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil.* Luc. 22. 31.

Prior ac potior domus pars, homo est.

Psal. 83. 12

Lucæ 22. 35.

Quamuis verò de eorum morbis, nihil Euangelistæ nobis scripto reliquerit, si tamen in eos incidissent, neutiquam dubitandum est, quin beneficam eius manum, aliaque non minus solatia, quàm paternam opem experti fuissent; sic namque, vt S. Lucas testatur, *omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens curabat eos*, quid aliud cum suis acturus fuisse credendus est? Ita sapuisse ad exemplum nostrum visus diuinus ille circiter Angelus, qui numerosam istam Israëlis familiam ex Ægypto digressam, per annos quadraginta in deserto direxit, per diem in columna nubis ab æstu custodiens, per noctem verò in columna ignis viam bonam, commodamque demonstrans.

Lucæ 4. 40.

Et non erat in tribubus eorum infirmus. A capite, namque, bona valetudo, vt ait Seneca lib. 2. de Clementia cap. 2. inde siquidem omnes vegeti sunt, atque erecti, prout epistata, ac domus rector in officio viget eosque ritè procurat. Agnouisse id creditus Hebræus Rex Dauid, cum de se non verè minus quàm gloriosè cecinit: *perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meæ*, non vbique otiosus, quo innocentiam læsissem, sed negotiosus, familiaribus intentus in bonum, idque in medio eorum, vt in centro positum nihil me latere aut fugere posset, quo eis facerem bene, cuius non minimum sanè momentum integra illorum valetudo sibi vendicabat, nam, vt benè Athenæus lib. 15. ὑγιείας χωρὶς οὐδεὶς εὐδαίμων, est enim testibus Plutarcho. & Stobæo, ὑγιεία ἥδυσμα θειότατον, καὶ προσηνέστατον, vt

Psal. 104. 17.

Seneca l. 2. de Clementia c. 2.

Psal. 100. 2

Quantum æstimanda bona valetudo.

Athenæus Plutarchus. Stobæus. Plaid.

vt meritò dixerit Plato ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνητῷ. vnde Aurelius Imperator ad Pollionem amicum scribens his eum verbis erigere non dubitauit: *omnes* inquiens, *in vita molestiæ tolerabiles sunt, dummodò sanitas homini constet.*

Aurelius Imp.

Magnus siquidem est census integra valetudo, & thesaurus reliquis omnibus bonis externis, quæ in hac vita haberi possunt, longè anteferendus. De qua re præclare Ecclesiasticus cap. 30. 14. cuius illa hæc verba sunt: *melior est pauper sanus, & fortis viribus, quam diues imbecillis: melius est corpus validum, quàm census immensus. Non est census super censum salutis corporis.*

Eccli 30. 14.

Nec mirum; cùm omnia bona temporalia expendantur, vt bona valetudo obtineatur, quod de muliere illa Euangelica apud Matthæum, & Marcum legimus, quomodò scilicet omnem substantiam suam in medicos erogârit, nec tamen ab vllo potuerit curari. Quod itaque Pythagoras iis, ad quos litteras dabat precari solitus erat τὸ ὑγιαίνειν omnibus apprecemur, omnibus voueamus, & omnes numeros veri expleuerimus amici, cui bene velle, amico præcipuè incumbit, quod hic oppidò impletur, iuxta Satyricum:

Pythagoras.

Si ventri bene, si lateri, pedibusque tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Quæ caussa fuit, cur Pyrrhus Rex Epirotarum, cum Diis immolâret, non regni sui dilatationem, aut contra hostes victoriam, non opes aut gloriam, sed sanitatem tantum petere soleret, teste cælio Rodigino lib. 7. cap. 24. & Albertus Austrius, dum interrogatus, quænam esse iucundissima possessio, responderit: *Sanitas, cuius thesaurus tam pretiosus est, vt quiduis potiùs perpeti debeat homo, quàm eam sibi eripi sinat.*

Quanti Pyrrhus Rex fecerit bonam valetudinem.

Rodiginus l.7.c.24.

Albertus Austrius magni æstimabat sanitatem.

Quæ si naturâ dictante credita sint, quid fiat, si accesserit virtus, spem faciens fructus immensi? quod per S. Ignatium apud Petrum de Ribadeneira factum legimus lib. 5. cap. 8. his verbis: *Cùm homo,* inquiebat, *ægrotare cœpit, rarò aliquid boni potest in aliorum vtilitatem facere, quando verò sanus est, multa bona potest præstare.* Et ita profectò se res habet.

Ribad l.5. c.8.

Verùm enimuerò quantauis in bona tuanda valetudine tùm nostra, tùm Præpositorum nostrorum desudet industria, raro tamen accidit, vt eâ perpetuò gaudeamus.

Morborum semina & caussæ.

Vel enim leues in potu, ac cibo excessus, subitæ turbati animi commotiones, aliaque sexcenta concitant humores naturam vitiant, rotam natiuitatis nostræ inflammant, vnde ægritudines & morbi; blanditur subinde oculis *vinum, quando flauescit in vitro color eius, vt ait*: Salomon, *suauiter etiam ingreditur, at in nouissimo mordet vt coluber, & sicut regulus venena diffundit,* cum sc. morborum agmina nos occupant, quibus corporum vires exeduntur, & in medullas, neruosque descendunt: de quibus auditores suos monitos voluit Ecclesiasticus cap. 38. 15. dum sic locutus est: *Qui derelinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incidet in manus medici*: & propria doctus experientia vir secundum cor Dei Hebræus Dauid: *propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam animam eius;* quod Corinthios suos celasse noluit Apostolus Paulus 1. 11. *ideo,* inquiens, *inter vos multi infirmi, & imbecilles.*

Prou. 23. 31.

Eccli. 38. 15.

Ps. 38. 12.

1. Cor. 11. 30.

Sed his sepositis, nec passim in hominum piorum asceteria admissis alia sunt non pauca, quibus corporum nostrorum labefactari sanitas solet, vt sunt curæ ac solicitudines magnæ assidua studiorum consuetudo, vigiliæ, aliaque his similia non pauca, quæ lædere valetudinem nata sunt; quo spectat quod Ecclesiasticus cap. 31. 1. commemorat: *Vigilia,* inquiens, *honestatis tabefacit carnes, & cogitatus illius auferet somnum.* Quænam autem honestiores vigiliæ esse possunt iis, quæ propterea suscipiuntur, vt studiis litterarum, quæ homines honestant, & proximum iuuant,

Eccl. 31. 1.

iuuant, operam demus? nihilominùs sensim sine sensu corpora emaciant, vires atterunt,& tabem etiam multis important.

Nec minor quoque inualetudinis causa, tristitia est, cùm sc. rebus ad votum nequaquàm fluentibus, animo cruciamur, & dolemus, vel proximi ruinam, vel euangelij cursum interceptum,vel nostri ipsorum progressum occupatum:vel imminutam gloriam Dei, vnde fieri amat vt valetudo non parum infirmetur, testabitur id orbis Ecclesiastes, credentium pronubus Paulus, his verbis
Rom.9.2. Rom.9. *tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.*

Et quanam de caussa? quod Iudæos à iustitia, & salute repulsos aduerteret; & iterum alio loco: *quo-*
2.Cor.1. *niam suprà modum grauati sumus, suprà virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere, sed & ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus* 2.Cor.1.natura sc. & animo nihil aliud nobis præsagiente, & exspectante quàm mortem, quod absque insigni valetudinis detrimento fieri nequiit, maximè si, quæ humanæ conditionis infirmitas est, hæc nobis diutiùs inhæreant atque obuersentur: de quo au-
Eccli.30.2 diendus Sapiens Eccli.30.2. *Tristitiam ne des animæ tuæ, ne affligas temetipsum in consilio tuo: zelus & iracundia minuunt dies.*

His iungo varios casus,vel dæmonis inuidia, vel hominum malitia in Domini vinea laborantibus obtingentes, quos quisque vitet,nunquàm satis cautum est in horas: Labores itidem incredibiles in hominum salute procuranda, domi, foris: die, noctéque apud barbaros, schismaticos, hæreticos, apostatas susceptos, quorum assiduâ exercitatione, quantis valetudo incommodis affici soleat, nullus ignorat, quibus omnibus, dum ingrauescens, prouectaque accedit ætas, obsequendi studio iam proiecta, & morbus fit grauior, & pœna productio. Vnde *Aristoteles,*
Aristoteles. *morbum vocauit aduertitiam senectutem, senectutem verò morbum naturalem.* Ob caloris enim natiui, viriumque defectum,languore quodam perpetuò senes grauantur,humores praui, pituita, flaua, & atra bilis inualescunt, sanguinis, spirituumque vigor interisse solet.

Atque hæc denique ea tempora sunt, quibus munus suum iustus familiæ præses exsequatur, ac curet, nihilque eius, quod à se officium erga suos exquirit, intermittat, iuxta S. Gregorij verè magni sanctissima monita, 2.p.past.c.5. *Boni Rectores,* S. Gregor. 2.p.pastoral.c.5.
etsi iam summa contemplando appetant, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo miscentur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit tum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, & cum benignè descendit ad infima, valenter recurrit ad summa; quod vti Deo gratum, Rectori quæstuosum & vtile ipsi autem infirmo debitum ac mirabiliter acceptum est; cùm enim is sibimet subuenire non possit, eo ipso ampliùs affligitur, dum ab his, à quibus deberet, non subleuatur,, nec sibi compatientes habet, iuxta propheticum sermonem: *Susti-* Ps.68.21.
nui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, non inueni: effundet proinde bonus Epistata omnem patris affectum, matrisque viscera in ægrotum, nihilque eorum deesse patietur, quæ, quoquo modo, vel ægrum solari, vel ægritudinem valeant leuare: geretque se, vt cum Seraphico loquar Bonauentura, in Lib. de 6. Alis c.4.
omnibus patrem, non dominum,sed consolatorem & medicum: nec reputabit suis,vt seruos emptionis, sed vt filios hæreditatis supernæ consortes, quomodò enim (quod boni pastoris est) animam ponet pro ouibus suis, qui quantum potest, de temporalibus bonis, non communicat infirmis?

Quod si quis obiiciat, quia sæpè hi fingunt se debiliores quàm sint; nunquid proptereà omnes dicendi hypocritæ sunt? cùm è contrario pro paucis iustis, vt habetur in Genesi c.18. voluerit Dominus malis multis pepercisse. Gen 18.32

Sed & dixerint fortassis nonnulli, infirmis morigeris, atque obsequentibus, vt valeant, dignè, meritoque subuenitur, vel de quibus conualescentiæ spes est. In illis autem de quibus præsumitur, quod duri ac molesti futuri sunt, vel conualescere aliquando non possint, inutiliter consumuntur expensæ.

At dici hoc forsitan queat, si non propter meritum caritatis, sed ob retributionem humanæ vtilitatis deberet infirmis misericordia exhiberi: Rom. 2. 1. *Et tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat, aut cadit. Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agis, quæ iudicas. Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Rom. 2. Qui autem infirmo propter Dei caritatem non subuenit, charitatis merito se priuat. Vbi enim maior miseria, ibi clarior misericordia, & charitas apparet: Expediet ergo Prælatum quandoque experiri suorum infirmitates, vt eis compati discat, ac condolere, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret, fortes enim & sani non sentiunt, quod sentit æger: idcoque nesciunt iis compati, scient autem posteà, cum dolebunt. Ita bonus ille Seraph. lib. de 6. Alis cap. 4. ventura eminùs, vt pius speculator, aduertens profuerit autem dum suorum amans Præpositus ægris de præfectô prospiciet, qui eis prudenter intendat: de Infirmario vigili ac diligente, qui munus hoc in beneficium reponat, nec medicum, vbi se morbus aperuit, accersere prætermittat. *Qualis Infirmarius ægris præponendus.* Si quid verò offenderit æger, eum facilè morbi tempore non moneat duriusculè, sed in meliorem valetudinem monita reseruet: aut magnâ moderatione vtatur, morboque potiùs, quàm homini tribuat, si quid fuerit peccatum. Adhæc sedulam operam dabit, vt ægrorum querimonias non tristi, aut moroso vultu, sed læto, hilariquе excipiat, auresque faciles præbeat, ac remedia opportuna, grataque apportet: quo fiat vt vel ægritudo, vel pars magna mali tollatur, iuxta sapientissimum Nazianzeni Præsulis effatum: *magnum calamitoso remedium est miseratio ex animo collata: præsertim cum nihil eorum quæ medicus vel infirmarius adhibenda duxerint negligi viderit aut negari.* S. Greg. Naz.

Præcipuè verò non omittet ipse sæpiùs inuisere decumbentem, memor sapientis, Eccli. 7. *Non te pigeat visitare infirmum ex his, enim in dilectione firmaberis*, græcè ἀγαπηθήσῃ, diligeris: quibus verbis Sapiens diuini erga nos amoris coronidem in eo ponit, quod est firmari in dilectione, hoc est habere summum, quod in diuino amore expeti potest: quasi diceret; Tantâ beneuolentiâ Deus te complectetur, quanta potest esse maxima & ipsi homines quoque non poterunt non amore prosequi tuam illam eximiam humanitatem: ἀγαπηθήσῃ, à cælo & terra diligeris. *Quanti momenti sit infirmorū visitatio.* Eccli. 7. 39

Immanè! quantum beneuolentiam blanda infirmorum visitatio accendat, quin & morbum non rarò leuet: quod olim Iacobo Patriarchæ iam seni & morti proximo accidisse legimus Genes. 48. cùm enim rescuisset Ioseph magnus ille Ægypti moderator, ægrotare patrem suum abiectis curis, cæterisque negotiis omnibus, se cum duobus liberis Ephraim & Manasse ad eum visendum contulit. Gen. 48. 2 Nuntiatur ergo bono seni Iosephum adesse quem insignibus Dei donis ornatum inprimis carum habebat: cùm subitò, quasi è conspectu filii carissimi emortuus Phœnix in funere ipso reuixisset, confortatus sedit in lectulo. Est enim non exiguum ægrorum leuamentum cum fidem amicorum & erga se beneuolentiam agnoscunt, eo præsertim in tempore, cùm omni alia consolatione nudi, & infimis doloribus afflicti, in aliena benignitate quiescunt: quod & Seneca ep. 78. sapienter aduertit; *nihil æquè ægrum reficit atque adiuuat, quàm amicorum affectus, nihil æquè exspectationem mortis,* Seneca ep. 78.

mortis, at metum surripit.

Quod si de omnibus amicis & familiaribus dicitur, cuiuscunque tandem sint ordinis & conditionis, multo magis in sacris præsidibus locum habet, à quibus eiuscemodi & præcipuo quodam iure exspectantur, & diuiniora adiumenta feruntur.

Et sanè durissimum est, vt bene Carolus Scribanius, sæculi nostri religiosissimus Nestor, in eo, quem de prudenti ac religiosa gubernatione librum edidit, annotauit, post ætatem in religione transactam, post valetudinem laboribus fractam, sudoribus extritam, studiis, vigiliisque emedullatam, morosum difficilemque pati superiorem, solo præsentium emolumento, præteritorum obliuione res metientem.

Carolus Scribanius in superiore Religioso.

Nec video quid euenire viro grauius possit, quàm valetudinem obsequendi studio proiectam, post adolescentiæ annos generosè inter assiduos labores decursos, roboraque iuuentutis prostrata, in ætate liberalitatum indiga, à superiore destitui. Nascuntur hinc mœrores, quibus non rarò insepultus, ac tamquam ingenti malè oppressus, succumbit animus, extenuantur obrutæ mœroribus vires, & in tenui corpusculo mens fatigata, lassataque vitam in mœrore finit. Ita solet conceptus dolor, postquam intima depastus est, tabescentem animã è statione amicoque domicilio suo exoutere, idque præpositorum quorundam inconsiderantia, nec minore in gerendis rebus ad officium spectantibus imprudentia: quàm vt procul à se excutiant sæpè ægros suos solentur oportet, compatiantur, blandis verbis mulceant, vultu etiam mœrorem, maliqúe magnitudinem, doloremque præ se ferant, discantque illud Apostoli in se sentire: *factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos.* 1.Cor.7. *non mentiendo*, ait Augustinus epist.9.& 19. *sed compatiendo non simulantis actu, sed commiserantis affectu.* Sic omnibus omnia factus est Paulus. Hinc omni lacte materno dulciores illæ voces: *quis infirmatur, & ego non infirmor?* 2. Cor. 11. Hebræa siquidem phrasi, qua illi commiserationem infirmitatem appellant; sic enim loquitur *Amos* cap.6. vbi noster interpres habet: *nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Hebraicè: *non infirmabantur.* & Michæas c.4. *dole, & satage.* Hebraicè: *infirmare & satage.* Hanc autem infirmitatem pertinere ad commiserationem indicant Chrysostomus & Græci consentiente Ambrosio, vnà cum omnibus Latinis: hac enim ratione probat se non solum aliorum imbecillitatis commiseratione vrgenti & tangi, sed perinde affici, ac si ipse eadem ægritudine laboraret.

1.Cor.7.

S. August. ep.9 & 19.

2.Cor.11.

Amos 6 6.

Michea 4.10.

Nec intra verba stetisse exemplum credas, inter tot ac tantas Ecclesiarum curas, magnus hic Apostolus, salutis Timothæi, discipuli sui non potuit obliuisci, cùm de sanitate eius conseruanda solicitus, ita in prima ad eum data epistola, scripsit: *noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates.*

1.Tim.5. 23.

De supremi verò Pastoris Simonis Petri dulcissimã benignitate in suos, quid dicam? loquente hîc S. Clemẽte digno eius discipulo, quodque ille de magistro testimonium dedit, candidè, ac sincerè prolato, plusculum effecero, quàm si ipse vel centum ora, vel linguas conatus hic fuerim impendisse. Ait itaque præfatus Clemens, cùm primum ad eius disciplinam accessisset, se ab eo humanissimè fuisse exceptum, eius mensæ iussum accumbere, vt vires nauigationis ærumnis fractas instauraret: & cum postero die horis antelucanis, oratione factã, de more, discipulos conuocasset, vt ad illos verba de rebus diuinis faceret, Clementẽ vetuit excitari. Nihilominùs dum experrectus vltrò Clemens Petri adhortantis vocem percepisset, ad concionem illicò accurrit. Hic Apostolus sermone interrupto, se non obliuione, sed consultò ipsum

S. Petri in infirmum caritas.

non

non euocasse professus est, quod post tantos nauigationis labores, quietem ipsi necessariam foret arbitratus. Imitabatur autem Christi Domini ac magistri sui charitatem dilectus discipulus, qui vt idem scribit S. Clemens solebat Apostolorum suorum sub dio dormientium circa matutinum crepusculum (quod in æstate solet esse frigidius) nudos pedes tegere, tantillum attracta eorum superiore veste, qua se nocte tegebant. Cuius nec iam in cælis gloriosus videtur oblitus. Ita namque inter regulas traditas circa modum regendi moniales, curæ B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi creditas, locutus est reg. 12. *Condescendes cum creaturis meis, sicut ego manendo in terra facere visus sum cum illis summa caritate, habendo semper in auribus illam sententiam mei Apostoli, quis infirmatur, & ego non infirmor?* Nicolaus Puccinius 1.p. vitæ c.9.

Regula 12. Monialium B. Magd. de Pazzi.

Nicolaus Puccinius 1 p. vitæ c. 9.

Incredibile dictu est, quantam hæc caritas in subditis beneuolentiam conciliet, quanta bona procuret!

Quis autem Apostolici huius spiritus hæredem fuisse negârit Ignatium? cuius hoc sua dignissimum sapientia placitum ac pronuntiatum semper fuit: *pluris sibi esse cuiusuis fratris salutem, quam thesauros omnes vniuersi mundi.* O aureum viri sanctissimi, iuxta ac prudentissimi Apophthegma, dignum profectò, quod non Apollinis cuiusdam Delphici foribus, sed omnium Præpositorum cordibus inscribatur, tum ad tanti, tamque excellentis herois laudem ac commendationem, tum verò ad præstantissimam Rectorum omnium institutionem! quem namque is sumptum ferre, quam impensam vltrò sustinere curamue refugisset? vt ægris fieret bene; qui & Migdonias opes, & Arabum gazas, Crasique diuitias, si fortè suppetiuissent, etiam minimi familiaris sui solatio, salutique vel comparandæ vel custodiendæ statuerat erogare.

S. Ignatii Apophthegma ab ipso factis expressum.

Nec priùs voce, quam exemplo eloquens Ignatius fuit: *magisterij namque authoritas*, vt bene aduertit S. Petrus Chrysologus serm. 167. *constat ex vita, & docere factis, sola est norma doctrinæ.* Id luce ipsâ meridianâ clariùs notârunt in Ignatio, nobisque testatum iuêre, quotquot de vita eius ac moribus commentarios dederunt viri docti ac religiosi, vt sunt Petrus de Ribadeneira, Ioannes Petrus Maffeius, Ludouicus Consaluius in diario, Iacobus Bidermannus, Andreas Lucas, Nicolaus Lancicius, Nicolaus Orlandinus, Daniel Batolus, aliique. Pauca in exemplum delibo, vtque ordine procedam, ab eo tempore quod ægritudinem antecedit exordium duco, alteri namque qui cauet, fauet, & plusculum fortassis, quam si lapsum iam leuet.

S. Petrus Chrysol. serm. 167.

Ignatius ante morbum fuorū morbis Cautis.

Mirum, quem hic Patrem se ostenderit Ignatius, tum ne sani in morbum inciderent, tum vt sanarentur infirmi: quamlibet circa curam infirmorum negligentiam puniebat, nec ipsi ministro parcebat, si contigisset aliquid eius incuria neglectum pro solatio infirmorum, vel si ei statim non significasset, cum aliquis malè valere cœpisset.

Oliuerio Manaræo Collegij Romani Rectori mandatum dederat cubicula supellectilem, victumque pararet ad duos & septuaginta socios nouos excipiendos. Hoc ille impigrè exsecutus est & cum iam opus omne confectum, & cubicula instructa essent, ea vt lustraret, vir Sanctus ascendit. Probauit quidem pleraque verum ei displicuit, quod cubicula in granario structa, non alio operimento contra aëris, iniuriam defenderentur, quam ipsis tecti imbricibus, tegulisque & ad Rectorem conuersus, pauperem quidem vitam, inquit, seruos suos Deus vult degere, at non tam incommodam, vt tu quidem videris velle. An in diuinæ prouidentiæ thesauris, tantum non supererat nummorum, vt ad tabulatum construendum sufficerent? atque adeo sub tegulis & sub dio propemodum habitandum arbitreris? Iussit

Iussit igitur id actutum parari.

Ad eandem benignitatem, refero quod cum præclaros quosdam adolescentes magna ingenij spe, doctrinæque præditos, aut laborum studendi magnitudine debilitatos, aut etiam exstinctos animaduertisset, domum in remoto loco Romæ exædificandā curârit, in qua, qui literarum studiis inuigilant, interdum laxarent animum, & aliquid de summa illa studendi, meditandique contentione remitterent. Sed cum inopia pecuniæ obstaret, nonnullique id dicerent, viuendi tunc tempus esse non laboriosè ædificandi: nunquàm de sententia deduci Ignatius potuit, pluris sibi esse dicens, quàm omnes thesauros, cuiusuis fratris salutem. Verùm, quæ humani corporis imbecillitas est, cùm morbi omnes nequeant anteuerti, Præpositi munus est curare, vt qui ægritudine quapiam tentantur idoneis auxiliis iuuentur.

Ignatij paterna cura in eos qui ada infirmabantur.

Qui itaque tanta solicitudine & prouidentiâ quoduis morborum genus à suorum capitibus arcere Ignatius satagebat, quanta putabimus vigilantia ac sedulitate illapsos expellere procurasse, eosque, qui illis attinebantur ope, solatioque adiuuisse? Dictu incredibile est, quantopere eos cordi habere solitus esset. Vt quisque è suis in morbum inciderat, cuiuslibet esset ordinis, extemplò acciri medicum imperabat, ac nihil omitti eorum, quæ is præscripsisset. Sanè cum ex laicis adiutoribus quidam sæua conflictaretur febri, ad eamque refocillandum meliori cibo opus esset, tres eam vnam in rem nummos Insumi iussit, ac resistenti paulisper obsonatori, nihilque prætereà pecuniæ ad cæteros alendos superesse dicenti: Atqui nos quidem, inquiebat, valemus, arido pane contenti esse poterimus, atque ita languenti coëmptum obsonium est.

Cùm aliquem è scholasticis collegij Romani in morbum incidisse audiret totus quodammodò præ metu contremiscebat, & iubebat statim vt quis in morbum incidisset ad se referri, & quidem non per alium nuntium, sed per ipsum Rectorem: Obsonatorem verò domus, bis quotidie sibi renuntiare, num præfectò infirmorum emisset, quæ ad ipsorum ipse vsum postulasset. Quod si pecunia ad sumptus non suppeteret, stanneas lances, vel quadras perpaucas quæ in domestica suppellectili, fortè reperiebantur, vendi primum: deinde lectorum stragula distrahi iubebat.

Accidit, cùm ipse grauissimè langueret, & ad illum subleuandum, Patrum, qui Romæ tum quidem erant, precibus cogeretur temporaneum vicarium admittere, omnibus, quæ domesticus minister ad se referre ex præscripta officij sui regula deberet, in vicarium reiectis, illa tantum exceperit, quæ ad curam, salutemque eorum, qui ægra essent valetudine, pertinerent, hæc enim ad se tunc quoque referri volebat.

Addit verò idem Ribadeneira ad rei tantæ confirmationem, quod ipse hac in parte fuerat expertus: Cùm, inquit, ægrotanti mihi de nocte sanguis ex brachio esset extractus, custodesque, qui excubias agerent, Ignatius apposuisset, reliqui verò se quieti dedissent, ad multam noctem, aliis dormientibus, bonus solicitusque Pater vigilabat. Bis, terúe misit, qui brachium exploraret, circumligatumne esset commodè: ne fortè soluta vena, sanguis efflueret, & subitum (quod nonnullis euenit) interitum adferret, & erat tūc dictus Ribadeneira circiter quindecim annos natus. Imò contigit non rarò vt alios excitari nolens, aut somnum eorum interturbari, ipsemet præsertim Nouitios, tamquàm minorem sui curam gerentes, adiret, & num bene haberent, brachiumque tutò colligatum foret, inquireret.

Aliàs duo tirones, vnus Hispanus, Gallus alter, vt auctor est Daniel Bartolus lib. 3. vix pedem in domum intulerant, cum in morbum inciderunt, erat autem res familiaris admodum

modum angusta, plures domi variis morbis prostrati, quare fuit qui eos censeret ad nosocomium deportandos, donec valetudinem recuperassent: Nequaquam verò, nequaquam id fiat, ait vir sanctus; an domi nostræ locus non erit eis, qui mundum totum pro Deo reliquêre. Quæratur locus, illis prospiciatur, & Deus propter illos, nobis quoque prouidebit.

Incurios ægrorum curatores castigabat Ignatius.

Qui ergo aduersus infirmos tam fuit beneficus, ac mitis, non minùs in socordes, quique eos ex incuria negligerent seuerus fuit.

Exciderat Ministro, tum valetudinarij præfecto, Medicum tempore constituto ad ægrotum visendum accersere. Vtrumque S. Pater media nocte domo emisit, vetuitque redire, medico non adducto. Itaque quod tempus illud ad rem prorsus esset importunum, ad Xenodochium aliquod se recipere sunt coacti, donec cœpisset illucescere.

Solebat autem hac in re diuinam laudare prouidentiam, vt testatum reliquit Ribadeneira, idque crebris vsurpare sermonibus factum consultò in sese à Domino, vt plurimis ipse morbis esset obnoxius, vnde ex suis doloribus, aliorum dolores disceret æstimare: quam suam sententiam aliquando Martino Olauio Collegij Romani Rectori, cum ægrotaret fertur nunciasse.

Non poterat autem non tanta cura & ægrotantium commiseratio in eorum animis & mirificum quemdam erga tam bonum Patrem progignere amorem, & affectis corporibus non minimum leuamentum, conferre.

Bestiæ gratæ suis curatoribus.

Et ad primum quidem apud attinet caudex aut rupes sit necesse est, qui tantâ beneuolentiâ ad redamandum eum, fidendum, parendumque non moueatur, à quo se tantopere diligi ac foueri persentiscit: docuisse id certè nos feræ bestiæ visæ sunt: in Gerasimo & Androdo Leones ab eis olim à vulnere curati: in puero Cretensi Draco, quem solicitè educârat, in Cerano Delphines, quos restituerat libertati in Colono, Panthera, cuius catulos ab interitu vindicarat, dum beneficiis suis, ac vindicibus, quibus potuere, obsequiis subsidio fuêre. Et bestiis cordatior, æstimandique facultate insignior est homo,

Ad alterum verò quod spectat, nescio quid diuini in Beneficio sit, quo proximè ad Deum accedere videtur, qui istud in alios liberaliter confert: ecquod autem beneficij nomen ferre dixeris, si hoc non ferat: atque ex consequenti, eiusdem virtute pollere videatur. Et id quidem ante in Patriarcha Iacob luculenter ostendimus, Iosepho ad ægrum patrem cum duobus filiis suis visente, ac tantum non ex lethi faucibus, piissimo hoc officio, eundem eripiente: qui confortatus sedit in lectulo. Gen. 48. *Gen. 48.*

Reliquum est vt idem in Ignatio videamus, cuius eximia in ægros caritate factum legimus, non semel, vt quos solaturus aduenerat ad valetudinem meliorem, virtutemque reuocarit, Deo sanctissimi viri beneficentiam aduersus ægrum ex Christiani officij instituto comprobante. Intellexerat Vicentiæ, Simonem Rodericum attritis ad vltimum vsque discrimen viribus Bassani decumbere, ipse quamuis febribus quoque implicitus, istuc tamen pedibus, verò cum Petro Fabro passuum millibus fermè triginta celeriter contendit.

Caritas Ignatij erga infirmos illos beneficia.

Simonem vt suis excepit amplexibus, bono animo esse iussit, haud obscurè significans eo morbo nequaquam ipsi moriendum esse: Exinde melius factum est ægro, & mox etiam salus ipsa penitus restituta, vt vim eximiæ charitatis agnoscas, quæ vt velox tanto interuallo aduplauit ad ægrum, ita & præsens morbi attulit liberationem. Cuius exitum rei, ne de miraculo possit ambigi Ignatius ipse, cum se adorandum in itinere contulisset, Comiti sub Petro Fabro ex orationes prædixerat, cui & tum Faber, & Simon ipse quamdiu

diu vixit, vitam suam acceptam tulit.

Magna certè hæc ægros solandi beneficentia sit, necesse est, cum etiam per litteras, vbi coram fieri nequit mira operetur.

Alphonsus Salmeron ob nimios toleratos labores, Patanij ex morbo decumbebat, epistolam amantissimam, plenamque solatij, cum ipse adesse non posset, ad eum dedit Ignatius, ex qua ægrotus tantum cœpit solatij, vt mox viribus recuperatis ei responderit: litteris, se illis sanitatem suam debere omnem, quæ alioquin nullo terreno potuerat remedio obtineri, se ex illis agnouisse amorem eius verè paternum, & quod in corde suo, ipsum, aliosque filios suos descriptos gestaret, orare autem se Deum, vt largiri sibi vires dignetur, quibus possit tantum eius amorem, quem vt verus pastor testabatur, suis aliquando obsequiis æquare.

Atque hic fructus ille est beneuolæ in ægrotos suos charitatis, in quem dum oculos suos prudens, ac religiosus superior coniecerit, nihil graue ac molestum duxerit, quo salutem infirmi subditi sui procurârit.

Si tamen quis fuerit, quem suorum hinc oriens, amor, ac beneuolentia ad nauandam ægris operam minimè alliciat, terreat saltem eiusdem neglectus, quem non leuis solet pœna comitari: quo refero quod cap. 40. vitæ S. Theresiæ legitur in hunc modum. Dixit ei vice quadam Dominus, se peculiariter velle, vt habeatur cura infirmarum; illa enim Prælata, quæ non prouidebit infirmis necessaria, & alia pro earum solatio, erit similis amicis Iob, quandoquidem dum sua Maiestas immittit illis afflictiones, pro bono animarum suarum, Prælatæ illarum patientiam periculo exponunt scilicet, non prouidendo infirmis id, quod necessitas & solarium illarum, exigebat, quod impunitum non solet Deus præterire.

Sed & aliud est, de quo hîc tertio loco dicendum, illud sc. tempus, quod depulsum morbum subsequitur, cum iam non ægrotorum in valetudinario decumbentium, aut mortem præstolantium, sed ex morbo conualescentium cura habenda est, de qua S. Bonauenturæ sensus atque iudicium nobis audiendum reor. *Infirmitas corporis*, inquiebat ille libro de sex alis, cap. 4. *triplex est; Primi sunt Infirmi decumbentes in lectulis, vel acutis quibusdam, aliisque grauibus infirmitatibus laborantes.*

Conualescentes à morbo non negligendi.

S. Bonauentura l. de 6. Alis.

Alij per domum ambulantes; sæpè tamen grauibus doloribus afflicti, vt calculosi, epileptici, & similes.

Tertij determinatam quidem infirmitatem non habentes, sed tantum corpore debiles, viribus exhausti vt conualescentes, vel laboribus confecti, vt senes, vel naturali infirmitate depressi, & his quoque triplici pietate ac ratione subueniendum, remediis scilicet medicinalibus, relaxatione rigoris, in victu, vestitu, vigiliis, aliisque prout cuiusque necessitas requiret. Barbarum namque, eodem teste Bonauenturâ, equos, quibus in itineribus vtimur melius habere, quàm fratres: si equus die vno non comedat, sollicitè quæruntur remedia, si frater duobus, tribusue diebus præ nausea, ex morbi reliquiis, sibi restante, abstineat, quid morosus ait Superior, si nolit, non comedat, relinquat: ego ei nouam culinam non apparabo. O pectus nouercale! Christi vacuum charitate! & multis iisque grauissimis obnoxium culpis! quare prudenter monere solitus Præpositos S. Basilius fuit: *In procuratione rerum*, inquiens, *ad vsum fratrum necessariarum, curam ac solicitudinem suscipere nos oportet, in eoque dominicæ satisfacere voluntati*, Et post pauca: *Clementer occurri debet necessitati corporis subditorum, & cura ipsorum geri.*

S. Basilius.

Quam ob caussam discretissima S. Ignatij sanctitas, non solum necessitatis, sed etiam conuenientiæ, seu decori rationem haberi volebat, sicut pluribus in locis Constitutionum sapientissimè sanxit, vt attendatur non tantum ad id, quod ne-

cessarium est, sed etiam ad id, quod iudicabitur conuenire.

Ludonicus Con aluus in Comm

De quo scribit P. Ludouicus Consaluus, S. Ignatium ante quadragesimam solitum fuisse aduocato domum Medico, singulos nostros aduocare, & examinare an ieiunare deberent, ac possent, expendendo cuiusque vites & indispositiones. Nec commisisse huius rei curam Ministro, sed per se ipsum tractasse: Quæ consuetudo etiam nunc Romæ in vsu est, assignata in communi cœnaculo peculiari mensa, ad quam assideant conualescentes.

Genuinus hic Ignatij spiritus fuit, vt verbo, ita & opere, sicut vidimus, ab eodem expressus, spiritus vitalis ac salutaris, cuius, quotquot hæredes facti fuerunt, tam apud Deum noti sunt, quam apud homines: apud Deum, tanquàm insignes virtutis eius, imitatores: apud homines, velut perspectissimi eorundem benefactores, contra verò, eius exsortes, Deo & hominibus exosi.

Alphonsus Rodrigues.

Ad Deum quod attinet, testis est Alphonsus Rodriguez, vir notæ virtutis ac sanctitatis, vt in vita eius, & processu ad Canonizat. traditur, qui propter parcitatem Rectoris cuiusdam in suppeditandis rebus communitati necessariis, vineam collegij destruendam, ac dæmonibus concessam intellexit, vbi quoque contigit, vidit enim Alphonsus dæmones, nube atrâ protensa super vineam, illam grandine frequenti penitùs deuastare.

Demosth. orat. 4.

Ad homines autem quod spectat, expressit id non temerè Demosthenes orat. 4. contra Phil. sic loquens: *rebus necessariis nonnullos priuare est multos homines reddere maleuolos, & à rebus publicis alienos*, Prophetâ regio adstipulante: *si non fuerint saturati, & murmurabunt.*

Ps. 50. 16.

Duplex in suos Ignatij pietas.

Prudenter itaque Ignatium, vt cum S. Gregorio loquar, subditis Matrem pietas, quæ in suppeditandis necessariis, & conuenientibus elucet; Patrem verò exhibebat disciplina, quæ in corrigendis eorum culpis, & emendandis, defectibus apparebat, vnde illæ assiduæ eius voces: *fungimini vos officio vestro, efficiam ego vt vobis desit nihil*: Quibus ægros potissimum volebat omnem sui curam deponere, patientes esse, dictoque obedientes, minimè querulos, aut morosos, vt pote scientes se præpositis suis curæ esse, & nihil minùs sibi, quàm de se curandum; qui secus fecerent, in eos, vbi conualuissent, teste Ribadeneirâ, l. 5. cap. 8. grauiter animaduertebat. Nec solum hic spiritus, dum vixit, Ignatium rexit, sed ad legitimos quoque filios transiit, eodem sensu, atque iudicio imbuendos, quod vti maiores nostri appositè senserunt, ita & nos, quæ Dei gratia est feliciter experimur.

Sed fortè huiuscemodi quospiam nosse pius lector desideret, quod sicut in Patris gloriam, ita quoque in nostrum cedere solatium queat? Paucos dabo è multis: Primus sit B. Franciscus Borgias, notum illud & sacræ & profanæ politiæ fastis sanctissimum nomen, de quo sic Petrus de Ribadeneira lib. 4. c. 7. Eximia illius ægrotos pietas exstitit, nihil vt deesse illis eorum, quæ medici requirerent, pateretur. Socij omnes probè norant, tutò in illius aures ac sinum deponi omnia quæ cruciarent, mœstitiamque libenter detergere solere, siue corporis morbis, siue animi laborarent. Neque importunos se futuros, aut molestos metuebant, nec, vt plerique solent, de temporis angustiis expostulaturum: quare dicere solebat, Superiorem non vnum sibi caput, binos oculos, manusque attribuere oportere, sed plurima membra, cum cæteris habere communia. Quo fieret vt in fratrum suorum calamitate, sensum doloris ad se quoque pertinere existimaret, sic fore vt vnius omnes corporis membra essent, & quod Apostolus dicebat: *quis infirmatur & ego non infirmor.* 1. Cor. 11. de se quoque diceretur.

B. Francis. Borgias in agros caritas.

Ribadeneira l. 4. c. 7.

1 Cor. 11.

B. Francisco Borgiæ Robertum adiungo Bellarminum Romani Collegij tunc Rectorem, exin S. R. E. Cardi-

Cardinalem, quem non tam sua purpura, quàm virtus, vitæque sanctitas eminentissimum reddidit de hoc ita Siluester à Petra sancta l.2.c.10. Inter studia animæ suorum, quibus sollicitè inuigilabat, haud quaquam habuit neglectui corporis necessitates. Singulis eorum copiam suppetere, quibus indigerent, iubebat, curabatque, quoad poterat nihil habentibus nihil deesset: qui modus est optimus, vt qui præest liberiùs à subditis possit exigere disciplinam.

Si cui ægritudo replens ingrueret, subitus aderat cuiuscumque ordinis esset, iubebatque statim medicum acciri, & nihil omitti ex his, quæ illæ præscriberet. Pòst inuisere interdiu solebat, & noctu sæpiùs, atque adeò commiserari ex animo, si acerbius morbo affligaretur. Interdum cum artis præsidia deficerent constans opinio fuit eum cælestibus remediis multos saluti restituisse: Ita Siluester à Petra Sancta l.2.c.10.

Gonzali Siluerini caritas & cura ergà ægros. Quid de Gonzalo Silueria Domus professæ apud Vlyssiponenses Præposito, ac demum apud Monotapam laureato Christi pugile in medium adferam? sic namque de eo Nicolaus Godignus lib.3.c.9. Circa socios infirmos & ægros, maiorem in modum erat sollicitus. Cogitabat frequenter, qui posset ratione eorum ægritudines & tædia leuare. Eos qui decumbebant, inuisebat sæpè, & proximam à prandio horam illis, plerumque dabat. Aliquando etiam tum præsertim cùm magnus esset ægrotantium numerus, contemperatâ voce, ne quid molestiæ ægris inferret, sanis quoque aduocatis, de rectò sanitatis vsu, de spirituali ægritudinis fructu, aliquid in commune dicebat, infirmosque, vt æquo animo morbi incommoda ferrent, atque à Dei nutu toti, penitusque penderent, valentes autem, vt ad omnia pietatis opera, quemadmodum cuique iuxta officij, statusque sui rationem promptum esset, vires neruosque intenderent, amicè & beneuolè hortabatur.

Quia verò in Lusitaniam appulimus ad Brasilos, traiectu breuiore transfretasse non pœnitebit, vbi statim in littore occurret admirabilis ille sæculi sui thaumaturgus P. Iosephus Anchieta; de quo in hunc modum scripsit Sebastianus Beretarius lib.3. Quàm officiosum, quam promptum ac beneuolum se Præpositum Prouincialem, Rectoremque omnibus præstiterit Iosephus, quis dicet? quocunque enim in loco esset, siue cum priuatam vitam degeret, siue alios regendi munus sustineret, vel tum, cùm prouinciam totam administraret, certum erat ægrotorum leuamentum, mira cum animi alacritate, iucunditateque illorum commodis inseruiebat; vt valetudinarij minister nullum illo certiorem oportunioremque ad ægrorum ministeria haberet adiutorem. Si parandi, ministrandique cibi, mensa apponenda, sternendi lecti, decumbentes alleuandi, eique strato componendi, non vllus ipso accuratior. Tum si quis vigili custode per noctem indigeret, valetudinarij ministro iusso quiescere, ægroto ipse studiosè aduigilabat: tamque assiduus erat valetudinarij administer, vt qui illum suarum rerum caussâ conquirerent, hominem non ad ipsius cubiculum, sed certo fermè euentu, ad valetudinarium adirent. *Iosephus Anchieta solicitus amor ergà ægros.*

Balthassarem Aluarez hic prætermisisse religio sit, vtpotè quem teste, Ludouico Pontano, eximia hæc charitas vniuersæ Hispaniæ. in qua tùm domos, tum Collegia, tum Prouincias summa cum laude gubernauit, gloriosum reddidit, didicisse se aiebat, expedire valdè, subditis dare ea liberaliter, quæ corporalia essent, vt liberiùs illi spiritualibus aduigilarent. Quamobrem ipsemet singulis mensibus, cum vestium custode, singulorum cubicula adibat, visurus quid cuique deesset vt ei prospiceret, scripto annotari volens, cuius rationem posteà exigebat, an esset executioni mandatum. Ægrotis valdè commiserebatur, eisque indulgebat, attendens diligenter, ne quid eis *Balthassaris Aluari paternus affectus quo ægrotos curabat.*

Hh 2 deesset

deesset: & pro modica re, quam illis defuisse aduerterat, grauiter reprehendebat, cui erat eius cura commissa. Frequenter valde eos inuisebat, & cum aliquis erat in periculo constitutus, etiam noctu illum (S. P.N. exemplo) dum alij dormirent visitabat. Quod genus officij ac caritatis expendens *Cassiodorus*, magno vir iudicio, & sapientia lib. diuin. Instit. c.28. ait, *ea quæ ægrotis parantur fieri cælestia, quamuis videantur esse terrena*: atque vt Deum adesse intelligamus B. quoque Cæsarius hom. 8. animaduertit venialia peccata iis remitti, qui ægros religiose visitant. vnde Franciscus Suarez tomo 4. in 3.p.disp 15, sect. 3.nu. 18. docet, citans quoque Augustinum tale opus misericordiæ ad abolendum peccatum veniale factum, non culpam tantum, sed & pœnam eius tollere, quod multis sanè incitamento fuit ad imitandum vel ipso S. Ignatio extremis hisce temporibus præeunte, cuius insigne, clarissimumque exemplum, qui sequitur, & filium ille se tanto Patre dignum & docilem esse discipulum demonstrat: contra verò ab eius seductu, exemploque alienum.

Sed quid hic solos Ignatij socios compello? neque enim ab iis solis id genus officij postulatur, alij præterea sunt à quibus id quoque solet exspectari, in quo si fallant dixetim locum quidem obtineat immeritò possidere, siue hi sacti Præsules sint, siue gnaui Patres familias, siue clari militarium ordinum ductores, aliiue quibus vtpote cum singulariter incumbat subiectorum animos sibi deuincire ac corpora curare quod maximè aduersæ valetudinis tempore vsuuenit, hæc eis charitas, vnicè debet esse commendata: quod boni omnes pro ea, qua præstabant sapientia, clarè prospicientes, se viros hic ostendere, probareque voluerunt, paucas ex agro fertilissimo spicas lego.

Pauli II. PP sollicitudo erga ægros. Paulus II. Pontifex maximus, notissimum Romanis fastis nomen, hic toti Ecclesiæ cui præsidebat, exemplo fuit. Curialibus omnibus inquit Platina, miram exhibebat humanitatem, dum malè haberent, inuisebat eos, remedia morbis adhibebat, vnguenta Venetiis aducta, oleum, theriacam, cæteraque quæ domi habebat ad valetudinem eorum procurandam liberaliter impendere satagebat. O verum Ouium Christi Pastorem! qui quod perierat, requisiuit, quod abiectum, reduxit, quod confractum fuerat, alligauit, quod infirmum fuerat consolidauit. vnde factum, vt oues eum cognoscerent, & vocem audirent.

Nec summi Pastoris degener, officio licèt minor, nequaquam tamen in ægros suos caritate S. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis fuit, de quo sic Carolus à Basilica Petri lib. 7. c. 5. scribit. *S. Caroli Borromæi erga ægrotos solicitudo.* Valetudinarium pro domesticis ægris constituit, in quo salutaribus remediis iuuabantur, quos ipse inuisebat, certis præfectis ei muneri constitutis, quibus inculcabat frequenter, ne quid ægrotis deesset, sibi nunquàm ministros satisfacere posse protestans, donec id plenè cumulateque perfecissent. Hæc tantoperè in ægrotos officia illi hærebant in visceribus: vt ex summis rebus, quas animo quotidie agitabat, ad ea frequenter respiceret. Cùm pœnè Moribundus Mediolanum venisset, iamque per gradus ædium suarum ascendens sustentaretur, tanto studio quendam ex suis præfectò commendauit, qui ægrotus itidem venerat, vt de illo, multò magis, quā de seipso solicitus videretur.

Cùm ad Brixiensem Ecclesiam, ait præfatus authot, in morbum incidissemus, benignus nos pater inuisens, pannum quo operiebamur suis manibus tentabat, leuiorem existimans, quàm opus esset, aptiorem lecto suo detrahi iussit, atque afferri, vt incommodo suo nobis commodaret.

Neque his sacros dumtaxat Præsules affici credibile est, quin & ipsos

S. Ludouici Regis feruidus amor aegrorum.

sos saeculi monarchas, reges, ac principes excelluisse inuenimus.

Ludouicus certè IX. Rex Galliae sanctissimus aequè ac potentissimus honori sibi ducebat, non inuisere modo aegros, & praesentiâ regiâ cohonestare, sed tractare etiam, & complecti, & singularem in eos beneuolentiam effundere. Quae res illum & Deo carum & mundo mirabilem & meritis reddidit opulentum.

Quo in genere Placillae quoque Augustae Theodosij Senioris coniugis memorabile est facinus, quo in se meritò omnium oculos conuertebat.

Solebat enim adire hospitia languidis hominibus referta, & aegrotis in lecto cubantibus curationem adhibere, panem frangere, caeteraque obire, quae ancillae solent, cuius illud erat acroama in ara aeternitatis cõsecrandum: *aurum quidem distribuere, summi dominatus est proprium, ego verò pro ipso dominatu, illi ipsi, qui dedit, hanc operam lubens fero*, Theodor. l. 5. cap. 18. Matronam verè sapientissimam, quae in mediis sordibus, & infimorum abiectione, pretiosissimam Margaritam inueniebat, Christum scilicet, à quo in pangyri vniuersitatis, auditura est, *infirmus fui & visitasti me.*

Huic non temerè iunxero Radegundem Reginam eiusdem virtutis nobilissimam consortem, Elzearium Comitem Ariani, aliosque.

Alexandri magni sollicitudo erga aegros milites.

Sed quid Christianos miramur, cum & in ethnicis Principibus haec pia humanitas & humana pietas splendescere visa sit: testem in primis aduoco magnum illum Macedoniae Regem Alexandrum cuius vt infinitum gloriam bellica virtus, ita praecipuum amorem in suos charitas clementiaque meruerunt. Is dum gentes omnes infatigabili cursu lustrat, quodam loci, tempestate niuali oppressus, senio iam confectum militem Macedonem, nimio frigore obstupefactum ipse sublimi, & propinqua igni sella sedens, animaduertit. Factaque non fortunae sed aetatis vtriusque aestimatione, descendit, & illis manibus, quibus opes Darij afflixerat, corpus frigore complicatum in suam sedem imposuit: id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale exstitisset, solium regium occupasse. *Nil ergo mirum*, inquit, *Valerius, si sub eo Duce tot annis militare iucundum ducebant, cui gregarij militis incolumitas, proprio fastigio charior erat?*

Item Iulij Caesaris.

Comites huic addo C. Iulium Caesarem, cuius notissima in suos charitas, quam vel in C. Oppio milite ostendit, multis exemplo fuit: subita hic valetudine corripi coeperat, intellexit. Imperator, & diuersorio, quod vnicum erat, cessit, ipse verò humi, & quidem sub dio accubuit. Ita Suetonius.

Item Traiani Imp.

De Traiano silere nefas, hic postquam cum Decebalo Dacorum Rege plenis castris conflixisset, vulneratis suis, cum fasciae ad obligandas plagas deessent, pro sauciorum copia, paludamentum proprium conscidit, atque in milites partitus est. Sabellicus l. 4. En. 7.

Item Titi Imp.

Finem facio cum Imperatore Tito, qui vel hinc, licet caetera defuissent, orbis Amor, atque delicium dici potuisset, dum aegrotantes milites non solum inuisere, sed etiam per semetipsum reficere. solitus, quanti eos faceret, liquidò demonstrauit non absimili exemplo Romani illius Centurionis Christum Dominum ad seruum malè habentem euocantis, de quo S. Lucas: *erat enim illi pretiosus*: Christiano autem oportet omnes seruos esse pretiosos, imò pretiosissimos, siquidem Christi sanguine empti sunt. Illi autem seruus pretiosus est, qui serui salutem tum corporis, tum animi diligenter curat. Obseruauit id Tertullianus Apolog. cap. 34. dum vocari homines magis patres familias docet, quam Dominos, & Seneca epist. 47. Maiores, inquit, nostri Dominum patrem familiae appellauêre, seruos familiares. Patres igitur familiae, vt patres curam familiae gerant iuxta Eccli. 35. *Si est tibi seruus, sit tibi quasi anima tua: quasi*

fratrem, sic eum tracta. Audiendus hic Romanus sapiens & laudandus, dum sic Lucilium scribit: Ex iis, *quæ à te veniunt libenter cognoui, familiariter te cum seruis tuis viuere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. Serui sunt? imò homines Serui sunt? imò contubernales. Serui sunt? imò humiles amici.* Ita illi ad ignominiam multorum è nostris, ac probrum; quorum auribus Apophthegma hoc, velut canorum quoddam suscitabulum appendo, quo exciti præclaris Ignatij vestigiis insistendo; & diuinam sibi gratiam acquirant, & hominum in se Amorem tutò promereantur.

APOPHTHEGMA TERTIVM.

OMnium quidem mulierum familiaritatem, etiam earum quæ spirituales sunt, aut videri volunt, vitandum esse decebat; sed earum maximè, quæ ætate, conditione, ac statu periculosiores sunt, quarum ex consuetudine plerumq; aut fumus sequitur aut flamma.

Petrus de Ribadeneira l.5.c.11. Daniel Bartolus l.4.§.37. Andreas Lucas l.5.c.31.

Commentarius.

1. Æneid. v. 2.



QVod apud P. Virgilium Maronem sacerdos Laocoon de exitiali illo dono Mineruæ, ad Troianos suos, prolocutus fuisse legitur.

Et procul, ô miseri! quæ tanta insania ciues!
Creditis auectos hostes, aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaum? sic notus Vlysses;
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui
Aut aliquis latet error, equo ne credite Teucri.
Quidquid id est timeo Danaos, & dona ferentes.

Idem & ego de S. Ignatio, non iam de ciuibus tantum suis, sed omnibus nobis admodū bene meritò ac solicito, dicere me posse existimarim, quos non Græci aliqui, Danaiúe Mineruæ dolis instructi perdere satagunt, sed Principes ac potestates tenebrarum harum κοσμοκράτορες, spiritualia nequitiæ in cælestibus, id est, vt S. Hieronymus vertit, spiritales nequitiæ, nebulones nequissimi, in aëreis hisce locis versantes ad supremum nos exitium, mulierum lenociniis, atque illecebris trahere moliuntur; quod vbi, is altâ quâdam mente præditus perspexisset, nihil cunctandum ratus non semel, sed sæpius in hunc modum suos legitur allocutus: *Omnium quidem mulierum, etiam earum, quæ spirituales sunt, aut videri volunt, vitanda familiaritas, sed earum maximè, quæ ætate, cõditione, & statu periculosiores sunt, quarum ex consuetudine, plerumque, aut fumus sequitur aut flamma.*

Non dubius latet error; equo ne credite Teucri.

Multa sunt quæ Ignatium integerrimum illum amplissimæ Societatis conditorem, dignum oratorum omnium commendatione sic faciant, vt disertorum nemo, etiam eorum, qui Eloquentiæ principes dicuntur, eam satis dilaudarit. Quis enim fuerit aliquando de huius hominis vita leuiter edoctus, quin etiam intellexerit, quatuor illos virtutum fontes nobiles ac præcipuos, à quibus cæteræ nascuntur S. Ignatius 4. virtutū Card. gloria insignis.

scuntur omnes, veluti quadripartita quædam Ignatio fuisse rerum initia, quibus constare totus, & compositus esse videretur, Prudentiam nimirum, Iustitiam, Fortitudinem, ac Temperantiam, quam ita complexus est, vt numeros ipse impleret omnes, non officij communis tantum, sed etiam Christianæ religionis, ac pietatis, verum & cæteris omnibus easdem instillaret. De prioribus dictum aliàs, nunc de Temperantia dicendum, atque ea præsertim illius specie, quæ libidinis furorem edomat, vt tradit S. Thomas 2.2. q.151. a.1. & 2. ac concupiscentiam iuxta rationis modum castigat. Magna virtus, animi, corporisque castimonia! quâ, nescio, an vlla decentior, & præstabilior in cella promta Christianæ perfectionis queat inuenire, quam iam inde à mundi initio totus orbis terrarum suspexit, &, propè dicam, adorauit. Quamquàm profani sapientes, cum augustam eius speciem, non nisi per nebulam, videre possent, modesto silentio potiùs venerandam, quàm verbis multis prædicandam censerent, intereà tamen quid de ipsa virtute iudicarent, non obscurè declarauerunt, cum numinum suorum cultum, ac res sacras non nisi à castis obiri, tractarique voluerunt, quod vel ex vatis illius oraculo probatur: *Casta placent superis*.

Quid Temperantia? iuxta S. Thomam

Iudæi verò sanctissimis Dei legibus eruditi, cùm & præmia bonorum operum, & nobilium virtutum præstantiam liquidiùs agnoscerent, hoc animi ornamentum Præconiis longè maioribus, & vitæ exemplis illustrârunt: quod in ea tamen gente mirandum, in qua omnes vulgò magnum quoddam, & insigne bonum arbitrabantur Dei populum augere, & familiam suam numerosa prole videre posse fœcundam. Quod licèt ita se haberet, tanto tamen & ipsi generationis cupidi Iudæi hanc tanto subinde in pretio habuêre castitatem, vt eam qui obseruarent sanctos opinarentur, neque auderent attingere, vt in Helia, Ieremia, Daniele, Ioanne Bapt. Iacobo fratre Domini, & Pharisæis patet.

At postquàm clarissima Euangelij lux mundum illustrauit, ipseque hominis Liberator Iesus, cum pudicissima matre sua Virgine castimoniæ signum extulit, dici sat nequit, quanto studio omnes ad hunc thesaurum quærendum, atque celebrandum fuerint incensi. vt iam in Euangelica politia, per quam ad cælestem vitam à Dei filio imbuimur, de anima Christiana dici id possit, quòd Plinius ait de margarita: *dos omnis in candore*. Animi pij ac religiosi præcipua, & maxima laus in candore pudicitiæ reponenda est, vt non immeritò à S. Cypriano dicta *Castitas sit pronuba sanctitatis, munimen inuictum sanctimoniæ, vbertas gloriarum, acquisitio meritorum*. Lib. de singular. Clericorum: quibus laudibus Sapiens Eccli. 26.20. colophonem imponit, his verbis: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*: q. d. nulla res tanti valoris in rebus temporalibus, cuius pondus æquare possit dignitatem animæ pudicæ, ac temperantis.

Quam virtutem hanc coluerint ab initio Christiani.

S. Cyprian. l. de singular. Cler.

Eccli. 26. 20.

Quæ cùm ita sint, curam ingentem in tuendo tam eximio bono ab vnoquoque nostrum postulari certum est, si tuti & pudicitia insignes esse velimus, fallique eos solenniter, qui absque solicita quadam diligentia, & incredibili cura victores se putent in ancipiti hac pugna futuros. Argos profectò non omnes hic esse deberc quis neget? non illos è fabulis ad prodigium fictos, sed ab Euangelio videntes, & vigilantes, centum luminibus instructos ad prouidendum, & vitandum periculum, quod S. Hieronymus epistola ad Furiam decima prudenter expendit.

Quanta cura hæc virtus custodienda.

Nemo itaque fidet sibi, aut viribus suis, aut etiam ætati, quæ senio proxima iuuenilem animi calorem, igneumque sanguinem temperasse videatur. Cæca libido est, nec canos, nec annos reueretur: quod & ij, qui nec Dei Euangelium, nec Apostolorum voces exceperant, solis

oculis in rei dignitatem, ac momentum coniectis, perspexêre. Ipsi quoque legum Conditores de hac re legum sanctiones, & iura exstare voluerunt.

Iustin. nouell 14.

Sancimus, inquit, *Iustinianus* Nouell. 14. *vt quisque pro se, quantum in ipso est, castitatem colat, quæ sola hominum animas, cum fiducia Deo præsentare potis est.* In Digestis autem Oraculum illud sempiternâ memoriâ dignissimum est: *perdendæ pudicitiæ viris bonis metus maior, quàm mortis esse debet*: nam vt bene *Petrus Blesensis* scripsit epist. 35. *Iactura eius non recipit æstimationem.*

Item in Digestis.

Petrus Blesensis ep. 35

Atque hinc luce clariùs patere arbitror, quàm rectè prudenterque viri illi multâ sapientiæ laude conspicui fecisse iudicandi sint, qui varia nobis adiumenta, quæ valere videantur ad virtutem hanc solidam, illæsamque tuendam, in medium protulerant, de quibus cum vnum aliquod, nec illud è cæteris postremum in hoc suo Apophthegmatè Ignatius nobis commendâtit fugam sc. familiaris cum mulieribus conuersationis; quid de ea tam sacri, quàm prophani senserint scriptores, quæ damna hominum generi neglecta intulerit, qua via, modoque exercenda sit statui indagare.

Fuga familiaritatis cum mulieribus, seruandæ castitatis magnum adiumentũ.

Et primum quidem audiendus hîc nobis Deus est, cuius prouidentia rerum omnium moderatrix, clarissimè nobis præluxit: cùm enim in maxima mundi eluuione Noëmum, cum suis arcam ingredi iussisset, viros voluit à mulieribus disiungi, vti & factum, his ab illis distinctum occupantibus locum: pulchra admodum honestatis ac pudicitiæ significatione, cuius amorem instillare suis Patriarcha ille magnus cupiebat, vt S. Ioannes Damascenus & D. Hieronymus suis locis annotârunt.

Probatur 1. authoritate diuinâ.

Et porrò hæsit apud Iudæos ea decori laus, in vitando commercio feminarum, quod vel ex vno vate Zacharia S. Epiphanius colligere satis, superque visus est, dum ad contundendam Massalianorum impudentem audaciam accingitur, verba illius sunt eiuscemodi: *Familiæ domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum*: quod & in tempora vsque Herodis, obseruatum legimus in cuius flagitiosissimo licèt conuiuio fœminæ nullæ leguntur. Marcis, cùm herodias in aula separata, fœmineo choro cincta, opipara mensa frueretur, quod & apud Chaldæos in Assueri conuiuio obseruatum legimus Esteris 1. vbi seorsim viri cùm Principe, & alio in loco mulieres cùm Vasthi Regina epulabantur.

Neque verò tantum in conuiuiis ea fiebat distinctio, sed vbique, vbi esset conuentus atque frequentia: hinc apud Græcos in diuitum palatiis, ædibusque maiorum, pars vna attributa viris erat, quæ Andronitis, altera sedes fœminarum, quæ Gynæconitis vocabatur: vnde decorum & priscæ modestiæ consuetudinem liceat agnouisse: quod & ex Synesij Ptolemaidis Episcopi doctissimis epistolis, viri magni collegerunt: nauigabat ille aliquando cum aliis quinquaginta, quorum pars quarta fuêre virgines, fœminæque; neque tamen promiscuè omnes ipso in nauigio federunt, sed distincti loco viri à mulieribus, & appensâ cortinâ secreti, vt aspectus quoque mutuus intercluderetur, quod ab Apostolis, teste Clemente Romano, originem suam traxisse certum est, qui in eam curam incubuerunt, vt, quantum fieri posset, omnis vtriusque sexûs communio, ac familiaritas vitaretur.

2 Sapientũ iudicio atque exéplo.

Verum disciplina hæc, institutioque prudentum, paulatim hominum quorundam improbitate cœpit laxari, qui cùm essent effeminati & mulierosi, istius sexus liberrimâ conuersatione, & familiaritate diu carere noluerunt, quod malum præsertim ab hæreticis ortum est, cuiusmodi Nicolaus Antiochenus fuit, Simon Magus, qui Helenam habuit suam: Montanus, qui Priscam & Maximillam; Arius, qui mulierculas varias secum

Hæretici disciplinam hanc primò violarunt.

ſecum vbique ducebat: Marcion, qui ob hanc cauſam notatus fuit. Sic mulierum illa quondam officio caritatis quibus tam Meſſiam inclytis facinoribus inſudantem miracula patrantem, annum iubilæi prædicantem ſobriè, caſteque iurabant, ac deinde Apoſtolos vbique pietatem diſſeminantes, vt è cælo magiſtros ſequebantur, in miniſteria cupiditatis impuritatiſque verterunt.

Sed non omnes fuêre eiuſmodi, vtpotè qui ſancto Dei timore, amoreque incocti, primitias ſpiritus habentes, ſublimiorem pietatis modum complecterentur, vt Clerici, & Monachi, qui vt à communi vita ſecreti, putârunt fore expediens, ſi ad fouenda pia deſideria & incendendam mutuò caritatem deuotas virgines, aut mulieres ſuam in domum admitterent, eaſque haberent in virtutum exercitatione & via Dei ſocias, ac contubernales, quæ à Græcis Patribus modo Aſcitæ, Inducto, Agapetæ, ſorores dictæ fuerunt. Sed quæ humana infirmitas eſt, cùm ſubinde ex hoc contubernio dedecus, infamia, & publica Eccleſiæ offenſio oriretur, res digniſſima viſa eſt, quibus Hierarchæ prouiderent: itaque in Niceno Concilio canon poſitus fuit, quo Clericis omnibus introductam habere mulierem interdicebatur, niſi mater eſſet, ſoror, aut quæ careat omni ſuſpicione. Can. 3. quòd & in ſynodo Ancyrana can. 19. aliiſque exinde conciliis, & nuper in Tridentino ſanctiſſimè fuit renouatum: & huius quidem non tam obſeruatorem ſedulum, quàm præclariſſimum quoddam exemplar ſe præbuit Auguſtinus, qui non modo ab extraneis mulieribus aiebat, verum etiam ab ancillis propriis, aliiſque refrenandam eſſe & ſecernendam familiaritatem, qua de re ſic Poſſidonius in vita eius cap. 26. loquitur: fœminarum intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror: cui adiungo S. Hieronymum, qui cenſuit in ægretudine non habendam

Concilium Nicenum periculo ſuccurrit.

SS. PP. verbo & exemplo virtutem hanc fouerunt.

eſſe miniſtram vllam fœminam, niſi matrem, ſororem, aut caſtam anum, cùm quidam corpore conualuerint, qui animo ægrotare cœperunt. Quod diuina in luce, cum B. Paula cognouiſſet, nunquàm poſt viri mortem, vſque ad diem dormitionis ſuæ, cum vllo comedit viro, quamuis eum ſanctum & Pontificali ſciret in culmine conſtitutum, vt de ea S. Hieronymus ſcriptum reliquit.

Quod vtinam mulieres omnes pro rei dignitate æſtimarent! neque enim monente Vrſino, ad neceſſariam fui, atque alterius tutelam opus haberent recordari, *ita cum mulieribus, vt cum hoſtibus eſſe verſandum, qui non iugulum & ceruices, ſed animæ cor, ac vitam petant*: qua in opinione dictus presbyter, teſte S. Gregorio fuit, vir diuinis moribus & præſtabili vitæ ſanctitate pollens, qui ex tempore accepti ordinis, presbyteram ſuam, vt ſororem diligens, ſed vt ab hoſte cauens, ad ſe propius accedere non permiſit: cum enim annos iam quadraginta in miniſterio ſacro piiſſimè & caſtiſſimè tranſegiſſet, in morbum incidit, qui & poſtremum illi diem attulit. Quo dum mirificè debilitatus, vt ſenſuum vſu carens, atque è corporis cuſtodia iam pœnè migraſſe videretur, acceſſit mulier quondam eius vxor, non ſegnis præclariſſimarum eius virtutum æmulatrix, & aure admota ad nares eius, noſſe cupiebat, an flatus etiamnum aliquis in homine Dei reſideret. Senſit vir diuinus in media morte leuem contactum, & quæ reliquæ in pectore fuerunt, vires, conatumque omnem exprompſit, vt diceret: *recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle.* Cœpit fructum deuotionis, & pudicæ voluntatis eius; non ſubitò ſe illi videndos obtulerunt Apoſtolici chori principes Petrus & Paulus, cæleſtibus onerati coronis, quos ad æternam felicitatem mox habuit viæ duces.

Quantoperè Vrſinus presbyter hanc virtutem coluerit.

Hic verò quorundam mihi cæca & ridicula obiicitur defenſio, qui dicunt, ſe tractare cum mulieribus ſine

Reſponſio ad obiecta.

ne vllo conscientiæ damno, aut detrimento honestatis, nec vllam pati aut sensuum titillationem, aut læsionem castitatis, nec proinde causam esse, cur illa caritatis officia, & honestæ cum mulieribus, tametsi non necessariæ collocutiones prohibendæ ac damnandæ videatur: quod tam asseueranter iactant, vt verè, atque ex animo loqui putes. Sed profectò non est ita: dissentit intima mens, aut falluntur ipsi: hærere namque iuxta ignem & non vri, de numero eorum est, quæ fieri nequeunt, vt mirum non sit, si dicamus tale esse consortium fugiendum. S. Methodius Episcopus Tyri, qui temporibus Diocletiani floruit, ait teste Photio, se vidisse in Olympo Lyciæ monte, ignem sponte suâ, in montis cacumine, ex imò terræ enascentem, iuxta quem stirps erat, cui pyragnus nomen adeo florida virens & opaca, vt è fonte potiùs nata videretur. Nec sine causa magnus ille vir miratus fuit, cùm vi flammæ, & ardore igneo, omnia circum arerent, & consumerentur, stirpem eam solam adeò non exuri, vt continuò afflata igne, eo magis effloresceret. Quod sicut naturæ prodigium erat, ita gratiæ mihi videtur miraculum, si ardente concupiscentiæ igne, & orco assiduè flammas eructante, vicinus aliquis vim, & æstum non sentiat, non vratur. Nemo sibi stultè blandiatur, aut impudentissima temeritate in mediis periculis securus consistat, non enim humanæ, sed diuinæ id virtutis est, incendio hoc longè & latè furente circumcingi & non vri.

S. Methodius de pyragno.

Enimuerò iam tantò antè monuit Sapiens Eccli. 3. 27. *qui amat periculum, in illo peribit*: nec est prudentis, cum in scelus incideris, vulgatam illam fatuorum cantiunculam occinere: *non putabam*. Probè id intellexerat *S. Isidorus Pelusiota*, dum in aurea illa exhortatione, qua Palladium Episcopum monuit, ne fœmenis se præberet affabilem, sic locutus est: *Quod si te cogat aliquando necessitas, vt cum muliere agas, dum ea quæ necesse erunt, locutus fueris, statim auola, ne ipsum commercium & consuetudo vires tuas emolliat, ne velut taurum, elatumque leonem nacta, iubam amputet, quæ proprium leonis decus est, dentibus exin, vnguibusque exarmet, & magnanimum illum priùs, metuendumque animantem pueris illudendum proponat*; nec enim frustrà *S. Cyprianus* exclamauit: *quantos leones domuit vna muliebris infirmitas delicata.* Quæ sanè ratio adeo clara, atque conspicua est, vt si cui fortè illa assertionis nostræ veritatem persuadere non possit, nec si solem manibus gestemus, vt ait Lactantius, nec si sol eam radiis exscripserit, quibus nihil clarius, est; eam illi persuadere possimus. Sed neminem eiuscemodi reperiendum sperem, nisi scepticus & pyrrhonicus censeri velit, aut Annaxarthæi discipulus, cui niues atramentum fuerunt.

Eccli. 3. 27

S. Isidorus in exhort. ad pallad.

Quare communis ea SS. Patrum opinio semper fuit, cætera vitia generosi animi luctâ, & contentione; libidinem autem fuga superari, sic namque disertè magnus Augustinus: *cum cætera vitia pugnando vinci soleant, sola libido est, quæ fugiendo potiùs, quàm pugnando superatur*: quod religiosissimus Ioannes Climacus, propriâ ductus experientiâ, nobis confirmauit; *vidi*, inquiens, *quosdam cum mulieribus cibum vnà sumere, ac degere continuò, nec vnquàm cogitatione pulsari; qui tamen hac fiducia decepti, ac negligentiores facti, cum in cellula sua pacem atque securitatem esse putauissent, continuò in interitum præcipitati sunt*: vnde factum, vt corporatus ille Seraph. Sanctus Franciscus Assisias, teste S. Bonauentura, Mulierum familiaritates, colloquia, & aspectus, quæ multis sunt occasio ruinarum, suos admodum solicitè deuitare iuberet, asserens per huiusmodi debilem frangi, & fortem sæpenumerò infirmari; aduersaria namque confidentia, teste S. Cypriano, est, quæ periculis vitam pro certo commodat, & lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluari se sperat.

Intemperantia fugâ vincenda.

Ioan. Climacus.

S. Franciscus.

rat. Neque enim minor habenda est cura, ratioque vicinitatis ad bonos mores, quàm in villa, parandoque fundo ad emolumenta percipienda. Monent autem rei rusticæ non ignari, si quercetum sit vicinum fundo tuo, licèt eleganti & opimo, oliuetum te frustrà in confinio positurum. Nam ex ea velut insidiantis, & noxiè quercus vicinitate sterilescet olea, & tamquàm sui damna præsagiens, ductuque, impetuque naturæ in fundum se inclinabit, vt maleficiam illam coniunctionem refugiat & deuitet. Quod item adsita ad olus, facere vitis solet. Eiurat enim eam societatem, & fugit inimicum oleris consortium & capreolos, vt teneras manus, quantum potest, contrariam in partem extendit, ne dulcedine fructus sui & abundantia spolietur. Sic facere vnumquemque oportet, qui sicut oliua fructifera in domo Dei esse desiderat, & sicut vitis abundans, mystica vbertate copiosa.

Simile.

Si mulierem in consortio posueris vt iuglandem, vt olus mollissimum & delicatum, sterilescet virtus, neque ambrosiæ eius suauitate gaudebis. Cui firmando, immane quantum subseruiat, quod cælestium ille dogmatum tonitrus Ioannes Antiochenus, cognomento Chrysostomus serm. contra Concub. expressit: audiui multos dicentes, quod plurimi etiam apud lapides & statuas (formosas) aliquid passi sint. Ita planè Pygmation Cyprius, & adolescens Cridias apud Clementem Alexandrinum in Protrept. testantur.

Quod si tantum valuit dura effigies, ob nonnullam pulchritudinem artificio expressam, quid tandem efficere ipsa venustas poterit viua & expressa, lenocinio fulta, cùm præsettim mutuus calor incèderit flammam.

Er hæc quidem præfato rigore proposita, inquiet aliquis, fidem inueniant, nisi ante cessatum duxerimus pericula, quæ commercium istud circumstant, quibus ablatis, cur aut Clerico, aut Canonico famula in domesticum, ac necessarium obsequium denegetur? Errat quisquis ira vel sentire, aut sapere præsumat, etenim aduersus carnis insidias, ea vis in hoc vno sita est, vt nihil quantumuis parum contemnatur, nam quemadmodum S. Philippus Nerius solitus erat dicere, segniores, timidioresque, qui fuga salutem quærunt, sunt ad hoc bellum aptiores, in quo omnia sunt in metu, neque quidquam contemnitur, quod vel tenuem suspicionis aditum præbeat, quod paruis sæpè momentis magnæ rerum commutationes existant. Ita etiam hic fieri amat, vbi muniriſsima castitatis præsidia ex leui plerumque occasione expugnata dirutaque inuenimus.

Respõdetur dubiis, ac quæsitis.

Quod Abbas ille, de quo scribit ex veteri memoria Ianus. Nicius, Erythræus §. 31. probè intellexit, cuius cum cœnobitæ, quibus præerat, decreuissent mulierculæ cuiusdam opera ad res domestas vti, constanter abnuit, vtpote qui rectè nosset, quantum periculi, à mulierum quarumcunque consuetudine, animarum saluti oriretur: sed frustra fuit, nec enim intelligere poterant castitati ipsorum damnum esse aliquod metuendum à muliere sordida, & deformi: quapropter omissis verbis, id illis Abbas stropha hac conatus est persuadere: Die quodam imperat coquo, vt obsoniis paulò liberaliùs salem inspergat, qui fortasè etiam largiùs quàm impetatum fuerat indidit, & salsissimum monachis cibatum apposuit: quo facto, iubet cellæ vinariæ, adhæc & putei sibi claues afferri, neque liquidi quidpiam in propatulo domi superesse, quod sitim exstingueret, præter aquam, qua coquus vasa culinaria antè abluisset quæ vel sitienti stomachum moueret. Vix hora à cœna intercesserat, cum omnes monachos tam ingens sitis inuasit, vt mori viderentur, cumque ad cellam vinariam, ad puteum, ad cœnaculum accurrerent, atque omnia clausa inuenirent, demum ad culinam deuenerunt, ac sitis impatientia cum aliud nihil suppeditaret,

Historia Abbatis monachos suos à consortio mulierum deterrentis. Ianus Nicius, Erythræus §. 31

ter, aquam illam sordidam, ac graue-olentem auidè in ventrem ingurgitârunt. Manè ad Abbatem accurrentes turmatim omnes queruntur, se siti coactos ad sordidam ac fœtentem coquinæ aquam bibendam. Quibus Abbas qui, inquit vos caussa istuc impulit? inopia, dicunt. Alia non erat. Bene habes, inquit Abbas, quoniam melior aqua non suppetebat, ad eam quæ præstò erat, sitim sedatum iuistis: ita quoque contingere poterit, vt cum forma ac specie liberaliori mulier desit, eâ cuius copia suppetat libidinem expleatis. Qua illi similitudine & oratione permoti, Abbati manus dedêre, neque deinceps ausi sunt cuiusquam mulieris operam, ad domesticos vsus exposcere. Ita illi.

Alia obiectio. Sed iterum, inquiet aliquis, nullum hic discrimen aut periculum posse timeri, vbi nulla procacia, nulla lasciuia reperitur, contra verò, singulare virtutis studium, ac prouectior animorum salus, qualis inter pietati deditas ac religiosæ exercitationis sectatores vigere solet.

Responsio. Verùm audi quisquis id, vel rei, de qua agimus, non sat gnarus vel falli cupidus in animum tuum inducis, aio ego, te quàm maximè hic periclitari, nec meliore esse loco, quàm qui cum Dalila aliqua, aut Helena notæ proteruiæ aut leuitatis mulieribus versetur.

Solenne Iurisconsultorum effatum est: *turpe esse sine lege loqui*, in quod ne temerarius impingam, ad iudicium, sententiamque Balthasaris Aluares viri lectissimæ prudentiæ ac sanctitatis appello, de quo Ludouicus Pontanus lib. 5 vitæ eius cap. 55. ita scribit: dicebat maiorem cautelam adhibendam esse, vbi cum fœminis spiritualibus agendum est, quàm cum profanis, eo quod spiritualis amor soleat transgredi limites suos, vt fieri carnalis, & optimum vinum conuerti in fortissimum acetum: quod tamen non ita aduertitur, donec mutuæ voluntatis ita coniunctæ sint, & agglutinatæ, vt quamuis illibenter, & cum aliquo doloris, sensu potiùs, à Deo, quam à se inuicem discedant, & separentur, ne se contristent: iudicantes non decere, sibi in illo amore, tenerôque affectu deesse: & tunc dæmon accedit, & ignem accendens, illos penitus illaqueat, & excæcat.

Sententia P. Aluares super hac re.

Quo spectasse arbitrer B. Iordanum, secundum illum Ordinis Prædicatorum Præpositum Generalem, dum vnum aliquem ex suis ob manum datam fœminæ verbis castigans, ab eo audiit, ita est Pater, ei manum porrexi, sed sancta est: respondit autem Iordanus, Sancta sit, vt velis, mulier est; pluuia bona est, vti & terra, sed mutuo contactu faciunt lutum, quod inquiunt homines.

B. Iordani factum memorabile.

Atque hoc est quod Deus Dominus B. Theresiam docuisse visus est, dum illi per visum ostendit locum pro ea præparatum in infernò. Sed quomodò? inquies, cum teste Didaco Yepesio Episcopo Tutissonensi, nunquàm letalem noxam contraxerit. Respondet Franciscus Ribera, illam peruenturam fuisse ad infernum, si continuisset illa peccata venialia, quibus tunc erat dedita, parum illa curans, quia putabat non esse peccata. Si autem quæras, quænam fuerint illa, per quorum continuationem deuenisset ad infernum diuinitùs ostensum, ait fuisse illas conuersationes cum aliis immaturæ ætatis, & virtutis, qui facilè labi potuissent, cùm illa esset valdè affabilis & amans, licèt honestè illos, qui cum ea alebant amicitiam; quare ipsa experta hoc periculum, cap. 7. vitæ suæ rogat per amorem Dei suas Moniales, vt fugiant tales conuersationes exemplo suo.

Quomodo à paruis ad magna declinemus ostensum à Deo S. Theresia.

Vin maiorem. & omni exceptione superiorem? En Augustinum lib. 12. de singul. Clericorum: *Grauem, inquit, inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed demisso freno longiùs fugiendum. Nec eo minùs fœminæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur; quia quantò religiosiores, tantò citiùs*

S. August. l. 2. de sing. Cleric.

citiùs alliciunt, & sub prætextu pietatis latet viscus libidinis. Experto crede: expertus loquor coram Deo non mentior: cedros libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi; de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosij, & Hieronymi impudicitia aut libidine.

Respondeo idem obiectioni lib. de honestate mulierum.

Sed fortè, addit idem author lib. de honest. mulierum, *negligens quisque, & minùs de animæ suæ salute sollicitus respondeat, dicens, Ecce, ego familiaritatem habeo mulierum extranearum; & tamen castitatis ornamenta custodio, Infelix est, & nimium periculosa ista præsumptio. Multi enim dum se putant vincere, victi sunt*: hactenùs ille & prudenter, vtinam omnibus ad polatum! *sed quia multis teste Cicerone, cor non sapit, non sapit & palatus*, sapuit autem, quæ magna Dei benignitas est, non paucis Ordinibus Religiosis, & virorum insignium Congregationibus, qui mulierum piarum curam, vel in sui prima institutione, vel posteà difficultates experti & pericula, prudenter repudiarunt, & penitùs à se remouerunt: quorum primus est Petrus de Morono, qui Abbas sanctus & Pontifex sub nomine Cælestini Quinti, alienior semper ab ea cura visus est, præsertim cùm noluit ad eam cogi suam Congregationem, his verbis: *Recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet fœminarum minimè teneamini.*

Congregationes religiosæ quæ Mulierum curam abdicàrunt. 1. Celestini.

2. Canonici Lateranenses.

Eandem Canonici regulares S. Saluatoris Lateranensis pro viribus studuerunt arcere à se, & procul ablegare, vt statuta de hac re condita testantur.

3. Clerici Regulares S. Pauli.

Clerici quoque Regulares S. Pauli, vulgò dicti Barnabitæ, per hæc verba repellunt à se hanc curam, statuentes: ne monialium quarumlibet cura suscipiatur. Idem comprobârunt Theatini, de quibus scribens Bernardinus Schottus Cardinalis ex eorum ordine, quatuor esse illis cauenda, si saluum velint ordinem, monuit, inter quæ tertio loco posuit: Mulierum familiaritatem, & curam.

4 Canonici Præmonstratensis.

Nec dissentiunt Præmonstratenses, de quibus Iacobus Cardin. à Vitriaco: Prudenter, licèt sero in generali capitulo vnânimiter, firmauerunt, quod fœminas de cætero in ordine suo non essent recepturi. c. 22. hist. occid.

5 Societas Iesu.

Quòd hi tanta prudentia statuerunt, non potuit non S. Ignatius idem hausto de supernis lumine, in Societatem suam induxisse, de quo sic p. 6. Constit. c. 3. §. 5. locutus est: *Non debent curam mulierum religiosarum, vel aliarum quaruncunque suscipere, vt ordinariè illarum confessiones audiant, vel ipsas regant.* Adeò viri SS. ac prudentes ab omni cura, atque commercio fœminarum non necessariò, abstinendum esse duxerunt.

6. Quid in hac re præstiterit S. Franciscus Assisias.

Mirum autem est quam S. Franciscus Assisias ab hac cura fuerit alienus, qui, vt traditur in Chronicis, nullius monasterij Monacharum suscepit curam, præter illius vnius, vbi S. Clara vixit ad S. Damianum. Cùm autem Philippus è primis sodalibus, mandato Cardinalis protectoris plus curæ ac solicitudinis in illas impenderet, quam optabat, acriter eum reprehendit, dicens: Malè fecisti, frater Philippe: hac re destructores Ordinis. Morbus erat in cute, spes erat sanitatis, nunc peruenit ad ossa, factus insanabilis. Et vaticinium fuit: tempore enim Bonauenturæ, eo increuit turbatio, vt vniuersus Ordo peteret à Papa liberationem à cura monialium, nec aliud impetratum est, nisi vt à cura rerum temporalium liberarentur, anno 1264. quamuis iterum, circiter annum 1420. idem tentârint, dum nouæ, magnæque molestiæ eundem ordinem afflixerant, propter eandem causam.

Quid FF. Prædicatores hic senserint, decreuerint.

Quod & FF. Prædicatores animo præsentientes sic statuerunt Const. d. 2. c. 1. §. 4. In virtute S. Obedientiæ & sub excommunicationis pœna districtè prohibemus, ne aliquis Fratrum nostrorum laboret, vel procuret de cætero, vt cura vel custodia monialium, seu quarumlibet aliarum mulierum Fratribus nostris committatur.

tatur. Ad quæ profectò statuenda nunquam sancti illi, atque sapientes viri deuenissent, præsertim cum illa cura pietatem habere adiunctam, & eximiam præ se ferre charitatem videatur, nisi filiis suis ac sodalibus ex ea, quæ familiaritatem vitare non potest, imminere periculum non leue iudicassent. Proinde satiùs ducebant in alia charitatis opera vel nihil, vel minùs periculosa suorum opera, laboresque deriuare, quod non obscurè Ignatius præ se tulit, tum in familiari colloquio, vbi hoc Apophthegma natum fuit, tum verò reapse id ostendendo, dum Antonium Araozium Prouinciæ Præpositum Aragoniæ obiurgauit, quod quoquo modo propendere animo ad curam corrigendæ muliebris disciplinæ in Barcinonensi cœnobio visus esset.

S. Ignatij super hac re sententia atque iudicium factumq; memorabile.

Quæ incommoda & dispendia omnia dictus Pater ante præsenserat, dum Isabella Rosella piissima matrona, Romam ex Hispania religionis causa aduenisset, atque à Paulo III. impetrasset, vt cum aliis paucis fœminis ab illo gubernaretur, atque in via perfectionis, tamquam à Duce, Magistroque dirigeretur. Et paruit quidem Ignatius, procurationemque iussu Pontificis coactus suscepit, quam paucis diebus plus pœnè negotij, quam vniuersam Societatem sibi facesque sensit.

Priuilegiũ Societ Iesu nullam curã mulierũ admittẽdi. datum à Paulo III. 1549 15. Kal Nou.

Quapropter Pontificem docuit de molestia, quam ea cura tum sibi afferebat, tum Societati vniuersæ videbatur allatura, rogauitque supplex, vt ab ea molestia liberaretur, quod & suo nostrorumque omnium commodo à Paulo III. anno 1549. 15. Kal. Nouemb. impetrauit. Inter alia priuilegia Papâ concedente, ne curam monialium seu curam quarumlibet personarum religiosarum admittere Societas teneatur per litteras apostolicas impetratas, vel in posterum impetrandas nisi de hoc indulto, & ordine Sociorum huiusmodi expressam facientes mentionem.

Et hactenùs quidem rectè, ac prudenter Ecclesiæ virginis sponsis hominibus, inquam Deo sacris, quorum ora, vt castimoniæ oportet esse oracula, ita & opera eiusdem debent esse exempla, prospectum credideram, ne dum fidenter mulierum fortassis custodiæ incumbant, suam paulatim negligant, ac deperdant; in cæteris namque hominibus castimonia, virtus est, & animi singulare ornamentum, in his autem sacramentum, tanto impensiùs accurandum, quanto maioribus thesauris est conferendum: quare, cùm subinde ea tempora incidere possint, quibus ij, qui curam exercent animarum, adesse morientibus debeant, & in aduersis rebus, & familiæ cladibus aut graui communium rerum iactatione consolationem impertiri, dispiciendum restat, quid tutò hic ac sapienter ex mente S. Ignatij committendum. Imò cùm & de rebus piis, deque vita componenda institutiones, monita, consilia, quæ præsertim à sacris hominibus tribui solent, in angore conscientiæ, in duris casibus, & molestiarum concursu, consolationes, & nonnunquam officiosæ magnatum visitationes ne se contemni, & abiici putent, non sint penitùs prætermittendæ meritò & hîc quispiam exquirat, quid, ac qualiter sit agendum.

Quis modus tenendus viro prudẽti cum ex necessitate cũ eo sexu agendum.

Si D. Hieronymum audire libeat, ecce in promptu eius iudicium: *hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto manseris, nec in præterita castitate confidas, nec Dauide sanctior, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper quod paradisi colonum mulier de possessione sua eiecerit.* Epist. ad Nepotianum.

Responsum S. Hieronymi.

Neque est, vt idem S. Pater, epistolâ ad Eustochium prudenter monuit, vt quis sibi de sãguinis propinquitate confidat, quòd dum sapuit Vrsinus presbyter apud S. Gregor. lib. 4. dial. c. 11. indemnis euasit: dum negligit Genebaldus apud Hincmarum, turpiter cecidit: ne-

ptem

ptem hic S. Remigij in vxorem duxerat, quam de consensu eius in sororem mutarat: ipse verò Episcopus factus, dum eam quasi pro instructione salutari frequentiùs visitat, durum contra luxuriæ mollitiem cor, Episcopi mollitum est, & ex ea quondam coniuge filium genuit: quia verò culpa hominibus non innotuerat, ne suspicio inde procederet, si à solita visitatione recederet, ab ea non destitit, factusque error peior priore, filiam quoque ex eadem generauit. Tandem Genebaldus in se reuersus, procidit ad pedes S. Remigij, facti pœnitens, qui eum cryptæ inclusit, vbi per septennium magnis pœnitentiæ operibus peccatum expiauit.

Quàm mulierum visitationes periculosæ.

Quàm ille sapiet, qui vel alieno lapsu sapiat! addo, & naturæ matris vigilantiam obseruat: Tradunt Anatomici, quando mulier gemellos vtero fert filium & filiam, vtrumque à se mutuò diuidi tunicâ in ventre matris: si verò sint duo filij, aut filiæ, nullum habere interstitium.

Simile.

Si natura separet fratrem à sorore in loco tam innocenti in quo nec dum sibi nocere possunt, gratia, sine dubio, plus faciat necesse est, vbi se possent perdidisse.

S. Iustinus.

Bene itaque ac prouidè S. Iustinus Martyr vir scientiâ & religione clarissimus, fœminarum visitationem tanto antè, plenam docuit esse periculi: & quis prudens se illi sciens exponat?

Quales esse velit mulierum visitationes Ignatius.

Ad Ignatium quod attinet præclarè ille quidem ac prudenter gnarus quibus loqueretur, visitationes has non omnes quidem obiicit nec omnes promiscuè admittit, quas verò tolerat triplici cælestis cuiusdam doctrinæ conditura voluit esse perfusas scilicet, vt fiant rarò, vt prudenter. vt non sine comite.

1. Conditio visitationis mulierum. Raritas.

Et in primis raras esse desiderat, quod frequentes non necessariæ à prudentibus viris habeantur vitiosæ, vt quæ sæpè cum iactura temporis, & mala aliorum ædificatione iungantur. Quibus datur suspicionum occasio: quapropter S. Hilarius Arelatensis Antistes, dum Honorati præstantissimi viri describit vitam, iure in eo laudat rarum fœminarum visitationem, etiam proximorum. D. verò Augustinus qui veteratoris inimici fraudes iudicio magnò cognouerat, Moniales inuitus adibat, neque tam frequentiam illam visitationum appetebat, quam vitabat, de quo sic Possidius cap. 27. *Fœminarum monasteria, non nisi vrgentissimis necessitatibus visitabat.*

Bene itaque *Ignatius omnium mulierum familiaritatem, etiam earum quæ spirituales aut sunt, aut videri volunt vitandam esse dicebat: quarum ex consuetudine plerunque aut fumus sequitur, aut flamma. De vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Eccli. 42. 18.

Ad secundum quod attinet, visitationes has prudenter & decorè faciendas præscribit. Latè autem patet hæc prudentia, cautioque præsentis animi, atque verecundi: & in primis in dirigenda intentione, ac præposteris caussis reiiciendis elucet. Quod fusè, atque in rem nostram conuenienter monuit Cassianus l. 10. c. 2. *dum ait quosdam impelli ad huiusmodi visitationes à spiritu acediæ, qui cum domi propè nauseent, nihilque propositum habeant, in quo decorè, vtiliterque versentur, gestiunt in alienis ædibus habere negotium, aut iucunditatis otium: loquaces adeunt mulieres, cuiusmodi etiam in claustris religiosis habituros se putant, cum quibus opinione suâ humanissimis nugis, atque suauibus tempus fallant.*

2 Conditio Prudentia.

Magna hæc diaboli fraus est, quam *S. Ambrosius* l. 1. off. cap. 20. detexit: *quid*, inquiens, *opus inuisere nullo fructu & cum periculo tuo & alieno fœminas, aut virgines sanctimoniæ nomine insignitas? Cur non illa tempora quibus ab Ecclesia vacas lectioni impendis?* &c.

S. Ambrosius l. 1 off. c. 20.

S. Ioan. Chrysostomus de subintrod. p. 306. aliorum quorundam scopum & propositum aperit, videlicet, cupiunt honorari à mulieribus & frequentibus cum illis congressionibus,

opinionem, & venerationem sui quærere, quod viro spirituali indignum est, atque frustraneum, cum ea sit natura mulierum, vt se colentes despiciant, & qui rarissimè se adeunt, venerentur.

Denique ad idem spectat, quod tradit Isidorus Pelusiota, vt quicunque ad mulierum colloquium accedit oculos modestè demissos teneat, nec oculorum aciem in vultus earum coniiciat, & cum ea dixerit ac prudenter fuerit persecutus, quæ ad rem spectare videbantur, nulla interposita mora digrediatur.

S. Francisci Xauerij eadem de re iudicium. Eadem hæc mens ac spiritus Ignatij semper fuit, quo tam per se, quam suos labenti mundo succurrere conatus semper fuit: hauserat eum S. Franciscus Xauerius, tanto magistro non impar discipulus, quare & in alios diffundere non prætermisit, testantur id monita quæ apud Tursellinum P. Gaspari Barzæo vicatio suo dedit: Cùm mulieribus, inquiens, cuiusuis conditionis, non nisi luce palàm colloquêris: nec vnquam domum ad eas ibis, nisi fortè grauiore aliquo casu cogente. Talia verò officia conueniendatum mulierum & rara sint, & necessaria. Quippe lubricum negotium est, vbi minimum lucri sit, maximo periculo.

Idem maiores nostri regula 72. Præpositis, vt diligentissimè curent, iniungunt: *Mulieres inuisere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus nostros non sinant: nec hoc quidem permittant, nisi viris valdè probatis & prudentibus*: &, vt habet decretum 93. Cong. 7. *si oportebit eas alloqui, longum sermonem non misceant, & oculos modestè demissos habeant.*

3. Conditio visitationis mulierum non sine teste. Sequitur tertium, quod S. Ignatius monuit obseruandum, vt non sine comite fiat visitatio. Prudens consilium, & à SS. Patribus commendatum, adeo vt qui solus cum sola muliere fuisset visus, præsertim è sacrorum hominum numero, is viri boni limites prætergressus esse videretur, & propè flagitium perpetrasse.

Hinc S. Ambrosius iunlores præsertim Clericos visitare debere negat viduarum ac virginum domos, absque seniorum comitatu. Cuius in Christo filius *D. Augustinus*, quid fecerit in eo genere, ita memorat Possidius: *nunquam sine Clericis testibus ad fæminas intrabat, vel solus cum solis vnquam est locutus, nec si secretorum aliquid interesset*, B. Augustinum S. Carolus Card. Borromæus pattum memoria imitatus, cum fœmina nunquam locutus est, tametsi consanguinea, quin ex grauioribus domesticis vnus, pluresue adessent, vt Guissanus tradit l. 7. cap. 6. hinc in bullato diplomate Canonizationis verba illa sunt probati moris testimonia, fœminas sine arbitris non alloquebatur. Quòd ad Apostolicam institutionem refert Clemens Romanus epist. 2. & Concilia orbis terræ confirmârunt, vt Carthaginense III. aliaque. Vix namque dici potest quantam vim habeat solitudo ipsa loci, & occasio, ad scelerum aculeos excitandos, & animi virilis constantiam subruendam.

Aduerterat id prudentissimè S. Ignatius, cuius sedulò excubans cura in filiorum suorum tum sanctitate tuendâ, tot inter animarum iuuandarum diuersa munera, tum famâ præmuniendâ, edixit totâ Societate, nō mòdo, vt fœminarum quamuis nobilium, aut decumbentium domos incomitatus nemo adiret, sed omninò ea esset in alloquendis obseruatio, atque prouisio, tametsi exciperetur confessio, vt aures quidem comitis, sed oculi nunquam excluderentur. Nicol. Orlandinus lib. 14. hist. Soc. nu. 7. Luculentum prætere rire hic nequeo Doctoris Angelici testimonium, quo consuetudinem de socio retinendo tantopere solebat collaudare, vt eum dicere solitum ferant: *Monachum solum, dæmonem esse solitarium, magna siquidem*, vel Senecâ teste, *pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat*. Ep. 11. S. Thomas de Aquino. Seneca ep. 11.

Quia verò vsuuenire posset maximè in Indicis, aliisque missionibus

vt

S. Francisci Xauerij prudes hac in parte consilium.

vt proprius comes deesset, S. Franciscus Xauerius, quem bonus iste Ignatij spiritus totum possederat, alia voluit ratione suis prospectum: sic namque in aureis illis ad vicarium monitis scripsit: si fortè ad ægræ cuiuspiam domum, eius confessionem excepturus accedas, curandum erit sedulò, vt illius maritus adsit, aut cognatus aliquis, aut certè vicinus idoneus: si autem virginem aut viduam conueniri oportebit, ad eius domum accedes, viri spectatæ virtutis comitantibus, quorum scilicet comitatus, non solum offensionem, verum etiam suspicionem hominum excludat. Tursel. l.6.c.17.

Tursellin. l.6.c.17.

Hæc ille ex sensu Patris sui, cuius spiritu in omnibus regebatur: nec sanè is segnius egisse, quàm docuisse visus fuit, ita namque de eo scripsit Ioannes Rho lib. 4. de variis virtutum hist. c.2.

Ignatij hac in parte seueritas. Ioan. Rho l.4.

Sanciuerat Ignatius ne nostri homines matronas incomitati aut adire, aut alloqui auderent, rem vt non semper necessariam, sic semper minimè tutam. Eam legem cum bonus quidam senex, supinâ violasset simplicitate, quamuis minimè dolo malo id ausum esse constaret, grauissimè nihilominùs vindicauit. Coactis in vnum septem, octóue sacerdotibus hominem productum in medium tamdiu in se flagellis animaduertere iussit, quamdiu orsi à quinquagesimo, singuli psalmum vnum recitarent. Factum, vt Imperauerat, nec duriora quisquam accusauit imperia: adeò virtutes, cum maximè proueniunt, tunc æstimantur: quapropter, neque hic ætati quidpiam aut senio concedendum arbitror, vt triste illud *væ soli* à Sapiente intentatum procul à se facere queant. V. Antistitem Thomam Cantipratanum appello. Ego, inquit ille, qui triginta annis & eo ampliùs vices Episcopi, in diuersis Prouinciis & diœcesibus habui, ex hoc articulo, quo religiosi vel soli vadunt per vias, vel soli manent in curiis, horrenda scandala, horrendaque pericula frequenter audiui, quæ nunquam sustinuissent adiuncto socio vel fecissent. Lib. 2. Ap. c. 11. §. 1. Ac deinde recitat ad confirmationem quod dixerat infelicem lapsum sacerdotis docti & à pueritia cælibis, qui Canonicatum in curam animarum, vt plures Deo lucraretur, commutârat, & sexagenariam virginem, quæ cilicium eius lauare solita erat, solam sine teste repertam violarat. Hic erat sacerdos, pastor animarum, optimè instructus à primis annis, veneris nesciens, asperitate vitæ conspicuus, zelo plenus, sacris ministeriis occupatus, Theologiæ Doctor, ætate prouectus, & quia SS. PP. regulam non seruauit, etiam in vetula paleam concremauit. Quid faciat qui nihil horum habet? quam parum tutus iuuenis, & iis vacuus præsidiis, quæ ille habebat? *vnus namque vir, nullus vir*, vt vetus habet parœmia. Contrà verò, *frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*. Prou. 18. nam vt bene Ausonius:

Thomæ Cantipratani prudes de hac re iudicium. l. 2. Apum c. 11.

Firmatur historiâ.

Quo caret alteruter, sumet ab alterutro.

Plato.

Vnde *Plato* dicere solitus: *nec Hercules quidem contra duos*: *Deus* siquidem, teste S. Aurelio Augustino, *qui habitat in vobis, isto modo custodiet vos ex vobis*.

Et de his quidem hactenùs: vnum reliquum est, quo plena sacri Apophthegmatis nostri expositio absoluatur: nimirum, vt noxiæ huius familiaritatis breuia sirtesque tuto declinemus, haudquaquam sufficere; si liberiores cum fœminis collocutiones euites, ac frequentiores earum visitationes declines, nisi & manum, calamumque abstineas à scribendo illis, & rescribendo, præterquam magnâ necessitate vrgente, aut certè præcipua quadam vtilitate mouente.

Atque hæc quoque Ignatij mens, iudiciumque semper fuit, nec maiores nostros fugit, qui Superioribus mandârunt, ne permittant subditis suis ad mulieres scribere, nisi in necessitate, aut cum spe magni fructus, nec

Literas mittere ad mulieres, magno solum fructu, permittebat Ignatius.

nec nisi viris valdè probatis & prudentibus, vt patet Reg. Præpositi 72. & Rectoris 70.

Probitas scribentis auertit peccatum & suspicionem; prudentia periculum deprauantis interpretationis præcauet: necessitas scribendi quæ non est frequens tollit frequentium literarum spes magna vtilitatis facit epistolas verè spirituales.

Potissimum autem dum ad fœminas scribitur illa prudentiæ comes requiritur, quæ circumspectio appellatur, ne sc. nimis fœminæ videamur vel esse, vel fuisse familiares, ne blandis aut dulcibus verbis vtamur, à quibus sedulo abstinendum S. Hieronym. monet, denique, ne quid afferatur, quod peculiarem affectum beneuolentiæ testetur: à quibus cum & in loquendo abstinendum sit, multo magis in scribendo, quando in scriptione verba, non in euanescente aëre, sed in permanente diu papyro imprimuntur, nata vel post annos incendium suscitare, vel fumum.

Exam. c. 4. § 6. Et hanc quidem rem tanti fecisse Ignatius visus est, vt in Examine c. 4. §. 6. iusserit ingredientibus in limine proponi, num contenti sint nec litteras accipere, nec scribere, nisi aliquâ occasione superiori aliter videretur. Iterum an contenti sint, vt videantur literæ omnes, & quæ ipsis scribentur, & quas ipsi aliis scribent ei, cui huiuscemodi munus commissum est, cura relicta, vt eas det, vel non det, quemadmodum in Domino nostro magis expedire iudicabitur. Quæ profectò Ignatius non statuisset, nisi tantæ rei momentum probe sibi cognitum habuisset: nouerat vir prudentissimus, quid tum veteris, tum nouæ ascesios Magistri, S. Hieronymi verba vsurpantes, docerent. *Blandas & dulces litterulas sanctus Amor non habet.* Epist. 2. ad Nepot. *S. Hieron. ep. ad Nepot. 2.*

Quæ verba Humbertus magnâ sapientiæ, doctrinæque laude clarissimus expendens, multas rationes adducit, quibus ab hac litterarum vicissitudine cum mulieribus, vti abs re vna maximè periculosa suos abducat: *huiusmodi*, inquit, *sunt amantium stulto amore, & sunt species mali, à quo cauendum est, secundum Apostolum. Item per hæc inspecta reducitur mulier ad memoriam, per quod solet Sanctos diabolus infestare. Item per hæc nutritur & augetur affectus ergà mulieres, quod valdè periculosum est, quia facilè degenerat in malum. Item per hæc familiaritas mulierum acquiritur, quæ quam sit reprehensibilis, patet ex dictis.* Hactenus ille cap. 104. in 4. reg. S. August.

Quia verò res gesta dictam solet non vulgariter confirmare è recenti memoria, Asceram dabo, in quo ea, quæ nobis Humbertus præfatis his verbis insinuauit, expressa cernamus.

Adolescens erat, qui Genuæ Sodalitatem Partheniam aliquamdiu cum laude frequentarat, sacraque mysteria frequenter, pieque admodum obierat. Is deinde cùm ex impudenti oculorum coniectu nosse cœpisset, mulierem, eamque visitare, paulatim de veteri studio remittere diuinorum obliuisci, fomentis noxiis vsque & vsque ignes Cyprios alere: denique ita effusè in illam exarsit, vt occupatus in alio, diuinum omninò amorem excluserit. Neque enim Deus, venusque in eodem pectore hospitari possunt. Et mittebantur vltro citroque munera, & furtiuæ litteræ per internuntios accipiebantur. Trimestre hoc spatium fuit, post quod graui corporis morbo æger decubuit. Tormina erant peracerba erodente se ipsum stomacho, & supplicia sibi gignente: mirum sanè quàm immundas sordes, mulierum capillos, ouium villos, bombycem, crinales acus. &c. vna cum sanguine euomeret. Mirari omnes, quà colluuies illa parte locum habuerit, quodque spiritum non intercluserit eiecta, Accitus è Societate Sacerdos hominem hortatur, ne se ampliùs teneri pestifero amore patiatur. Exhiberet ergo, si qua essent ab amica munuscula. Quærit deinde, num quæ essent

Furtiua ac liberiora scriptionis ad mulieres damnum ac periculum.

essent ab ea litteræ: acceptas ille fatebatur, sed dein laceratas fuisse, cum fidem non faceret, admonet Pater familiares, vt diligenter exquirant arculam, & quidquid est amatorium tollant. Quæ res cum ægroto occultæ vocis sono innotuisset, arculæ clauem horrendis clamoribus sibi dari postulat, & acceptam, coniectamque in os deglutiuisset, nisi adstantium accursu prohibitus fuisset. Ipse emotæ ferè mentis oculorum vsum tantisper amittit. Instat mater, vt doctus malo, sacerdotis imperium facessat, reddat clauem arculæ aperiendæ: sed frustrà, quare vi, ferroque arcula reseratur, in qua binæ literæ veneris inuentæ, ac vulcano traditæ sunt.

Nec mora, restitutus iuueni sensus videndi, & diu multumque clauis quæsita, apparuit ante oculos mirantis exposita.

Melius interim ipse habere & animo & corpore, & quidquid amentia deliquit, pœnitentia correxit, malo suo satis superque edoctus, Epistolam esse quasi quandam nauiculam, vt S. Basilius loquitur, quæ absentium arcana, vota, notitias, affectus deuehit in portum sensuum, oculorum potissimum, dum legitur; autium cum auditur à lectore; cordium, dum seruatur, vnde ij motus exsistunt qui pro re nata in animis nostris solent exoriri: quapropter si epistola à S. Gregorio Nazianzeno Sermonis & congressionis vmbra appelletur, qui familiarem sermonem ac congressionem cum muliere fugimus, & familiares litteras declinemus.

Camaldulensium cõstitutio de litteris ac munusculis ad mulieres non mittẽdis. Notarunt id pij Camaldulenses Ascetæ, quibus l. 1. Constit. cap. 54. summopere cauendum esse denuntiatur, ne mulieribus cuiusuis conditionis, vel gradus, matre & sororibus exceptis litteras vel munuscula quæcunque mittere præsumant, vel ad se ab ipsis transmissa recipere. Deinde subiiciuntur rationes prohibitionis per hæc verba; hæc enim mulierum litteræ, vel munuscula, per sacros Canones religiosis prohibita sunt, & quam verissimè incentina libidinis esse comperiuntur. Quod cum expendisset P. Carolus Scribanius lib. 2. superioris Religiosi c. 20. ita scripsit: Omnem ad mulieres scriptionem interdicet; Doli namque & venena, & nocituræ in his flammæ non semel latuerunt. Bene profectò ac spiritui S. Patris sui congruenter, cui vnicum illud, nec temerè addiderim hoc loco, quamuis ab omnium muliebrium epistolarum commercio nobis abstinendum sit, tamen id cum monialibus, ac Deo deuotis virginibus præcipuè ac diligentissimè seruandum, quod B. Ioannes de Capistrano ex Ordine Minorum authoritate præditus Apostolica expressit in hunc modum: Nullus, inquiens, fratrum meæ curæ commissorum audeat vel præsumat literas aliquas destinare alicui Moniali, vel sibi destinatas recipere, nisi priùs præsententur Vicario, & legantur ab eo, præsentibus duobus. Nec S. Hieronym. in reg. Monach. cap. 20. segnius hoc vrsisse videtur cum sub Anathemate, & æternæ mortis pœna Monialibus prohibuit suspectas litteras recipere. meminerat siquidem Sabinianum Diaconum eiuscemodi litteris, tamquam ministris abducendæ Virginis Deo dicatæ, vsum fuisse. *B. Ioan. Capistrani de hac re decretum.*

Respõdetur obiectioni. Sed dices fortassis Magistros hos cum S. Hieronymo insectari blandas solum atque amatorias epistolas & harum reciprocas ad mulieres, non autem prudentes & graues: Respondeo seuerè eos ac grauiter, vt æquum erat in id genus periculorum inuehi, omnes tamen quoque vitari cupiuisse, etiam ad religiosas fœminas scriptas, cum ob productas rationes, tum verò maximè ob suspicionem, quam gignunt in eorum animis, qui eas deferunt, vidēt, sciunt, iuxta S. Hieronymi monitum datum Nepotiano: *caueto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita: quanti, namque*, vt S. Ambrosius lib. 1.

offic.c.20. deplorat, *non dederunt errori locum, dederunt suspicioni; à qua profectò liberum esse, vel maximè Dei seruum oportet.*

Atque hæc solida illa fundamenta sunt, probatæque substractiones, quibus S. Ignatius sacri Apophthegmatis sui fastigium in cælum eduxit, vtinam iisdem nos gradibus, non segniter, quod vnum voluit, omnes sequamur.

APOPHTHEGMA QVARTVM.

EGo inquiebat, cuiuslibet istarum mulierc ularum (de nonariis sermo erat) vnius duntaxat noctis impedisse peccata, atque in Deum iniurias pro omnibus totius vitæ laboribus, & operibus magnum præmium duxerim.

Iacobus Bidermannus l.1.c.17. Nicolaus Lancicius c.12.gl.

Commentarius.



NVnquam Christianæ pietatis organum, pneumatica charitatis anima incitatum dulcius insonuit, quam, dum Ignatius Deo, hominibusque gratissimum hoc Apophthgma euidenti ore, profudir.

Domus S. Marthæ instituta ab Ignatio & in quem finem. Aderat iam annus suprà millesimum quingentesimum, quartus & quadragesimus, cum de Romana bene mereri repub. satagens, Collegium quod S. Marthæ dicatum est, instituit, duplici fœminarum genere incolendum: altero earum, quæ matrimonij lege solutæ à meretricio quæstu se reciperent, vt inde ampliùs egredi, nisi vel thori legirimi caussâ, vel religiosi claustri nomine non liceret: altero earum, quæ licèt in matrimonio collocatæ, vitam tamen contaminatam ducebant. Hæc cum animum ad pudicitiam reuocassent, in eandem includebantur custodiam, item cum eo vt ne ipsæ quidem, nisi ad redintegrandam matrimonij fidem extra eâ septa prodirent. Et has quidem Ignarius ditioribus anteà matronis in officio continendas, alendasque tradere solitus erat: posteà verò cum earum indies numerus increbresceret, ne cui oneri esset, certis in ædibus includendas, & de publico sustentandas, Pontificio in eam rem diplomate impetrato, curauit.

Eam autem rem tanti censuit esse Ignatius, vt hoc genus mulierculas, iam è probro assertas, ipsemet in omnium ore, ad illud Castitatis asylum traducere non verecundiaretur: oblitus ætatis, atque authoritatis suæ, neque quam prouinciam gereret, attentus. Et aiebant aliqui, hanc cum operam perdere, quando illiusmodi mulierculis promptum foret, in anteactam consuetudinem relabi, & è quorum scelerum peste vix dum eductæ fuissent, eodem mox deteriùs præcipitari. *Magna Ignatij caritas.*

Quibus ille placidè renidens, nequaquam se actum agere respondit: nam vbi hoc, inquiens, me labore totum fregero, idque solum deniqùe profecero, vt ex omnibus vna aliqua sit, quæ noctem vel vnicum spurcæ libidinis immunem ducat, operæ ego meæ magnum me pretium tulisse iudicabo?

Atque ea quidem ex occasione sic olim Ignatius: quam bene autem ac sanctè, quanta immortalium gloria, mortalium *Caritatis huius tractatu multiplex.*

mortalium verò fructu atque compendio, pius hic poterit. Lector arbitrari.

Et ad primum quidem quod attinet, nunquid, vel Sirachide attestante, *gloria magna est sequi Dominum?* quod ex sequentibus eodem annuente firmatur, dum ait, *longitudo dierum assumetur ab eo, & in conspectu virtutis illius gloriabitur*: vt pote qui cum Domino laborârit, cum eo & viuere æternum queat. O dignum Christiano milite laborem, Dei esse adiutorem, in hominibus ad eum reducendis, peccatorum rubigine detergendis, sanctimoniâ adornandis! quid enim, vt olim dicebat magnus ille Cassiodorus, *tam regium, quàm fecisse felicem?* quod hîc vel maximè elucet: Neque verò tantum regium hoc opus, verum etiam diuinum putatum, sic vt illi in hoc zelo fuissent insignes, & in salutis alienæ procuratione strenuè, ac diligenter laborassent, Dei nomine dignarentur.

Eccli. 23. 38.

Cassiodorus

Audiendus Plinius lib. 2. cap. 7. *Deus est*, inquit, *mortali, iuuare mortalem*: & hæc ad æternam gloriam via, quod & M. Cicero pro Ligario expressit, dicens: *homines ad Deos nulla re propiùs accedere quàm salutem hominibus dando.* Et Strabo lib. 10. Εὖ γὰρ εἴρηται καὶ τοῦτο, ἀνθρώπους μάλιστα μιμεῖσθαι θεοὺς, ὅταν εὐεργετῶσιν.

Plinius l. 2. c. 7.

Cicero pro Ligario. Strabo l. 10

Sed tutius, certiusque veritatem hanc ab Hierarcha Dionysio traditam cognoscemus, cum ait: *diuinorum omnium diuissimum esse cooperari Christo, in salutem animarum*: quid enim aliud in terris egit filius Dei quàm vt nos filij eius essemus, suos hic omnes cupiens esse συνέργους.

Dictum est Attilæ magnificum, nec hîc tacendum, cum suos ad pugnam, & inclyta facinora exsuscitat: *Si quis potuerit Attila pugnante otium ferre, sepultus est*: Ita Christo tot labores humanissimè, & inexplicabili affectu exsorbente, ad animas in sempiternam gloriam euehendas, nullâ ratione moueri, non excitari, hominis est nullius animi, consilij, rationis, qui ab exangui & sepulto minimum distare videatur. Vnde non temerè neque immeritò Ioannes ille Chrysostomus, quem Arcadius Imperator nouum Dei Apostolum, athletam generosissimum appellauit, ita de summa hac re legitur pronuntiasse: *Nullum officium est Deo charius, & nihil sic Deo placet, sicut zelus, & lucrum animarum.* hom. 76. de quo inter nostros Gregorium quoque magnum notæ sapientiæ Pontificem hom. 12. in Ezech. dixisse aliquando accepimus, *nullum omnipotenti Deo tale offerri sacrificium, quale est zelus animarum.* Non Hebræorum inarratis cornibus Aries, non boues redimiti corollis, non rufa iuuenca non candidi turtures, aut versicolores pulli columbarum, non profanarum gentium hecatombe sacrificij huius attigerit dignitatem: hæc opima ostia, quæ diuini nominis gloria amplificet sanctos Angelos immensum oblectet.

Dictum notandum Attilæ.

S. Ioan. Chrysost. hom 76.

S. Greg. hom 12 in Ezech.

Sed vnde hæc? ex animæ scilicet dignitate magna atque præstantia, quam vel ipse olim Aristoteles lib. 6. Eth. c. 7. rerum quæ in mundo sunt vnam omnium esse præstantissimam pronuntiauit, vno Deo dignam opifice sol ipse magnus alioquin generator, & suâ luce, atque efficientiâ gloriosus, suum hic nihil agnoscit: potest quidem in terræ visceribus aurum, in littore gemmas, in montibus stirpes, in hortis flores progignere, animam autem ratione præditam non potest.

Quæ causa tanti fructuum. Anima dignitas Aristot. l. 6. Eth. c. 7.

Quin & dæmones, in applicando actiua passiuis, vt Philosophi loquuntur, admiranda efficiunt vnicam non possunt animam procudere, quod neque potentissimis, ac Deo catis Seraphinis concessum est. Anima humana vt est spiritus, sic à materia non educitur, nec alio modo, quàm ex nihilo produci potest, ac per creationem, quæ cum in agente postulet vim infinitam, non Angelicæ, multò minus humanæ potentiæ est. Altiùs intueamur necesse est, quo cælestis nos fistula Ambrosius euocat

euocat hoc sono : *pictus es, ô homo! & pictus es à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque pictorem: & quid in te pinxit? absque dubio Imaginem & similitudinem suam. Imago ad naturam spectat, similitudo ad diuinos mores, atque ita anima tua expressa est effigies Dei, quantum interminata illa vis ac natura exiguo in opere repræsentari potest.*

S. Ambrosius.

Tanti patris hæc aurea proles est, ex Deo diuina, supernæque nobilitatis particeps, vt Nazianzenus expressit.

S. Greg. Nazianz.

Et hanc quidem imaginem in cœno hærentem, ac vitiorum sordibus obsitam, vnde supremum illi clades immineat, contemnere quis possit? Rex Demetrius, Expugnator cognominatus, cum Rhodum obsidione cingeret, iamque parari malleolos iussisset ad nobilem illam vrbem incendendam, receptui cecinit, ne tabulâ Protogenis cremaret, à parte ea muri locatam. O mortalium præpostera iudicia! qui pictæ vnius tabulæ sic amore ducuntur, coloresque euanescentes propter opificis cuiusdam nomen tanti faciunt, vt illius incolumitatem victoriæ anteponant suæ: animam autem in qua viui diuinitatis colores existunt, & magna Dei manu picta effigies immortalitatem consecutura, sic contemnunt, vt ne de incendio quidem eam eripiant, autorique suo conseruent! Intereà suus illam amat author & opifex Deus, & affectu prosequitur singulari, vt, quemadmodum loquitur Tertullianus, *manuum suarum operam, ingenij sui curam, afflatus sui vaginam liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotum, testimonij sui militem, Christi sui sororem: quod cum ille ignorare non posset, magnum operæ pretium se facere existimauit, & præclarè non operam modo suam, verùm & vitam collocatam, si vel vnicam animam lucraretur,* vnde factum aliquãdo, vt ij, qui sanctissimi illius animi nesciebant ardorem, non parum mirarentur, cum muliercula illum vili, tantâ humanitate, colloqui voluisse,

Rex Demetrius tabulam Protogenis seruādam ducit.

Tertullian.

quod clariùs deinde cognouerunt, cùm pleniùs in admirandâ eius schola eruditi, viderunt mundi regem ac Dominum, quem mentium beatarum myriades honorabant, laborem exorbere maximum, in perdita, ac scabiosa ouicula reducenda, contumelias pati; & indignam audacissimorum hominum vexationem morte obita, sustinere, ex quo vel animæ eius pretium & dignitatem agnouerunt.

Miratus in hoc genere Apostolum Paulum Ioannes Chrysostomus fuit, qui pro Onesimo seruo fugitiuo, sed qui Deum in fuga inuenisset, & pro Corinthio inauditâ impudicitiâ notato, tantam curam, & sollicitudinem gereret. Enimuerò, considerabat, inquit ille, quod homo esset, propter quem nec vnigenitò suo pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, inferebat, quod sit fugitiuus quispiam, vel prædo, aut fur, aut facinorosus: vel quod sit pauper, abiectus, nudus, & despicatus, & nullius frugis: sed cogites quod & pro ipso mortuus est Christus, tibique sufficiat, vtpote idonea sollicitudinis & curæ caussa.

S. Pauli erga Onesimū caritas.

Cogita quanti illum esse, necessarium sit, quem Christus tanti fecit, vt nec sanguini suo pepercerit.

Quanti Christus animas fecerit.

Quin & ausim etiam dicere, vel hoc tempore illum paratum esse ad funestum patibulum iterum pro anima vna subeundum, si opus foret: quod sæpè diuinitus admonuit, & præsertim clarissimo illo viso, quod Petro Apostolorum coryphæo ostensum fuit, dum metu persecutionis Roma vellet excedere, ille verò magno caritatis ardore Romam ipsam introire videretur. Obstupefactus hic Petrus, quo iret, petiit: vado, reposuit Christus, iterum crucifigi. Nam cum Petro oues suas tantâ curâ & beneuolentiâ commisisset, quas ille deserebat, ad conseruandas illas, vitam iterum suam pius Dominus prodigere se velle aiebat. Quo monito pudefactus Apostolus, consilium abeundi mutauit, pedem retulit, in medium

Reuelatū id Petro.

medium se discrimen iniecit, se beatum existimans, si Magistri sui caritatem imitaretur.

Item Carpo Episcopo Cretensiũ. Consimile visum obiectum fuit Carpo Cretensium Episcopo, quare & ipso ex eo tempore labores nullos tametsi graues, & importunos subterfugiendos sibi animarum causâ, quarum pretium ex diuino oraculo didicerat, iudicauit.

Nec ab his diuersum hoc fuit, quod & S. Carolo Borromæo obiectum legimus, cui Christus quoque adfuit, seque etiamnum, si opus foret, minimè defugere dixit, quin pro conseruandis hominibus vitam iterum prodigeret suam.

S. Gertrudi hanc suam mentẽ Deus quoque aperuit. Idem à Christo edocta *S. Virgo Gertrudis* his verbis: *tanto adhuc charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, vt si saluti tuæ expediret, aliterterque felicitatem æternam consequi non posses, vellem pro te sola tolerare omnia, quæ toleraui pro toto mundo.* l. 3. Insin. c. 41.

Item S. Birgittæ. Quod & ab eodem accepit B. Birgitta lib. 7. reuel. 19. in hæc verba: *Dilectio mea erga hominem modo æquè grandis atque incomprehensibilis est, sicut erat tempore passionis meæ, quando per mortem meam ex nimiâ charitate liberaui omnes electos. Et si fieri posset vt toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate, & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandemque passionem & mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.* Hæc prima ac summa veritas & sapientia Christus. Vtinam nos eos oculos haberemus, qui ad diuini huius operis excellentiam penetrarent, adeoque perciperent, quantum valeat anima, quanti faciat illam Deus: mirandum quiddam videremus ad excitandum zelum nostrum peropportunũ. Præstitisse autem his integerrimè S. nostrum Ignatium, venire in dubium non potest, omnique eo glaucomate feliciter expeditum fuisse, quo multorum nostri oculi obsidentur, dum vilium illarum mulieircularum non viles animas tanto studio, curâ atque solicitudine in libertatem assererere, assertas in tutissima, à se redempta viuaria mittere laborabat.

Constãtia Ignatij in bene cœptis. Sed quid audit? quod præclara solet virtus audire, dum eiusmodi vestigiis insistit: oleum, & operam perdis Ignati: absiste ergo à proposito, nec frustrà tibi laborandum puta, vbi fructus & iucundi emolumenti spes nulla ostenditur. Fera est, quam per vrbem mediam ad S. Marthæ domum adducis, quæ mansuescere nesciat, aspis viuida, quæ vitio, vt veneno suo, potens, interiorem aurem obturat, ne audiat vocem incantantis sapienter. Torrens illam abripiet consuetudinis malæ, & voluptatis, quomodò impetum illum violentum cohibeat, ne in præcipitium, gurgitemque perditionis relabatur. *Cùm mortuis luctari velle*, prouerbio antiquo, inane & ridiculum habetur.

Hæc tametsi in peccatrices omnes conueniant, quæ iam multum in vitio promouerint, ad luxuriosas tamen videntur in primis referenda, quas Chrysostomus putres, alius pronâ libidine marcidas appellat, quo significant illud genus hominum in vitio obstinatum, rarò admodum ad frugem redire, quod expressit diuinè *Oseas* cap. 5. cum de voluptariis loquitur & fœda luxuriè contaminatis, *non dabunt cogitationes, vt reuertantur ad Deum suum quia spiritus fornicationum in medio eorum est.* Naturæ enim intima corruptio perditæ libidinibus animæ lenocinatur, & impudicus amor sic afficit; vt cum propè in naturam vsus verterit, operosum deinde sit, se nexibus eius extricare. *Oseæ c. 5.*

Expenderat hæc, similiaque Ignatius antequam conatibus eius ingererentur, sed occurrebat vetus illud *D. Augustini* Axioma, magnâ omnium consensione receptum atque probatum, *de nullo viuente desperandum est*; quod ipse illustrius lib. 1. Retract. c. 19. posteà exposuit, *de quocunque*, inquiens, *pessimo, in hac vita constituto, non est vtique desperandum*, *Axioma memorandum S. Augustini.* *August. l. 1. Retr. c. 19.*

nec

nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. esto libido carnis hominem penitus obtinuerit & corporis voluptas totum possederit inhiantem, non tamen esse ideo desperandum Origenes monet: nam possibile, inquit, est, vt si fortè resipiscat, qui deuoratus est, rursum possit euomi, sicut Ionas. Et multa certe fiunt, quæ propter longè maximam & insuperabilem difficultatem, nunquam fieri potuisse videbantur. Volare vrbes integras per aërem, in eorum numero ponitur, quæ non nisi diuinâ potentiâ casum & industriam superante fieri possunt, & tamen Constantino Copronymo Orientis imperium moderante, cum in Syria terræ motus factus esset magnus, quædam vrbes à montanis ad subiecta campestria cum muris & habitationibus suis, integræ migrauerunt, & saluæ quasi ad milliaria sex, vt fidus scriptor Paullus Diaconus meminit in hist. Miscel. lib. 22. inuentæ sunt.

Difficultatibus non facilè cedendum. Neque tamen negandum est, quin magna sæpè & laboriosa in ea re difficultas sit, cum voluntas oppugnanda est hominum vitiosorum, & malæ consuetudines euertendæ, quibus nullæ in humanis arces munitiores cogitari possunt: sed addo quoque, multos longè opinione sua decipi, dum suspicantur eos, cum quibus agunt, quosque ad virtutem excitare volunt, marmoreas esse statuas, quæ commoueri nequeant, nec sensum vllum honestioris vitæ excipiant.

Falluntur, inquam, sæpè, cum fieri vix possit, vt omnis ille tuus labor in cassum eat. Non persuasisti hodie, ne commoueare nec pulcherrimam & apostolicam illam contentionem frangi patiaris, Mercator qui naufragium bis, terue fecerit, non tamen abstinet à nauigatione, quasi labor omnis sit furibundo æstu ventorum & fluctibus obruendus: verùm studio redintegrato, atque renouato, iterum se oceano committit, fore confisus, vt Dei beneficio merces suas felicissimè exportare, & alienas importare possit.

Nos verò qui lucrari homines Deo volumus, & animas, vt aurum Indicum in cælum deuehere, si monitiones nostras non perinde atque vellemus excipiunt laborem illum gloriosum tam Deo carum, & animis hominum vtilem neutiquam omittamus aut meliorum desperatione cessemus: cuius nobis tam illustre S. Ignatius exemplum reliquit, qui pro sua prudentia, agendique solertia, sat gnarus, non quiduis statim ab eiusce modi mulierculis posse obtineri, vnius saltem noctis peccata impediuisse, atque in Deum iniurias prohibuisse magnum operæ pretium existimabat. O virum prudentem! & diuinâ plenum sapientiâ! cui apprimè cognitum erat, quantam, vel vnius noctis peccatum, diuino Numini contumeliam ferat! qui suæ maluit obliuisci existimationis, quam diuinum honorem, zelumque animarum incurius præterire: in quo vt antecessores suos non oscitabundè suspexit, ita ipse post sequentibus gloriosè præluxit. *S. Ignatij exemplum animare atque incendere nos debet.*

Prior Abramius fit nobili loco natus, qui ipso festo nuptiarum suarum die, cum sponsa ducenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mundo se subducens in loca sola aufugerat, vbi cum Deo, sibique intentus viueret, intelligit Mariam neptem suam, quam ille à teneris & moribus optimis & magna pietate imbuerat, cum semel lapsa esset, per omnia deinde vitia volutari, vt publica infamia & scopulus iam audiret castitatis. Quid ille? ingenium exerit, & id ætatis senex militem induit, atque vrbem petit, hic qui quinquaginta ipsos annos vinum nec libauerat, conuiuium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt omnia, facit pius auceps: mox captatâ occasione, quis sit aperit, cur venerit exponit. Tum verbis Deo plenis eam aggreditur, & primo mirari illa, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam fecit, atque in portum ex naufragio adduxit. Ex vitis SS. PP. *Di Abramij zelus.*

Ad

Item Vitalij constantia. Ad alterum, S. sc. Vitalium venio, ducente Hieronymo, qui cum priùs habitasset in monasterio Abbatis Seridonis, inde exiens venit Alexandriam, sumpsitque conuersationem hominibus quidem mirabilem, sed Deo gratam, *qui dat*, vt ait Dauid, *singulis secundum cor eorum* Ingrediens itaque ciuitatem, scribit omnes, quæ notæ erant meretrices, & cœpit operari opuscula, & accipere per singulos dies siliquam vnam. Cùm ergo occumberet sol, manducabat vnius æris lupinos, & intrabat ad vnam meretricem, & dabat ei æreos nummos, & dicebat: dat mihi nocte istam, & noli fornicari: & manebat iuxta eam, nocte illa obseruans eam, ne fornicaretur. Stabat ergo à vespere in vno angulo cellulæ, vbi dormiebat mulier, psallens, & orans pro ea, & mittens genuflexiones vsque ad auroram, & exiens accipiebat verbum ab illa, quod nulli diceret actionem eius. Ita agebat semper, quousque vna earum manifestauit vitam illius, quod non vt fornicaretur, intraret ad eas, sed vt saluaret. Lib. 1. de vitis SS. PP. cap. 35.

Vocauerit Pharao Amenophis Iosephum Saluatorem Ægypti, ego Vitalium, qui tot Ægyptias lupas in agnas mutauit, atque à morte saluauit æterna, Salutificatorem Tertullianeo vocabulo appellâro. Intelligere id deinde visa fuit, non alio, quam Sp. sancto doctore V. Catharina de Herrera, quæ veram, Christianamque pietatem intra domesticos parietes Deo deuota exercens, bonorum operum fructibus abundabat; hæc itaque in cæteris, quibus assiduè operam dabat, adire solebat frequenter loca publica, vbi puellæ variæ corporum suorum quæstum exercebant, quas tunc collatis liberaliter eleëmosynis, tum promissa dote, istinc deducere conabatur, quas verò ab infami vitæ genere auertere non valebat, mirificâ quadam suauitate eò saltem adducere laborabat, & prospero quidem plerumque successu, vt festis saltem B. V. Mariæ diebus, ab intemperantia se continerent, quibus eas ad locum aliquem tutum inuitabat & nutriebat. Lopez l. 3. p. 5. c. 12.

Catharina de herrera zelus in peccatricibus conuertendis.

S. Ignatij constans magnusque feruor in mulieribus à peccatorû sordibus eripiendis. Et optimus hic sensus atque iudicium Ignatij semper fuit, quo suprà omnem exquisitam venatoris solertiam, laboriosam piscatoris industriam, vni huius rei perdius ac pernox incumbere solitus erat, felicem se fore existimans, si vel noctem vnam Cypriis ignibus immunem perditæ, flagitiosæque libidine eripuisset, nullo alio pro omnibus totius vitæ laboribus præmio sibi proposito, certaue laboris ac periculorum mercede.

Sed quid ais, Ignati? tantillo tam magnos labores exhaurire certum est? antennas tolle, explica velum, quantum afflari queat auræ collectum excipe: an nescis, quid Doctor ille, non magis Angelicus ingenio, quàm iudicio pœnè diuinus Thomas Aquinas, cum Eucharistica à se illustrata, defensaque doctrina à Christo inaudisset: *bene de me scripsisti*, Thoma, *merces tua quæ erit?* respoderit, nulla alia præter te Domine: tu non doctrinam, cuius veritas, quam ipse licet non propugnasses, minimè tamen concidisset, sed animam, quæ sine te perdita fuisset, conseruasti, & minori præmio acquiescis?

Non, non, inquit Ignatius; dispendium nullum facio, tanti anima, quanti Deus est, pro animæ salute Deus mortuus est, atque iterum, si necessarium foret, mori paratus est, quapropter dum animam seruo Deum mihi fœneror, & conquiro. Si causam quæris? breuiter eam expedio: qui salutis animæ vnius causa est, plus affert gloriæ & laudis ad diuinam Maiestatem honorandam, quam illa reciperet ex omnibus virtutum actionibus, consideratis in in seipsis, quæ factæ sunt, fientque ab hominibus, à die primo conditi orbis, vsque ad finem eiusdem. Item qui suo labore & studio efficit, ne

anima aliqua labatur in infernum, impedit plures offensas, quam ab initio mundi vsque ad diem iudicij commissæ fuerint.

Ratio zeli Ignatiani. Ratio est, quia bonum & malum quod homines toto sæculorum decursu committere poterunt, finitum, & limitatum est. Verum laudes, quas panget eiusmodi anima in cælis beata, & blasphemiæ quas euomet damnata in inferno, infinitæ sunt, & sine numero, aut limite, quia finem nullum habituræ sunt: quantum ergo infinitum superat finitum, tantum salus animæ, omnia reliqua opera hic præstita aut præstanda transcendit. vnde quanta ac qualis merces existat, nemo succinctius S. Anselmo declaret, qui lib. 2. epist. 3. loquitur in *hunc modum*: *quisquis diligit aliquem, aut per dilectionem prodest alicui, scitote, quia plus sibi prodest, quam aliis: multò namque maius est, quod tenet ipsam caritatem, quàm sit id, quod præstat aliis per caritatem. Isti enim id solum, quod caritas ad tempus potest, tribuitur; illi verò & hîc ipsa caritas tribuitur, & in futuro quantum ipsa est, retribuitur.*

Ioan. Crucius Carmelita. Miratus fui non semel, dum V. Ioannem Crucium sacri Ordinis de Monte Carmelo in Hispania reformati, post S. Theresiam assertorem præcipuum, à Christo Domino interrogatum legerem, quid mercedis sibi pro laboribus ad Dei gloriam exantlatis deposceret? ac mox nihil cunctatum respondisse, *Domine pati pro te, & contemni:* Idem autem quod hic tanto ambitu quæsiuit, S. Ignatius desideratâ suâ mercede inclusit, dum eiuscemodi animæ salutem, quæ non nisi operosis, ac molestis laboribus ac probris stare poterat, omni alio præmio postposito eligere auditus est, vnde sole clariùs liquere arbitror, quanto, præ Rege Sodomorum, æquius, ac sensu longè sublimiore, & sanctiore dicere queat Ignatius: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Genes. 14. 21. Intellexerat id post Ignatium, vtinam & plures! magnus ille Hispaniarum Monarcha *Philippus* eius nominis *secundus*, quem dicere solitum accepimus: *thesauros omnes non Indiarum solum, sed vniuersæ quoque Hispaniæ vtiliter à se impendendos fore, si vel homo vnicus eis in fide Catholica seruaretur.* *Philippus II. Rex Hispan.*

O Regem verè Catholicum! Erubesce mea charta, quantumuis candida, si lectorem tuum senseris, neque his moueri, quæ Ignatius fecit & docuit: Philippus autem ore regio, sententiaque comprobauit, æternam vel vnici hominis salutem rebus omnibus anteferendam.

APOPTH-

APOPHTHEGMA QVINTVM.

SÆpè in ore habebat: Angelos in rebus agendis, iuuandisq; proximis esse imitandos, qui ex vna quidem parte nullum prætermittunt in procuranda hominum salute genus industriæ: ex altera verò, successu, quicunq; sit, nihil beatæ suæ æternæq; pacis amittunt.

Petrus Ribadeneira lib. 5. c. 11. Nicolaus Orlandinus lib. 16. n. 111. Oliuerius Manaræus epist. ad Nicol. Lancicium.

Commentarius.

Quantum beneficium Angelorum custodia.



Irifica planè ac singularis ea diuini Numinis in humanum genus nota Beneuolentia est, qua nullam omninò rem, quæ vel ad vtilitatem nostram, vel gloriam spectat, prætermissam velit ex quo genere eximia illa, ac multum admirabilis est, qua æterno quodam beneficio nostri omnium curam institutionem, ac tutelam beatis illis mentibus, quos Angelos dicimus, mortalis omnis concretionis atque interitus, expertibus, intelligendi autem, agendique tanta celeritate præditis, tantâ instructis potestate ac dignitate, quantam vix animo comprehendere possumus admirabili sanè voluntate commendârit: quod illi officij genus incredibili quadam alacritate ac studio, à primo nostri omnium in hanc lucem ingressu, soliti sunt inchoare, non relicturi priusquam vitæ cursu absoluto, portum vltimum teneamus.

Et quis prudens id non miretur, ac planè obstupescat? magnificos illos genios, cælestis aulæ proceres ad homines descendere, eosdem velut manu ad beatissimæ vitæ gloriam dirigere, atque omni humanitate complecti, homines, inquam iræ filios, in Deum impios non rarò, atque in suosmet tutores ingratos?

Impleuerat sanè res hæc admiratione summâ Apostolum, dum ad Hebræos suos scriberet in hunc modum: *qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos flammam ignis.* q. d. qui, sc. Deus, facit Angelos suos veloces, & subtiles, quasi spiritus, id est, quasi ventos; rursum eosdem Angelos, qui sunt ministri sui omnes, facit esse, quasi flammam ignis, id est, efficacissimæ & quasi igneæ naturæ: vnde Chaldæus vertit: *qui facit nuncios suos veloces, sicut spiritus & ministros suos fortes sicut ignis:* cuius cum strenuè partes obeunt, *nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capient salutis?* Sancti verò PP. cum B. Dionysio Areopagita eos hominum tutores, ac pædagogos, concinno admodum nomine appellârunt: imò & Epictetus: ille ex Stoicorum disciplina non malus Philosophus, quod ex diuinis litteris hauserat, *Custodes genios, velut Augustales quosdam & patrimonij domini curatores* dicere non formidauit. *Ad Hebræos c. 1. 7* *Chaldæa versio.*

Optimè verò S. Aurelius Augustinus in Soliloq. cap. 27. *Ambulant,* inquit, *nobiscum in omnibus viis nostris, intrant & exeunt nobiscum, attentè considerantes quam piè, quamque honestè in medio nationis prauæ conuersemur, quantoque studio & desiderio quæramus regnum Dei & iustitiam eius:* *S. August. in Soliloq. c. 27.*

eius. Adiuuant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis eorum erga nos.

Ex quo fieri amat, vt si quando eorum monitis obsequentes, à vitiis ad viam virtutis reuertimur, eos gaudio maximo cumulemus, vt hominum Seruator Christus Iesus apud Lucam cap. 15.10. Liquidè testatus est dicens: *gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*: in quo autem id situm sit, docet Angelicus Doctor, nimirum in cumulo & accessione felicitatis eorum, quam cum ad vltimum iudicij diem crescere posse non ignorent, vtique beneficentiæ suæ argumenta, testimoniaque designt: quod innuere amabili suo facto mihi visus est Angelus ille, qui ad Apostolum Petrum è vinculis eripiendum accesserat, dum carcere illuminato, percussoque latere Petri, sanctum Hierarcham magna in Deum fiducia dormientem excitauit. Tetigit latus, sedem cordis, princeps animi domicilium fontem affectionis, quo ictu foras euocaret, non purpureum cruorem sed amorem purum atque fidelem.

Lucæ 15. 10.

Angelus Petri excitator quod extrema operetur ostendit.

Quod hic factum in exteriore homine legimus, interior ille noster non raro persentiscere solet, cum sospitator illum Angelus quatit, non iam manu, nec aureâ virgâ, vt in fabulis Mercurius sed inclytis & perennibus beneficiis, quibus vt è silice ferrum, sic è pectore amoris ignem educat, nisi marmore nos duriores, ac solido rigidiores adamante simus. Vin' clarè intueri?

Vide Iuuenem illum libidinibus inflammatum, qui effractis honestæ verecundiæ repagulis, impudenti ardore exultet, & flagitium meditetur? cum ecce prodit obuiàm in tutelaris Angelus, & insaniæ illius imaginem in bono lumine collocans: quid agis, inquit, miser? quo ruis? quid animo designas? tu pro exiguæ vsura voluptatulæ, Creatorem tuum æterno te amore quærentem pro nihilo habeas? legem eius violes? animam tuam gratia spolies? ac denique perdas? tanto pretio æternam infamiam mercaris? Tum blandiusculè tædium iniiciens intimum in animum perspicuè illi ostendit inexplicabilem hominum stultitiam malo suo lætantium, ingratæ mentis indignitatem. Demonstrat diuinæ gratiæ vim & pulchritudinem, quæ nequitia perditur, qua amissa fit homo dæmonis spolium, iocus, atque ludibrium. Ponit ante oculos conscientiæ bonæ lætitiam, quæ vniuersum corporis voluptatem liquido gaudio & iucunditate antecellat.

Et his omnibus nequidquam operantibus, fit non raro hominem nihilo moueri, aut corrigi, de praua suscepta voluptate nullo proposito periculo, nulla persuasione dimoueri, nulla adduci posse ratione, vt animum æternis intendat, à terrenis abducat, cælestia meditetur. Quin, vt sæpius fieri a[illegible]t, magis magisque induretur, locumque tristissimis Esaiæ næniis aperiat: *quis surdus, nisi ad quem nuntios* (Angelos) *misi*: neque enim obediunt omnes euangelio.

Hominis ingratitudo.

Quid itaque hic facere, quid meditari Angelus: an ille turbari animo. tristitia obrui, mentis suæ tranquillitate excidere?

Angeli longanimitas.

Ita homines solemus, non Angeli: nos, si quem officij bis, terúe monuerimus, factum illicò satis arbitramur, ab opere cessamus, Angelorum ingenium longè à nostro diuertit, qui quos à Deo suæ fidei commissos acceperunt, pro viribus monent, defendunt, vrgent, ad bonum, impellunt, si verò voluntatis libertate illos abuti contingat, in obsequentes atque obduratos persistere, non tamen idcirco mœrore vllo anguntur aut tædio, sed latronis etiam, vel pessimi, animam in manibus tenent: & si fortè vsque eo se, ac salutem oderit, vt excutere quoque velit retinentem, reuocant illi, atque retrahere conantur pereuntem: *reuertere*, inquiunt,

quiunt, *Sulamitis, reuertere, vt intueamur te*, qualis namque, qualis es, sponsa sanguinum es, alumna mea es, hæc in te specto: cætera, si redis, obliuioni tradentur. Redi igitur, redi alumna cariſſima: ego quasi nutritius Ephraim portabo te in brachiis meis. Redi ad me misella, imò ad te, ad Deum tuum redi.

En quam fidum habemus pædagogum! quam nostri amantem tutorem! Quis olitor in horto suo, quis vinitor in colenda vinea sua tam patiens, vt cum illum aut illam votis suis non viderit respondere nihilominus tamen & illum colendo, & istam fodiendo non desinat exercere? eius tamen tolerantiæ sunt Angeli, vel in desperatiſſimos profusi nec eos relicturi, priùs, quam eos diabolus sui iuris iam factos, ad carceres abripuerit sempiternos; adeo vt ipse quoque Antichristus, perditionis filius suum quoque habiturus sit Angelum monitorem. Vidit quidem Iulianus Apostata suum à se genium tristem abire, sed hoc monendo illi factum, vti mater fugam simulat, quo infantis contumaciam frangat.

An Antichristus habiturus sit Angelū custodem.

Nec verendum, ne prauè politi homines vereantur, Angelos hic terriculamenti loco haberi: nihil enim illi indecorum existimant, quod Deus imperat, non enim res ipsas, sed iubentis voluntatem intuentur: Vnde S. Anselmus in Matth. 18. Tristitia Angeli non possunt affici, quia perfectè beati sunt, sed hoc quod eis mala nostra displicent, vocatur eorum tristitia: dum igitur contristati sunt, id est, valdè displicuit eis, quod inique fieri videbant.

S. Anselmus in Matt. c. 17.

Vidit hoc quondam magno dignus Antonio discipulus Paulus, verè simplex, cùm enim quidam veneris infelix mancipium, ædem sacram ipso inspectante subiret: is luce sibi diuinitùs concessâ, animaduertit eum atrore ipso atriorem, à dæmonibus stipari, capistro in nares iniecto, miserum trahentibus custode interim Angelo pone gradiente, ac vultu insignem mæstitiam præferente. Postmodum autem, cùm sacrâ Isaiæ auditâ parænesi: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, & si fuerint peccata vestra sicut coccinum, velut nix dealbabuntur*: hac, inquam, perculsus, fuisset, Deoque pro venia supplicasset, eundem vice versâ conspicatus est, profligatis dæmonibus ab Angelo stipari, perinde exultante, sibique gratulante, ac recepto prodigo amantiſſimus ille parens, teste S. Lucâ, gratulatus sibi esse perhibetur: nam, vt bene *Laurentius Iustinianus* de spirituali animi interitu: *Fit pro peccatoribus conuersis, Angelis Dei gaudium in cælis, qui de ipsorum propinqua perditione vtcunque gemebant, non dolendo, sed compatiendo, sed intercedendo, sed ad eorum emendationem anhelando.*

Visum Pauli simplicis.

Isaiæ 1.16.

Laurent. Iustin. l. de spirit. animi interitu.

Quod & S. Augustinus lib. 9. de ciuit. Dei, cap. 5. in hunc modum expressit: *Sancti Angeli, cum & sine ira puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miseris sine miseria compassione subueniant, & periclitantibus eis, quos diligunt, sine timore opitulentur: tamen istorum nomina passionum, consuetudine locutionis humanæ, etiam in eis vsurpantur, propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, nec tamen vllâ passione turbatur.*

S. August. l. 9. de Ciuit. Dei c. 5.

Hæc felix illa, atque præclara Angelorum conditio, extra omnen animi impotentiam, nobis omnibus benefacere, nec inquietari; quod quisquis voluerit sequi, Angelus non inconuenienter dicendus sit, quod in Ioanne Thebæo notum omnibus ac manifestum fuit Ammoni seni, & ægro totis duodecim annis mirabili patientâ & sedulitate seruierat, nunquam eum tetricus senex, vel mitiore verbulo dignatus erat, sed morti iam proximus, coram aliis compluribus, prehensa Ioannis manu: hic iuuenis, inquit, non homo, sed Angelus est, fateor equidem, vix vnquam illum humanius sum affatus,

Angelorum imitatio.

Exemplum in Ioanne Thebæo.

tot annis tamen ægrotanti mira industria & tolerantia seruiuit mihi, nec tamen vllum patientiæ signum dedit. Ita & Moyses lenitate sua ac tranquillitate non Angelus tantum, sed & Deus tam Pharaonis, quam Hebræorum factus est.

Certe Angeli, quam exercent, hanc & in nobis sedulitatem & patientiam amant: amauit quoque singulariter, atque in suis oppidò desiderauit, quos ad Angelicæ vitæ normam instituebat, Ignatius, hoc eis identidem in omni sermone, alloquioque inculcans, si quid aliquando „ in hominum salutem efficere cu„ piant, vel ab exitio quempiam ad „ salutem reuocare, vbi diligenter „ suo fuerint munere perfuncti, quo„ que modo res cedat, æquissimè sibi „ statuant ferendum. Neque si ille, „ ad quem iuuandum incubuerint, „ respuat medicinam, animum, id„ circo demittant, Angelorum tute„ larium exemplo, qui quos à Deo „ suæ fidei commissos acceperunt, „ monent vt possunt, defendunt, & „ vrgent; si renuant illi, & se lumini „ rebelles exhibeant, propterea ta„ men nullius animi perturbationi„ bus succutiuntur. Ita Ignatius.

Diuinum sanè ac singulare viri Magni Apophthegma! plenum prudentiæ consilium, aptum ad salutem! quod vtinam ea qua nobis fide datum est, omnes exsequamur! fieret profectò, vt omnes quærimoniis aditus intercluderemus, nec cuipiam improuidæ mentis pœnitudini locum dare aliquando cogeremus. Dum sperato laborum fructu destituti, operam nobis lusisse deploramus.

Nec enim recens hæc aut incerta plaga est, quæ imprudentes solum aut incallidos fortassis inuadat, grauissimos quoque atque integerrimos dominicæ vineæ cultores adoritur, quos non rarò habere solicitos, & grauiter angere consueuit.

Testem aduoco & Morasthi virum sanctissimum eundemque Martyrem, ac Prophetam Michæam, inter duodecim illos non postremum, quem S. Hieronymus, Cohæredem Christi appellat, verba eius cap. 1.7. hæc sunt: *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, & racemationem collectis iam vuis instituit, sed inani conatu, quia non est botrus ad comedendum, nec acinus quidem.* Atque his quidem verbis metaphoricè conqueritur propheta, de exiguo, quem suis minis ac monitis in populo Israëlitico faciebat, fructu: ego, inquiens, quasi pauper racemator fui: hic enim, post vindemiam sperat se saltem aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inuenturum, eosque quærit, & non inuenit: ita & ego speraui paucos saltem Iudæos meis concionibus, monitis, & minis conuertendos, sed non est botrus, id est, non vnum vel vix vnum, qui se conuerterit, veramque mutârit, inuenio: quocirca gemo & ploro: væ mihi, hei mihi, oleum & operam perdidi.

Michæa 1. 7.

Idem quoque deplorat *Esaias* ca. 24.12. *relicta*, inquiens, *in vrbe solitudo est, & calamitas opprimet portas: quomodò si paucæ oliuæ, quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi, cum fuerit finita vindemia.*

Isaias c. 24.12.

Nihil siquidem est, quid magis affligere ac contristare eos soleat qui excolendis hominum animis operam nauant, quam si post multos docendi & concionandi labores & annos, paucos proficere, conuertique ad frugem comperiant, raros qui perseuerent.

Quam ratum sit homini affligere, doceat nec proficere.

Testatum id faciet è nostris S. Apostolus *Iacobus*, ille à Magistro vocatus Boanerges, filius tonitrui, id est, tonitru & fulmen; fulmineus namque zelo, actione, prædicatione, miraculis fuit: quibus omnibus tamen quam patum ille promouerit, quam paucos gnauus vinitor ex Hispaniensi vinea racemos collegerit, vel hinc discere liceat, quod laborantem, anhelantem, Hispanosque ad Christum adducere conantem, paucissimosque lucrantem, alma Dei parens, ad Iberi fluminis ripas, iuxta Cæsar-

Patet in S. Iacobo Apostolo.

Cæsar augustam.celebrem Aragoniæ vrbem, ex Iaspidis columna & visere & consolari dignata sit, beneque sperare iussum de Hispaniensi in vera religione progressu.

Et in Carpo Cretensium Episcopo. Quidnam autem de Carpo Cretensium sanctissimo Præsule dixerimus labores hic suos irritos, sementem spe omni excidisse animaduertens, ex eo quod vir vnus ethnicus, non obstinatus solùm persisteret, sed & alium, iam Christo initiatum ad idola abduxisset, quid egit? zelo ille feruentior, & huic & illi fulmen, mortemque à vindice Dei manu imprecatus, repente vidit domum in qua consistebat, à summo ad imum diuidi: exinde verò quendam ingentis luminis radium à cælo ad se vsque deferri, mox cælum patescere, eiusque cardini Dominum Iesum insidere, adstantibus Angelis humana specie decoris; interim ad inferiora conuertens obtutum, terram ipsam vasti instar hiatus diuisam apertamque conspicit, atque insuper duos illos viros ad os illius voraginis adstare trementes. Quos vbi conspexerat indignati Carpus, etiamnum illos superesse, quos pridem in abyssum deuolutos optauerat: quodque magis est, conniti ipse, eosque in ruinam, & lapsum propellere, vt vel sic nefaria capita dignis suppliciis aboleret.

Cùm ecce vix tandem reuocatis ad superiora luminibus, vidit cælum, sicut priùs aspexerat, apertum Iesumqum miseratum quod fiebat, de cælesti illa sede consurgentem, ad eos vsque descendere, manumque clementissimam explicare, Angelosque vnà opem impertiri, resonante ex ore benignissimi Domini ad Carpum hac voce. ***Iam percute aduersum me, paratus enim sum iterum quoque pro saluandis hominibus pati.*** S. Dionys. Areopag. epist. 8. ad Demophil.

Ex remedio morbum pende.

Idi ostendit Dominus in Visso P. Martino gutiero. Longanimis certè Dominus peccantem exspectat, nec lignum fumigans exstinguit, applaudunt Angeli, & Principem imitantur, & homo exemplum negliget? & nescio qua fallentis zeli imagine delusus viam contrariam insistet? Res Deo ingrata, & quæ non parum ei solet displicere, quod signis plurimis ac modis ad hanc vsque diem non desinit explicare. Vnum suggero: P. Martinus Guitierius vir pietate ac visis cælestibus in Societate Iesu celebris, atque illustris, cum esset Rector, affligebatur valdè, ob quosdam subditorum suorum defectus: quocirca cum die quadam in oratione non parum lamentaretur, ostensus est illi diuinitus orbis argenteus, in quo corculum erat exiguum valdè, & quasi duabus guttis sanguinis submersum, dictumque sibi audiuit: hoc est cor tuum, quod in parua aqua submergitur: & mox aliud cor magnum, & valde latum apparuit, sibique dici audiuit, hoc est cor Dei, quod tot idolomaniis, sceleribus, blaphemiis &c. non affligitur, sed longanimitate magnâ pœnitentiam exspectat. Tale esse tuum debet; quâ visione mutatus Martinus fuit, propter quod eum Deus quoque consolatus est, reuelans illi omnes, quorum tunc curam habebat esse prædestinatos. Ita Ludouicus Pontanus in vita P. Balth. Aluarez c. 23. §. 1.

Primum Remedium cõsideratio exempli quod in Christo resplendet. Optima sanè, tantoque digna Magistro documenta, in Angelis peculiariter probata, nobis verò omnibus proposita ad exemplum, vt quacunque superatâ molestiâ, illos suadente Ignatio, alacriter imitemur.

2. Expensio rationum quæ cõtrariũ suadet. Sed ad expeditiorem fortassis hac in re processum, excellentium quarundem rationum pondera ac momenta quis exigat, cuiusmodi cum nobis Theodidacti illi veteris Ecclesiæ Patres non pauca reliquerint, quibus velut entheis quibusdam stimulis in bono cursu promoueamur; nonnulla hic proferam, vnde & imitandi eos lubentia, & pulchris conatibus ardor accrescat.

1. S. Aug. contra Gresconium cap. 8. Et primùm quidem hic insonet clarissima Africæ tuba Augustinus, qui lib. 1. contra Gresconium Grammaticum cap. 8. Christi Domini Ser-

uatoris ac magistri nostri exemplo nos prouocat ad sequendum, dum sic loquitur: *An putas Dei filium solis discipulis, aut iis, qui in ipsum credituri erant, prædicasse ad Judæos, Pharisæos, & Sadducæos quoque conciones habuit, qui adeo ei credituri non erant, vt etiam calumniaturi & persecuturi viderentur. Interdum hos ipsemet interrogabat*, vt suis ipsorum responsionibus conuinceret: aliàs ipse ad eorum postulata respondebat, esto sui tentandi causa, ea ab ipsis proponi non ignoraret, quod cùm faceret, nullum ex his legimus ad eum sequendum fuisse conuersum. Probè quidem sciebat ipse, quàm paruus hinc fructus esset secuturus, tamen vt suo nos exemplo firmaret, etiam concionari voluit iis, quos nouerat doctrina sua, nec conuersum iri, nec vllam ex ea vtilitatem capturos, & fortassis etiam deteriores fore. Vt hinc posteri discamus omnes, quibus incognitum est, vtrum illi quibuscum agimus, aut disputamus conuertendi sint, nec ne, ab instantia prædicandi, ab aure confitentibus præbenda aliisque apostolicæ vitæ laboribus, nequaquam desistere, nec animum propterea despondere, quamuis optatus subinde fructus subsequi non videatur.

Quid? vt loco citato subiungit Augustinus, quod etiam diabolum quem iam non solum Deus, sed ne homines quidem dubitare possunt, nullo modo ad Iustitiam conuersum iri, filius Dei tamen de scripturis sanctis respondendo conuicit, nec iudicauit indignum cum satana Christus de diuinis eloquiis habere colloquia, prouidens quod Iudæis & Diabolo non proderat, credituris gentibus profuturum.

Ioan. Gerson l de trahend. ad Christ. paruulos. Consentit magnus ille Parisiensis Academiæ Cancellarius Ioannes Gerson in tractatu, quem de paruulis trahendis ad Christum iam senex composuit, vbi egregiè illos perstringit, qui studio ab eis iuuandis abstinent, quod vel non corrigendos, vel statim relapsuros vereantur, idque eo magis, quod in eis excolendis minus splendoris ac plusculum tædij reperiatur, cui facilè solet homo succumbere.

Respōdetur obiectis. Dicet aliquis mihi, inquit præfatus Doctor, vel alteri operas suas circa paruulorum monitiones & confessiones impendenti: stulto labore consumeris. Cur ita? quia nimirum vel fingunt, vel mentiuntur, vel ad vomitum reuertuntur. Sed respondemus primo ad vltimum, quia grandæuis etiam quotidianus est reditus ad peccatum, nec propter hoc desinunt confiteri. Nunquid sentinam nauis exhauriens idcirco deserit opus, quia redit tantundem aquæ, quantum expulerit? *pugnamus contra vitia, ait Seneca, non vt vincamus, sed ne vincant.*

Si quotidie manus sordidantur; non minus abluimus illas, quia & si redeant sordes, non eâ tenacitate cohærescunt. Porrò mentiti nonnunquam aut celare se paruulos non ignoro. Vtinam nec adultis hoc vitium inesset! sed pedetentim veritas bonis monitionibus extorquetur &c. Et si non tunc, vel subitò fiet hoc in posterum, dum inualuerit timor Dei, & eorum carnes confixerit. *Quod si quosdam despexerit Deus, ita vt corrigere possit nemo*, vt sapiens loquitur, plures nihilominùs emendantur, etsi vel sic sola anima in mense vel anno saluatur, non est perdita occupatio, *charitas operiet multitudinem peccatorum*: & certè fieri poterit, vt vnius publica emendatio, plurimos deinceps à peccanti libertate compescat. Nihil enim lenitate atque clementiâ efficacius in hanc rem. Quis magnum illum Doctorem Augustinum, tamquam sidus aliquod maximè beneuolum acquisiuit Ecclesiæ? nonne Ambrosius? & quâ virtute? vtique beneuolentia & mititate. *Cœpi*, inquit Augustinus de eodem, *Cœpi amare hominem, non vt doctorem veritatis, sed vt hominem beneuolum in me.* O prudentissimum & verum Dei imitatorem Ambrosium. Non dixit Augustino tunc pestilentibus opinioni-

bos

bus inflato. Recede à me peccator es, hæreticus es, blasphemus es, canis reuerteris ad vomitum. Quanto minùs hæc & similia de paruulis fidelibus ad eum accurrentibus ira feruescens dixisset. Quis igitur tumescens, & elatus de sua vel magnitudine, vel scientia, paruitatem deinceps paruulorum, ignorantiam, vel imbecillitatem audebit aspernari, quando *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cælis est*, à quo discunt, nosque edocent, eos non aspernati. Procul ergo à nobis, procul omnis elatio, seorsim indignabunda quælibet paruulorum fuga, quibus tantoperè possumus prodesse,

Quod S. hic Doctor vrget in paruulis, S. Bernardus, non minore eloquentia in maioribus, imò maximis, sapienter prosecutus est.

S. Bernard. l. de Cōsid. ad Eugeniū. Scribebat vir sanctus ad Eugenium Pontificem, suum olim discipulum & in vita monastica sectatorem, audierat autem eum sedulò in Romanæ curiæ incumbere reformationem, quapropter id, quod de Spiritu sancto acceperat, abscondere filio quondam, nunc Patri non formidauit, atque hanc sibi ab illo finxit oggeri obiectationem: Ridebis fortassè me, „ dicens, frustrà in populo Romano „ ordinando, & ad meliora prouocando laborare, vtpote genti immiti & intractabili, & vsque adhuc subdi nescia, nisi cùm non valet resistere. Quid enim tam notum sæculis, quàm proteruia & fastus Romanorum? ac proinde nullam emendationis eius spem affulgere, & operam, quæ illi curando impenditur; omnem perdi. Eleganter porro ad hanc respondens S. Bernardus: noli, inquit, diffidere, curam exigeris, non curationem. Prouidendamque tibi, vt quæ in malo curando media & medicamenta necessaria & congruentia sunt, ea applices.

Suadet Scriptura. Hoc quippe est quod ore prophetico à nobis exigit Deus, *Rectorem* inquiens, *te posuerunt*, *curam illorum habe*: non ait, cura, vel sana illos. Neque enim superior ad subditorum vitia emendanda tenetur, hoc namque in manu eius non est, vt bene dixit Naso lib. 1. de ponto.

Non est in medio semper releuetur vt æger.

At meliùs propono, de tuis tibi, Paulus loquitur, *plus omnibus laboraui*. Non ait; plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui, verbum insolens religiosissimè yitans: Aliàs autem nouerat homo, quem docuit Deus, quia vnusquisque secundum suum laborem accipiet 1. Corinth. 3. non secundum prouentum. Et ab hoc in laboribus potiùs, quàm in profectibus gloriandum putauit, sicut & alibi legitur: *in laboribus pluribus* 2. Cor. 11. 7.

Quod fortè ab eo acceperat is, qui dixit: *Pro affectu est, omnia vt efficias, attentasse*. Si omnia fecit, vt sanaret, peregit Medicus partes suas. Etiam damnato reo, oratori constat eloquentiæ officium, si omni arte vsus est. Seneca lib. 7. de beneficiis.

Consilium S. Bernard. „ Ita quæso, inquit S. Bernardus, „ fac tu quod tuam est: nam Deus „ quod suum est, satis absque tua sollicitudine & anxietate curabit. „ Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. Sanè, incrementum vbi voluerit, dabit Deus, non tu. Vbi fortè noluerit, tibi deperit „ nihil, dicente scripturâ: *reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum*: „ Securus labor, quem nullus valet „ euacuare defectus! vult namque „ haud rarò Deus suæ gratiæ fructum „ & laborum nostrorum, quo in aliis „ priuamur, totum in nobis colligi, „ iuxta illud: *pax vestra conuertetur ad vos*: Luc. 24.

Deficiente optato fructu, manet merces. Esto igitur nullus fructus colligatur, nullus conuertatur, nullus ad meliorem frugem redeat, certa tua tibi sunt præmia, merces copiosa, non secùs ac si plurimi conuerterentur, fructumque caperent vberrimum, quod duabus hisce rationibus confirmo.

Primùm, quia hoc Dei misericordiam & magnificentissimam decet naturam;

naturam. Nam vt bene aduertit *S. Ioan. Chrysostomus non ideo minus fluunt fontes, quamuis ex eis nullus haustum veniat: quin & ad vrbis regiæ splendorem spectare creditur, vt magna sit aquæ copia, quæ etiam præ nimia sui abundantia pessum fluat.*

Sic Prædicatores, qui velut fontes quidam sunt, quibus euangelicæ doctrinæ fluenta in hominum corda deriuentur, siue illi frequentes, aut rari sint, qui hauriant, ab opere suo desistere nequaquam debent, imò tanto alacriùs procedere quantò vberius vel hinc omnipotentis Dei magnificentia & honor exsurgat.

Diuina ignorantia manifestatur. Alterum est, vel sic diuinam innocentiam non paullum probari cui conniti gloriosum est: quamuis enim per varios congressus monita, conciones obdurati, nolint conuerti, nec spem melioris frugis facere videantur; hoc nihilominùs ad Dei maius obsequium & honorem facere certum est: regio psalte adstipulante Psal. 50. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.*

Atque ita causam suam purgauerit Deus, cum ad oculum patere faciet, non tam à se, quam ab illis stetisse, quo minùs fuerint saluati, nulla prorsus eis relicta vel excusationis causa, vel de quopiam alio, præterquam de seipsis, expostulandi ratione, super calamitatibus & miseriis, quas fortè incursârint, postquàm copiosa conuersionis suæ subsidia, quæ habebant, socorditer ex inertia repulerunt. *Quid enim vltra facere vineæ suæ debuerit, & non fecerit?* Isaiæ 45. ad oculum patente.

Occulta Dei iudicia sic adoranda proponantur. Addo, profunda & occulta hic Dei Domini nostri consilia adoranda esse, quibus opera sua, licèt non apparenter, nec iuxta sensum & captum nostrum, promouere consueuit, dum, quod vnâ viâ voluntate sua, & ordinatione excidit per aliam viam, in illam facit redire.

Quocunque itaque ex latere, aut modo rem hanc intueamur, vnum id, certumque effecerimus, nunquam ex parte nostra prætermittendum esse vllum in procuranda hominum salute genus industriæ, quisquis denique sequatur successus, neque de animi pace ac tranquillitate recedendum, licèt optatis nequidquam respondeat labor; cum nec operis nostri meritum, neque excellentia inde dependeant, vt alius ex eo fructum sortiatur. Imò verò, quod ad solatium nostrum dici velim, non modo meritum ac præmium nostrum à plurimorum ad Deum per nos conuersione æstimari, verùm ab Intentionis puritate, ac perfectione, ita vt fieri amet non raro maiorem ab illo lauream reportari, qui pauciores collegerit prædicando fructus, quàm qui multos: Concionator namque videns se beneuolis passim auribus ab omnibus audiri, copiosâ audientium coronâ cingi, multos concionum suarum opera ad frugem redire, gaudio exsilit. nec laborem sentit, vbi alius è contrario nullum videns proficere, illa iucunditate destituitur. quod si constanter susserat, nec quod cœperit dimittat, ampliora præ illo merita consequetur.

Ita sacra Patrum sanciuit Autoritas, istuc nos suo pondere, atque momentis prudenter impellens, quò nos Ignarianum vocat Apophthegma, ad sedulitatem scilicet, ac tranquillitatem in proximis adiuuandis, Angelorum exemplo prouocans, quos nulli aduersi, alieniue casus perturbant, at suæ securos mercedis mens, ratioque non vulgariter consolantur.

Et bene id quidem: sed satis fortassè hic opis nequaquam inuenias, nisi quod forinsecus applicueris, intrinsecus, vbi venenum est, studeas adhibere, pulsoque exinde fastu atque arrogantia, pusillanimitas ac diffidentia in nobis exstinguatur.

Ad Pusillanimitatem itaque quod attinet, naturæ hoc plerumque vitium est, omnia timentis, omnia viribus maiora metuentis: vnde ignauo quodam timore præpeditur animus, nec ad maiora exsurgit, semper pauidus, & retrò prospectans: si quid *Primo pusillanimitas hic timida.*

in

in aliorum gratiam agat, contentus est rem proposuisse, hinc etiam viribus suis non rarò inferiora nec attingit quidem, desperans de consecutione: si quem obicem pati contingat, facilè turbatur, & animum despondet.

Quæ licèt ita se habeant, mirum est, quantopere alienis additamentis increscant, & primo quidem ex innato quodam fastu & arrogantia, dum enim, aut nomen venamur, quod non consequimur, aut à quo laudem exspectabamus, dedecus referimus, labimur animo, & ab indignatione non consecuti voti, desiderata in mœrorem vertuntur.

2. Melancholia. Secundò, è melancholia quadam altiùs impressa, quam vt leuibus remediis discuti queat, dum quædam præter spem incidentia, aut cum iudicio nostro pugnantia profundius in animum demittimus, quæ maximarum intus turbarum caussam præbent.

3. Animi indignatio. Tertiò, à concepta quadam animi indignatione: dum quis amico cuipiam benefecit, quantaque potuit in eum beneficia contulit, vt natare possit in immenso quodam beneficiorum oceano, & post hæc omnia durum ingratum ac refractarium experitur Grauis ac tristis casus, qui plures solet eneruare;

Quin & nescio quid differentiæ in Deum hic soleat inueniri: neque enim fieri potest, vt qui spem suam in illum coniecit, tot vndique timoribus attineatur, cum dubitare, nec prudenter, nec Christianè de illius potentia, atque in omnes nos affectu, post tot diuites sponsiones totidemque testatissima amoris signa quisquam possit, ita vt salutem nostram ipse quærere præ nobis dici queat.

Remedia quæ adhibenda. Sed ad remedia tempus est, vt veniamus. Ingens in hoc malo, certumque medicamentum est, ad diuinæ bonitatis ac potentiæ considerationem, adeoque ad prodigam illius in fidentes manum confugere. Audeat igitur in hac sperare, quisquis vel alienam salutem arduam sanè prouinciam procurare instituit, vel administrandam suscepit, & maiora temporiùs largiente Deo bona recipiet: nescit enim ab homine vinci humanâ omni confidentiâ & spe maior. Prouocabit ergo se, qui malo hoc tenetur, diuinæ bonitatis ac potentiæ immensitate, quâ tam sibi in agendo, quàm aliis in obsequendo succurret.

Et primò quidem ad se quod attinet, non parum ipse promouerit, si certò sibi persuadeat, munus sibi à Domino impositum: errare autem aut fallere aut falli non posse in delectu suo Deum, neque in interitum, sed in salutem imponere, tantumque semper virium concessurum, quantum oneris imponit: nec munificam ante dexteram contrahere, quam benignitatis ac potentiæ suæ difficultate laborare nos viderit: quod vbi senserit tum demum auxilia retrahit, quibus indignam diffidentis mentem, & de diuina potentia, aut promissorum certitudine dubitantis, tamquam aut non possit Deus, aut datam fidem fallat, arbitratur, cum vtrumque ab infinita illa bonitate alienissimum sit. Norunt id Angeli qui ideo nunquam de clientibus suis quantumuis scelestis ac perditis, quamdiu viuunt, spem abiicere solent, *semper enim vident faciem Patris, qui in cælis est*, in qua fidentiam legunt, & firmam animi confisionem addiscunt: hac tranquillitatem suam fouent, ac sustinent, qualiscunque demum euentus superuenturus sit: vnde quoque fit, vt mentem omni perturbatione vacuam semper conseruent.

Medebitur itaque huic malo pusillanimus, si Angelorum exemplo tam certus de consecutione, quam fortis de fiducia, omni indignatione seposita, operi suo incumbat: neque enim prudentis Medici est desperare de ægritudine, aut destituere ægrotum, etiam cum supremo spiritu luctantem; cum non ignoret, salutem etiam tantum non ab vltimò spiritu

spiritu redditam sæpiùs fuisse multoque minùs ei pro medicamento asperiora verba propinare.

Quis enim hoc patrium arbitretur, & non potiùs barbarum dicat! in mediis febrium ardoribus, pro consolatione & medela in ægrum exsurgere. Idem hic vsuuenire clarum est, dum lapso, sæpiusque relabenti indignantia verba pro medicamine infundis, quo enim hæc spectant, nisi vt crescat morbus, & præcipitio proximum ægrum vltrò medicus impellat? qui poterat eripuisse, iuxta illud Sapientis, *Impatiens operabitur stultitiam*: Et: *qui patiens est, multa gubernatur prudentia*. Prou. 33. & 14.

Denique non sine fructu cogitabit: sibi de labore suo, aut meritò decessurum nihil: sequantur, impugnentue monita subditi, hauriant, proterantue pharmaca ægroti, manebit Doctori, manebit medico sua in cælo reposita merces, tantoque indubiè maior, quanto maiore dilectionis impendio in hanc fuerit complexus, neque enim ab euentu, sed à voluntatis & amoris magnitudine dona sua metitur Deus: quod in Angelis manifestum est, qui nec ideo minùs beati, quod subinde cliëtes suos peruicaces ac refractarios choris nequiuerint cælestibus inseruisse.

Præluit Ignatius exemplo suo nos infidmans. Et hic ille non insipidus, nec insuauis nucleus est, quem nobis sub angusto cortice præsentis Apophthegmatis sui S. Pater Ignatius inapparauit, de quo nihilominùs ipse prior esse voluit, vt vel sic nos omnes proliceret ad edendum: Inter cætera pia, sanctaque opera quibus impendisse se legitur, non minimum id reor, quo mulierculas corpore suo quæstum facientes ad bonam frugem reducere omnimodis allaborauit: tantumque assiduo suo studio effecit, vt quoddam iis, quæ à turpi & miserabili illo vitæ genere resipiscere vellent, domicilium Romæ exstrueretur. Tantâ porrò contentione in pium hoc opus incubuit, vt, nec quo fungebatur, Præpositi generalis officium, ipsum ab eo potuerit reuocare, nec irriti laboris formido, nec vanum periculum absterrere, adeo vt ipsemet mulieres illas cum à vita sua impura desciuissent, vrbe Româ inspectante & publicè comitaretur, vel ad S. Marthæ, vel ad honestæ cuiuspiam matronæ apud quam tantisper commorarentur, domum adduceret. Dicentibus verò nonnullis, omnem quæ hisce mulieribus mox relapsuris, opera impenderetur, frustrà insumi: tantum abest, vt his animum despondere Ignatius, quin eundem velut affuso oleo magis inflammaret, liberè protestatus, quamuis ipsæ reciderent, vberem tamen laborum suorum se fructum collecturum, si harum aliquam vel vna tantummodò nocte à peccato præseruasset, de cætero, diuinæ benignitati confidere, postquam nihil eorum, quæ præstare poterat ipse omisisset, cui reliquum cordi futurum non dubitabat, vt posteà manifesto patuit, quis enim in tota vrbe Romana est qui nesciat cœnobium D. Marthæ arcem tutandæ pudicitiæ mulierum à maritis dissidentium, pariterque D. Catharinæ puellarum custodis sacram domum, Ignatij consilio & hortatu institutam, & quod caput est, plurimarum virtutum fructibus fœcundam. Neque ita tamen speratum exitum attendebat Ignatius, vt si minùs ad voluntatem res caderent, fructu operis sui se excidisse putaret, apud Deum re nullâ egentem, apud, quem voluisse, fecisse est, qui operam magis, quàm opus spectare consueuit, nec semper vult ab eisdem perfici, quæ gaudet attentari, cùm Dauidis de ædificando templo consilium laudârit, quod tamen ipsum noluit ædificare: Vnde frequens eius erat præceptum, *Angelos in rebus agendis, iuuandisque proximis imitandos, qui ex vna quidem parte, nullam prætermittunt in procurandis hominibus industriam: ab altera verò, successu, quicunque demum is fuerit, nihil de beatâ suâ tranquillaque pace amittunt.*

Quod præclarè B. Pater, longè casus humanos, animi altitudine supergressus, in sanctis illis administratoribus spiritibus æmulabatur, dum sicut illi inter ministerij sui, ad quod mittuntur, officia, semper vident faciem patris, qui in cælis est, ita ipse actionem cum contemplatione eminentissima, mirificè copulabat, quam viam vt multò tutissimam iudicabat, ita suis commendare non desinebat: testis vnus è multis sit P. Ioannes Baptista Viola vir moribus, ac litteris clarissimus, hunc cùm variis per Italiam Collegiis lustrandis atque regendis, nomine Commissarij præfecisset, cœpit in munere suo cum angore immodico, vbi res minimè è sententia caderent, cruciari: nec dum ille in schola Angelica contra hos casus arma compararat. Rescivit Ignatius, & virum magistris, atque doctoribus Angelis transcripsit, quod sæpiùs habebat in ore, Angelos vt imitari studeret, qui in animarum sibi commissarum custodia, omnem quidem diligentiam præstant, sed euentu, quicunque sit, nihil de tranquillitate, nihil de beatitate sua deperdunt. Ita Nicolaus Orlandinus lib. 13. nu. 18. hist. Soc.

Angelorum proposito ministeria suos vrgebat Igna-

tium, vt patet in P. Ioan Bapt. Viola. Orlādinus lib hist. 13. n. 18.

Quod viro huic profuit, & nobis proficiet, si eo, quo ipse modo vsus fuit, nos quoque studuerimus applicare.

APOPHTHEGMA SEXTVM.

QVin & illud dicere solebat, licèt non reperiatur, vbiquè ea, quæ deberet esse morum integritas, si quis tamen vel in publica concione, vel in populari commercio Principes, Magistratum, aliosq. Ecclesiasticos particulatim reprehenderet, generaturum potiùs damna, & scandala, quàm aliquid allaturum remedij, aut vtilitatis, proinde ab isto inuectiuarum genere sedulò temperandum esse.

Liber Exercitiorum in fine, regula 10. Franciscus Suares tom. 4. de Relig. lib. 9. c. 1. Ribadeneira lib. 5. vit. S. P.

Commentarius.

Euangelici Concionatoris digni tas, ex Verbo Dei quod annuntiat.



ORatoris Christiani, hoc est Euangelici Concionatoris, tanta dignitas, splendor, atque vtilitas apud omnes Ecclesias habita semper fuit, vt qui laudes eius, ac commendationem satis expresserit, hactenùs inuentus sit nemo, qui verò id optimis ac præstantissimis conatibus tentârint, multi illi, nec obscuri: hoc autem in primis fatendum, ac liberè pronuntiandum, esse id munus in Ecclesia grauissimum & post sacram Liturgiam, ac Sacramentorum administrationem, in quibus velut aureis quibusdam phialis gratiam suam Deus optimus, maximusque reposuit, nesciri an vllum sit vel animis vtilius, vel diuino spiritu augustius. Verbum enim diuinum ore hominis effunditur, & cælo ac terræ suscipiendus sermo excipitur, quem vt regem beantem animas, omnes charites, & diuinæ mentis xenia comitantur: cuius vt vim, potentiam ac dignitatem intelligeremus, iussit Dominus Prophetas in arcanis suis pi-

 cturis

cturis vario emblemate, naturam eius geniumque depingere. Quare hic laureatum effigiare gladium tam acutum, vt ad diuisionem vsque animæ penetrare possit: ille malleum claro ex adamante effingere, quo solidæ queant petræ confringi: alius fœcundum è nubibus imbrem figurare, modò suauissimè illabentem, modò fortiùs irruentem, quibus sacri Oratoris decus, ac splendor longè, lateque diuulgari cœpit.

Verùm, vt, quò sensus hic meus, atque iudicium spectare visa sunt liberè aperiam, ad declarandam tanti muneris, officiique dignitatem, vix quidquam reor afferri posse illustrius, quàm quod ipsum Dei filius proprium sibi esse voluerit, idque non semel, homo iam factus, viuæ vocis suæ oraculo enuntiârit.

Testatur hoc Capharnaum, vbi cum de more concionatus incredibili oris sui dulcedine ac sapientia, omnium animos commouisset, accessisse ad eum leguntur ciues, & opere illum maximo rogasse, vt quàm diutissimè apud eos maneret, quod cùm fieri posse negaret, quod *oportet & alijs ciuitatibus euangelizare regnum Dei*, subiunxit, *quia ideo missus sum? Euangelizare namque pauperibus miserat eum Pater, sanare contritos corde, prædicare captiuis, remissionem* &c. *Isaiæ* 61. Et hoc erat eius præcipuum munus: vnde factum, vt quos sibi simillimos esse voluit Apostolos, ad docendum mitteret, populosque instituendos. Ac deinde, hinc profectus, è cælo igneas miserit linguas, & sublatis gentium limitibus & definitis religione claustris, ire iusserit, & prædicare euangelium omni creaturæ: sic vt flos vitæ Apostolicæ, & perfectionis clara & illustris portio, in concionando posita esse videatur, quod attestante S. Hieronymo in cap. 5. Aggæi discere licet, vbi S. Doctor in hæc verba scribit: *Quid tam Dei opus, quàm in Ecclesia prædicare?* Vnde quanti meriti & dignitatis magnitudo sit, quæ huic ministerio à Domino proposita sit, vel hinc colligere est, quod sicut Virginibus, atque Martyribus Aureola quædam in cælis reposita est, quæ in illis incorruptæ carnis vigorem: in his verò inuictę virtutis constantiam singulari quâdam gloriâ remunerat; ita Concionatoribus corona in cælis reposita sit, quia *sicut splendor firmamenti, & quasi stellæ in perpetuas fulgeant æternitates*. Dan. 12.

Lucæ 4. 43.

Isaiæ 61.

S. Hieron. in c. 5. Aggæi.

Dan. 12. 3.

Neque enim ipsi solum virtutis ac Iustitiæ propositum tenuerint, sed & alios ad simile virtutis studium doctrinæ suæ ministerio excitârint: quæ res inter præclarissimas Præcursoris Domini laudes, numeratur, quod multos scilicet filiorum Israël ad Dominum esset doctrinâ suâ conuersurus.

Sed difficilia quæ pulchra: quàm arduum autem ac laboriosum hoc opus sit, Magnus dicet Gregorius: *si inuisibilia pensamus, constat, quia maius est miraculum prædicationis & orationis solatio peccatorem conuertere, quàm mortuum carne suscitare.* Quæ caussa est vt SS. Patres de Concionante loquentes, gemmeum quodammodo esse eum velint diuinitatis instrumentum, quo Dei voces ad multitudinis aures deferantur, quod de se magnus ille Nazianzenæ Ecclesiæ præsul ac columen Gregorius non obscurè confessus est, cum orat. 8. *organum, sese à præclaro artifice, hoc est à Sp. sancto ad optimum harmoniæ genus temperatum ac pulsatum dicere non formidauit.*

Quam arduum sit dignè annuntiare verbū Dei. S. Gregor.

Nazianz. orat. 8.

A quo non procul abiit Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum vbi Concionatorem esse ait *animatam Dei imaginem*, quæ tanta esse debeat, vt difficilè esse existimet, dicendumne sit Deum in Ecclesiaste, an Ecclesiasten in Deo pro concione verba facere. Quid verò hîc senserit Alcuinus doctrinâ atque ingenio clarissimus, ipse in epistola ad Cantuariensem Episcopum aperuit in hæc verba: *memor esto semper, quod guttur tuum tuba Dei esse debeat, & lingua tua omnibus præco salutis*: quod ab Ambrosio didicisse poterat, qui Concionatorem

Clemens Alexand. 5. stromat.

Alcuinus epist. ad Cant. episc.

cionatorem appellabat *lituum plebis excitandæ ad deuotionem, mitificandæ ad tranquillitatem*. Ep.25. Tubis itaque ac lituis dum Ecclesiasticus comparatur Orator quibus Christianus populus in castris cælestibus constitutus aduersus hostem assiduis exhortationibus præparetur, ab vtroque illo instrumento quis, qualisue esse debeat, non erit difficilè augurari.

Tuba argentea ac ductilis, viri duriter carnem propriam tractatis atque hinc à prauitate morum, opinionumque scoria doctrinam liberam pollicentis concionem indicat: Lituus verò buccinæ genus incuruum, gracilem edens sonum, quo pugnas obire veteres solebant, prudentiam denotat, quæ si vlli hominum generi, certè pernecessaria est Concionatori.

Cùm enim tum ex ipsius Dei præcepto, quod sæpiùs in sacris litteris repetitum inculcatur, tum ex ipsis Prophetarum & Apostolorum exemplis, atque adeo SS. Patrum ad populum habitis concionibus proprium prædicatoris munus esse constet, peccata hominum arguere ac reprehendere, quam artem Clemens Alexandrinus l.1. c.8. iam chirurgicæ facultati comparat, sectione partes diuidenti, iam medicamentorum applicationi non absimilem esse tradit, quæ affectiones occallescentes resoluit, dum impudicæ, ac libidinosæ vitæ sordes expugnat, fastumque exæquat; difficilè non erit cuilibet iudicare, quanta hîc prudentia requiratur.

Proprium Concionatoris officium peccata arguere. Simile. Clemens Alexand. L.1.c.8.

Et quidem si de præcepto argutionis loquamur, cui nisi publico verbi Dei præconi Deus illud insonat? *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum*: quòd cum ij negligerent, quomodò conqueri per Ieremiam auditus est? *Prophetæ tui non aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent*. Thren.2.

Isaiæ 58.1. *Thren.2.*

Nec minùs nouo testamento factum inuenimus, vbi per os Pauli 1. Tim. 1. *Testor*, ait, *coram Deo & Christo Iesu*. Vide quanti momenti indicet quod sequitur, *argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*.

Quid est arguere? nisi argumentis veritatem stabilire: deinde obsecrare, quod fit per motus, & affectus maximè lenes: postremò addi vult increpationes, vt minis peccatores deterreantur ira Dei, & pœnæ eis impendentes exponantur, quod in Esaia obseruatum, cuius hæc verba legimus: *Væ genti peccatrici populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum*, &c. Et quid aliud ab Ezechiele exspectâris? postquam librum illum deuorasset, in quo scriptæ erant lamentationes, carmen, & væ cap.2.

Quid est arguere.

An non Apostolorum epistolæ his circumfluunt? Ad Sanctos Patres quod attinet, quid Chrysostomi, Gregorij, Hieronymi, Saluiani, cæterique sexcenti aliud sonant? quo spectant verba illa Pelagij secundi epist. 3. ad Episcopos Campaniæ: *sit semper aduersus prauos & impios libera vox, & oris gladio feriantur, redarguantur, confundantur*.

Pelagius 2. epist. ad Episc. Campan.

In quibus omnibus medium tenere, res vna multum difficilis, nec satis expedita, quod vel docentibus Apostolis discere liceat, quibus ideo Spiritum sanctum dari oportuit, vt per eos idem ipse Spiritum mundum de peccato, & de Iudicio ritè argueret: tot namque ac tantis implexum ambagibus, ac salebris hoc impeditum negotium est, vt sine peculiari lumine discretionis, vix euadas, de qua hoc liberè dixerim, *non tam virtutem esse, quam moderatricem quandam, aurigamque virtutum, affectuum ordinatricem, & amabilium morum directricem*, vt SS. Bernardus in Cant. & Bonauentura in pharetra tradidère.

S. Bern. in Cantica. S. Bonau. in Pharetra.

Tolle hanc, & virtus vitium erit; Contrà, attende huic; & sine vitio virtus stabit. Sed quò grauius est concionandi munus, magisque publicum, eò plures, vt ritè præstetur, peristases requirit: quanti enim con-

filij est de rebus grauissimis vnum dicere, promiscuo audiente populo, atque ita temperare dictionem, non solum, vt omnium ingeniis, auribus, atque iudiciis satisfiat; sed etiam aptè ad propositum finem, locoque congruenter & tempori dicatur, quod sane non minimæ industriæ, artisque beneficium est, nec semper ab omnibus obtinetur: sunt namque nonnulli qui tantis vel naturæ vehementioris feruoribus incitantur, vel effreni liberioris linguæ impulsu interdicendum aguntur, præsertim cum in vitia, scelestosque homines inuehuntur, vt discretionis limites non rarò excedant, multaque per amplificationem dicere soleant, quæ multorum aures, & animos offendant, vt necesse sit, vel iis silentium indicere, vel aliò amandare, quare prudentet admodum inclytus ille morum Magister Gregorius lib. 3. moral. c. 4. Concionatorem gallo gallinaceo cōparauit, cui Deus intelligentiam dedit, vt discernat noctis horas, antequam fundere cantus incipiat, vt doctor virtutem discretionis adhibere condiscat, quid, quibus, quando, quomodò populum instruat, quam ego prudentiam, non vno, sed quadruplice ex fonte hauriendam esse semper existimaui: natura scilicet, doctrina, experientia, & consilio prudentum, de quibus singulis dicere hic longum foret: quare, quod maximè ad rem, quam tracto, facere visum est, Consilium videlicet virorum prudentiæ laudibus, animoque præstantium nostris Concionatoribus proponere decreui, nec illud cuiusmodicumque aliquod, sed talis viri, quem natura, gratia, virtus, atque experientia ad absolutissimum quendam perfectionis apicem euexerunt, Ignatium dico de Loiola communem orbis Magistrum, hominem iuuandis hominibus verè natum cuius cum princeps ille zelus ac caritas, gemino alarum ignearum præsidio, quo tum Deum suum, tum proximum complectebatur, lustraret omnia, vt omnes Christo lucrifaceret notassetque sacri huius muneris administros multis obiici periculis, pluribus defectuum patere incursibus, quos vnà omnes abigere scuticâ difficile foret, vnum, quem præ cæteris detrimentosum maximè arbitrabatur, in salutem nostram ac commodum notare, atque exculpere voluit, dum inter singularia sua dicta, æternâ digna memoriâ, & hoc, quod maximè in hanc rem facit his verbis consignauit: *Cum experientia doceant nihil vtilitatis percipi ex iis concionibus, in quibus Principes, & Magistratus reipub. Prælati, & alij Ecclesiastici in particulari reprehenduntur, ab omni eiuscemodi inuectiuarum genere censeo temperandum.*

Et rectè id quidem: non quod vir Sanctus ac prudens sic Concionatorem agere vellet, tamquam si de idea aliqua Platonica, omninò ab vsu remota, sermonem haberet, sed ita attingendos peculiares defectus peccatorum, vt qui est in tali vitio, sentiat sibi cor transfigi & quasi Concionatorem suam conscientiam diuinare, non autem propalam vulnerare. Atque hinc credidetim eam caussam esse, quare luci comparetur, quia scilicet latentes detegit veritates & tenebras pellit; itemque sali, quia suâ prudentiâ condire debet animas, & à putredine præseruare, quod tantum abest, vt Concionator contra agendo assequatur, vt magis ac magis alteret & corrumpat; ita namque vitia reprehendi debent, vt nemo siue Principum, siue Prælatorum prodatur, nec generalibus quidem terminis: vt si quis diceret, scio hic esse aliquem vsurarium: vel non sine causa hoc dico: scio cui loquar, vel quid simile, qualis mordacitas longè abesse debet à verbo Dei, ne quisquam hic temerè notetur.

Ac primum quidem ad Summates quod attinet, de quibus Apophthegma nostrum apertè commemorat, eos sic arguere nos decet, vtpote quibus nobilissimum Christi Seruatoris exemplum norma esse debeat, vt nemo prodatur. Vti Thomas Caietanus

S. Gregor. l. 3. Moral. c. 4.

Apophthegma S. Ignatij.

Ratio, ac fundamentum Apophthegmatis.

nus in cap. 23. Matth. scribens prudentissimè monet; legerat hic: *Tunc Iesus locutus est ad turbas: super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi* &c. non inquit sederunt Sacerdotes aut Pontifices, propter reuerentiam ordinis sacerdotalis. Lege Euangelium nunquam inuenies Iesum nominasse sacerdotes, aut Pontifices arguendo, aut reprehendendo eos, sed scribas aut Pharisæos, instruendo Prædicatores, vt non prædicent contra sacerdotes aut Pontifices in specie, propter reuerentiam ordinis aut dignitatis.

Exemplum in scriptura 3. reg. 13. Addo, & idem non obscurè nobis à Propheta illo suggestum, qui 3. reg. 13. à Domino missus ad Ieroboam, stantem super altare & thus iacientem, exclamauit in sermone Domini non contra regem, sed ipsum altare, dicens: *Altare, Altare hoc dicit Dominus, filius nascetur domui Dauid Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet*: deditq; in illa die signum dicens: *hoc erit signum, quod locutus est Dominus, ecce altare scindetur & effundetur cinis, qui in eo est.* Sed cur Propheta ad Altare potiùs sermonem conuertit, quàm ad Regem? qui vtpote peccati author compellandus potiùs videbatur? Ob eam nimirum causam vt ipse Rex, omnesque intelligerent, increpatione illâ peccatum potiùs ipsum peti, quam sceleris authorem Ieroboam, quem alioquin nec odisset Dominus, nec Propheta reprehenderet, nisi nefario idolomaniæ piaculo se populumque suum contaminasset: atque ita regio nomini parcitum fuit, & noxa obiurgata.

S. Hieron. epist. ad Nepotian. Quanti verò id fecerit scripturarum arbiter & fidei lingua Hieronymus, ipse epistolâ ad Nepotian. in hæc verba testatum reliquit: *nemine speciatim sermo meus pulsauit: generaliter de vitiis sermo est, qui mihi irasci voluerit, ipse quod talis sit, confitebitur.*

S. Bonauentura in Apolog. 2. Quid autem de S. Bonauentura hîc dixerim? magna eius apud Trithemium laus & commendatio est, dum eum profundum, nec verbosum: subtilem, nec curiosum: disertum, nec vanum: flammantia, non inflantia verba proferre deprædicat, vnde securius legitur, & faciliùs ab amante retinetur, quæ omnia vel in vno hoc, quod de præsenti materia iudicium tulit, sole clariùs datur perspexisse, dum in Apologetico, cap. 2. sic legitur esse locutus: *Correctioni, & ædificationi tantum debet intendere Doctor fidelis, non confusioni, vel infamationi alicuius præsentis, vel absentis.* *S. Hieron.* Et infrà: *quem confundendo exasperat, bunc tardiùs ædificat, & rancoris aculeo vulnerat.* Vtinam hæc omnibus diuini verbi præconibus ita cordi forent, vt obsoletas adstantium aures aliquando desinant proritare; optandum quidem id fateor, sperandumúe sit, ambigo: quàm paucos enim hactenùs inuenire est qui illud Hieronymi vsurpare possint: *neminem sermo meus speciatim pulsauit generaliter de vitiis disputatio est.* Author Aluarus Gomezius est de gestis Franciscus Ximenij Cardinalis Toletani, dum Concioni cuiusdam monachi præsens adesset, ab eo, ob pretiosas pelles quibus pro dignitate personæ, quam sustinebat induebatur, acriùs quàm par erat fuisse reprehensum, magna tamen animi lenitate audisse, finitâ autem concione hominem suum scorsim euocasse, diductisque superioribus vestibus, rigidas ac molestas tunicas carni nudæ applicitas ostendisse, vbi bonus ille Concionator lineis sub religioso habitu commodissimè vteretur, quâ admonitione vel suauissimâ nisi totus in ruborem abierit, indignum se prodidit, qui vel vnquam postliminiò suggestum posset ascendere. *Aluarus gomezius de gestis Card. Ximenes. Temeraria eloquentia imprudétia*

Non ita diu est, cum Romæ in Aracælitana æde, quidam concionatetur, ac Romanum senatum nimiæ tenacitatis in eleëmosynis erogandis arguere cœpisset, vt populo pristinæ libertatis faliuam moueret, ait, dictum antiquitus: Senatus, Populusque *Item alia.*

lusque Romanus, nunc verò dicendum Senatus, Populusque Ruinatus. q. d. in ruinam actus, siue deciduus.

Audiit Senatus, & peregrè tulit, cumque in dies singulos quadragesimæ liberalem soleret Concionatori eleëmosynam mittere, destitit, querenti autem responsum fuit, Senatum esse ruinarum, ac die sequenti silentium ei impositum fuit.

Hæc temerariæ linguæ merces, lenis tamen illa ac mitis, si summorum Pontificum canones ac decreta aduersus huiusmodi deliria expendamus. Clementina 1. §. 1. de Priuileg. *Religiosis omnibus in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius præcipitur, nec in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant.*

Clementi na 1 §. 1.

Concilium Lateranense.

In Concilio autem Lateranensi sub Leone X. vniuersis Prædicatoribus dicitur: *ex diuinæ vocis præcepto Euangelium omni creaturæ cum virtutum commendatione, & vitiorum detestatione enucleent, & declarent, pacem ac dilectionem mutuam à Redemptore nostro tantopere commendatam, vbique fouentes, non scindant vestem inconsutilem Christi. sed ab Episcoporum, & Prælatorum, atque aliorum Superiorum, eorumque status scandalosâ detractatione, quos coram vulgò & laicis non modo incautè, sed etiam intemperatè reprehendunt & mordent, & ab eis malè gestorum expressis, quandoquo nominibus aperta & manifestâ redargutione abstineant.* Et deinde innouat citatam Clementis V. Constitutionem.

Exemplum S. Pauli.

Docuisse id tum verbo tum exemplo suo diuinum Paulum, gentium Apostolum author est S. Lucas act. 23. Vbi cum Ananiam quendam violatæ legis acriùs publicè redarguisset, atque aliqui ex astantibus dicerent: *Summum Sacerdotem Dei maledicis?*

Respondit *Paulus, nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum scriptum est enim, Principem populi tui non maledices.*

Dignum vtique responsum, quod suprà citati Pontifices Clemens & Leo decretis suis innouârunt, atque vniuersæ Ecclesiæ seruandum proposuerunt, nisi ex opere vno, tam ex se laudabili, & vtili qualis est proximi peccantis correptio, dum prudenti consilio adhibetur, spinas metere velint, vnde rosas colligere debuissent: docente namque experientiâ non soli didicimus eos, qui prætermisso prudentiam consilio temerè sic, ac speciatim arguuntur, indignari magis, quam corrigi, & populum incitari ad obtrectandum iis, quorum vitia publicè notari audit: nihil enim est, quod aliquando populum magis delectet, quam cùm Concionator contra Superiores inuehitur, sed nulla in re minus debet ei satisfieri, cùm nec ea ratione malo remedium afferatur, si quod est in Superiore, & ipsi populo detur materia ac licentia obloquendi. Nec facilè Concionator hic spiritu suo credere debet, si quando fortassis ei dictet, Verbum Dei non esse alligatum, cum libertate esse loquendum.

Lubrica hæc via est, quæque multos solet in lapsum præcipitare, præsertim si aliud vir gratis quispiam sentiat, cuius iudicio magis quàm suo standum sibi esse, certum ac planè persuasum habeat, necesse est.

Sed obiiciet aliquis exemplum Ioannis Baptistæ, qui cognito Regis Herodis incestu, non solum abblandiri principi, sed etiam non reprehendere culpam duxit, dicebat enim *non licet tibi vxorem fratris tui habere in coniugem tuam*; cur, quod Ioannes ante fecit, non liceat imitari?

Obiectioni bus satisfactio.

Verùm vbi is Herodem monuit? an è suggestu publico exasperandum potiùs, quam curandum? nequaquam; sed secreto & quasi in aurem.

Neque etiam aggerat alius quispiam Paulum Apostolum, qui 1. Timoth. 5. *Peccantem*, inquit, *coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* 1. Tim. 5.

Ex

Ex quo certè nihilo ampliùs quam ex priore proficiat, solâ interpunctione vim argumenti iuxta Caetanum elidente, quasi diceret Aposto, lus: peccantem coram omnibus, argue &c.

Addo prætereà neque hic de publica reprehensione agi, quæ fit ex suggestu, sed de altera, vel iudiciali, vel alio modo ad Superiorem spectante, vnde quoque non cuilibet id dictum, sed Episcopo respectu subditorum, iam legitimo iudicio conuictorum. Vult ergo Apostolus, vt qui iuxta euangelicum ordinem Matth. 18. correptus non emendatur, haudquaquam ampliùs fraternè commoueatur, sed per testes conuictus, vel per facti euidentiam publicè notetur: sic namque correprio fraterna in iudiciariam transire solet, cuius finis est, non solum peccatoris emendatio, sed etiam timor qui ex supplicio Rei de crimine conuicti, cæteris iniicitur. Atque ita nihil hic contra Apophthegma nostrum subsidij aduersarius habet, nec tamen absistit, sed Ioannem Chrysostomum contra Eudoxiam. Item Gregorium Nazianzenum in Iulianum Apostatam pro concione grauius disputantem, adducit, quibus vnum id ego reponere non vereor eiusmodi tempora incidere non posse, nempè, si quispiam Princeps hæreticus auerteret à fide subditos, aut his affinia moliretur, vt non solum similem aliquam dicendi in Concionante libertate excusarent, sed omninò requirerent, quamuis incertum discrimen obiiciendum foret caput: verùm quænam talia tempora existimanda sint, Superiorum consilio Christiana modestia præditorum, censeo explicandum, nec suo stare Concionatorem arbitrio debere, in re vna tam graui & periculosa, cui frequenter, etiam quantacunque Cautela non sufficit.

Quando superiores publica queant redargui.

Testis, nec ea obscura sit Elizabetha, vtinam nec æterna Angliæ suæ pestis, cui regnandi artes pro omni erant religione, quam dum Cuthbertus Tonstallus liberè audet monere de his, quæ nollet hæresis audire, supremum discrimen adiit, nec ea quidquam mota fuit. Nonagenarius hic senex, ipsa ætate, atque infulis Dunelmensibus venerabilis, cum & senectus, & sincerus Catholicæ religione zelus illi animos adderent, Londinum se contulit, ea tantum gratia, vt Reginam, quam de sacro forte olim susceperat, qua Episcopum & senem decebat libertate, tam obiectè, atque impiè plerisque tacentibus, admoneret: nec illum constantia defecit, grauiter enim increpuit, ne quid in religionis caussa moueret, atque vt se Episcopum agnosceret, carituram illam, & sua & Dei benedictione magnificè minatus est. Id causæ sæua fœmina habuit, vt nonagenarium hominem; Episcopum antiquissimum, & suum olim susceptorem duci iuberet, atque in carcere cogeret mori. Ita quæ vnius liberam vocem non tulit, omnium gentium atque ætatum liberrimis damnanda sententiis, veritatem serò agnouit, ipse verò laboris præmium feliciter est consecutus.

Cuthbertus Tonstallus.

Nec hodierna desunt exempla, vel è domestico late petita, perpetuis posterorum oculis seruitura eorum scilicet, qui vel lingua vel stylo veritatem exponend vel sedibus suis pulsi, vel tyrannicè excarnificati fuêre, inter quæ prominere mihi visum est, quod religiosissimus scriptor & primæ veritatis in aula Madritensi interpres Ioannes Eusebius Nierenbergius in doctrinis Asceticis lib. 1. fideliter scriptum reliquit: Duntaxat narrabo, inquit præfatus author, quod Catholicus Rex Philippus IV. veritatis huius inprimis conscius, in aula sua publicasse auditus fuit. Monita Concionatoris ex Societate Iesu impatientius ferens quidam pastor animarum, in magno honore constitutus, & cui ex officio

Veritas odium pariit, nisi odiũ certè prodeat.

cæteros admonere compellebat, accersiuit in domum suam dictum Concionatorem, & cum meretrice ad facinus iam docta & persuasa inclusit in cubiculo, vt clarissimæ & purissimæ rubæ euangelicæ veritatis vocem turpi scelere contaminaret. Certatum vtrimque: meretrix omni arte lasciuiæ, omnibus nequitiæ modis ad scelus innocentissimum virum prolectabat.

Non hominem, sed simulachrum hominis credidisset, aut cadauer, nisi sermo hominem prodidisset, quo persuasit mulieri pœnitentiam, eamque in viam veritatis reduxit. Neque vnquam magis concionandi officio pro rostris functus est, quam in prostibulo: neque scio, vtrum maius fuerit proprium corpus seruasse, quàm alienam animam lucratum fuisse, vtrumque tamen viri huius sanctitas obtinere visa est.

Interim Præsul ille, de fama, & constantia famæ Iesuiticæ actum credens, ostium reserat, sed Concionatorem eundem semper fuisse & fœminam diuersam inuenit, ex meretrice pudicam, & tantum non concionantem, quippe pudicitiam illius prædicabat concionatoris, Angelicum & sanctissimum virum celebrabat. Quoniam autem à libidine in crudelitatem transitus ex facili fieri solet, mox sæuiit Antistes ille, ferinum suprà modum in Concionatorem, & præ rabie membrum illi genitale præscidit, cuius integritatem hæc scissio magis publicabat, vt denique exsanguis atque emortuus duplici laurea Virginitatis & Martyrij dignus haberetur.

Patet turcico testimonio. Magnam profectò à nobis gratiam iniit Michaël de Palatio, dum virum quendam doctum ac pium martyrij desiderio incensum scribit in Turciam cogitasse, qui cum in aulam Soldani imperterritus se penetrasset, quorsum autem venisset interrogatum intrepidè respondisse, vt mortem inueniam, tibi veritatem prædicando. Ad quem peracutè Soldanus, Ito ad Principes tuos, prædica illis veritatem: & mortem, quam apud me quæris, apud illos citò inuenies; atque ita sane est, vt vel in Hispano illo Præsule abundè liquet, dum vel paulò liberius clariusue pro concione peccarores à Concionatoribus arguuntur, his quidem ad præmium, illis verò ad exiguam aut nullam emendarionem.

Nec tamen solam hîc linguam sub legem disciplinæ reuocandam quis autumet; & oculi profectò eius collyrio indigent, quo destituti, immane! quantum, non semel res omnes perturbârint: quapropter omni quoque cura Christiano Oratori prouidendum, ne dum vitia reprehendit, aut ea dicit, quæ nemo sibi dicta velit agnoscere, in aliquem certum intueatur, quem coniectu oculorum designari cæteri putent. Est enim tacita quædam & peracerba accusatio non ferenda, quam vix vlla excusatione imprudentiæ Concionator eluere queat. *Non solum lingua sed & oculi sūt Concionatori frænandi.* Fuit non ita pridem in Francia nobilis quidam Christianæ eloquentiæ administer & Ecclesiastes, qui cum æstu quodam animi, vt assolet, vehementer in flagitiosos hominum mores inueheretur, communesque pestes religionis, appellaret, quod in ea exaggeratione, vnam in partem conuersus hæreret diutiùs, in grauem nobilium quorundam offensionem incurrit, quod ab eo se oculis designari, notarique existimarent. *Exemplum Frãcicum.*

Grauius illud quod nuper in alia Galliæ ciuitate honestissimis viris affluente contigisse didici, authore Ludouico Cresollio lib. 2. de perfecto Oratore, Cùm enim istic ageret Concionator multitudini gratus, atque iucundus, & in illum multi sapienti, & religiosæ vitæ grauitate conquiescerent, perutili alioqui digressione in eum sermonem incidit, vt mulierum præsertim nobilium luxum, & delicatos vestium ornatus, lasciuiamque reprehenderet: non iam mediocrem in moribus vanitatem, sed intolerandam propè impudentiam versari, cum etiam in ea frequen-

frequentia concionis reperirentur, quæ dum essent familiæ conditione infimæ, nullâ commendatione maiorum, generisue claritate, tamen instructu, & elegantiâ multo auro, & vnionibus collucentes, non æquare modò Reginas, sed Circensis pompæ simulachra viderentur: nec esse obscurum de quibus illa capienda essent, cum in omnium oculos fastidiosè incurrerent. Quæ cùm diceret, conuersis in vnum partem oculis, atque defixis, tanta consecuta est omnium Ordinum inuidia; ita factus est odiosus, vt non modo illa, quæ in crimen vocari videbatur, sed honestissimi quique ciues, ab eo tempore, eum aditu congressione prohiberent. Tanti fuit vel oculis, vnum aliquem pro concione signasse: audiendum hic proinde sapiens illud magni admonitum Augustini: *oculi Concionatoris etsi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem.*

Et hæc quidem ex sano Apophthegmatis nostri sensu, ita se habere exploratum est, iuxta communes Prudentiæ regulas, quibus vnusquisque ad præstitutum sibi finem felicissimè solet promoueri.

Monentur contra sentientes. Pro ea tamen, quæ aliquorum est sentiendi, loquendique parrhesia, non paucos est inuenire, qui lectis Prophetarum vocibus, & exemplis, nec his Concionatorem, nec verbum Dei repagulis voluerunt alligari, sed libertate vocis vtendum, nec dissimulanda sic Principum, aut Prælatorum vitia, quæ talibus commonitionibus non rarò solent indigere, nisi vel eadem velimus participare, vel silendo adulationis noxam super eisdem incurrisse. Ita illi.

Sed neutri horum ianuam aperuisse Ignatium, certum est, nusquam enim dum prudentiæ litat, Iustitiam abiicit, dicebat enim, sicut damnosum est, primates in concione ad populum allatrare, proscindere, aut notare, ita prudenter eos admonere priuatim, quo mederi, si velint, malis suis possint, operæ pretium fore: vel si fortè adiri nequeant, non defore congruas eos commonefaciendi formulas, quibus citra offensam, quæ omnem solet fructum impedire, felicem exitum monitio nostra sortiatur cuiusmodi fuerit aliquam interdicendum producere historiam, vel ex sacris litteris sententiam, vel Ecclesiasticis chronicis faciem eamque impensius commendare, quæ commendatio, honorata est reprehensio eius, in quo virtutes illæ desiderantur, licèt contra præsentes oratio nulla audiatur, aut oculi in eos figantur.

Tuta praxis euitãdi pericula. Vtile quoque hic fuerit aliquod adhibere artificium, quo vitium describatur, & quod vitiosè fit, oculis obiiciatur, modò in neminem increpatio dirigatur, nam ipsius tantũ vitij accurata commemoratio, luculenta est accusatio, statim enim reos conscientia mordet, scelusque confundit. Item si quis contrariam virtutem celebret, atque magnificet, ac magno dignam honore omnibus ostendat, tunc scilicet, qui ea sunt destituti, & contrario se vitio infectos agnoscent, nisi planè obduruerint, non parum se mente sentient commoueri. Sic propalàm Castitate magnificè ab Oratore deprædicatâ, mens lasciua confunditur, & audita liberalitatis commendatione, auarus animus dilatatur.

Alia. Eodem spectat Parabolarum narratio non inconcinna, quibus ex obuiis rebus composita forma ac species sæpè nata est audientes tutò commouère: atque ita à Domino edoctus Nathan, quanto non stupore Israëlem repleuit vniuersum, cum eum, quem sopita iam, vel dormitans conscientia sui pœnè immemorem reddiderat blanda Principem populi sui sub parabolæ forma aggressus, in alieno exemplo suam ipse fecit culpam agnoscere ac damnare, aliter enim teste Theodoreto q. 25. in aliis cernimus peccatum, aliter nostra mola aspicimus, vnde non similiter nos & aliis iudicamus, Nam in aliis iustam ferimus sententiam, sæpè etiam aliam plagam

gam infetimus. Ipsi autem delinquentes, aut mentis sensum omnino eiicimus, aut videntes peccatum veniam damus, quapropter scitissimè diuitis & pauperis parabolam hic composuit Propheta.

In quo eius eximium artificium, & prudentem methodum videre licèt cum Principis animum reprehensionum insolentem, hominis præsertim sibi subditi, suaui similitudine circumuenit, vt huiusmodi comparatione introducta, in re aliena, suam agnosceret, & in minore culpa maiorem æstimaret, & nihil minus cogitans, fieret iudex & condemnator sui, nec excusaret, vt homo, aut dissimulare posset peccatum, aut de eo commonitus prudenter irasci.

Atque hinc ille regio clarus imperio tot diuinitus probatus oraculis, cum à priuato homine corripitur, non indignatus infremuit, nec contra stimulum calcitrauit, sed confessus ingemuit. Nec minùs Dominum intimo dolor mouit affectu, vt Nathan diceret: *quoniam pœnituit te, & Dominus transtulit peccatum tuum.* Ita agendum Oratori, neque enim in igne, aut commotione Dominus, sed in prudenti sibilo auræ tenuis, ipsas ossium medullas suauiter penetrante.

Hoc Ignatius spectabat, hoc sociis, aliisque identidem suggerere ac commendare satagebat, nec minùs verbo, ac reapse promouere, vt si quispiam, vel minimum hic defecisset, obiurgare acriter, & seriò commonere hominem solitabat. Ne quis autem eum obscuri nominis hominem aliquem in officio continuisse credat, ipsum Iacobum Laynium, virum, cui parem in Europa Societas non habebat, absolutissimæ virtutis virum, graui nihilominùs ac securissimo hic rexit imperio. Allatum fuerat Ignatio concinnantem ad D. Iacobi in Vrbe Laynium iecisse dicta, quibus certorum Principum vitia, quamuis sub obscurè designari ac perstringi videbantur; quod cum ab Ignatij prudentissima disciplina longissimè abesset, redeuntem Laynium ad ianuam domus præstolatus, adducto interrogat supercilio, vellerne in Societate perseuerare; cum Laynius, quamquam improuisâ interrogatione perturbatus, nihilque sibi conscius, reuerentia tanti viri, in quo & legitimum in se imperium, & nescio quid esse diuini sentiret, enimuerò id sibi fixum sedere, respondisset: tum Ignatius grauiter hominem incusans, quod minus cautè locutus occasionem malè suspicandi, atque obloquendi dedisset, publicam subire iussit verberationem, nec Laynius cunctanter imperium exequebatur. Ioan. Rho lib. 4. cap. 2.

Plura in hanc rem non addo, quam nobis tantopere Ignatius commendâuit, Deo pro illo loquenre, vt omnes audiamus: ratione adstipulante, ne non sequamur; communi omnium salute ac pace, si paremus, comprobante.

APOPTH-

APOPHTHEGMA SEPTIMVM.

SOlenni suo carmine admonebat id à nostris fieri hominibus oportere, vt sermonis ingressum externis facilè concederent, exitus sibi reseruarent; quasi verò acceptum quodcumq; sermonis metallum auro tingere, atque in illud vertere, vtrorumq; summopere interesset.

Oliuerius Manaræus in Epist. ad Nicolaum Lancicium. Iacobus Miron in excerptis. Daniel Bartolus l. 4. Vitæ §. 36.

Commentarius.

Familiaris sermonis vtilitas ac fructus, cū probus est.



Vantus humano generi fructus, atque vtilitas ex mutua sermocinatione, ac colloquiis pronasci soleat, cum proba sunt, nemo hactenus pro dignitate satis explicârit: grandia profectò sunt emolumenta, atque omnem excedentia æstimationem, decora, quæ inde ad nos soleant deriuari; Cætera lubens prætermitto, ad illam duntaxat respicio philosophiam, quæ mores informat, atque hic stabilem ac pulcherrimam creditur sedem fixisse: vnde nec sol vllâ diei horâ clariùs luceat, quàm viri boni, & iusti cum alio quopiam prodesse soleat consuetudo; quo fit vt familiaris sermo plus ex æquo efficere queat quàm meditatum verbum de suggestu effusum.

Et clarè quidem ac contestata hæc res est, dum quos ardens & magnificè incitata dicentis ad concionem non flectit oratio, eosdem sæpè amicè differentis sermo expugnet, nimirum cum acie concurritur, pauci admodum sunt, quos tanto cum tonitru ac fulminibus excussi bombardis globi discerpant, plures verò quos collato pugnantium pede mucro transuerberat, vt qui ictum è vicino minimè possint excutere, de longinquo venientem non infeliciter eludant: quod plurimi sparsim aiunt felicissimis constare experimentis; zenonem certè Cleanthes non expressisset, nisi vitæ eius atque alloquiis interfuisset, obseruassetque illum ex formula sua viuentem. Addo Aristidem ingenuè profitentem, se ex aspectu, ac velut contactu Socratis vtilitatem magnam solitum percepisse. Ego, inquiebat, ô Socrates, vix à te quidquam didici, vt ipse non ignoras; proficiebam autem quoties tecum vnà eram & tum quoque magis, si in te dicentem intuerer, quam si oculos aliam vllam in partem dirigerem, multò autem maximè, ac plurimum proficiebam, si quando proximè te sederem. Vnde admodum facilè colligeris, quam aliarum quoque artium & scientiarum, quæ in contemplatione, vel in vsu dicendi positæ sunt, acquisitio prona sit, & expedita, si copia fuerit hominum in illis facultatibus excellentium, quibus familiariter vtaris.

Zenonis & Aristides testimonium.

Nec minus ad rem præsentem facit, quod Pausanias tradit, Megaris se vidisse lapidem, qui calculo percussus dulcem ac modulatum sonum reddebat, vt pulsæ fides solent, cuius rei caussam affert Ouidius lib. 5. Metamorph. dum sic canit:

Pausanias de lapide Megarensi.

Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Deposuisse lyram, saxo sonus eius adhæsit.

Ouid. l. 5. Metamorph.

Ita

Ita si nos adhæserimus viris doctis, nunquid non docti? si eloquentibus, nunquid non eloquentes? si Sanctis, nunquid non sancti euademus? Ita profectò vsus fert, & ratio euincit, nisi magis lapides simus, quam ille lapis, qui solo contactu lyræ Apollinis factus est sonorus: maximè verò si docti, eloquentes ac Sancti illi familiarium suorum moribus atque affectibus initio se nouerint attemperare, vti in duabus citharis, aut testudinibus videre est, quæ æquabiliter ad certos modos tensæ sunt, quarum vna mox alteri pari modulatione consonat, velut si idem fidicen vnâ canens, alteram quoque vellicasset, quam tamen præterierat intactam, quod apud Gellium, atque Suetonium manifestè ac luculenter inuenies expressum. Symbolum vt opinor, perspicuum magni illius compendij, ac quæstus, quem viros doctos aut sanctos in aliis quibuscum agunt, facere posse exploratum est, dum ad ingenium eorum naturamque ipso principio se accommodant, conatus laudant, res medias atque indifferentes non statim abiiciunt, nonnihil eorum iudicio tribuunt, ac prudenter concedunt, vt eos paulatim ad meliora, ac saniora consilia inducant.

Adde cum aliquid sic & ipsi, qui curandi sunt, conferant & velut in medium consulant, libentiùs in eas denique ire sententias, quarum sibi fuisse videntur comprobatores, aut suasores: quare consultissimum rear cum familiaribus, quos emendatos volueris sic agere, vt quæ agenda sunt, eadem ipsi ante non improbârint, & monentem à se viderint non discrepare: cum enim homo maximè suæ spontis sit, & innata quadam superbia aliorum arbitrio circumagi, morte ipsâ peius habeat, libentiùs ardua, quorum ipse sibi velut auctor, quam leuia, alieno quasi coactus imperio, complectetur.

S. Ignatius Martyr. Spectasse huc S. Antistitem, ac Martyrem Ignatium dixeris, cùm Philadelphotum Episcopum laudans, non solum sacri oris eius conceptus suauissimos, sed & maximè prudentem eius sollertiam, qua in conuersando cum proximis vtebatur, celebrauit, quod dum fecit, non abs re mihi visus est cognomini suo nostro S. P. Ignatio præluxisse, ad præsens hoc nostrum Apophrhegma condendum, quemadmodum id Oliuerius Manaræus vir eximiæ cuiusdam prudentiæ, ac pietatis ex diutino cum S. Patre conuictu didicisse se ad P. Nicolaum Lancicium his verbis perscripsit: Ad conuersandum ritè cum proximis, dicere, docereque solebat, vtendum esse arte discreta ac religiosa, vt scilicet, initio congressus, quando ad eos accedimus, accommodemus sermonem & actiones ad ipsorum ingenium, videlicet; ad ea quæ tractant; deinde verò perducamus eos ad rem animo nostro propositam, id est, ad animæ bonum & salutem ipsorum: siue vt breuius atque succinctius dicebat: *Ingredimini cum eo, quod est illorum, sed exite cum vestro.*

Atque hoc est aureum illud D. Ioannes Chrysostomi monitum, quo vir ille prudentissimus, tanto ante aiebat sacris mysteriis initiatos, & Apostolicæ mentis viros, propagandæ & tuendæ religioni præpositos siue addictos spectare oportere: qui, cum omni hominum ordine versari debeant, ad communem quoque vtilitatem, indigent πολλῆς συγκαταβάσεως, multa, vt ita dicam, condescensione, quâ sese ad alienos mores, atque ad varias hominum inclinationes accommodent, in quo præstans, & rerum omnium moderatrix prudentia valdè elucet. Quapropter Pastorem animarum, & laudatæ vitæ opificem ποικίλον varium indigitat; qui singulari iudicio & diuina solertia norit συγκαλύψαι χρησίμως, se dimittere, atque obsecundare, quoties salutis ac negotiorum vsus postulârit, qui sciat personas omnes inducere & omnes Deo & virtuti lubrificare. *S. Ioan. Chrysost.*

Non ergo se ille cum rigida, aut

Saturnia

Varij modi inferendi pios sermones iuxta prudentiam.

Saturnia fronte in florentium iuuenum cætum immittet, qui sensuum lenociniis & blandissimæ voluptati obsequuntur, sed læto & amico vultu, primum, si fieri potest bonam omnium gratiam, & beneuolentiam promerebitur vt illo aditu patefacto, instar boni & periti Imperatoris quatere vitium, & castellum intemperantiæ subruere possit.

Simplices atque illiteratos viros, cùm aggredietur, non subitò de Christiana perfectione loquetur, deque magnis, & subtilibus rebus, quas minus illi caperent, sed priùs de mercibus, negotiis, ac familia inquiret, vt familiari posito fundamento, sacra deinde ac spiritualis ædificatio incumbat. Nec aliud præsens S. P. Ignatij consilium de sacrorum hominum colloquio cum sæcularibus fuit: ab iis nimirum quæ propria illorum sunt, incipiendum, desinendum in tuis: hoc est, ab eorum negotiis, rebus, sermonibus, ansam capiendam honestissimæ & vtilissimæ congressionis, vt sensim tua inculces, instillesque ea quæ ad commune bonum promouendum valere possint. Nec minùs vir prudens & clarissimis Dei donis, elimatus opere præstitit, quàm verbo docuisse visus fuit.

S. Ignatij prudentia in sana cōsilio & colloquio suggerendo.

Animaduerterat Parisiis inter deambulandum certum hominem aduersæ fortunæ impatientia feralem actum in amentiam desperationemque, eo tendere, vt in vicinum Sequanam præcipitem se daret, quod ei Deus paulò antè reuelârat: quare cõuersus ad socium. quo cum ibat, homini iam perdito se adiungere iubet, atque de rerum humanarum calamitate mæstum, ac quàm maximè posset, plenum desperationis sermonem inferre, strenuè paruit ille, & secutus hominem extra vrbem se illi coniungit, quæ suspiriorum caussa, quæ palloris sit exquirit: nec tergiuersari alter: vt me occidam, inquit, huc veni, atque vnâ, breuique morte redimam longum mori, quo me hactenùs infortunia plurima, quæ indies augentur, quibusque diutiùs ferendis nec animus sufficit, nec tollendis spes superest vlla, infeliciter impulerunt. Id ipsum est reposuit socius sancti, quod me dies, noctesque affligit, dum vitam hanc tot calamitatibus obsessam ducere cogor, præ qua sæpiùs mihi mortem censeam exoptandam: quibus, aliisque his non absimilibus id laborabat, vt mala quæ pateretur, quasque calamitates persentisceret ingenuè explicâret.

Intereà Ignatius, qui ponè sequebatur, velut negotiorum caussâ istac iter instituens, se tertium illis adiunxit, miratusque quàm vultu præferebant tristitiam, socium, vt ignotum leniter appellans, ecquænam tanti mœroris causa sit exquitit: ille personam egregiè sustinens, atque hominem repræsentans qui manus sibi inferre cogitârat Ignatio omnes alterius ærumnas, vt suas explanat, atque iis potissimum verbis, quibus & hominis mœstissimi, & mente suâ destituti miseriam referret. Super quibus Ignatius hominem consolari aggressus, ea quæ animum persanare, atque ad meliora spectanda reuocare poterant in medium produxit, tenerrimo quodam ac pleno pietatis affectu veram in Deum fiduciam illi studuit instillare, efficacissimis argumentis euincens, proiectissimam esse stultitiam, breuium dolorum vitæ huius propediem finiendæ impatientia, æternos alterius velle mercari. Quibus dum socius iam cedere incipit suamque cæcitatem non segnius deplorare, ad alterum conuersus, & quid tibi inquit videtur ad me quod attinet, lubens fateor virum hunc nobis veritatem edicere, atque ideo nobis à Deo missum videri, pluraque addidit, quæ tempori, atque personæ conuenirent, quæ dum alter in mentem demitteret, animos resumpsit, Deo fidere cœpit, petitaque ab eodem veniâ pristinæ redditus est sanitati.

Atque hoc est enchiridion istud, quod suis posteà militibus tantopere erat commendaturus Ignatius, quo

quo semper instructi procederent postquam ipse felicissimo id vsu, ad animos penetrandos potentissimum fuerat expertus.

Imitatur Ignatium Xauerius, Quàm prudens eius caritas.

Et inter illos quidem, quos præclara hæc Ignatij disciplina eiuscemodi spiritu imbuit, Franciscus Xauerius fuit, pœnè par magistro discipulus, quem ex hac etiam virtutis parte, pro tali agnoscimus, quod eam pulcherrimè semper exercuit, & absoluit: præsertim cum nec eum animi, nec vnquam defecerint occasiones.

Quanta autem facilitas eo in homine fuerit, vel hinc disce, cum vt classiarios ad confessionem faciendam pelliceret, assidere ludentibus, ipsamque aleam suis manibus contrectare, atque illis bene precari sustinuit? dum militem, scelerum infamia notissimum ideo secutus, vt ab impuro illo cœno, per occasionem nauigandi extraheret, & omni officiorum genere deuinxit, nullumque ei verbum de confessione dixit, donec iam suum leniter admonens, cum exscenderent, per confessionem exonerata conscientia in alium virum dedit? Sed palmare omninò fuit, quod in oculis Malacensis vrbis ab eo gloriosè gestum fuit. Mercator hic erat, septem domi suæ alens verbo ancillas, re verâ, pellices. Id vbi resciuit Xauerius, rem primò dissimulauit, tempus idoneum exspectans; deinde festo quodam die perditum hominem nactus, comiter velle se apud eum, nisi molestum sit, prandere dixit. Ille enimuerò ancillis suis timens, æstuare primò, versare se in omnem partem. Ad vltimum annuit, compositoque ad humanitatem vultu, & oratione, hospitem ad prandium deducit: discumbitur, formosæ famulæ ministrant. Supprimit consilium Xauerius, ac velut omnia in meliorem partem acciperet, apposita fercula commendare, famulas ipsas condimentorum artifices comiter alloqui, nomenque & patriam suscitari, quam pridem Christianæ essent, exquirere. Mercator vt facilitatem illam ac simplicitatem hominis aspexit, de tot venustis ancillis, tantaque famulorum solitudine, nihil, vt videbatur suspicantis, respirauit primò denique securus reprehensionis Xauerium iterum ac sæpius suapte sponte inuitauit ad cœnam. Et Franciscus perpetuò suum illud artificium tenebat, vt rem solerti dissimulatione premeret, donec in eius familiaritatem bene penitus se dedit, sensusque odoratus peruestigauit, quam ex illis mulierculis præcipuè in deliciis haberet. Ad vltimum vbi, quod mente conceperat, bene maturum visum est, comiter, quorsum tantum inquit, ancillarum, præsertim vbi nulli sunt famuli? si me audies, vnam aut alteram ex hoc numero dimittes. Cùm ille Francisco comiter instanti morem gerens, vnam missam fecisset: alio die ad cœnam adhibitus Xauerius, factum laudando, haud ægrè perpulit eum, vt dimitteret alteram. Neque intereà desistebat, quacunque ratione poterat, clàm eius oppugnare delicias, vt amore labefactato arcem nequitiæ faciliùs expugnaret. Aliquot dierum spatio intermisso, rursus super cœnam tertiam subducit, deinde quartam. Ita paulatim singulas detrahendo, detraxit vniuersas. Ad extremum, Mercatorem ipsum diuino iam instinctum numine, ad peccata confessione expianda perducit; mulieres istas honestè collocandas curat, haud in multiplici morbo sanando, quam in morbi causis in perpetuum tollendis prudentior. Ita ille teste Horatio Tursellino lib. 3. c. 7.

Neque hic stetit prudentissima Francisci caritas, quam sub doctore Ignatio felicissimè didicerat, & suos ipse discipulos eandem docere voluit, ac luculenter eisdem commendare, vt ex monitis, atque præceptis, quæ modò Gaspari Barzæo, modò Ioanni Brauio, aliisque perscripsit, quos in Domini vineam, per vastissimas illas Indiarum regiones emittebat, luce clariùs datum est perspexisse.

Et

S. Xauerius P. Gaspari circa conuersationis modum, vt prudens sit instituit.

Et ad primum quod attinet sic illi legitur fuisse locutus: Prauos cuiuspiam mores emendaturus, non priùs manum admouebis, quam intimos eius perspexeris sensus. Itaque „ magnopere tibi suadeo vt primum „ odoreris, atque inuestiges, an is vi„ tio aliquo aut mentis perturbatio„ ne occupatus, ab animi salute ab„ horreat. Si irâ, aut quauis molestiâ „ perturbatum senseris, supersedenn„ dum erit monitoris officio, & af„ fectus animus insinuatione qua„ dam ac dulcedine orationis deli„ niendus: vbi eum in tuum redege„ ris ditionem, obnoxio ad arbitrium „ tuum leges salutis impones, & „ quæcunque opus erunt, planè a„ perteque præscribes &c.

„ Ad alterum verò sic loquitur, „ In congressibus & colloquiis cauen„ dum est, ne nimia quædam graui„ tas suspicionem præbeat, reueren„ tiam exigentis arrogantiæ: sed po„ tiùs facilitatem vultus, affabilita„ temque sermonis &c. Atque hoc est præcipuè secundùm singularem Ignatianæ prudentiæ aphorismum, sermonis ingressum alteri concedere, exitu sibi reseruato: quod ante S. Ioannes Damascenus in Barlaamo sanctissimo senic., orbi vniuerso fecerat manifestum, dum is se gemmarium fingens, cuiusmodi homines regibus cari sunt, gemmamque afferre eximij splendoris & valoris, putà Euangelicam fidem, aditum sibi fecit ad Indiæ Regem, ac Iosaphatum filium eius Christo lucrifecit.

Ioannes. Gondinus.

Ex India calamo expeditior, quam phaselo in Europam traiectus est, hîc P. Ioannem Gondinum inuenio, magnum in hac palæstra alipten, de quo dici solitum, nullum hominum fuisse genus, cum quo non opportunissimè de Deo, deque rebus ad animarum salutem spectantibus non iucundissimè atque vtillimè versaretur.

Vbicunque locorum esset, quibuscunque cum ageret, ingrediebatur in causam facultate quadam admirabilissima; nam domesticam sibi exemplorum supellectilem comparauerat, vt ad vniuscuiusque sensum ac gustum diceret. Muliones, agasones, nartas, tabernarios, pari facilitate complectebatur. Murciam olim, in itinere ad tabernam serò diuerterat, in qua rhedarij ad viginti conuenerant, qui super mensam, vino innatam insolentiam incitante, in omni sermonum cœno volutabantur. His medium se inferens Gondinus, suauissimè colloquendo ita molliuit, ac flexit, vt piandorum criminum vehementem conciperent voluntatem, quam ne post abiicerent, totam illis noctem peruigil impendit, ac volentes expiauit.

Carolo Virule Louaniensis prudens conuersatio.

Ne verò quis Sapientiam hanc sacræ duntaxat togæ hospitem autumet, non autem & ciuilis, Carolum Virulum Pædagogij Liliensis Louanij primum institutorem, & per annos sex & quinquaginta summa cum gloria Rectorem consideret, de quo ita scribit Ludouicus Viues lib. 4. de tradendis disciplinis: Vellem vt docti aliqui delectarentur eo more, quem fuisse Caroli cuiusdam Viruli narrari audiebam Louanij. Is Liliano gymnasio præerat, & quia sub cura sua pueros habebat complures, ad visendos vel filios, vel propinquos, cum venirent varij generis homines, colloqui illos cum eo erat necesse, & vt est consuetudo regionis, etiam conuiuari, quod tempus ne vir bonus sine fructu in se, aliisque deperderet: inquirebat horas aliquot, ante conuiuij tempus, quibus in rebus plurimum, & dextrè esset conuiua suos versatus. Erat alius nauta, alius miles, alius agricola, alius faber, alius sutor, alius pistor. De eodem ipse artificio aliquid interreà legebat, & meditabatur: tum veniebat ad mensam paratus, vt & oblectaret conuiuam sermone de rebus ipsi notis & ab illo ita prouocato, quæ volebat assequebatur. Ita discedebat de colloquio & conuiuio lætior, & conuiuator prudentior ac peritior.

Neque sanè id mirandum, vti namque similitudo est causa amoris, ita quoque nihil voluntatem proximi, ita trahit ad virtutem, quam ei proponimus, quam nostri accommodatio ad eius conditionem ac mores, quare omnibus omnia fiat necesse est, qui omnes voluerit lucrifecisse quo Christus spectasse visus, dum se iam Regi, iam Medico, iam mercatori, iam agricolæ, iam pastori comparauit, vt nullus planè inueniretur, qui seipsum in eo non contemplaretur, vsque adeo vt cum peccare non posset, in forma peccatoris apparere voluerit, vt eâ similitudine, sibi nostras lucrifaceret voluntates. Confirmat hoc Tertullianus expendens Dei verba, quibus Adamum in paradiso, postquam peccasset, quæsiuit *Adam*, inquiens, *vbi es?* interrogat, quasi ignorans, vt vel sic, hominem ad se reducat. Imitatus Dominum Augustinus, qui quantumuis doctus esset, non dubitauit barbarè loqui cum minus doctis, vt eos tandem ad virtutem alliceret, nec magnæ eius exquisitæque doctrinæ reuerentia à se auerteret. Quando Elisæus suscitauit filium defunctum hospitæ suæ Sunamitidis, *os posuit super os pueri, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri, & aperuit oculos suos.* 4. reg. 4. Quid hoc? dicet S. Basilius orat. 10. *Vt vitam fratri defuncto demus, opus est, vt nos illi accommodemus actiones nostras, conditiones, & mores procedendi, quantum Dei lex permittit, omnibus omnia facti, vt omnes lucrifaciamus: oculos cum eius oculis, videndo quod illi vident: os cum eius ore conformando, verba nostra verbis eius attemperando: manus cum manibus eius, iuuando eum in operibus eius: pedes cum pedibus eius, ambulando passibus eius: & quod magis est intellectum nostrum ac sensum intellectui & sensui eius conformando, ac denique voluntatem nostram eius voluntati, amando quod amat, atque hic modus est trahendi omnes ad Deum.* Ita Basilius: quem non segniter hic imitatus Ignatius, quare ad tantæ rei commendationem ac laudem, quam præsenti hoc suo Apophthegmate expressit, id in supremo hoc margine, non insipienter addidero, quo noster Ioannes Rho in simili notauit, vt prauis colloquiis nulla violentior morum pestis est, ita bonis nullum esse remedium salutarius: & captare tempore, & molles primum miscere sermones, & confabulari ad vniuscuiusque genium ac captum diuinum esse consilium, quo sermonis ingressus alteri concedatur, exitus verò nobis reseruetur, fructus autem lectissimus proximo relinquatur.

Tertullianus.

4. reg. 4.

S. Basilius orat. 10.

APOPTH-

APOPHTHEGMA OCTAVVM.

Dicebat S. Ignatius: si aliquid esset, quod desiderium viuendi diutiùs in se excitare posset, illud fore (licèt in eo planè se resolueret) vt in admittendis ad Societatem posset esse restrictior.

P. Ioannes Polancus in aduersariis p.181.§.23. P. Daniel Bartolus vitæ S.P.lib.3. §.17.

Commentarius.

An religiosarum familiarum côditoribus ea, quæ instituta concernunt, reuelet Deus?



Constitutiones Societati scribebat Ignatius, cum propter aliquod piam cuius tum forsitan in mentem ei venerat cogitatio, rogauit Iacobum Laynium, à quo non ignorabat Sanctorum vitas,& eorum,qui Religiosas aliquando familias, disciplinasque fundarunt, studiosè perlectas, censeret ne diuinitus eorum authoribus omnia, quæ ad Instituta cuiusque familiæ pertinent, indicata; an præcipua potiùs aliqua, & grauiora duntaxat, relictis cæteris, non tam intimis, nec tam grauibus, Patriarcharum, Fundatorumque prudentiæ? cui Laynius sibi videri dixit, Deum Opt. Max. vt primum familiarum omnium procreatorem, atque parentem, quos ad eas excitandas, tamquam administros, & famulos delegisset; iis grauissima quæque, & cuique disciplinæ intima præmonstrasse; cætera verò, quæ non tam vim ac naturam cuiusque ordinis, quàm adiuncta quædam & quasi circumstantias attingunt, eademque pro varietate temporum ac locorum variari, mutarique possunt, ea putabat Fundatorum iudicio, atque prudentiæ permisisse quemadmodum in Ecclesia Catholica animaduertere licèt, in qua regenda, ac temperanda, multa huiusmodi Deus suorum ministrorum, vicariorumque prudentiæ libera atque integra esse voluit, cum tamen ea, quæ sunt præcipua, iam tum ab initio suis Apostolis, & primis illis Ecclesiæ pastoribus indicârit. Hæc censuit Laynius, cui & se subscribens Ignatius, sic, inquit, & ego sentio. Nec malè profectò, quemadmodum id sæpè sæpiùs in variis datum fuit, luce clariùs perspexisse, inter quæ, non in postremis eorum censendus numerus est, quo vel mediocri, vel frequenti cooptari debeant ad Religiosum statum illi, quos contigerit ad eum aspirare cuius licèt in nominibus Religiosorum familiis, in Societate tamen maxima semper habita ratio fuit, vt ex sequentibus patebit.

Ratio assensionis.

Quid de numero admittendorum.

Iam rationum ponderibus ac momentis, quæ contra Religionum multitudinem, ac præcipuè nouam hanc Societatem pugnare videbantur, nouo S. Spiritus cedentes instinctio, S. R. E. Cardinales censuerunt Societatem in earum numerum reponendam: qua re Pontifex non mediocriter delectatus, simulque tam ancipitis deliberationis felicem admiratus exitum, prolixo animo, & Societatem ipsam Religionem, & Societati inditum Nomen quinto Kal. Octobris anno quingentesimo, quadragesimo suprà millesimum, publicis litteris declarârit, confirmaratque professorum tamen numero ad sexaginta, nec maiore, vt Cardinales censuerant coarctato: vt iam tum Dei voce præmoneri videretur Ignatius ne magnam in Societatem Professorum turbam, si ei consultum vellet, admitteret, nec alios, quam qui essent excellenti aliqua doctrinæ laude, vt Apostolicæ iubebant litteræ,

Multitudo Societati non conuenit.

ræ, Christianæque vitæ puritate conspicui. Tales autem cum rarò Dei beneficio multi esse viderentur, pluresque continenter euaderent, atque eandem vitæ Societatem expeterent, ad hæc, studia ciuitatum, postulata Principum vota populorum de Societatis Collegiis, domibusque fundandis, & domi suæ collocandis increscerent, Pontifex æquissimæ eorum postulationi cedendum ratus, post triennium, quos ipse circumdederat, cancellos reuulsit, & Societati amplificandæ, omni, seu temporis, seu personarum definitione sublatâ, integram potestatem fecit.

Sed ne nimium secundo cursu naufragij aliquid faceret, cautè omnia circumspectans Ignatius, statuit apud animum suum semper sibi antiquissimum fore, ne quempiam sine magno delectu Societate reciperet, nec in ea turbam adamaret: quare cum ex omni ætate complures Societatis ineundæ gratia concurrerent, is ita cuiusque naturam, atque indolem, vires ac propensiones explorabat: ita vitam omnem, ac mores excutiebat, adhibito non domesticorum modò, verùm etiam externorum, notorumque testimonio, vt neminem non ad id natum, ac probè factum in suum cætum, numerumque conscriberet. Malebat quippe, Authore Nicolao Orlandino historiæ Societatis lib. 5. quod crebris solebat vsurpare sermonibus, *Societatem virtute, præstare quam numero: & re magis ipsa, quàm nomine, cultuque distingui.*

Nicolaus Orlandinus l. 5. hist.

Sententia digna Sapiente. Effatum periculo vacuum, plenum prudentiæ & sanctitatis, quod nequaquam intra verba stare passus Ignatius fuit, sed factis optimis ac præclaris exsequi laborauit, dum hisce animi sui decretis ita paruit, vt cum variis ex prouinciis Dynastarum ac Præsulum postulationibus vrgeretur, suorum potiùs paucitatem excusaret, quam, vt in aliquod discrimen Societatis nomen, si temerè suorum numerum auxisset, offerret. Nec tempus aut hora, quod mirum, hic quidpiam arrodere, aut immutare visa sunt. Vnde sub vitæ finem non rarò hæ voces ab eo auditæ: *si aliquid esset, quòd desiderium viuendi diutiùs in se excitare posset: illud fore, vt in admittendis ad Societatem esset difficilior.*

Quomodò Ignati, nec dum te partibus tuis satisfecisse arbitraris, quibus tam luculenter prospexisti vt nec à sapientissimo, prudentissimoque viro quispiam plus ausit exspectare? quo enim spectant casus illi, quos cap. 2. Examinis interrogari voluisti, an acciderint iis, qui in Societatem ingredi petunt, quibus si attineri, deprehensi fuerint, eâ excludantur.

Quomodò turbare à Societate arcuerit Ignatius.

Casus excludentes à Soc. ingressu.

Primus, recessisse à gremio S. Ecclesiæ, fidem abnegando; vel in errores contra ipsam, sic incurrendo, vt damnatus ob aliquam propositionem hæreticam, quis fuerit; vel vt suspectus hæresis per sententiam publicam declaratus; vel si infamis ob excommunicationem tãquam schismaticus, spreta authoritate & prouidentiâ Sanctæ matris Ecclesiæ, extiterit.

Secundus, homicidium aliquo tempore perpetrasse, vel publicè infamem propter enormia peccata fuisse.

Tertius, habitum sumpsisse alicuius Religionis Fratrum, vel Clericorum; vitam aliquamdiu in Obedientia cum eis agendo, siue emissâ Professione, siue non emissâ; vel eremitam cum vestibus monachalibus fuisse.

Quartus, vinculo matrimonij consummati, vel seruitutis legitimæ ligatum esse.

Quintus, Infirmitatem pati, vnde obscurari, vel parum sanum iudicium ei reddi soleat, vel dispositionem notabilem ad huiusmodi infirmitatem habere.

Qui verò eiuscemodi cautela, prudentiaque in adsciscendis tironibus vsus est, næ ille iustitiam omnem adimplesse dicendus sit.

Sed

Sed neque his ita generatim expositis acquiescendum ratus singulorum insuper caussas, agendique decentiam adiunxit.

Prædicti casus, inquiens, impedimenta sunt, cum quorum aliquo, nemo in Societatem admitti potest, cum nobis in Domino videatur, præter aliàs causas, quod qui in eam sunt ingressuri, ad bene & fideliter euangelizandum, & in agro Domini verbum diuinum seminandum, eo aptiora ad id instrumenta erunt, quo minus primi & secundi defectus notam habuerint, propter consuetam multis & communem infirmitatem.

Cùm tertiò etiam non admittuntur, quòd nobis in Domino videatur, eum qui bonus Christianus fit, debere firmum esse in suâ primâ vocatione: præsertim cum illa tam sit sancta, in qua scilicet quis vniuerso sæculo relicto, se totum dedicat maiori seruitio & gloriæ Creatoris, & Domini sui.

Postremò sic nobis persuademus (præterquam quod maior sit futura ædificatio proximorum) eò melius in Domino, ipsius gratiâ aspirante, conseruari posse omnes Professos, Coadiutores atque Scholasticos, quo magis liberi fuerint ab huiusmodi impedimentis, ac veluti vnius coloris & similitudinis omnes.

Nullus etiam admittitur cum duobus vltimis impedimentis. Nam quartum esset eum detrimento proximorum, si vxoris, vel Domini consensus non obtineretur, aliæque circumstantiæ, prout ratio iuris exigit, obseruarentur.

Quintum etiam in damnum esset non mediocre ipsius Societatis.

Impedimenta ab ingrediente Societate. Præter hæc, & alia, inquit impedimenta statuo, quæ licèt singula à Societate absolutè non excludant, reddunt tamen minus idoneum eum qui admitti exoptat, & posset tanti momenti esse defectus, vt è seruitio Dei non esset futurum, cum eo quemquam admitti, vt sunt passiones, vel affectus qui domari non posse videantur, vel peccatorum habitus, de quibus non magna emendatio speretur.

Inconstantia, vel remissio animi notabilis.

Intentio minus recta, quam par esset ad Religionis ingressum.

In exteriore homine defectus, in integritate corporis, morbus, debilitas, vel notabilis deformitas.

Ætas minor quindecim annis, maior quinquaginta.

Ita fere Ignatius in Examine, quod frequenter in Constitutionibus inculcare non prætermisit, vt parte 1. cap. 1. vbi sic loquitur: quia refert „ plurimum ad diuinum seruitium, *Constitut. p.1.c.1.* „ conuenientem haberi delectum „ eorum qui admittuntur, & dili„ gentiam adhiberi, vt intelligatur, „ quæ eorum sint dotes & vocatio, „ qui talem admittendi facultatem „ habet, habeat oportet cognitio„ nem rerum Societatis, & zelum „ boni progressus ipsius, vt nulla ra„ tione dimoueri ab eo possit, quod „ in Domino conuenientiùs ad diui„ num seruitium in hac Societate „ iudicârit, quod vt consequatur, „ moderatus admodum sit oportet, „ in desiderio admittendi. Et iterum „ p.10.§.7. Vt perpetuò totius huius „ corporis bonus status conseruetur, „ confert plurimum, vt quod ante „ dictum est, de turba & hominibus „ ad nostrum institutum ineptis, ne „ ad probationem quidem admit„ tendis: & si aliqui probationis „ tempore, non esse idonei inueni„ rentur, etiam dimittendis.

Quia verò pij ac probi parentes filios non tam opum quàm spiritus sui hæredes optant post se relinquere, minimè ambigendum est quin S. P. Ignatius, illos, quos Christo genuerat, eiusdem secum mentis ac spiritus reliquerit consortes. Patet, vt alios missos faciam in B. Francisco Borgia, qui tertius ab Ignatio familiam hanc duxit, atque id ipsum *B. Frãcisc. Borgias in ep. pastorali.* in Epistola sua Pastorali luculenter „ expressit in hunc modum: Cùm in „ campum nostrum zizonia multis „ ac variis modis per fraudem indu-

„ ci queant, eo tamen ex capite ma-
„ ximè formidarim, si minimè nobis
„ curæ esset spiritum nostrarum con-
„ stitutionum retinere in admitten-
„ dis ad Societatem nostram homi-
„ nibus. Nam si aliâ intentione pro-
„ cedatur, quam quæ à nostris con-
„ stitutionibus requiritur certissimæ
„ ruinæ porta operietur. Fac enim
„ doctrinæ hominum tantum & na-
„ turæ ornamenta spectentur, parum
„ habita ratione vocationis & Spiri-
„ tus, tempus erit cum multum lit-
„ terarum habeamus, pietatis nihil:
vnde ambitio, superbia &c. Scribatur ergo præceptum hoc in capite libri, ne quando, quod ratio præuidet, doceat vsus. Ita ille: cui addo totius Societatis in quinta congregat. assensum, quæ Decreto 52. suprà prædictorum confirmationem nouum insuper, & indispensabile impedimentum adiunxit, ne vllus post hac in Societatem admittatur, qui ex Hebræorum, aut Saracenorum genere descendat: rationis loco subiungens, quamquam enim Societas pro communi salute omnibus omnia fieri exoptat, vt quos poterit Christo lucrifaciat, non tamen necessum est, vt suos ministros ex quouis hominum genere desumat.

Et hæc mens Ignatij ac filiorum eius semper fuit, quibus neque turba, neque homines ad institutum parum apti vnquam placuêre cuius rei pondus ac momentum, vt magis elucescat, id statui tum sacris vtriusque testamenti tabulis, tum grauissimis SS. PP. testimoniis illustrare.

Ad sacras itaque litteras primò quod attinet, quid Deum ac Dominum nostrum aliud voluisse censebimus? quando Ierobaali, qui & Gedeon, in Madianitas cum iustis copiis moturo, *multus*, inquit, *tecum est populus, nec tradetur Madian in manus eius.* Multos ille collegerat, quia multis, opus esse æstimabat; sed non Dominus, neque enim in pluribus eorum beneplacitum erat ei. De triginta igitur ac duobus virorum millibus, trecentos illi reliquos fecit, de quibus, ad eum: *in trecentis viris liberabo vos.* Iudic. 7. 2

Meticulosis itaque, & intemperantibus dimissis, in hostem contendit Gedeon, *venit, vidit, & Deus vicit.*

Præclarè ad hæc Saluianus lib. 7. de Prouidentia. *Euidenter*, ait. *hic Deus intelligi voluit, magna opera sæpè patrari à paucis, dum homini aduersus innumera barbarorum millia pugnaturo trecentos tantum viros relinquit. In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum iussit, vt sibi de patrato diuinitus belli opere paucitas vsurpare posset nihil.* Audiant hoc, inquam, omnes, qui spem suam in homine ponunt. Miramur si nobis cælestis manus aliqua non præstet, cui quidquid præstiterit, derogamus. Castranda multitudo est, vti factum cùm timidis & intemperantibus exsectis, id pauculi præstiterunt, quod multi nequaquam efficere potuissent. Saluianus l. 7. de prouident.

Et meritò quidem voluit Dominus ab hac expeditione timidos mitti tum propter minuendam, pro veteri more Deuter. 20. Israëlis multitudinem, tum propter generales illius præcepti causas, quas non indiligenter l. de fortitud. tractauit Philo disertissimus Iudæorum. Deut. 20. Philo lib. de fortitud.

„ Ante omnia, inquiens, præmo-
„ nendum est, ad bellum non admit-
„ tendos pauefactos, & timidos, quia
„ ij ab insito animis languore ca-
„ piendi sunt, & formidinem com-
„ militonibus aliis iniecturi facilè
„ enim serpit vitiorum contagio:
„ nam timiditas quoque morbus est,
„ & quidem grauior quam corporis,
„ alter enim non diu durat, hæc au-
„ tem coalita, ceu membra agnata
„ corpori; à tenera ætate vsque ad
„ extremam senectutem perseuerat,
„ sibi, aliisque noxia & grauis.

His intemperantiores, corporeisque cupiditatibus nimium feruientes subiunxit, licèt enim vtrumque vitium (animi sc. paruitas, ac timiditas, ipsaque intemperantia, & mollior, atque indulgentior corporis cura)

ra) magnum militiæ venenum, pestisque sit, minus tamen idonei sunt timidi, quam qui paululum corporis studiosiores sunt; quid enim à timidis & fugacibus præclari gestum est vnquam? Ab aliis quidem sed rarò, Remouendum igitur à bellis & castris malum vtrumque, considerandumque illud Quintiliani lib 8. cap. vlt. *In agmine interdum duplex numerus, nec duplum virium.*

Quintilianus l 8. cap. vlt.

Quæ omnia ad spiritualem militiam nobis in præsenti argumento propositam, non difficulter applicaris, ne lessum suum nobis aliquando occinat euangelicus propheta Isaias, dicens: *multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam*: quæ verba appositè S. Hieronym. in vita S. Malchi adaptat Ecclesiæ, cum sic scribit: historiam scribere disposui ab aduentu Saluatoris vsque ad ætatem nostram. id est ab Apostolis, vsque ad nostri temporis faciem, quomodò, & per quos Christi Ecclesia nata sit, & adulta persecutionibus creuerit, martyriis coronata sit, & postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta sit.

Isaias c. 3.

S. Hieron. in vita Malchi.

„ Cùm pauci primum in Ecclesia erant, omnium credentium erat cor vnum & anima vna, communia erant omnia, neque quisquam aliquid suum esse dicebat. Qui possessiones habebant, vendebant: & pecuniam ponebant ad pedes Apostolorum. Auctus est numerus, & imminuta sanctitas. Peruenit Apostolorum numerus ad duodenarium, vnus fur & proditor inuentus fuit. Additi sunt septuaginta discipuli, vnus ex eis nouæ hæresis author exstitisse dicitur à multis, Nicolaus. Putamus aliquam congregationem vel sanctiorem esse Ecclesiâ Catholicâ, vel maiore Dei prouidentia gubernari? Fallimur: quod igitur passa est mater, filiæ non patientur?

S. Bernardus elegantis ingenij, acerrimique iudicij Doctor hæc ad multitudinem Clericorum refert, dum sermone de conuersione ad Clericos cap. 25. sic loquitur: & si multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse. Currunt passim ad sacros Ordines, & reuerenda quoque spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt, sine reuerentia, sine consideratione. Neque enim signum regni occupare cælestis, aut illius timent imperij gestare coronam, in quibus auaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia: sed & iniquitas & luxuria etiam principatur. In summa multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Quis hunc dignitatis gradum appetit, qui non adipiscatur? Sed quam pauci propter Deum appetunt!

S. Bernardus serm. de conuersione ad clericos c. 25.

„ Qui pauper futurus & despectus, clericatum optat, ne manibus victum quærere cogatur. Alij sacerdotes esse volunt, vt Ecclesiarum patrimoniis splendidius viuant. Non pauci de vitæ ratione eligenda ancipites hærent, nequaquam inquirentes, quid Deo gratius sed quid ambitioni suæ futurum vtilius? Quid hinc exspectandum arbitrabimur? nisi quod iam suo tempore deplorabat S. Gregorius: *Ecce*, inquiebat, *mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valdè inuenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus*: hom. 17. in Euang. Vetùm de paruis queritur S. Gregorius: tolerabile quidem esset, iam raros inueniri operarios, nisi multi essent operis interturbatores. Accuratiùs hoc secum expendant ac ponderent, quibus id commissum est, ac proinde exactam se Domino suo rationem reddituros esse ignorare non possunt, vt paucos, eosque à Deo vocatos ad sacros Cleri ordines admittant, quemadmodum Concil. Trident. sess. 23. à cap. 7. Reformationis, vsque ad 17. disertè præscribit.

S. Gregor. hom. 17. in Euang.

Concil. Trident. sess 23. c. 7. & seq.

Verùm

Verùm enim verò non tam de his, quàm de Religiosis Ordinibus præfata Isaiæ verba ad sacri Apophthegmatis nostri explanationem interpretanda duxi, quibus omnibus S. Ignatius in suo, cui præcipua quadam solicitudine cupiebat esse prospectum, ostendere voluit multitudinem, turbamúe personarum, non conuenire, iis præsertim, qui ad proximorum opem instituti sunt, in quibus nulla certior aut præsentior pestis, quàm multitudo & promiscua turba hominum, vti longi nostemporis vsus docuit esse perhibetur. Nam quæ dicuntur Religionis pestes, & sunt, Ambitio, auaritia, voluptas, contentio, otium, aliaque sexcenta, ex multitudine ortum habent: quisquis autem existimat in magna hominum turba pacem, concordiam, humilitatem, mortificationem, disciplinam, zelum & spiritum bonum conseruari diu posse, id futurum existimat, quod neque in hunc diem vspiam factum est, neque facilè fiet. In turbam irrepant necessè multi sensuum rationem spectantes, multi voluptatum corporearum assectæ, torpidi, melancholici, ceruicosi, cupidi, aliique horum similes non pauci, qui in turba latentes, nec à superiore sat perspici, nec satis excoli possunt. In senium vergit hic mundus, nec Æthiops, vt opinor, mutabit pellem suam, nec pardus varietatem, quod sincerum ac pretiosum, à raritate commendatum semper fuit, *Stultorum infinitus est numerus*. Errant itaque grauissimè, & solenniter quidem desipiunt, qui in hoc vnum intenti, vt Ordines suos, familiasque numero augeant & propagent; nouas domos, monasteria, cœnobia, residentias conquirant, vel extruant, parum de disciplina, veroque religionis spiritu soliciti, ac curiosi vnde scandala, votorum transgressio immunitates, ordinum ruinæ, aliæque religiosarum domuum pestes miserrimæ, ac funesti casus oriuntur.

Ratio cur turba personarum religiosis ordinibus non conueniat.

Eccle. 1. 15

Sed est præterea mali huius fons ac causa non minus idonea quàm prior, tantoque nocentior, quanto magis sub specie boni venenum spargit, sc. pietatis quoddam, seu naturalis compassionis genus, honesto caritatis velo intectum, quo agente fit, vt religioni sibi ducant, si vel quempiam, qui in ipsorum transire cœtum velit, eodem excludant, vel si opus fuerit, aliquem eorum, quos apud se retinere minimè expediat, dimittere cogantur: quod sibi perperam nimirum persuadeant, in causa se futuros, quod eximio anima hæc bono caritura sit, seque suis proinde partibus defuturos. Zelus hic animarum esse primâ fronte videtur zelus honoris Dei; in recessu tamen ab eo nimis, quàm distat, ac non nisi mera tentatio esse inuenitur. Si enim hi necessarias religioni dotes, & partes præferant, ipse etiam, vt cooptentur, auctor & suasor sum; sed de his sermo nobis non est; at, si his careant hoc ipsum argumento esto, à Deo illos non vocari quare eos admittere, quos omnipotens non traxit, quid obsecro est aliud, quàm religionem penitus euertere, & destruere velle?

Vrgens valde hæc ratio.

Qui enim ad hanc ipsos disciplinam non vocauit Deus, ad aliam fortè eos, vel aliud vitæ genus vocabit, atque in eodem suam haud difficulter, poterunt salutem operari. Variæ enim ac multiplices Deo sunt viæ. Videant igitur, & diligenter expendant, quàm graue hos allegendo, sibi consciscant crimen, & ad oculum videbunt, veréne dictum sit, meram id tentationem cacodæmonis esse, & eo quidem nocentiorem, quo maiorem præ se fert speciem charitatis; primò namque hæc commiseratio, in causa erit, vt in multis eius peccatis Superiores conniueant, itaque omnis paulatim religionis sit vigor intermoriturus. Secundò, non est ipsis animæ alienæ cura concredita; nec has ipsis Deus partes imposuit, sed duntaxat, suorum vt rationem haberent, ac suæ bono religionis consulerent, non suæ religioni nocere, quo huic vel illi consulatur,

tur, adeò charitas non eſt, vt etiam veræ charitati aduerſetur, charitas quippe maius ſpectat bonum, & eius cauſa minus negligere interdum ſolet: nam, vt docet Ariſtoteles, *quò ad plures bonum ſpectat & diffunditur, eo ipſum & maius & diuinius eſt.*

Ariſtoteles.

Quapropter id denique ſpectandum, & ſolum quidem, quod etiam Deus vult vt ij potiſſimum cooptentur, quos verè huc ipſe vocat, illi, inquam, qui neceſſarias huic inſtituto conditiones habent, ad quas perſpiciendas, noſcendaſque, examinandi ante ſunt, & poſtmodum accuratè probandi, in quibus ſi fortè minus ſatisfecerint, omni ſepoſito priuati ſtudij affectu erunt excludendi.

Sciò poſſe contingere, Deum poſteà corda mutare, & id genus tirones, meliores mores aſſumere, verùm prudentium Superiorum eſt, fortunæ ſua non committere, ſed vbi viderint, illorum animum, ac ſcopum non eſſe, ſincerè, pureque Deo ſeruire poſſe, ac velle, ianuam illis occludere, & introitum negare.

Meritò ergo S.Ignatius ſuis identidem occinere ſolitus, Religioſos ordinem ſuum, & gradum oportere non numero, ſed virtute tenere: vti duodecim Apoſtoli, pauci illi numero, ſed virtute magni, orbem totum fermentârunt.

S. Franciſcus Xauerius turbã non probat.

Quo ſenſu B. Franciſcum Xauerium tanti Patris non degenerem filium, ductum quoque in Indiis reperimus, de quo Horatius Turſellinus rerum à Franciſco geſtarum fidelis hiſtoricus lib. 6. c. 4. ſcribit in hunc modum: Nolebat moderatores, ſuperioreſque Societatis in hominibus ad ſuum cætum, ſine delectu aggregandis faciles nimium eſſe, ac liberales; ſed paucos è multis diligere, eoſque maximè idoneos: quod longè plus roboris ſit in delecta virorum manu, quàm in infinita hominum turba. Tales vtique eſſe deligendos, qui ad Societatis inſtitutum nati, factique viderentur, quorum ſc. virtute confidere tum domi, tum foris liceret. Quos verò difficultas, aut neceſſitas aliqua, magis quàm pietas, diuinique obſequij cupido, ad Societatem compelleret, his haudquaquam patere debere Societatem. Quocirca Gaſpari Barzæo, quem in Iaponiam abiens cæteris præfecerat, ita præcepit: Noli facilè, ac ſine delectu multos in Societatem adſciſcere, ſed paucos, & maximè idoneos. Namque & Societatis ratio id poſtulat, & maiori vſui ſunt pauci egregij, quàm mille vulgares. Quos verò animi ac virtutis indoles adeò commendaſſet, vt apti ad Societatem viderentur, eos diù ac multum exerceri volebat, probarique donec illorum virtus multis ac magnis experimentis ſpectata foret ſatis.

S. Thereſia turbam nõ probabat cũ numerum 21. in ſingulis domibus excedere nolebat.

Idem hîc ſentire viſa eſt B. Virgo Thereſia, ille ductus è Carmelo fons, & origo defæcatiſſimæ ſanctitatis, in quo velut in ſpeculo reſplenduerunt oſtenta tam illuſtria, tam inuſitata de cælo, vt ardere & inflammare reliquos videretur, hæc itaque in Religioſarum admiſſione ſpectari magis volebat talenta, doteſque animæ eius, quæ admitti poſtulabat, quàm eas quas è facultatibus paternis, afferret: nullaque illas de cauſa permittebat ſuarum in cœtum adſcribi, quibus, quas conſtitutiones exigunt, dotes defuiſſent, præſertim ſi aliquod naturæ, corporiſque vitium haberent, multò verò minus ad votorum eaſdem admiſſionem promoueri. Nolebat autem Moniales in vnoquoque monaſterio numerum viginti vnius vllo modo excedere: tantumque aiebat damnum ſequi admittendo plures, quam conſtitutiones præſcriberent, quantum ſi ipſa cœnobia deſtruerentur: imò nunquam cum compleri numerum maluiſſet. Laicas etiam quam pauciſſimas eſſe volebat, & eas duntaxat, quibus ægrè domus carere poſſet. Atque hac in re, Præpoſitis occurrendum videri, quæ laicas ſemper habere plurimas geſtiunt, quibus domos ſuas grauant, & ſæpè quidem eiuſmodi, à quibus parum illæ ſubſidij habere poſſint.

Ita

Ita Therefia : quæ autem tanto ftudio in admittendis fuis ad probationem, Ignatij fpiritum fecuta fuit: non minore in eifdē cooptandis ad religionem, vel ab ea poft probationem reiiciendis, eum voluit æmulari : quocirca Tirocinij annum longiùs voluiffet extendi, vt antè, multum annorum effluerct, quam folennia Deo vota nuncuparent, vti in Societate fieri nouerat, vt quæ ad votorum erant emiffionem admittendæ, melius cognofcerentur, & probarentur.

Via perfe-ctionis c.13. Hinc in eo libro, quem viam perfectionis appellauit, fic loquitur c. 3. Maiores noftri annum integrum probationis inftituerunt : equidem verò vellem, is mos inueheretur, nequa ante decennium ad profeffionem admitteretur : quæ enim verè futura eft humilis monialis, parum morabitur, profeffane fit, nec ne : nam indubitatum habebit fe, fi modò morata, & proba fuerit, domo non exigendam; fi verò fecùs fe gerat, cur huic Domini noftri Iefu Chrifti familiæ obeffe velit? quod ipfa profectò non fegniter eft exfecuta, dum quandam de confobrinis, facra, quam iam annum & amplius geftarat, vefte priuatam in paternas ædes remifit, tametfi fummis apud ipfam neceffarij precibus inftarent, hanc apud fe vt retineret, fieri poffe dicentes, vt ætate crefcente, crefceret ad hoc vitæ genus propenfio, & confirmatio.

Exclamem ergo, ô! fœminam plufquam fœminam, mulierem fortem factam fecundum cor Dei! quam nullæ dæmonum fraudes, technæ, atque fallaciæ latere poterant, & quia fugere nequibant, hæc præcipuè de qua agimus, feliciter fubdebatur, quod in B. Francifco Affifiate Minorum Annales, ad annum Domini 1219. Religionis verò 12. graphicè demonftrant. Coëgerat vir fanctus Affifij Comitia generalia ad Ordinis fui felicem progreffum, commouit fancta hæc atque vniuerfa congregatio, exploratáque ac probata eius pietas Rectorem tenebrarum harum, qui quantò magis ad Deum homines accedere, & fibi rebellare confpicit, vt S. Gregorius. 14. Moral. cap. 1 §. fcribit, tantò amplius impugnare contendit, & contra illos diuerfis tentationibus infiftit, qui poffunt etiam aliis fuâ vtilitate prodeffe. Conuocato igitur multorum millium fui generis concilio in hofpitali Cruciferorum, non longè ab illa Francifcana acie diffito, comitia comitiis, & confiliis confilia oppofuit, feriufque egit, quomodò adolefcentem exftirpare religionem poffet. Multa prolata in medium confilia, varia vafrorum arbitria, illud tamen vnius ex aftutioribus præ ceteris probatum, vt focij fuas adhiberent vires ad inducendum hoc fodalirium, quatenus fub fpecie boni & æqui in fe reciperet multos, nobiles, litteratos magiftros & pueros. Nobiles, vt viuant inter eos lautiùs, fufpirantes ad delicias, quibus affueuerant, aut innutriti erant; litteratos magiftros, vt fuis fcientiis tumentes viam deftruant, & conculcent humilitatis; pueros, vt relaxent regularem difciplinam, quam molliufcula membra exhorrent.

S. Francifcus defuper docetur turbā̄ eleſſe religioforum familiarā integratati.

Optimum cunctis confilium, operéque complendum, quod & in mandatis ab iniquo fuo acceperant rectore : norant fiquidem cum probis viris, quorum Deus pars cordis eorum eft, non tam agendum aperto morte, quam arte, neque tam manifeftè debellandam robuftam aciem, quam callidè fupplantandam, cui gentis hæc multiplicatio mirificè deferuit, magnificâ nequaquam lætitia fubfequente.

Porrò fecretum hoc conciliabulum non latuit Francifcum, totum enim ei defuper reuelatum eft, quamque deberet cum fuis curam & vigilantiam aduerfus callidi hoftis infidias adhibere. Obftupuit aliquantulum ad immenfam contra fe congregatorum multitudinem, & ad tantam erga humanum genus latentis inimici malignitatem. Ad Deum

itaque

itaque supplex confugit, à quo tandem confortatus processit in medium sanctæ congregationis, quam egregio & luculento sermone commonuit suæ salutis, cum omni solicitudine curandæ, nec adeo fidendum esse vitæ generi, nec statusperfectioni, quin hostis maligni queant insidiis supplantari, qui à promiscua multitudine, inconditaque turba cuiuscunque religionis pacem, profectum, ac dignitatem lædi, interturbarique posse non nescit.

Apophthegmatis Ignatiani laus & approbatio.

Bene itaque ac sapienter Ignatius memorandum hoc nobis Apophthegma reliquit, quod mirè, & cum aliorum Magistrorum doctrina consentit, vt qui ab eodem edoctus, imbutusque esset magistro, à quo & ipsi suam fuerant doctrinam consecuti. Quod vt omnibus pateat, nonnulla ex iis visum est hîc recensere.

S Basilius in reg. fus. inter. 10.

Primus sit Christianorum Philosophus & Philosophorum Christianissimus Basilius, qui in reg. fus. interrog. 10. non passim ac promiscuè omnes docet religiosâ veste donandos esse, qui eandem petunt: sed horum ante considerandos esse mores, num sc. inconstantes sint ac leues nec ne; quos, si inconstantiam præferant, exerceri, ipsorumque aliquo temporis interuallo, constantiæ à superioribus periculum fieri suadet, molesta, grauia, duraque illis præscribentibus: quorum si robur & perseuerantem in aduersis deficere viderint constantiam, foras pelli, ne cæteris sint graues.

S Pachomius in reg.

Alter est Pachomius in ea quam ab Angelo accepit constitutionum monasticarum formula, vbi sic habet: *Si quis ad cœnobium venit sæculi deserendi voluntatem præferens, & monasticen profitendi, eum superiores in domum non ante admittant, quam hunc ad dies aliquot ante eiusdem fores exspectare coëgerint, hoc exploraturi pacto, num constans illius sit propositum: huc porrò introductum famulari vult & variis exerceri modis, ac tum demum monasticum schema assumere.*

S Cassianus l. 4. de instit. c. 3.

Similia tradit Cassianus lib. 4. de Instit. renuntiantium cap. 3.

S. Benedictus in reg. c. 58.

Idem quoque sua in regula suasit S. Benedictus cap. 58. Nouiter, inquiens, quis veniens ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus; Sed sicut ait Apostolus 1. Ioan. 4. *probate spiritus, si ex Deo sunt.* Prædicentur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum, & si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum, legatur ei hæc regula, & dicatur ei: ecce lex, sub qua militare vis: si potes obseruare, ingredere, si verò non potes, liber discede. Ex quibus, eorumque similibus, quæ Smaragdus Abbas eandem regulam commentatus adfert, haud difficulter intelligitur, quantus eorum, qui in religiosam domum admitti petunt, delectus habendus sit. imò postquam iam cooptati sunt, illorum periculum faciendum, quanta etiam libertate votorum emissio eis neganda sit, qui instituto apti non erunt, ne fatua multitudine, ac turba, domus & religio grauetur, ac tandem magno diuini Nominis probro, ac salutis animarum detrimento extinguantur.

1. Ioan. 4.

Smaragd. Abbas.

Rationes afferens Apophthegmatis.

Sed quid opus pluribus, vbi ratio perorat? Qualis virtus nutritiua corporis, talis & eius sanitas ac valetudo fit, oportet: si debilis ac praua, plures noxios humores accumulari necesse est; quibus vires corporis pessum eant: idem in aggregandis tironibus vsuuenit, si temerè ac sine delectu admittantur, impletur, instar corporis religio plurimis velut peccantibus humoribus, quos vel eiicere postmodum cum graui suo debeat incommodo, vel maximo retinere cum damno; vtrique obuiat ac præcauet, qui Ignatium hic sequitur Ducem: neque enim Religio pollubrum aut malluuium aliquid habendum est, in quod sæculares familiæ inutilem turbam, seu spumam eiiciant, quam multi non grauatè solent Deo transcribere, Cainum imitati, secundos scilicet & viliores fructus offerentem, primos & meliores sibi reseruan-

seruantem: vnde vel maximè ex æquo facere dixerim illos religiosorum hominum cœtus, qui tanto maiore delectu in admittendis tironibus vbi solent, quanto eorum sublimior est vocatio, & arduum magis ministerium, quique non iam cellis abditi latere, sed in solem ac lucem prodire ad aliorum salutem gestiunt accuratiore studio, & circumspectione huic vnicè incumbunt, neque enim omnes eodem vocanrur: quod tantopere Henrico IV. Galliarum Regi Christianissimo probatum inuenio, vt, cum Societatem à regio Senatu traduci intelligeret, quod singulari delectu tirones adsciscerct, ac proinde rempub. præstantioribus ingeniis spoliaret, respondent in hunc modum: *rectè hi Patres me Iudice faciunt, qui & militum meorum manipulos ac centurias ita soleo aggregare, habiturus, ni fecero homines promptiores pedibus ad fugiendum, quàm manibus ad pugnandum.* Amplissimum sanè, & commemorandum omnibus tanti Regis iudicium: quod magnum illum Romanæ militiæ magistrum *Vegetium* non latuit, cum lib. 1. cap. 7. ita scripsit: *Vires Regni & Romani nominis fundamentum in prima delectorum examinatione consistit.* *Vegetius l. 1. c. 7.*

Quod licèt ita se habeat, & fieri omninò expediat, non ita tamen feliciter succedere semper certum est, quin interdum, quæ humana instabilitas est, abludat, dum sc. qui principio montes aureos pollicebantur, vix æreas bracteas excudant erit tamen aliquid prodire tenus, si non datur vltrà. Bene igitur ac sapienter agere dicendi, qui Tirones suos non iam ad numerum, sed ad pondus admittant, ne Religiosa familia velut Lia quædam fœcunda, sed plangent se aliquando multiplicatam quidem gente, sed non magnificatam lætitiâ aliquando deploret.

S. Ambr. Sed nec solis religiosorum hominum Ordinibus sic esse velim prospectum, verum & sæcularium turmis, cùm iam non reti, quo vt loquitur S. Ambrosius, turba concluditur, sed hamo, quo singularis eligitur, eorum liberos piscabimur, neque enim nobis turba conuenit, cui si forte Religiosorum ordo intenderet, eo res demum procederet, vt religiosæ domus mage operis, quam operibus perperàm implerentur, cum quidquid præclarè, sanctéque in eis fieri soleat, non multis, sed paucis, iisque selectis debeatur, cæteris subinde negotium impedientibus magis, quàm iuuantibus: imò rete ipsum frangentibus, ac nauim in extremum discrimen adducentibus, vt apud Lucam cap. 5. 6. accidisse legimus, quia boni in ea erant, & mali; de quo sic *S. Ambrosius* lib. 4. *mihi cumulus iste suspectus est*, inquit, *ne plenitudine sui, naues pœnè mergantur.* Rationem porrò subiungit *S. Augustinus* tract. 122 in Ioan. *Vnde, ait, existunt in Ecclesia, tanta quæ gemimus, nisi cum tantæ multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendam propemodam disciplinam intrat cum moribus suis, à Sanctorum itinere penitus alienis?* *Lucæ 5. 6.* *S. Ambr. l. 4.* *S. August. tract. 122. in Ioan.*

Vbi notandum hîc retè fractum, non alibi Ioan. 21. quando scilicet Christo iubente ad dextra nauigij missum fuit, nobis vtique ad doctrinam per seruum suum Ignatium tradendam insigniter confirmandam, solitum quippe Deum piscatui faucre clarum est, si homines idoneos ac singularibus talentis instructos adsciscamus de quibus dici potest: *Et cum tanti essent, non est scissum rete:* quæ verba explanans S. Augustinus serm. 4. de diuersis, sic loquitur: Adiecit Euangelista rem planè necessariam, *& cum tam magni essent, non est scissum rete.* Vera causa quia magni erant sint igitur qui admittunt, quales Institutum requirit, conuenientem habentes delectum eorum, quos cooptant, licèt multitudo augescat, nec rete rumpetur, nec debilior spiritus reddetur, sed vberibus à diuina manu beneficiis affluens, & pace gaudebit & fructu: atque huc mentem, animumque aduertens Ignatius quod docuit, fecit; *Ioan. 21.* *S. August. serm. 4. de diuers.*

acce-

acceptando paucos, & dimittendo multos, vnde stupentibus vniuersis familiam suam maximè amplificauit, faciens de societate exercitum eiusce modi militum, qui se Dei ministros exhibuêre, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris per prospera & aduersa, magnis itineribus ad cælestem patriam, & ipsi contendentes, & alios secum quacunque possent ope, studioque rapientes, vt Hieronymus Natalis scriptum reliquit,

APOPHTHEGMA NONVM.

Is quos sacris expeditionibus destinabat, dicere solitus erat: ite, omnia accendite, & inflammate.

Cardinalis Ludouisius in Panegyrico.

Commentarius.



QVod olim diuinæ fidicen lyræ, ac vatum maximus Iesseus Dauid, & ab eo gentium Doctor, electissimum Christi organum Paullus, nō tam de spiritibus procellarum, & ignibus per disfractos nubium sinus erumpentibus, quam de iis, quos è concredito sibi munere Angelos vocamus, Deo Domino repræsentasse legimus his verbis: *qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*; ad obeundum scilicet aptè iniuncti officij munus, ac dignitatem; Idem ego impræsentiarum de S.P. N. Ignatio, non grauatè pronuntiârim, quem Deus pro sua in virum clementia, dignum fecit in partem sortis sanctorum, cùm ea præstari ab illo sapienter voluit, quibus plurimùm Dei gloriam visus est propagare, è multis, vnum hoc sit, quod varij de eo historici, ad posteros transmiserunt: quos sacris expeditionibus destinabat dicere solitus erat: *ite, omnia accendite & inflammate*: quasi diceret: spiritus illis, Angelisque vos similes esse desidero, quos ad angelicum opus impendo, vt in carne velut extra carnem viuentes, hoc est, non secùs ac carnis expertes & per adhæsionem vnus cum Deo spiritus effecti, ignis quoque sitis ad animos, hominum lustrandos & inflammandos.

Psal. 103. 4

Nec poterat sanè idoneam magis reperisse expressionem Nuntij veritatis spiritu feruentis, illustrantis, atque incendentis omnia, quam paucis his verbis, quæ Dauidis, ac Paulli verborum epitomen exhibent, complexus est: *Ite omnia accendite & inflammate*: & rectè id quidem: siue enim illum qui mittebat, siue ipsos qui mittebantur, siue eos, quibus destinabantur consideres, ne quidquam iis defuisse, fatearis necesse est.

Ratio Apophthegmatis.

Ad primum quod attinet, is erat Ignatius, qui à suo Nomine admonitus, ignem charitatis in Deum, & proximum per mundum disseminabat, vt quemadmodum ipse totus ignis erat, quadrante in eum laude, quâ D. Paulum Chrysostomus exornat, dum ait; vt missum in ignem ferrum totum profectò ignis efficitur, sic Ignatius charitate succensus, ita factus erat charitas, quâ suos inflammatos volebat, vt tamquàm accensi, & vehementer accensi, vt S. Bernardi verbis vtar, & quibus non timeatur à flatu quolibet, aut impulsione ventorum, suum munus obirent, iis conditionibus pollentes, quas & tanti operis dignitas exigebat, & sine quibus in vanum currere, atque aërem verberare necesse erat;

erat; de quo S. Prosperum, virum sanctissimum atque eruditissimum audiamus, qui post S. Augustinum, eius mysticam expositionem dicti Psalmi compendio exhibens sic locutus est: *Spirituales, quique in Ecclesia, Spiritus appellantur, fiunt Angeli, cùm fiunt Prædicatores: iidemque sunt ignis, cum feruent spiritu, & eos, quos adhortantur, accendunt: duplicem habentes efficientiam, vt & illustrent animos & adurant, cum eadem vi, & ardorem virtutis iniiciunt & peccatorum spinas, tribulosque consumunt.*

S. Prosper.

Atque hoc erat, de quo suos, dum ad sanctum hoc opus mitteret, admonendos dixerim, an instruendos ducebat Ignatius.

Venio ad alios, eos scilicet, quibus suos illos Apostolos. Vir sanctus destinabat, ac tales omninò erant, quos eiuscemodi Angelis, ac ministris indigere, quam maximè, perspicuum erat.

Oculos, quà latissimè patet orbis terrarum vniuersus, parumper circumferamus, & quis fuerit tunc mundi status, attentè perlustremus: quanto autem hic frigore ac gelu adstricta omnia reperiemus? virtutes gelicidia tristi specie enecârant, in perpetua bruma, suprà omnes hyperboreos rigores, vel nouæ zemblæ incognita frigora pietas conglaciarat.

Hæresis Lutherana.

E septentrione pestilens sidus nuper emerserat, cuius nefaria malignitas Germaniam ferè totam corruptè vitiârat, inde ad Aquilonem & Orientem conuersa, Daniam, Noruegiam, Sueciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam populabunda vastabat, tum ad Occidentem & meridiem pari celeritate delata Galliam inuaserat: Angliam deinde, Scotiam, Hyberniam, penitus funestârat, ita, vt ab vno temulento, nequissimoque Saxone, violata in membris suis Ecclesia nouis opus auxiliis habere videretur: erant quidem tum sacrorum Præsules nonnulli, tum illustres religiosorum ordinum varij sodales, quorum virtus & eruditio pellendo frigori ac tepori vsui esse poterant, nouum tamen supplementum diuina Sapientia mittendum censuit, tum quia, vt recentium militum maior ferè est ardor, tum quia laudanda eorum æmulatio, non patitur tironibus cedere fatigatos: sicut ergo Cyrillum olim Nestorio, Hieronymum, Iouiniano, Heluidio, & Vigilantia, Athanasium Ario, Basilium Magnum Eunomio, Augustinum Pelagio, & Manichæis. Ioannem Damascenum Iconomachis, Sophronium Monothelitis. Lanfrancum Berengario, Irenæum Valentino; Dominicum Albigensibus, ita nunc Ignatium Luthero, seu vt plenius dicam in vno Luthero prioribus omnibus obierit, cum Donato enim aiebat Ecclesiam ex bonis tantum compositam, nec malos in ea habere partem.

Cùm Iebusianis Montani discipulis, omnium graduum & ordinum in ecclesia distinctionem abiiciebat.

Cùm Constantino, qui à S. Athanasio antichristus appellatus, terrenum principem in sua ditione caput Ecclesiæ asserebat.

Cùm Aëtio & Eunomio affirmabat hominem sola fide iustificari, bona opera nil prodesse.

Cùm Petro Abaillardo Deum faciebat, authorem peccati.

Cùm Iouiniano ieiunium nullius meriti asserebat, nec ciborum differentiam admittebat.

Cùm Vigilantio Sanctorum intercessionem exsibilabat.

Cùm Eutychianis peregrinationes sacras despiciebat,

Cùm Waldensibus indulgentias contemnebat.

Cùm Pelagianis infantes sine baptismo saluari posse volebat.

Cùm Armenianis matrimonium esse Sacramentum negabat.

Cùm Berengario admirabilem & supernaturalem transubstantiationem in Eucharistia abnuebat.

Volebat Spiritum sanctum non ita Conciliis præesse, vt tam in moribus

ribus quàm fide errare non possint; eodem ferè modo quo Arius de Concilio Niceno, Macedonius de Constantinopol. Pelagius de Milleritano, Nestorius de Ephesino, Eutyches de Calcedonensi, Hussius de Constantiensi. Cæteros, ne longior sim, prudens omitto, sufficere hos abundè arbitratus, vt quam opportuna Ignatij opera laboranti fuerit, Ecclesiæ intelligamus dum pellendo vno hæretico anteriores omnes superaret.

Sed neque hic malum stabat, à prudentibus obseruatum fuit, non paucos sacrorum hominum, in quibus etiam tùm sana fides atque religio persistebant, otio magis ac desidiæ, quàm pietati, aut animarum zelo deditos fuisse. *Omne caput languidum, omne cor mœrens erat: à planta pedis, vsque ad verticem capitis, non erat in corpore Ecclesiæ perfecta sanitas.* Clerum immanis sanctorum morum conculcatio dehonestabat, hyems remissæ pietatis vbique acerrima, Sacramentorum vsus, vix annuus, tanta, præ frigore hoc cæcitate plerisque in locis laborabatur, vt vix inueniretur qui reum esse se agnosceret, quantumque in dies peccaret, expenderet, Igne, imò Ignatio opus erat, quem ab igne, sui ipsius nascentis suffragio, diuinitus indito, denominatum, non mali authores scribunt, adiecit calculum sacri nominis anagrammatismus, vt nihil deesse hîc arbitrare: *S. Ignatius de Loiola. O ignis illatus à Deo.* Verus Ignis, quem summa illa diuini Numinis prouidentia misit in terram, & vehementer voluit accendi, tùm ad humanorum cordium tenebras dispellendas, tùm frigora animorum propulsanda. An experimentum eius quærimus?

Isaiæ 1. 5.

Luthero oppositus Ignatius.

Eccum multiplex, cui nemo refragetur, vtpote igneus Sacræ Scripturæ sententiis expressum.

Ex lectione spirituali altiora meditari cœperat: quid dixit? non tam verbis quam factis?

De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me. Thren. l. 13.

Ignis Ignatius & re & nomine.

Puerulus Iesus cum Matre ei apparet:

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Exod. 3.

Domus in eius oratione concutitur.

Cœperunt audiri tonitrua, eo quod descendisset Dominus super eum in igne. Exodi 19.

Donum constitutis petit & obtinet.

Ecce egressus ignis deuorauit holocaustum. Leuitici 9.

Sericas vestes in lineas commutat:

Ignis comedit speciosa deserti. Ioël. 10.

Honorem B. V. Mariæ contra Maurum zelatur.

Accendetur velùt ignis zelus tuus. Psal. 78.

Generaliter aliquoties confitetur.

Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Psal. 11.

In nosocomio feruenter ægris inseruit.

Qui facit ministros suos flammam ignis. Psal. 103. Heb. 1.

Inter orandum cælesti splendore radiare conspicitur.

In meditatione mea exardescet ignis. Psal. 38.

SS. Triados agnitionem diuinitus haurit.

In terra ostendit mihi ignem suum maximum. Deut. 4.

Mentis raptum patitur.

Suprà virtutem ignis exardescebat. Sap. 16.

Lux emicat ex ore & facie eius.

De ore eius lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ. Iob. 14.

Socios sui instituti adlegit.

Ecce quantus ignis, quam magnam siluam incendit. Iacobi 3.

Sicarius virum sanctum impetens fulgure terretur.

Splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Ezech. 1.

In Veneta ditione cum sociis fructificat.

Exarserunt sicut ignis in spinis. Psal. 117.

Eremita ne sanctum iudicet diuinitus monetur.

Vnde & pondera mihi pondus ignis. Esdræ 4.

Magno fructu prædicat verbum Dei.

In igne zeli eius deuorabitur omnis terror. Sophon. 1.

Constitutiones ordini suo conscribens superno lumine irradiatur.

In dextera eius ignea lex. Deut. 33.

Interuentissimo Amoris actu dissolui impetrat.

Et factus est in corde meo ignis exæstuans, & defeci. Ierem. 20.

Gloria & beatitudo eius.

Et erit lumen Israël in igne, & sanctus eius in flamma. Esaiæ 10.

Talis itaque ac tantus cùm vir esset Ignatius, an mirabimur similes sibi gignere voluisse filios, qui, quos ipse accedere non poterat, tam ab orbe nostro segreges, quàm in eodem, quam maximè à se mutuo diuisos, diuini amoris igne incenderent & inflammarent? Pernecessarium id sanè dixerit, quisque sapienter iudicârit, quæ ipsa quoque, atque vnica caussa fuit, cur eos ab ipso melioris vitæ tirocinio istuc disponere, ac præparare non cessârit, quis enim ab eis exspectet, quod non habent? Quemadmodum igitur ignis vicina prius corripit, quàm remota, ita Ignatius eos quos mitteret ad alios inflammandos, ante in se volebat ipse accensos: quod à magno didicerat Augustino, cuius aurea hæc verba, omnium cordibus inscribenda, auribus insonanda, oculis verò censeam obiicienda:

S. August. *Nisi ardeat minister prædicans, non accendet eum cui prædicat.*

Ad quod cùm duo esse necessaria non ignotaret, vt in lignis sæpiùs obseruârat, quæ non nisi expulsâ humiditate, & igne demum supposito inflammes; ita & in homine vsuuenire sciebat, quem nemo ex facili accendat, quamdiu vitiorum humoribus imbutus est, nec flammam purgato pectore sorbillârit: vnde factum, vt quos missionibus destinârat, spiritu magis mortificationis, quàm orationis imbuendos esse censeret, quamuis eos spiritus ita connexos, iugatosque inter se non nesciret, vt seiungi, distrahique inter se difficulter possent. Intelligebat autem eam mortificationem, non modo quæ in corporis afflictatione posita est, sed multò etiam magis quæ in propriæ voluntatis ac iudicij expurgatione consistit.

Quocirca in hominibus, potissimum splendidis, propriæ existimationis & excellentiæ conculcationem atque victoriam, corporis macerationi longè anteferebat, quod videlicet sit difficilius spiritum comprimere, quàm carnem affligere.

Quamquam rebellis caro sæpè quoque atterenda est, vt spiritus magis accendatur. Quibus in hunc modum præmissis, ad alterum veniebat, quo suos illo igne succenderet, quem deinceps in alios essent effusuri, quod per secessum spiritualium exercitiorum, obtineri posse sapientissimè iudicabat, in quo prælucentem sibi Saluatorem sequebatur, qui ante prædicationem secessit, in desertum dies totos quadraginta, vbi cum ieiunio preces, meditationesque in exemplum nostrum coniunxit; ita sensit vir doctissimus Alphonsus Tostatus in cap. 4. Matth. 4. 5. *Christus,* inquiens, *sæpè secedebat in desertum, separando se à turbis, propter exemplum quod dare intendebat prædicantibus, nam Christus tunc prædicare intendebat; ideo voluit omnia facere, quæ prædicatores facere deberent, antequam prædicarent &c.* Tostatus in cap. 4. Matt. 4. 5

Notum id Apostolis erat, dum ab Ascensione Christi, vsque ad Paracleti Spiritus aduentum, in orationibus perstiterunt, exspectantes cum singulari quadam animi præparatione per ieiunia & preces, vt induerentur virtute ex alto, igne sc. illo, quem dominus eis pollicitus erat.

Quibus, aliisque modis suos succendere Ignatius satagebat, vt cum Propheta regio dicere quisque posset, *concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis, siue vt S. Hieronymus legit, incensus sum igne, illo, inquam, igni, quem, vt S.* Psal. 38. 4

Ambrosius,

S. Ambros. Origenes. *Ambrosius ait cum Origene, Christus venit mittere in terram cupiens vehementer accendi*, de quo dicebant duo illi discipuli apud Lucam c. 24. *Nonne cor nostrum erat ardens in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Diligens enim & attenta rerum cælestium meditatio, ordinaria via est ad accendendum ignem actualis charitatis Dei. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum, quas aquæ multæ nequaquam exstinguant, aut flumina molestiarum obruere queant.* Cant. 8. *De excelso namque*, vt dicere non verebatur Ieremias Thren. 1. 13. *misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me*, quomodò sc. & alios eâdem flammâ succendam, neque enim, vt Cassianus scribit, insanis motibus æstuat hic ignis, sed consilio & deliberatione, vnde feruor tranquillus, mansueta inflammatio, motus inculpabilis, festinatio moderata, quam, vt mea fert sententia, renascentis hominis nouitas & certa sequitur salus.

Lucæ 24. Cant. 8. Thren. 1. 13.

Non tam verbo, quàm opere hic clarus Ignatius. Neque hic plusculum exegisse Ignatius à posteris censendus sit, quam ipse proprio exemplo non feliciter minus, quàm fortiter effectum dedit, vt ex sequentibus patebit.

Primorum PP. feruor, & ignis. Interclusâ siquidem nauigatione, quam vouerat in Palæstinam, bello graui inter Solimannum Turcam, Venetamque tempub. exorto, placuit non se continuò venetâ ditione commouere, sed per finitima oppida habendis ad populum concionibus proximo seruire. Ignatius igitur cum Iacobo Laynez & Petro Fabro Vicentiam, Franciscus Xauerius, atque Alphonsus Salmeron in Montem Celsum oppidum Patauio distans milliaribus non plus quindecim: Codurius, Hosiusque Taruisium, Claudius & Simon Bassanum, Paschasius & Bobadilla Veronam distributi sunt, & quo se arctius, secessu ipso locorum, diuina cum mente coniungerent, humiles ad habitandum casas proximis in suburbiis, ab interuentoribus tamen vacuas consultò deligunt, hic dum nocturnis, diurnisque precibus operam dant, ac corpus suum inediâ, verberumque acerbitate castigant quadraginta dierum spatio simillimam Angelorum vitam, quorum ministerium æmulabantur, inter mortales egerunt. Quo dierum elapso numero, tamquam cælestibus ignibus iam pleni, cummodò, quòd breui parerent, parturirent, (nec enim ad vnius contemplationis otium, sed ad sua bona communicanda cum proximis vocabantur) ex illis latibulis in lucem vrbium repentè summo Pontifice annuente conuolant, & populum ex editiore loco voce gestuque conuocant. Maximus vndique omnium hominum fit concursus, sed oblectandi sui gratia magis, quàm proficiendi, verum, vt animaduersum est, seriò rem agi, ad grauitatem se turba componere, eosque veros Christi ducere præcones, quorum præceptis saluberrimis sobrias cogitationes momento susciperet, vnde magna omninò in vulgus commutatio fiebat, cùm ad orationis ardorem, accederet hospitum continentia, & ignis ab eis egressus deuorare inciperet cedros Dei: sicut fluit cera à facie ignis, sic omnis generis vitia hausto illo igne fugiebant, exardescentibus siquidem illis sicut ignis in spinis, hæ cum strepitu, istæ magna cum quiete succumbebant, omnes autem exstirpabantur: vnde breui factum, quod Isaias non vanè prædixit: *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oriri cæpit viror calami & iunci.* Isaias 35. 7

Nec stare hic flamma visa est, maximè cùm Patres è Venetis digressi, vrbem vrbium Romam petere decreuissent, vbi singuli non obscurum tulêre sui ardoris pretium, accensis inflammatisque pollucibiliter ciuium mentibus, ac Principum virorum votis ad omnem pietatem accensis. Paucis siquidem diebus partim vitæ innocentis spectaculo, partim docendi, hortandique igneâ assiduitate, ingens animorum commutatio secuta est: præcipuè saluberri-

ma illa nascentis Ecclesiæ consuetudo, crebræ peccatorum confessionis & fractionis panis, longo sæculorum interuallo reuocata, vt non immeritò Eminentissimus Cæsar Cardinalis Baronius Societatis Romanæ templum Anastasiam, haud inani ad Constantinopolitanam illam basilicam allusione, appellare non dubitârit, propterea quod Sacramentorum vsum, qui vita quædam est & anima Christianæ perfectionis, à sæculis multis intermortuum, videret in templo illo velut prisco vigore recepto, felicissimè reuiuiscentem. Nec minus vtiliter ad fouendos ignes, ex assidua mysteriorum vsurpatione conceptos, istic in Ecclesiæ mores inducta per festos atque dominicos dies, sacra concio fuit. Orbis quoque pueris, puellisque, & miserandis virginibus, quarum cum animis pudor in discrimen offerebatur, consuli cœptum: itemque fœminis, quæ se à flagitioso vitæ genere colligebant, & catechumenis, quæ vel à Iudæis, vel à Saracenis ad sanctam fidem transibant, eâdem ratione prouisum.

Origo Apophthegmatis. Quibus, aliisque non paucis, ductus experimentis Ignatius, quos exinde ad similes expeditiones mittere decreuerat, solenni hoc carmine animare instituit, dicens: *ite, omnia accendite, atque inflammate.*

Ite diuini Amoris igne succensæ tædæ, flammas spargite, qua patent sola terrarum vltimarum.

Ite carbones ardentes, & anthraces illos vitiorum fuligine emortuos, atque in cinere corruptissimi huius sæculi præfocatos accendite.

Ite fatales titiones, de quibus non iam Calydonij cuiuspiam Meleagri, sed errantium, qui Ecclesiam infestant, mors ac vita dependet.

Ite igniti serpentes, quod ne vobis epitheton molestiam ferat, mementote Ducem vestrum ac Dominum id non respuisse, & lingua percutite rebelles illos Israëlitas, à recto itinere digressos peccatores, vt in viam redeant salutis & sanentur, aspicientes in serpentem æneum Iesum Christum crucifixum.

Ite Columnæ ignis, & prælucete populo Dei in veram Chananitidem peregrinanti.

Ite Aquilæ fulminatrices, ite Boanerges, veri filij tonitrui, afflatè cælesti fulmine peccatores, eis vitâ salua, peccati venenum excutientes.

Ite Leones de tribu Iuda, & igne illo, quem de cælis accepistis in ossibus circumfertis, omnia incendite.

Ite rubi ardentes, ex quibus Deus loquitur, omnes inflammate.

Ite sacri Promethei, & igne illo, quem de cælesti altari sumpsistis, terrestres homines animate.

Ite sagittæ ardentibus effectæ, & peruicaces illas mentes, in praua sententia obstinatas plagis salutaribus emollite.

Ite Castores, ite Polluces veri Διόσκουροι, malorum depulsores & fauorabili vestrâ luce errantes in portum salutis dirigite.

Nec frustra cecidere hæc Patris vota, dici namque non potest, quanta passim incendia ignitum hoc viri eloquium parere visum sit, ardere primum qui mittebantur, mox illi flagrare ad quos sermo eorum fiebat.

Testatum id nobis primum fecit S. Franciscus Xauerius, cuius eximia sanctitas canonismo firmata, neminem fugit Christianorum, labores autem pro Dei Ecclesia nulla dicendi facultas exæquet: hunc itaque dum Ignatius sacris hisce expeditionibus in Orientem destinaret, quo, putamus, viatico à se demisit? Horatius dicet Tursellinus: aduocato ad se Francisco ait, te ego ad alios vsus apud me retinere statueram, sed Deo aliter visum est, qui te segregauit in Euangelium suum: age igitur macte virtute: tu Ducem sequere Deum, qui te haud dubiis signis in Indiam vocat. Iam te ad tantum opus cælestis illa excitet flamma, qua te semper ardentem vidimus, & Indos inflammaturum speramus. Nec plura. Talis abiuit Franciscus & transiuit maria, adiuit *Quantum diuini Amoris incendiarius fuerit S. Francisc. Xauerius.*

incogni-

incognita, penetrauit inaccessa, vicit Iaponiæ frigora, Indiæ superauit ardores, segnior namque fuit ignis qui foris vssit, quam qui intus accendit. Sed de hoc viro magis conuenit silere, quam pauca loqui.

Ad alios venio pari spiritu atque ardore ab Ignatio missos, nec minore profectos, Paschasium sc. Broëttum, Simonem Rodericum, & Franciscum Stradam, quorum ignes ac flammas nunquam vrbs Senarum tacebit. Petrum Fabrum & Iacobum Laynium quos idem Ignatius Parmam destinauit, vbi felicissimo prouecti successu omnia longe lateque virtutum flammis succenderunt.

Quantus Siluester Landinus Aliiq; Ignatij socij in variis missionibus.

Sed quid de Siluestro Landino dicemus? qui Mutinam, Sarzanam, Fulgiuium, Carfagnanam, ac deniq́ue Sardiniam eo igne incendit, quem Deus Dominus venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi, quod ipse per S. Ignatium in se fuerat ante expertus, de quo luculentum Francisci Palmy testimonium nobis ad manum est: Venit huc, inquit prædictus author, Syluester spiritu & virtute Eliæ vitiorum insectator acerrimus, zeli vir flagrantissimi, laboris multi, tantaque est fide & caritate vt quidquid suscipit, cedat ei feliciter, in suggestum suo more ardens ac spirans ascendit, vnde ingens commotio populi, ardorq́ue, & multus fletus, vt audiatur lachrymantium strepitus & fluentes per ora lachrymæ cernantur. Non pauci statim à Concione Confessarij pedibus aduoluuntur. Multi virorum ac fœminarum noua vitæ, etiam religiosæ consilia suscepêre. Hæc Palmius: Et sanè, vt ferè qualis quisque est, tales in pietatis quoque negotio, quos instituit, fingit. Ita hoc singulare habebat Landinus, cum ipse arderet, alios, Ignatio succinente, inflammaret.

Et valuisse ad posteros res cognita est; obiit quidem cælestibus maturus Ignatius, nec tamen silere sic visus fuit, quoties sacris expeditionibus Socij destinarentur, ad sacras Ignatij flammas nunquam exstinguendas, cordis & oris sui faces accendere consilium fuit, etiamnum perennaturo eius Apophthegmate filiorum auribus insonante: *ite, omnia accendite, & inflammate*: neque à prioribus ablusit euentus, eosdem institutæ expeditiones habuêre successus: missi Socij ad Cophtos, Armenos, Persos, Colchos, Monomotapam, Brasilos, Permannos, Anglos, Scotos, Hibernos, Hungaros, Transiluanos, Moscos, Maronitas, Noruegos, & quid non fecêre hîc Brunus, Ælianus, Tadius, Personius, Campianus, Consaluus, Paëzius, Posseuinus, Barzæus, Criminalis, Silueria Aquauiua, aliique sexcenti: quanta passim incendia! quantæ ab his exortæ flammæ! quibus non tecta vrbium, vita ciuium, ac familiarum ad exitium, aut vastitatem vocabantur, sed vitiorum strages, criminum excidia, flagitiorum, ac scelerum euersiones coquebantur, atque etiamnum modo in variis orbis partibus magno reipublicæ Christianæ bono adornantur, vt nihil de Belgis meis dicam, apud quos tanta trium horum verborum gratia etiamnum atque facultas est, vt circumscribi nequaquam iis se patiantur mœnibus, quæ incolunt, sed in circumiacentes agros, castella, pagos, & oppida excurrant: in exteras regiones, in alterum quoque orbem: vidi ego non semel hinc in Indias, Sinam, Paruquariam ductam Belgarum coloniam. Ad naues quoque, vt epibatas suo sæpè elemento, in quo depugnant frigidiores accendant, mitti plurimos, quanto istorum hominum bono! nec pestem, nec castra subterfugiunt, rarò exteris exemplo ac fructu planè singulari: quibus Missiones illas adiungo quarum in singulis collegiis vsus est, quando certi ex iis, tamque ex fornace ignei pyraustæ, in Catholici Belgij loca nobis non habitata mittuntur, spiritalem populis opem, quâ possunt ratione laturi.

Habet enim hoc zelus, more ignis,

nis; quamdiu materia est, agit, nec nisi deficiente pabulo quiescit, maxime eùm flamma eius in apicem purissimæ intentionis coacta, & ferri amat vehementior, & accendere quosuis impensius. Et inter has flammas tepere aliquis poterit? & non totus siue amoris incitamento, siue imitationis ardore conflagrare? Esset hæc profectò non socordia, sed stupor, procul ab Ignatij filiis arcendus.

Quòd itaque ad maiorem Dei honorem, ad S. Patris Ignatij, qui hæc è cælis intuetur; gloriam benè vertat, ite faustis pedibus quod vobis vtile ac fructuosum sit, ite Angeli, ite Veloces, quod infinitis mortalibus auxilio sit.

Ite ad gentem, imò gentes conuulsas, & dilaceratas, eisque vitam ac spiritum inuehite.

Ite veloces, ignei, vno verbo Angeli, vt ille aiebat, *qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem*: hoc namque à vobis Ignatius exspectat.

Quid autem est Angelos esse; vt, quo cœpi, eodem & Commentarium claudam? nisi ad obsequia promptos, ac veloces? Quid est esse spiritus? nisi à terræ contagione esse remotissimos.

Quid Ignem esse vrentem? nisi consumendorum vitiorum desiderio æstuare.

Quod dum præstiterimus, & Patris voluntati non degeneres filij fecerimus satis, & proprio officio exsoluerimus fidem.

APOPHTHEGMA DECIMVM.

DVm mali aiebat Auctoris bonus liber legitur, primò quidem placet ipse liber, paulatim deinde qui librum scripsit: qui demùm probatus blandè in animos molles influit, & lectoribus iam beneuolis, suiq; amantibus doctrinam suam facilè persuadet: vt quidquid ab illo scriptum, id etiam verum iudicetur: ita quod infectum veneno longißimè etiam serpit, nisi principiis occurratur.

Petrus de Ribadeneira lib. 5. cap. 10.

Commentarius.

TAm magna iuxta ac multiplicia S. Ignatij in Christianam rempublicam existunt promerita, quibus à præsenti interitu eam assiduè studuit vindicare, vt non temerè neque fortuitò accommodari ei possit, quod de S. Ioanne Chrysostomo in Græcorum menæis ad diem quintum Septembris legimus annotatum: *res tantas effecit, vt nisi fuisset hic Sanctus, Christum, si fas audientiùs loqui, noua necessitas adacturа fuerit, ad terras, secundo aduentu reuisendas, vt orbem terræ ad supremum tribunal, reum sisteret, ac iudicaret.* Intercessisse tunc zelo suo feruentissimo visus Chrysostomus, dum vitiorum flammas suâ eloquentiâ exstinxit, & insignium virtutum studia suscitauit: nec minus præstitisse Ignatius dicendus est, dum mali dæmonis consilia prudenter euertit; & nefarias eius fraudes, in quas se homo induerat cælesti sua prudentiâ, doctrinaque dissoluit. Et fuit hoc sane,

Græcorum Menæi de S. Io. Chrys.

Zelus S. Ignatij.

nè, quod hactenus per plures diætas probare contendimus, dum ea, quæ variis ille Apophthegmatis expressa proposuit, clariore exegesi studuimus explicare, quibus & hoc inpræsentiarum non incommodè accessit, quo eam, quam à liberiore vulgarium librorum lectione, communi hominum societati cladem imminere perspexerat, pro viribus studuit amoliri.

Callidè namque humani generis hostis gnarus quam necessaria homini esset humanitas, fontes ipsos humanitatis infecerat, vt vnde petendum foret auxilium, ibi reperiretur exitium, dum magna hominum, sed malefica excitauit ingenia, vt aureis quasi commendata poculis, venena propinarent, scriptores impios dico, atque impudicos, *quorum molliti sermones super oleum, & ipsi sunt iacula,* quorum spicula, quo exacuta magis, ac velut delibuta vnguentis suauissimis eò leuius peruadunt in animos, quò altius infiguntur, ac tenacius adhærescunt.

Psal. 54. 22

Multa quidem ante Ignatium fuerant in rebus humanis, quæ tametsi rectè, salubriterque suaderi viderentur, tamen aut nullis ferè auditoribus, aut ægrè admodum, paucisque fuêre persuasa. Ex quo numero vel istud insigne duco, quod dudum laborârint viri graues, validisque rationibus pugnârint, vt infana quædam librorum commenta è sinu manuque hominum euellerentur, quod ij tamen quàm exiguo cum fructu multis perdolitum fuit. Mirabile autem quo sensu, ac querelis, hanc sui temporis corruptionem in Confess. lib. 9. c. 16. deploret S. Augustinus, quod huiusmodi pestes non tantum non effugere, sed vltro quoque accersere plurimi viderentur. Cuius consuetudinis vulgò, dominantis, tanta vis erat, vt vir ille sanctus putaret, eum, qui emendare istam conaretur, similiter facturum, vt si rapidissimum torrentem obice vellet arcere. *Væ tibi,* inquiebat, *flumen moris humani quis resistet tibi? quamdiu non siccaberis? quousque volues Euæ filios in mare magnum, & formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint? nonne ego in te legi tonantem Iouem, & adulterantem? & vtique non posset hæc duo; sed factum est, vt haberet authoritatem ad imitandum verùm adulterium, falso tonitruo lenocinante. Et tamen ô flumen tartareum! iactantur in te filij hominum cum mercedibus, vt hæc discant.* An maius quidquam dicere potuit, quam vt consuetudinem hanc flumen tartareum appellaret? quemadmodum verò peccata mortalia, quæ hac occasione solent, possuntque committi, aptius significaret, quam si flumen esse diceret, quod ad ipsum laberetur infernum.

Noxiorum librorum quanta pestis.

S. August. l. 9. c. 16. Conf.

Verùm quid quæreris, quid ploras sapientissimè Doctor? resistet tandem aliquis huic flumini moris humani. Resistet præter alios Ignatius. Diu non siccabitur, sed siccabitur tandem cum bono Iesu placuerit dare terris Ignatium. Voluet diu filios Euæ in mare magnum, sed Ignatius olim cursum conuertet in cælum.

Interim mihi dices addit Augustinus, hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia: respondeo, non omninò per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba, turpitudo ista confidentiùs perpetratur, non accuso verba, quasi vasa electa, pretiosa; sed vinum erroris, quod in iis Christianæ iuuentuti nequiter propinatur, non in communibus, duntaxat scholis aut gymnasiis, non in aulis, & ephebiis, à magistris impudentiæ, sed omnibus pœnè in domibus atque ædibus priuatorum. Et ne quid fortassè miseriæ desit ipsis quoque virginibus ac puellis, quarum integritas eò periculosior, quantò infirmior, quodque vel maximè deplorandum, & ab iis quidem quorum intererat, hos libros summâ ope, perinde, vt ignem, pestemque ab ædibus prohibere, non approbantibus tantum, sed suo velut exemplo iubentibus, quòd sanè contra fieri oportere, qui in

in omni memoria prudentiæ & sapientiæ laude claruerunt, vno omnes ore prædicârunt.

Atque hi illi libri sunt, quos sub nomine Poëtarum ciuitate interdicit Plato, qui quacunque lingua antiqua, recenti, quocunque genere, prosa vel stricta oratione, de quacunque re vera, vel ficta, ita conscripti sunt, vt non modo honestatis aut modestiæ colorem, nullum præ se ferant, sed turpium flagitiorum maculas ostendant.

Securi Platonem alij legis latores & Principes idem præstiterunt: ne ciuium animi ab hoc dicendi genere incantati paulatim in belluarum naturam abirent, quos inter non postremus M. Cicero qui iustâ in illos irâ non semel commotus legitur, vt cum referente S. Augustino lib. 2. de ciuitate Dei cap. 14. inquit: *Quas illi obducunt tenebras? quos inuehunt metus? quas inflammant cupiditates? cum magnam aliquam doctrinæ speciem præ se ferentes molliunt animos nostros, neruosque omnes elidunt.* Memorat grauis author Patrum memoria, quendam se adolescentem familiariter nosse, qui in frequenti athenæo, exemplum archetypon omnis modestiæ, virtutisque habebatur. Non eum in rerum cælestium studio priorem, non in placidissimis moribus parem, vix aliquem ex omni numero habuisse in laude innocentiæ secundum. Rapiebat in se omnium oculos, animosque illa incedentis grauitas, illa suauitas loquentis. Audite iuuenes, audire quæso, quàm leuis in speciem occasio, quantam incauto adolescenti stragem maturauit. Non ille peruigil inter nocturnos grassatores bacchando, non cùm diurnis alcatoribus consuescendo, sed ipso litterarum, honestatisque ludo, venenum imprudens hauserat. Vt enim Poëtæ veteris nomen fortuito prolatum laudari inaudiit; cùm sibi scriptorem, non qua impurum, incestumue, sed quà rersè latinum, nitidumque censuit continuò emendum. Emptum legit, lectum probauit, probatumque suis illicò non versibus, vt constituerat, sed motibus & amoribus expressit. Sensêre mutatam indolem multi & clàm aliquando ingemuêre, cùm in adolescente priorem illum adolescentem requirerent. Clades interim manifesta, sed causa cladis adhuc ignorabatur. Verùm haud longè post apparuit simul & mali scaturigo, & remedij inueniendi desperatio; cum præceps animus, iugo palàm excusso, cœpit per omnia vitiorum abrupta ferri; paucisque mensibus, is omninò esse, quem magistratus publicus, quia ad frugem reducere non poterat, infamia notatum edicto ab academia, vrbeque proscriberet, veritus, ne quantum aliis documentum fuerat ad virtutem, tanto dehinc fieret ad flagitium incitamento.

S. August. l. 2 de Ciuit. c. 14.

Quantum damnum ex lectione libri noxij

Dicet aliquis, vnius hoc periculum fuisse, alios eadem probra impunè legere. Næ ille, quisquis hoc dicet, nimio opere se fallit; ignarus fieri quod cuiquam potest, cuiuis posse imò etiam solere. Qualis enim sementis in animo fit, talis indidem, & seges pullulat: quod adeò sanctissimis quibusdam Patribus visum est, vt & ipsi penitus ab iis abhorrerent, & à Christianorum scholis seuerissimis decretis excluderent. Vt ætate superiore ex transalpinis quidam admirabili vir sanctitate fuit ac religione, vtpote in Diuorum numerum adscriptus qui periclitandæ rei causa, in ea, cui præerat vrbe ludimagistris omnibus Cicerone, Virgilio, Ouidio, cæterisque id genus excussis, pios quosdam ex nostris & elegantes enarrari præcepit: mutauit tamen ille subito sententiam, postquam expertus didicit, quantum ingeniis ex ea re decessisset. Seruabatur hæc gloria Ignatio, cuius prudentissima charitas huic malo remedium daret, vti factum, dum p. 4. Const. c. 14. rationem iniit, qua cladem illam à capite, fortunisque iuuenum arceret, vt sc. ex senatus consulto viri pij, ac litterati virgula censoria, quid expungendum ex quo-

Obiectio. Damnum, huiusmodi non vniuersale videri.

que

que volumine foret, annotarent, vnde Catullus ferro salubriter inustus, honestior post accepta stigmata, saniorque prodiret, vt ipse legi iam sine rubore possit, qui quondam sine rubore scripsisset. Tibullus capitis acquisitus, caussamque dicere apud morum arbitros iussus, dictaque multa, non modicam sui partem amitteret opulentior tamen, sic amissis facultatibus, quam anteà possessis remaneret.

Propertius verò atque Horatius castum se in charta agnosceret qualem in vita se esse miser ignorarat. Quin & Bilbilitanus Martialis & Terentius, hic ab Andrea Schotto, ille à Matthæo Radero ita lumati, castigatique prodirent, vt iam neque mala lingua, qua gloriabantur, nec Sybaritico versu quo multis blandiebantur, nocere iuuenibus possint. O factum bonum atque præclarum spiritualis nostri Auerrunci Ignatii, quo tanta à Iuuenum animis mala auertantur. Si dubites de hac re loquatur ex aduersariorum castris nobilis Dux, qui suo testimonio & experimento omnem dubitandi locum auferet imperitis. Prodeat, inquam, vtinam tam pudicus, quàm ingeniosus Ouidius Naso, & pronuntiet de teneris poëmatibus quid sentiat.

Ouidius. *Eloquar inuitus, teneras ne tange poëtas:*

Submoueo dotes impius ipse meas.

Impium se miser appellat, dum erat vel maximè pius. Sed reliqua audiamus.

Callimachum fugito: non est inimicus amori.

Et cùm Callimacho, tu quoque Coë noces

Ne certè Sappho meliorem fecit amicæ:

Nec rigidos mores Teia Musa dedit.

Carmina quis tutò potuit legisse Tibulli?

Vel tua.cuius opus Cynthia sola fuit?

Quis potuit lecto durus discedere Gallo?

Et mea, nescio quid carmina tale sonant.

Pro Deum immortalem! clamat Ouidius à nemine tutò posse Tibullum Propertium, aut alium ex hoc genere contingi poëtam,& Christianus inuenietur nescio quis bonarum artium patronus, qui supercilium hic contrahat, dicatque effrænis & effrons, aliter ac fieri debeat de his esse libris, à nobis consultum: decurtatos latinitatis authores, mutilum per nos Horatium, Catullum, Tibullum, Martialem &c.interpolatos plerosque, idque quo iure? quo exemplo? requirit. Quibus si ita respondeam, vsurpatum hoc à nobis primò, nec exemplum secutis, quo nil opus haberemus, hoc vnum vidisse, vtilem adeò rem & his temporibus, vel nullo præeunte, necessariam fuisse, quis iure arguat? Licuerit Platoni ab ea, quam informabat, repub. poëtas omnes exterminasse, Licuerit Spartanis à ciuitate sua præter vnum omnes, Tyrtæum arbitror, cuius in versibus nihil fractum aut sordidum, expuisse, & Christianis idem in paucos tam atroci in periculo, sine aliorum offensione non licebit? licebit verò quam maximè. Spartanorū exemplum.

At, cuius sit hæc ratiocinatio facilè video, eius est vaferrimi ac teterrimi castimoniæ hostis qui solenne hoc habet vt vitia, quæ nuda omnes oderunt persona aliqua siue commodi, siue lucri contecta; vendibilia faciat. Bene itaque quod bonis omnibus gratum, ac sapientibus non potuit non esse acceptum, sensit Ignatius si alterutri pereundum, aut periclitandum est poësi, aut pudori; saluus sit pudor: quin illa citius pereat, quàm hic periclitetur. Sed non ita est. De honestissima facultate pessimè is meretur, qui eam existimat, ad celebrandam virtutem genitam, aduersariam esse virtuti, neque enim ad Poëticam Christiano homine, dignam vlla necessitas graueolentas illas cloacas adeundi, quod viri sapientes in Publio Virgilio Marone Poëtarum Principe agnoscunt, cùm Dei sapientiam eo venerantur, qui volunt poëtam optimum eundem esse & pudicissimum: vnde quotquot hîc verbo, factoque aliquando

deliquerunt, posteaquam ad sanio-rem mentem reuersi sunt, insaniam suam deplorârunt ac corrigere prò viribus conati sunt: vnum dabo, testem longè grauissimum, quo paragraphum hunc obsignabo: est ille Æneas Sylüius Piccolomineus, posteà Pius II. PP. qui etiamnum iuuenis, & Secretarius Imperialis, Mariani Sozini Senensis rogatu scripserat duorum amantium casus. Res acta Senis fuerat, dum Sigismundus Imperator illic degeret: Amantes dicti Eurialus & Lucretia. Poëma verò sic clauserat, habes amoris exitum non ficti, neque felicis: quem qui legerint periculum ex aliis faciant, quod sibi ex vsu fiet, nec amatorium liberè poculum studeant, quod longè plus aloës habet, quam mellis. Et videri poterat Secretarius, sic noxam auertisse, sed non Papa: quare factus iam Pontifex, sic ille de sese Tractatum de amore olim scripsisse dum recolimus, pudot ac mœror, animum nostrum vehementer excruciant, quippe qui sciamus, quique protestati expresse fuimus, duo contineri in isto libello, apertam sc. sed lasciuam nimis, prurientemque amoris historiam: & morale quod eam consequitur ædificans dogma. Quorum primum fatuos atque errantes video sectari plurimos. Alterum, heu dolor! pœnè nullos. Ita depravatum est, atque offuscatum infelix mortale genus. De amore igitur quæ scripsimus olim iuuenes, contemnite, ô mortales, atque respuite: sequimini quæ nunc dicimus, & seni magis quàm iuueni credite, nec priuatum hominem pluris facite, quam Pontificem Æneam reiicite, Pium suscipite: illud gentile nomen parentes induere nascenti, hoc Christianum in Apostolatu suscepimus. Porrò si quem descripsimus Euriali, Lucretiæque amorem, vt accepimus, ô! insipientes perlegeritis, huc propensius iam iam accedite, longè aliter quàm infamis ille Heliodorus ostendit, qui maluit sacris infulis exui, quàm quos condiderat eiusmodi libros exurere.

Æneas Siluius. Epist. 114. & 399.

Quin & elegiam subiunxit Pius in qua amoris lasciui detrimenta exponit.

Vidimus effigiem lasciui nuper amoris,
Quæ nimium mentem mouit imago meam, &c.

Sed ab his vanitatum illecebris, ad pestilentis cathedræ susurros veniamus, qui nefariis libris excepti, ac variis verborum lenociniis vestiti rudibus obtruduntur, non sine præsenti periculo à fide naufragandi: & hos quidem duas in classes distribuo, tum nimirum in eos qui vetitas & maleficas artes, tùm verò infandas hæreticorum opiniones complectuntur.

Prioris generis libri dicuntur in diuino codice Actorum 19. περίεργα, quos Syrus vertit magicos libros. Vatablus, curiosas artes: noster autem interpres dicto loco sic exprimit: *qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt.* Dicuntur autem curiosa, quod impotens, atque impia hominum curiositas illa peperit, quodque nemo nisi improbè & maleficè curiosus illa attingat. Sic *Tertullianus eneruem, atque otiosam curiositatem appellat*, S. verò Augustinus *pestiferam curiositatem*, cum enim lib. 2. de doct. Christ. cap. 24. de genethliacis, Mathematicis, aliisque diuinorum generibus egisset, quorum *artes* vocauerat antè *nugatorias, vel noxiæ superstitionis*; subiunxit: *quæ omnia plena sunt pestiferæ curiositatis, cruciantis solicitudinis, & mortiferæ seruitutis, quapropter eas omnium quoque sæculorum ætatibus,* iudicium orbis terræ damnauit: quod etiam modò nemo non cordatus ac sapiens facturus est, quicunque incredibilia damna apud se reputârit, quæ ab ea pestilente lectione proficiscuntur.

Act. 19.

Tertullian. S. August. l. 2. de doct. Christ. c. 24.

Qui enim iudiciariam Astrologiam, qui Mathematicorum insanitiones, qui magicen, & prodita à dæmonibus arcana sectantur, ij vulgò in hæreses procliues, triste fidei naufragium & honoris incurrunt,

quod

quod in Priscillianistis prudenter animaduertit S. Leo. Quare proinde, sapienterque factum est, vt Christianorum Imperatorum insignis pietas, quid de huiuscemodi libris statuendum foret, non prætermiserit attestari; ita namque Honorius Theodosiusque sanxerunt, vt sub oculis Episcoporum libri Mathematicorum exurantur. Quod esse quoque faciendum voluit S. Augustinus: qui Mathematicum recens ad Deum conuersum, quique plurimos Christianos pecuniis magnis emunxerat, in medium populi concionem produxit, vt agnosceret simul omnes eum & misererentur: Tum addidit: *portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem missis, in refrigerium transeat.* Vtinam hæc pluribus ætate nostra cognita forent, non aduersis tot casibus pessum ruerent omnia, neque ad indignissima quæque facinora, explendasque libidines dilaberentur, à quibus se per annos multos vix aliquando queant extricare. Rem paucis auditam, veram tamen ad instituti mei rationes enarrabo.

S. August.

Confirmatur exemplo.

E familia nobili iuuenem paupertas militare coëgerat. Is in ea militia melior cœpit seipso fieri, atque à Luthero, cuius placita iam puer hauserat, ad Catholicos transire: magnis, cur ita vellet momentis inductus. Stipendiis aliquot confectis, à manipularibus ad suos, ex interuallo reuertit. Hi vbi hominem à sua disciplina senserunt diuertisse, tamquam alienum auersari, & nulla ope adiutum domo excludunt. Falsus animi iuuenis, iamque à necessariis desertus, & quid deinde ageret ambiguus, constituit postremò castra repetere. Bidui iter, aut tridui emensus, cœpit rei pecuniariæ commeatu laborare, tres quatuorúe sestertios nummos reliquos habebat, pro peculio viaticatus, tabernam ingreditur, iubetque aliquid obsonii, cui tenue marsupium soluendo esset inferri. Accumbit interea, & futuræ mox egestatis metuens in omnem partem oculos versat, videtque ad fenestræ forulos librum illic negligenter ab aliquo relictum, eum manu arripit, aperitque imprudens, legit malè ominatum Fausti nomen, & otiose paginas nullo ordine perlustrat, donec in eum locum incidit, vbi ratio, modusque describitur, quo nummos ille ab Orci trapezita emunxerit. Et iste continuè secum; quid? mihi si eadem argenti conficiundi ratio monstraretur? quem ego repentè me ferrem? Simul animum colligēs, & quod temerè cogitasset, exsecratus, librum abiicit, precatus Deum, ne qua votum imprudens euentum sortiretur. Inter hæc, dapes non minùs opiparæ, cum zythi sextario, inferuntur: quibus homo breues à fame, sitique inducias pactus, cum ad assem omnia decoxisset, è taberna, & mox de oppido egreditur.

Delatus paulò post patentem in campum, diuque hominum, quos nullos obuiàm haberet, solitudinem miratus, conspicatur deniqne procera statura opilionem, quem de viæ diuerticulis sciscitatus, rescíit longè de via se aberrasse, posse tamen, si sequeretur compendium ostendi. In via vltro, citroque multa, ventum est eò demum, vt opilio, quo tenderet, quidúe moliretur exquireret: respondit Iuuenis quod erat, Ducem se quærere, sub quo noua stipendia mereret. Renidens opilio, se verò Ducem eiusmodi esse. & vndique volones, si quos nancisceretur, colligere.

Simul auri crumenam si cuius egeret ostendere. Hæsit attonitus tirò, vt qui ducem in pastore non exspectasset. At alter, asseuerate, rem esse, contendere: & nempè itinerum pericula causari, quæ personam sibi eiusmodi induxissent. Cæterumre verâ militiæ ducem se esse deque præsente argento philippicos aliquot non auarè, neque parcè in stipendium obtrudere, quos cum diu tiro repudiasset, eccui ergo Imperatori copias scriberet, cui hosti bellum facturus esset, inquirere: tergiuersari

 opilio,

opilio, ac tandem subobscurè quis esset, aperire principi se, Imperatorique mundi milites auctorari, dicit. Intellexit facilè tiro, quocum sibi res esset, territusque diuinam opem inclamat, omnemque veteratori conditionem renuntiat: atque abiit ex oculis, tum quidem mimus, at breui post reuersus, assiduis iuuenem, non solum insidiis petere, sed damnis etiam, iniuriisque incessere perseuerauit: identidem obtrudens: serò miserum à conuentis, pactisque resilire: firmata iam sibi fœdera stare, iam adnumeratum illi stipendium fuisse. Victimam Orco deberi id solum interesse, volens, libensque immolari, quàm contumax rapi, trahique præoptaret. Quod si verò abnuere pergeret, se verò lacessere perrecturum, nec desiturum priùs infestum esse, quàm præda in potestatem venisset. Inde refugienti instare, & modo laqueum, à quo se necteret, modò ferrum, quo pectus hauriret, modò præcipitum monstrare, per quod se deuolueret. Ita circumibat iuuenis infelix, multisque annis, nequidquam opplorans, apud ignotos æque, notosque remedium inquirebat.

Tanti nimirum stetit vnius temeritas lectionis. Et cuius lectionis? non valde illecebrosæ, non mensibus aliquot continuatæ, sed lectionis per imprudentiam cæptæ, simul ac desitæ. Quid iam de illis sentiemus, quorum omnis labor est euoluere veneficia, artesque nefandas; legentes defendere, & reprehendere castigantes. quid iuris in illos Tartareus hic prædo non habebit?

Librorum hæreticorũ fraus & pernicies. Altera classis perniciosorum Codicum est, quæ fœdis hæreseon commentis, & inexpiabili fraude maculosa in campum prodit non vtique minus fugienda ac detestabilis humano generi, quàm prior, cum hac vtrique commune, quod Magia & Hæresis geminæ sint & germanæ, quæ vnum eundemque satorem habeant, impurum dæmonem equitiarum omnium, artiumque vetitarum architectum, neque enim Simon aut Carpocrates: Matcion aut Valentinus: Arius aut Nestorius: Lutherus aut Caluinus, non sexcenti alij, qui deinde consecuti sunt, tametsi forent impia & vecordi mente, & omnium scelerum colluuione polluti, tam indigna potuissent, in Deum & Catholicam religionem emoliri nisi incubans eorum animis Dæmon, stylum acuisset. Ille impios characteres stygio incausto pictos, & nocturnæ strigis penna exaratos, libros, inquam, furentium Nouatorum in lucem emisit, vnde quàm scripta omnium hæreticorum vitanda sunt, vt dæmoniacum spiritum olentia apud SS. PP. in confesso semper fuit.

Verùm omissa mali dæmonis consideratione, cuius afflatu & loquuntur, & scribunt, si ipsos libros impiarum opinionum propius inspiciamus, quid est quod virum probum ac Numinis reuerentem impellere possit ad legendum? Nihil enim est in illis nisi malitiâ confictum, vel moribus aduersum, vel religioni contumeliosum, vel impium & abominandum, vel si quid est ab honestis viris tractatum, quod ipsi quoque illustrare conentur, id pessimarum rerum contagione deprauatur, vt nulla superesse ratio vel caussa videatur, quæ istuc hominem queat instigare, quapropter non immeritò Nycæna Synodus Arrianorum scripta vri iussit, & Constantinus subscripsit, ita, vt qui eos libros occultaret, extremo supplicio dignos censeret.

Librorum Arij damnatio. Scribit autem magnus Athanasius eiusdem Concilij Patres cùm exinde in eo conuentû Arij liber legeretur, palàm aures obturasse, vt iam nemini mirum videri debeat Cyrillum Hierosolymitanum virum eximia doctrina præditum & singulari vitæ sanctitudine celebrem, nunquam nisi timentem, reuerentemque ad eorum libros peruolutandos accessisse, cùm id necesse ad populum erudiendum videretur, & contra malarum opinionum scelus muniendum, vt de se ipse scriptum reliquit. Vetulo nouellum subiungo: Fuit

non

non ita pridem homo religiosus, & in S. Theologia eximius Doctor, qui cum opus principis è Gallia hæretici de bibliotheca damnatorum authorum cepisset, atque in cubiculum suum detulisset, quod in schola nescio quid refutandum esset, nullam partem nocturnæ quietis capere potuit; quasi dæmonem ipsum in cubiculo clausum habuisset. Itaque vbi diluxit, abominandum ordinem subitò è Museo eiecit & exturbauit: adeò eiuscemodi libros vel tantum in cubiculo retinere periculi plènum est, & diuinæ beneficentiæ cursum intercludit.

Libri Apollinaris hæretici damnati.

Atque hîc mihi in mentem venit pulcherrimi & lepidi facti S. Ephrem, quem diuini spiritus lyram à Theodoreto nuncupatum ferunt, qui cum Apollinaris hæretici libros mutuò accepisset, atque à Domino repeterentur, restituit quidem, sed ita vt tamquam morbidi, sub medici manu fuisse viderentur, & non sine emplastris ad Dominum redirent, quam rem D. Gregorius Nyssenus elegantissimè in eius vita testatam dedit, vbi ait folia omnia conglutinasse, sic vt legi deinde liber, atque aperiri nullo modo posset.

Vtinam hoc plures intelligerent, vt ab eiuscemodi viris, nec iis insipientibus, aut bardis intellectum fuit! sed quid aiunt? cum natura sint plerique curiosi, si quid fortè iis libris eruditè, si quid piè, politeque inspersum videant, tutò se iis duci posse arbitrantur.

Audiant hi virum sanctissimum Ignatium, qui præsenti hoc suo Apophthegmate nefariam inimici fraudem & machinationem nobis studuit aperire, ne quis dolo malo, & impietate hac captus miseriam suam ac calamitatem seriùs deploret, verba eius sunt eiusmodi; *dum placere primò librum*, inquit, *deinde paullatim auctorem amari, tum adamato auctoris ingenio, doctrinam quoque omnem placere, veramque putari, etiam eam, quæ sit ambigua aut damnata, nisi principiis occurratur.*

Ludouicus Crucius post Buchananum poëticè interpretatus psalterium.

Atque hæc princeps illa ratio, caussaque fuit, cur Ludouicus Crucius dignus Ignatio patre filius animum adiecit ad interpretandum crimine diuinum illud opus sacrarum litterarum, quo psalmi centum quinquaginta continentur, post Georgium Buchannum dictione elegantissimum. Quamuis enim is princeps poëtarum sui temporis esset, periculosæ admodum, suspectæque lectionis erat. Nam præter summum scelus, quo se per hæresin obstrinxerat, id egisse videbatur ne clarissima, norissimaque de Christo Opt. Max. vaticinia. quæ, psalmis continentur, suo in carmine apparerent. Quo facto bonis omnibus meritò execrabilis haberi debuit etiamsi suæ factionis colluuioni maximè prædicabilis haberetur.

Dionysii Petauii dictum de lectione lib. hæret.

Et ita quidem hanc se rem habere inficiabitur nemo, quisquis obiter recordari voluerit, quoscunque vel audisse aliquando, vel vidisse contigerit, qui aliquot ante annos, in hanc consceleratorum factionem ab hac bonorum societate desciuerunt, desciscuntque quotidie, vt eos omittam, qui saluâ fide, pietate non saluâ, vt Dionysius noster Petauius de Gallis suis loquitur, moribus facti sunt, vitaque corruptissimi, quorum nil mali aut sceleris offerri potest, quod non ab eiuscemodi librorum lectione conceptum sit, ac deriuatum? nec alibi profectò deesse solet, vbi, quis hæreticus? quis Numinis contemptor? quis aliorum corruptor? quis corruptus ipse? quis nefarius facinorum author inueniri potest? qui, si verum dicere velit, suam non ab eiusmodi libris excitatam nequitiam, & per illos auctam, confirmatamque fateri necesse habet? aut saltem, integritatem suam in periculum hac via esse deductam? Agnouisse id certè in communem omnium vtilitatem visus, auditusque Ignatius fuit, dum grandis iam natu studia non ætati, sed spiritui suo conuenientia exercere primaque grammatices rudimenta deuorare aggressus

S. Ignatii de Erasmi Roterodami lib iudicium.

aggressus erat: Versanti nempe in hac studiorum palæstra contigit pios quosdam ac doctos viros ei consilium dare, vt Erasmi Roterodami, qui eo tempore bonus latinitatis auctor habebatur, librum de milite Christiano legeret, quo sermonis scilicet elegantiam cum pietate coniungeret. Cuius consilij Confessarius etiam ad reliquos auctor accessit. Quod cum Ignatius simpliciter fecisset, obseruauit libri illius lectione refrigescere in se spiritum Dei,& deuotionis sēsim ardorē restringi. Quare animaduersa, librum de manibus omninò abiecit, & ita est auersatus, vt nec ipse amplius legerit illius authoris libros, & posteà fundatâ Societate passim legi vetuerit à suis. Et meritò: quid enim prodest illa scire, quæ vtilius ignorantur? laudabilis est scientia, scire quid ignorandum sit: illa verò execrabilis, quæ dum auget linguæ, inficit animæ puritatem.

Esto, in politiori litteratura nomen aliquod gessisse Erasmus visus sit; at in sacra & ascetica doctrina crudus adeo ac frigidus est, vt in illum, teste Canisio, non incongruè dici videatur istud Apost. 1. Cor. 2.

1. Cor. 2.

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Quis venenum hauriat, licèt ex auro propinetur, aut gemma. Alia crimina solos auctores inficiunt; sola librorum impuritas est, quæ vnum facit & legentis & scribentis crimen.

Hoc de Erasmo Roterodamo, hoc de aliis eiusdem farinæ scriptoribus sentiebat Ignatius: idque multò ante, quam Apostolicæ sedis censura notarentur, & iure quidem maximo ac summo: nullum siquidem ea librorum peste venenum præsentius, nihil ad attingendum parcius, vel cautius declinandum. Serpit enim hæc paulatim contagio, ac vigorem omnem virtutis extinguit, sensimque assuefactos commenticiis opinionibus animos primum ad audienda tractandaque liberius, mox probanda ac patranda flagitia prolectat, vt bene de Erasmo vir magnus visus fuerit pronuntiasse, cùm dixit: ***Erasmus innuit: Lutherus irruit. Erasmus dubitat: Lutherus pernegat: Erasmus ponit oua, Lutherus excludit pullos. ἢ Ἔρασμος λουθηρίζει; ἢ λούθηρος ἐρασμίζει.***

Iulius Cæsar scaliger de Erasmo quid sentiat.

Per hæc initia sceleratissimorum hominum desperatissimus furor emersit: hoc execrandorum errorum ac scelerum pabulum semper fuit: Neque tanti cuiquam esse debet curiosæ indagationis, aut inanissimæ cuiusdam voluptatis sensus, vt eum cum tantæ maiestatis offensione, cum certissimo animi periculo esse cupiat compensatum; quando & Ciceronem legisse Hieronymo capitale propemodum fuit: fortunas hic omnes, opumque & vitæ illecebras catus abdicârat, soli adhuc Tullio aures, oculosque obnoxius trahebat. Omnia nimirum suus Hieronymo Tullius erat. In hoc adolescentis tam impenso studio, morbus ei cæpit obrepere, iam corporis totius artus febrire, iam venæ pauere, iam anima vitaque fugere: cùm ille sensibus defectus, improuiso ad tribunal cæleste, pro reo adducitur. Stabat ex aduerso paratus actor, plenosque codicillos euoluebat, interim nec reo patronus ibi nec aduocatus erat. Cœpto dein iudicio, Hieronymus de vitæ genere deque cultu, & religione à Iudice interrogatur: hic ille resumptis viribus, vt qui caussæ suæ confideret Christianum se esse profitetur, neque aliam sibi vitæ conditionem fuisse. At Iudex toto statim capite abnuere, vultuque atroci, nugari hominem,& mentiri dicere: simul argumenta & testes proferre, quibus Tullianus fuisse probetur. Quibus oppressus, conuictusque Hieronymus, quod vnus infelix potuit, obmutescit. Igitur lata in reum sententia, verbera, virgæque expediuntur: tunditur ipse, feritur, cæditur. Post longos hominis eiulatus, plagasque tergo, & scapulis impositas, fuêre, qui clamores adolescentis miserati, supplices iudici fierent, veniamque ei de prætéri-

Quale periculum adierit Hieronymus ex lectione Ciceronis.

præteritis flagitarent. Iudex cætera misericors, in sententia perstare, neque reum prius absoluere, quàm profana hoc genus scripta penitus eiurasset: vtque, si chartas ille Tullianas postmodum versare, voluereque instituisset pœnas tum alteras, & tanto grauiores penderet: Enimuerò hic Hieronymus, nulla conditione repudiatâ, omnia volens, libensque promittere, studium profanum eiurare, & si libros porro tales, aut legeret sciens, aut retineret, nihil supplicij refugere. In hæc sacramenti verba dimissus, inquit reuertor: ac ne fabulam narrasse milesiam credatur, testis, inquit, est tribunal illud, ante quod iacui, testis iudicium triste, quod timui. Quis testem in hac re grauiorem sanctioremque Hieronymo exspectet? Et quidem Tullium ille solum, id est librum profanum quidem, certè autem procul ab omni spurcitia ac hæresi semotum lectitabat, quid si idem Nouatianum, Manetem, Arium, Macedonium, aut Photini somnia legisset, quid periculi, Deus bone! in illo tribunali tunc adisset? patuisse id non obscurè reor ex illo quod Stanislaus Rescius in vita magni Hosij Cardinalis scriptum dedit: viuebat hic etiamnum adolescens studiorum gratia in Academia Cracouiensi, vtebaturque familiariter Iuuene quodam nobili Fabiano Cema, qui non æquè, vt ille à rebus nouis abhorrebat, vnde si quos pestilentis Lutheranæ factionis libros nancisci poterat, auidè legebat. Contigit verò eum in acutam febrim incidere, cuius vicem cum Hosius doleret, officium consolantis ad lectulum eius assidens gnauiter explebat: quod cùm die quadam obiret, sub capite iacentis, libellum quendam aspexit, quem vbi manu accepisset, & hæreticum cognouisset: hæc est, inquit. ista febris, quæ te excruciat: tu malum hoc ipse tibi sciens, volensque accersis, dum pestem illam non in animum solum, sed & in lectulum admittis: quare si febrim à corpore

Stanislaus Rescius in vita Card. Hosij.

tuo propulsatam cupis, prius ab animo tuo studium hoc amoue, nec dubita, quin te statim febris deseret, atque ita librum flammis obiecit. Postridie cùm ad visitandum amicum reuertisset Hosius, à febri relictum illo ipso tempore, quo liber flammis arserat, inuenit. Ita Rescius lib. 1. cap. 5.

Nec minus id Virgo sanctissima Dei parens Maria calculo suo firmauit, dum à Cyriaco Abbate, qui & Lauræ Calamonis presbyter fuit eximiæ vir sanctitatis, in cellam inuitata, ingredi eam noluit, quod suum apud se inimicum haberet. Quibus ita responsis mater alma discessit, neque amplius, quæ tristes consolatur apparuit. Cyriacus hæsitat. circumspectat, anim pendet, quisnam ille esset virginis hostis, aut vbi lateret: cumque nihil inueniret de vllo Virginis hoste recepto, sanctissimæque matris reprehensio in animo hæreret infixa, quæ causam non habere non poterat in grauissimum luctum incidit, quem vt aliqua ex parte leniret, librum sumpsit in manus, qui sibi ab Isychio Presbytero fuerat commodatus; & cum forte codicem euoluisset, duos impij, detestandique Nestorij libros in fine vidit assutos, statimque velut depulsâ nube lumen ipsum veritatis aspexit, sibique persuasit Virginis sermonem ex superiore ostensione de Nestorio esse interpretandum. Librum itaque reddidit & flammis absumendum curauit.

B. V. librũ hæreticum auersatur, & damnat.

Arguitur à Virgine; qui imprudenter, quanto grauiores pœnas daret, qui teterrimum illum Deiparæ aduersarium sciens, volensque tecti communione dignaretur?

Quis itaque hic S. Ignatium magnopere non existimet, ac censeat prædicandum? dum ad præsentissimi huius, maximique periculi pertimescendam, deuitandamque magnitudinem, hac sui Apophthegmatis clarissima facula voluerit nos collustrari, vnde fiat vt singulari Catholicæ Ecclesiæ bono, & præcipuo anima-

Apophthegmatis Ignatij laus & comprobatio.

animarum nostrarum commodo, aut inueteratam omnes pessima quæque legendi consuetudinem deponamus, aut nondum initam reiicere perpetuò ac repudiare constituamus, ne ab incauta scripti approbatione, ad probandum subinde scriptorem deflectamus. aut certè salutis nostræ naufragium, de quo monuit Ignatius, improuidi faciamus: neque enim contemnenda sententia est, non difficulter fieri, vt quorum scriptis delectamur, eorum moribus similes fiamus: quod & insuper diuinus sapiens videtur confirmasse, cùm ait: *ex studiis intelligitur puer, si munda & recta sint opera eius*. Prou. 20. Atque illud est etiam grauius in causa nostra, quod eiusmodi auctores non solum pro amicis, sed etiam pro Magistris habentur: Notum est autem quam procliue sit Magistrorum vel vitia imitari, cum & linguæ hæsitantiam Aristotelis, & Platonis gibbum eorum sectatores imitarentur: de quo audiendus Stromateus Clemens dum scribit in hæc verba: *Si quis in Ischomacho studium posuerit, eum faciet Agricolam: & si Lampadio operam dederit, nautam: & Charidemo, Imperatorem & Simonidi, equitandi gnarum: & Perdici, Cauponem; & Crobylo obsoniorum conditorem: & Archelao, saltatorem: & Homero poëtam: & Pyrrhoni, contentiosum: & Demosthenî, Oratorem; & Chrysippo, dialecticum*: Cui subdit Clemens beatissimam clausulam: *ita qui paret Domino, & per eum datam sequitur prophetiam, efficitur ad Magistri imaginem Deus, qui in carne versatur.* Cui similem sed tristissimam clausulam in præsenti hac re subiicio, ita qui hæreticis scriptoribus ac magistris, eorum similis fiet. Ita videmus, qui in graui ac pestilente cælo educantur, paulatim inde vitium contrahere, nec sentire. Color fit pallidius, & exanguis, buccæ fluentes, oculi flauo suffusi, vires languidæ, tota valetudo afflicta. Id ipsum non in corporibus, sed in animis eorum fit, qui eiusmodi libros legunt. Vbi aditum reperit liber pestilens, auctor accedit, proculcatur sanctitas religio inquinatur.

Prou. 20.

Clemens Alexand.

Hic sensus Ignatij, vtinam & omnium nostri in perpetuum!

APOPHTHEGMA VNDECIMVM.

CVm de oratione apud alios ageret, eiusq; vsum & traderet & suaderet, à nonnullis interrogatus quomodo verò ipse Orationem institueret? respondit: hoc non dicam, sed id tantum, quod vos scire de ea opus est: hoc namq; Caritatis & Necessitatis est, alterum illud vanitatis.

Alphonsus Rodericus tomo 1. Exercitij virt. Christianarum tract. 3. cap. 6. ex relatione Ferdinandi de Trejo Episcopi Salamanticensis, qui fuit vnus ex iis, qui ex S. Ignatio id ipsum audierunt.

Commentarius.

Idea Cenodoxia.



SI quis doctum aliquando per otium, secum ipse considerare voluerit, siue Scarabæum nidulantem in rosa, siue Cantharidem incubantem oliuæ siue Blattam è purpura succrescentem, seu denique Teredinem in suo ligno grassantem, facilè, quid stolida illa ventosæ gloriæ cupiditas quam maiores

iores nostri Cenodoxiam dixerunt, in regno virtutis efficere soleat, poterit augurari. Certè qui eam in imagine propius contemplati sunt dulcem spiritualium operum despoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, virtutum tineam, ac fucum omnis sanctitatis appellare non dubitâtunt: nullam siquidem à Scarubæo suo tantum damni tulisse Rosam, à Cantharide Oliuam, à Blatta Purpuram, aut à Teredine lignum in confesso est, quantum ab vna Cenodoxia virtus omni æuo perpessa fuit. Testis mihi non vnus solùm è multis, sed & inter multos propemodum singularis Ioannes Cassianus lib. 11. Inst. cap. 7. vbi sic loquitur: Omnia vitia superata marcescunt, & deuicta per singulos dies infirmiora redduntur: hoc verò deiectum acrius resurgit ad luctam & cùm putatur extinctum, suâ morte viuacius conualescit. Cætera genera vitiorum, eos tantum impugnare solent, quos in certamine superârint, hoc verò suos victores acriùs insectatur, quantoque fuerit validius elisum, tantò vehementius, victoriæ ipsius elatione congreditur. Et hæc est subtilis inimici versutia, vt militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare.

Ioan Cassianus l. 11. c. 7.

Vnde factum vt communi veterum Patrum Senatusconsulto, Basilio, Augustinoque postulantibus decretum sit, præcipuo quodam studio ac cura huic malo ab omnibus occurrendum esse, cùm non leue aliquod sed graue admodum nec vnum, sed varium, & triplex quidem damnum sit, quo incautos pessum dedisse consueuit.

1. Damnū Cenodoxiæ

Primum est, insana quædam atque immoderata contentio, quâ frequenter non pauci, in bonorum operum studia rapiuntur, non quidem vt iis honoretur Deus, sed ipsi ab hominibus celebrentur, quod tantum abest vt semper obtineant & consequantur, verum contraria omnia super ingruisse deplorent, iuxta verissimum Ieremiæ vatis oraculum cap. 48. 36. *Quia plus fecit, quam potuit, idcirco perierunt.*

2. Damnū.

Alterum verò est speratæ mercedis præmiique dispendium, vt apud Matth. cap. 6. Prima Veritas dixit: *mercedē non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est.* Hoc namque Cenodoxiæ proprium est, teste S. Basilio, non impedire, quò minus laboremus, neque enim tunc graue foret, præmio destitui, cùm nullus præcessetit labor, sed exspectans, donec oppidò in virtutum palæstra fuerimus defatigati, tum denique earum fructum nobis eripit, & promeritam palmam infringit: piratis non multum dissimilis, qui soluentem è portu nauem elabi sinunt, reuertentem autem ac pretiosis, mercibus onustam inuadunt, ac deprædantur: de quo sapientissimum istud Hussitarum Regali liceat vsurpare oraculum: *spes hypocritæ peribit*: eius, inquam, qui fine illo, atque obtutu, sua est operatus, vt ab aliis magni fiat ac laudetur.

3. Damnū.

Tertium denique damnum, quo nos afficere solet inanis hæc gloria in eo sirum est, vt dum minimi facit bonorum se operum mercede nos exuisse, maiora insuper supplicia ac tormenta non leuia nobis accumulet: bonum quippe in malum, virtus in vitium, ob prauum, quem in eâ finem spectauimus transire solet, vnde fit, vt è bono semine fructum pessimum colligas, atque inde supplicium non modicum promereare, vnde laudem ac gloriam debueras messuisse.

Magna profectò animarum labes, exitiale malum, ruina nulli non extimescenda, quâ non semel eos, quibus nullus ante hostis nocuerat, turpiter inuolutos legimus & obtritos, de quorum clade, id certius dixerim, quàm ille de Entelli: *It clamor cælo.*

Resistendū Cenodoxiæ Christi exemplo.

Audiit certè eum in paterni sinus accubitu filius Dei, quare ad humanitatem nostram accedens, tum verbo, tum exemplo vitium illud infringere

fringere, nosque aduersus illud potentissimis argumentis voluit communire. Et primò quidem ad exemplum quod attinet, Cenodoxiæ certamen non recusauit, tam ne ducem in conflictu, quàm animos ad pugnam defuisse queri possemus, cum solos ab hoste nos impeti videremus: ita namque S. Cypianus eloquentiâ & martyrio inclytus, dum eum, quem hostis gula vincere non poterat, vana gloria ab eodem afflatum tradit, volutum namque suggerebat per aërem, quo populi plausum & admirationem referret. Neque enim diffidebat rem bellè successuram cùm, vt ante non semel euenerat, eas, quos nullis tentationibus frangere potuerat, hac vna in exitium proruisset.

Sed qui nobis certabat, nobis quoque hostem superauit, plurimis exinde viuæ vocis oraculis accedentibus, quibus & animus nobis erectior & victoria certior redderetur: ita
Matth. 6. namque apud *Matthæum* cap. 6. legere est, rem hanc præcipuè commendasse: *attendite ne Iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: cùm ergo facis eleëmosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleëmosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, vt sit eleëmosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

Lucæ 17. Et iterum apud *Lucam* cap. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus. Nec enim qui seipsum commendat*, vt
2. Cor. 10. Apostolus eius 2. Corinth. 10. loquitur, *ille probatur est, sed quem Deus commendat, ac proinde nolite fieri, inanis gloriæ cupidi.* Gal. 5. Quod apud
Galat 5. Ioan. c 4. Ioannem cap. 4. idem Dominus de se, qui homo erat, declarauit, inquiens: *si ego glorifico meipsum. gloria mea nihil est.* Vetuit ad hæc non semel publicari miracula à se facta, vt
Matth. 8. 4. S. Ioan. Chrys. cum leproso curato dixit, *vide nemini dixerit. Ideo namque*, inquit *S. Ioannes Chrysostomus nulli dicere iubet, vt doceat, non diligendam ostentationem & gloriam.*

Quibus satis superque ostendere visus est, quid hac in parte nobis agendum sit, quod exinde omnes, quotquot virtutum studio floruerunt, professi, atque ad amussim imitati sunt, de quibus sic *S. Gregorius Magnus* lib. 26. moral. cap. 23. *Laus sua iustos cruciat, iniquos exaltat, sed iustos dum cruciat, purgat, iniquos dum letificat, reprobos monstrat: isti enim sua laude pascuntur, quia auctoris sui gloriam non requirunt: illi autem qui auctoris gloriam quærunt, sua laude cruciantur, ne non sit intus, quod foris dicitur, ne, si est etiam, quod dicitur ante Dei oculos ipsis fauoribus vacuetur: ne humana laus robur mentis emolliat, eamque in sui delectatione prosternat, & quæ adiumentum esse debent augendi operis, iam retributio sit laboris.* S. Gregor. l. 26. Moral. c. 23.

Ad Colossenses cap. 3. scribens Apostolus Paullus græco vtitur vocabulo ὀφθαλμοδουλία, quod huic rei de qua nobis sermo est, maximè inseruit: significat autem oculorum seruitutem, μὴ ἐν ὀφθαλμοδουλίαις, inquit, hoc est, non ad oculum seruientes, & si verbum verbo reddere velis, non in oculorum seruitutibus. Quod ille Seruis, hoc omnibus dici potest, non in ὀφθαλμοδουλίᾳ, non in oculorum seruitute vitam traducatis. Quam verò hæc seruitus grauis sit, ostendit *Ioannes Chrysostomus* homil. 17. in epist. ad Roman. his verbis: *elegerim potius plurimorum seruitutem barbarorum, quàm semel vnius gloriæ inanis. Neque enim captiuis illi suis talia præcipiunt, qualia subditis suis ista iubendo mandat.* Coloss. S. Chrysost. hom. 17. in ep. ad Rom.

Quapropter non abs re *S. Hieron.* epist. 22. ad Eustoch. *Illud quoque tibi vitandum est ne inanis gloriæ ardore capiaris: quomodo inquit Iesus, potestis credere, gloriam ab hominibus accipientes? vide quale malum sit, quod qui habuerit, non potest credere. Nos vero dicamus: quoniam gloriatio mea tu es. Si namque adhuc hominibus placerem Christi seruus non essem.* S. Hieron. ep. 22.

Nec

S. Bernard. serm. 13. in Cant. Nec dissensit *Bernardus* qui serm. 13. in Cant. sic locutus est: *Gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt; dicente etiam Dauid: qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Fratres, si hæc scitis nemo vestrum velit laudari in vita illa, quia quidquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria, putidè pulues? tibi vnde?* Sic illi: nec clarè minus, quàm verè.

Modus ac dolus quibus vtitur Cenodoxia. Sed modum, ac dolos, quos in aggressu suo Cenodoxia adhibere consueuit, operæ pretium fuerit deteriisse. Paucis expediam.

Mentem principio sub specie boni alicuius prætentus aggreditur quia nimirum displicere non oportet eis quos Domino lucremur: neque enim si eis displicuerimus, illique nos contempserint, quam ipsis proponemus doctrinam, admittent: Ad hæc Dei gloriam suggerit non parum ex nostra pendere, quem vitæ bonæ ostensione laudamus, & alios, qui nos vident & audiunt, ad glorificandum Patrem, qui in cælis est incendimus, & prouocamus.

Hac coloris tesserâ mentem ingressi personam deponit, & palàm quæ sit ostendit, ad pulchrum esse proponit, homineque dignum digito monstrari, & dicier hic est: nam honos & laus virtutem sequitur.

Æquum ergo esse, vt tu, qui virtute & litteris polles, honoribus ac laudibus illustreris: *nemo enim accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus; qui in domo sunt.* Matth. 5. 15. Et Dominus te lucernam suam igne zeli animarum inflammauit: talentis naturalibus instruxit, atque idoneum ad alios collustrandos effecit. Quis credat id factum esse, vt in obscuro lateas, & non magis, vt apud alios nominis celebritate clarescas?

Et his quidem, atque similibus modis Cenodoxia animum ad sui amorem inflectit, quem vbi iam penitus obtinuerit, toti mox incipit tyrannicè dominari.

Quid hic agat inexercitatus pugil, re integra, ab ingressu monstrum arcebit, e prouidæ mentis specula accessus obseruabit; aditus omnes obstruet, commeatum virtutum aduehet, si saluus esse velit.

Cenodoxia similis Basilisco. Basiliscum ferunt, si te prior conspexerit, interimere, si verò à te ante visus fuerit, interire. Talis Cenodoxia, non præuisa nocet, nunquam, præuisa nocebit. Indignum cogita tam vili pretio, pauxillo scilicet venti ac vanitatis tantos labores vendere. Ita S. Bernardus. Desiderium omne honoris atque æstimationis exstinguere seriò labora, ad quod iuuerit, secus de te loquentibus, aut verum dissimulantibus nequidquam succensere.

S. Bernard. Nihil insuper de te loquaris, quod laudem, vel gloriam suboleat, quantumcunque sit familiaris ille, quo cum agere contingat, in quo magnum illud Bœticæ lumen ac phosphorum excelluisse accepimus Ioannem Auilam quem si quando ad vtilitatem eorum, quibuscum ageret, dicendum quidpiam incideret, quod sibi aliàs accidisset, semper istud velut de tertia quadam persona dexterrimè enarrasse ferunt.

Ioannes Auila magnus Cenodoxiæ hostis. Et hæc, quamdiu, vt ante dixi, res integra fuerit, vbi verò contrà, hostem in cordis penetralia admissum senseris, nulli nec sudori, nec sanguini parcendum dixero, quo tyrannicum vitium, qua possis vi, etiam violenter illata, sua sede depellas, vel propriis quoque defectibus ac vitiis prudenter ad tui confusionem detectis, quo vno vel maximè Victoria stare consueuit. Licèt autem hæc vniuersim omnibus non parum conueniat, maximè tamen iis, quibus vel ex officio, vel instituto procuranda salus animarum incumbit, necessaria est, tum propter sublimem ministerij dignitatem, quæ contrario vitio extra modum solet offuscari, tùm propter insigne periculum Deum grauius offendendi, dum, eo prætexto, gloriam nostrã procuramus: quibus Claraualensis ille asceterij Theophus

sophus

S.Bernard. sophus Bernardus væ solebat intentare, dicens: *væ, qui bene de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem, si conuertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum.* Quo spectasse quoque crediderim Oseam Prophetam dum cap. 2. 8. sic locutus est: *dedi eis argentum, multitiplicaui eis aurum, quæ fecerunt Baal*: dum scilicet ex eo, sibi honoris & gloriæ idolum conflarunt.

Osea 2. 8.

Huc applico quod veterum Patrum magister Origenes hom. 2. in Exod. scriptum nobis reliquit; *refert inquiens scriptura, quod de tribu Leui, quædam genuit masculum, & videns infantem esse elegantem, occultauit eum mensibus tribus. Vide si non propterea nobis præcipitur (spiritualibus Leuitis) ne publicos actus in publico geramus, nisi enim in occulto fuerit ab Ægyptiis diripietur, in flumen iactabitur fluctibus submergetur. Ergo si alium doceo, ad virtutem atque iustitiam erudio masculum genero, sed si ita faciam, vt hominibus innotescat, & ab hominibus laudem quæram, & non occultauero, raptus est ab Ægyptiis, & in flumen demersus.*

Origenes hom. 2. in Exod.

Damnum ingens & luctuosum, plurimorum lachrymis deplorandum! quod inter cæteros ignorasse non potuit Ignatius, cum tanta contentione ac studio, à primis melioris vitæ principiis, vitium hoc quam longissimè à se propulsare conatus est, tum propriæ perfectionis impulsus desiderio, tum aliorum, quibus à Deo datus fuerat magister ac custos. Et ad primum quidem quod attinet, certamen forte dedit illi sed vt vinceret, Vixdum namque à sæculi vanitate respirârat, cum hominis animum Dei ac Domini sui permissu in omnem partem versare cœpit callidus dæmon, vt quem strophis variis ac telis ante superasse nequiuerat, nimiæ confidentiæ ac vanitatis elatione supplantaret; sed diuino munitus præsidio, detestabile hoc ingrati animi, vt appellabat, vitium ita aggressus, vt denique euulsis radicibus debellârit, de quo sic *Petrus de Ribadeneira*: *Illud Deo miserante est consecutus, vt multis annis, antequam de vita discederet, nullam inanis gloriæ cogitationem habuerit: imò verò, vsque adeò luce diuinâ erat perfusus, suique perfectè cognitor, atque contemptor, vt nullum se uitium diceret ruinus extimescere, quam vanitatis & gloriæ inanis.*

Petrus de Ribadeneira l. 5 c. 2.

De quo S. Rotæ Romanæ Auditores, in relatione sua facta Pontifici, & Cardinales sacrorum Rituum Præsides disertis sic verbis locuti sunt. *Inanem gloriam & mundanas laudes non solum fugiebat, sed si aliquid contra suum honorem fieri animaduerteret, id ei summè irridebat*: quo vno, vel maximè, tamquam Aiacis clypeo hostiles ictus omnes auertebat, ac velut Dauidis gladio hostem ipsum interimebat. Quod tanto admirabilius in viro hoc videri debet, cùm primo anno conuersionis suæ rem hanc tam raram atque difficilem fuerit assecutus, quod pulchra hac similitudine cum *S. Ambrosio* lib. 2. de vocatione gentium cap. 3. liceat expendisse: *plenum decorem non statim vt eduntur* (plantæ, sc. & arbores) *accipiunt, sed certis & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem per succedentia incrementa proueniant. Ita & semina charismatum, plantæque virtutum non in omni agro cordis humani, totum hoc pariter, quod sunt futura, noscuntur: nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio.*

Rota Romana tuditum de Ignat modestia.

S. Ambros. l. 2. de vocatione gentium c. 3

Quocirca si in exordio mutatæ vitæ Ignatius, tam perfectò hos animi motus domitos, compressósque habuerit, gloriæque atque honoris cupiditatem adeo vbique radicatam, vt teste Bernardo prima soleat esse in peccato, in conflictu autem vltima, siue vt Plato dicere solebat: vana gloria est prima toga, quam homo induit, & vltima quam exuit, quantâ debuit contentione id vitium fuisse aggressus, quanto cælestis gratiæ subsidio polluisse!

Sed nec vni sibi hanc voluit victoriam ancillari, ad alios extendit,

quo

quo ſpectat præſens hic Aphoriſmus, quem, cum de orationis ſuæ methodo, quam nobilem admodum fuerat adeptus, à nonnullis interrogaretur, ecqua illi in vſu eſſet, ita pronuntiauit, hoc, inquiens, *petitis à me, ſed non dicam : id tantum, quod vos ſcire de illa opus fuerit, hoc namque caritatis & neceſſitatis eſt, alterum illud vanitatis.*

Apophthegma S. Ignatij.

Diuinum viri ſancti Apophthegma, quo ſubdolos omne Cenodoxiæ acceſſu prudenter eluſit, & aliorum neceſſitati cordatè ſubuenit.

Nec enim erat ille ex eis, quo ſe ipſos prædicant, aut rapinam diligunt in holocauſto, cauponantes verbum Dei, ad ſua lucra, & gloriam alios inſtruentes, de quo nihil præter fumum referant, aut vmbram, ſed vni Deo placere ſatagens *Charitatem impleuit, & vanitatem excluſit*: quo eum & diuinus inſtinctus, & maiorum exempla vocabant.

S. Eligius Nouiomenſis Epiſc. Cenodoxiæ hoſtis.

Verſabatur ei ob oculos S. Eligius Nouiomenſis Epiſcopus, à quo, dum adhuc laico, ſed vulgi opinione ſancto, quis velut eleëmoſynam accepturus manum extenderet, ac mox retraheret, orans vt oculis eius crucis ſignaculum potiùs imprimeret, quo viſum recipere poſſet: cùm diſſimulatim ſtupere ille ac ſuauiter arridere cœpit, tum verbis ſubiungere: amice necdum mihi noſſe videris te ſignare : docebo te, moxque ſignum Crucis imprimens oculis eius, illos aperuit, totumque hominis fidei tribuendum dixit, atque ita *charitatem impleuit, & vanitatem excluſit.*

Nicolaus Mirenſium Epiſc. vanitatem excludit.

Quod vel ab admirando illo Mirenſium Antiſtite Nicolao poterat didiciſſe, qui tribus puellis, quas nouerca paupertas proſtituere parabat, dotem tribus noctibus per feneſtram immiſit, hoc ingenio viſus, me gloriolam mercatetur, quo & ipſe *charitatem impleuit, & vanitatem excluſit.*

S. Ignatius vanitatem exoſus.

Huſcemodi fuerunt Ignatij etiamnum tironis rudimenta, nec deſierunt iam veterani eſſe exercitamenta. Teſtabitur id, quamdiu ſtabit ſompluteuſis Academia, litteris hic operam dabat Ignatius, cum à ſcholis quotidie ad paupertinam caſam itare ſedulò, eleëmoſyna ſolaturus egentem familiam. Obſeruarat id homo Cantaber, & miratus ſcholaſtici in adeunda domo frequentia eandem ingreſſus, intellecta rei veritate, illi, cum primò reuerteretur denuntiari iuſſit, ſi quo egeret ipſe, liberè explicaret. Audiit Ignatius ſed cum ſe detectum intelligeret, domui valefecit, aliam quæſiturus vbi, non impari beneficio, ſed tutiore latibulo beneficentiam exerceret itaque *charitatem impleuit & vanitatem excluſit.*

Atque hinc oriebatur ſolers illa eiuſdem prudentia, qua non ſolum ab eiuſcemodi operibus, quæ laudem ei gloriam parturire poſſent, abhorreret, ſed à ſermonibus quoque rerum à ſe geſtarum vaniſſimis arbitris impenſè declinaret, niſi grauibus momentis iſtuc traheretur, vel ad ſanandos eorum animos, & mœrore liberandos, qui ab ipſo conſilium peterent ac medicinam : vel ad excitandos eos, atque aduerſus difficultates alieno exemplo confirmandos, ita tamen vt omnia velut de tertia quadam perſona narrare videretur ſicut Andreas Lucas lib. 5. cā. 13. teſtatum reliquit, in quo præeuntem ſequebatur Apoſtolum, qui teſte S. Gregorio Magno, occultabat bona, cuſtodiâ propriâ : publicabat verò viſa diuina, admirabile vtilitate aliena: & huius quidem non antè finem, quam viuendi feciſſe in confeſſo eſt.

Andreas Lucas l 5. c. 13. vita c. 38.

Solenne eſt, vel ſanctiſſimis aliorum Ordinum auctoribus conuocatos ſub obitum ſuos blando paternoque ſolari alloquio, ſalutaria monita teſtamento legare, denique dicere poſtremum vale. Totum hoc officij genus Ignatij modeſtia non agnouit. Cùm enim ſecum ipſe reputaret, Societatem eſſe Ieſu, non ſuam, tacitus profiteri viſus eſt, ſolum Ieſum Sociorum parentem, ſe tantummodò fratrem eſſe. Virtus nullo non tempore meditatur ac ſurripit lucra, quo fit, vt & hunc quoque ſummæ ſui deſpi-

cientiæ fructum decedens Ignatius in altissimam gloriæ sedem extulisse visus sit. Descensu, vt bene dixit Franciscus Remondus, euectus est.

Franciscus Remondus.

Ad hæc Iacobus erat de Eguia, vir magno natu, ac cætera mirificè pius, quo in arcano animæ suæ iudicio Ignatius iudice vtebatur, hic mira super eius virtutibus, vitæque sanctitate memorabat, res Ignatio displicita fuit. Quare supremis illi obedientiæ legibus interdixit, ne quid porro se superstite auderet; & Deus prouidit, triduo namque antequam Ignatius obiret Iacobus oppetiit. Quod factum Ignatij precibus esse, non absurde creditum fuit. Modestissimum virum non modo magni nominis lux, verum etiam vel vmbra terrebat, quam proinde excludere vndique nitebatur. Et hoc quidem sacco filios post se imbutos reliquit, quos inter iure dixeris S. eminuisse Franciscum Xauerium, qui sui contemptor vnicus non minus laudem & honorem, inuitamenta arrogantiæ, quam cæteri vituperationem ac dedecus horrebat. Quippe honorem petosus, honorantes ita auersabatur, vt iam constanter inter omnes, veterem illi simplicitatem esse cordi fuci omnis & ambitionis expertem. Proinde laudabiliter & præclare à se facta solerter occultans, si quando ea vulgare, aliorum vtilitas cogeret, ita expromebat S. P. exemplo, vt ad alium quempiam eredcres pertinere. Veluti ex sommorino promontorio de rebus à se gestis ad socios scribens, valetudinem ægris pluribus per se restitutam attribuit pueris, quorum qualicunque erat opera. Itemque de cælestibus gaudiis, quæ eodem loco Deus sua caussa laborantibus impertiret, exponens, quod ipsimet vsu venerat, quasi de alio quopiam citra mendacium narrat. Numquid hoc est cum Ignatio *charitatem impleuisse atque exclusisse vanitatem*? Ita vel maximè reor.

S. Frãciscus Xauerius omnis vanitatis hostis.

Sed Francisco huic alterum subiungamus, & cognominem quidem, erit ille B. Franciscus Borgia, sacratissimæ illius Philosophiæ non ignarus, de quo ita Andreas Scottus lib. 4. cap. 1. Oblatus erat ei energumenus, à quo dæmonem alij exorcismo pellere frustrà tentarant, rogatusque vt pro eo Deum precari non recusaret: cessit subito, fugitque dæmon & lætus ille dimissus est.

Andreas Scottus l. 4. c. 1 vita B. Borg.

Qui aderant, orationi illius acceptum retulerunt. Ille verò, qua erat modestia, quid mihi, inquit, si dæmon me fugit. Nam & veteri verbo dicitur, figulus figulum. Cumque aliis ego olim offendiculo fuerim, nil mirum si me ille oderit: solent enim eisdem artibus dediti, æmulatione quadam inter se odisse.

Post Methymnæ campi, cum præsente illo forte res gesta referretur, pudore erubuit, illud addens: demus verum esse, quod narratis: ecquid mirum, cum ego sæpenumero, dæmoni morem gesserim, semet illum mihi paruisse.

Sed quid hac in parte de Gaspare nostro Barzæo addiderim! id profecto quod nefas fuerit subticuisse. Mandarat superior, vt de se quisque ea scriberet, quæ eum diuini obsequij incremento & fratrum solatio successerent Gaspar, vt erat mandatum, fecit; & quidem etiamsi, vt ait, esset ab aliis arrogantiæ incusandus; sed non tamen ita fecit, vt de se nihil committeret, quod ad vituperium faceret, reliqua autem sic tegebat, vt alius quilibet ea videretur confecisse. In miraculis perscribendis, illud sane est illustre, nam eisdem prope verbis vtitur quibus D. Paullus: Noui hominem &c.

Gaspar Barzæus.

Nam, Patrem è Societate nostra quendam in his Indiæ partibus, ac deinde narrat ea, quæ gloriosè fuerant facta. Ita Nicolaus Trigaultius l. 13. c. 15. hæc Oriens spectauit: quæ non minus in P. Iosepho Anchieta diebus Occidẽs suspexisse, de quibus, ita scribit vitæ auctor l. 5. Ita excellentes suas virtutes arte admiranda humilitatis velo obtegebat Iosephus, vt ipsam etiam virtutem humilitatem deprimeret, non enim ille sua

Iosephus Anchieta.

facta

facta eleuando humilitatem præferebat, sui ludibrio venerationem aucupatus, versura siquidem est plurimorum improbitas, cùm ipsum honorem, quem spernere videntur, ambiunt quàm maximè, sed splendorem, qui ex eo erumpebat, ne emanaret longius, per multam dissimulationem obscurabat.

Ita latere amat humilitas & latebris abdita libentius crescit, cæterasque virtutes, quarum est nutrix in vmbra educat, vt in Bernardino nostro Piccino luce clarius datum fuit, perspexisse: cùm virum hunc tota Sicilia scientia ac virtute celebrem, impulit vt cùm patria in terra magnus ab omnibus haberetur, latebras sibi opportunas apud exteros quæreret. Exorato itaque Præposito Generali in Italiam migrat ac Tiburi paucis edocendis pueris, omnibus ignotus addicitur, in eoque tam humili opere supremum diem clausit. Contigit autem dum in illo versatur, mitti, vt ægro manus imponeret, quare noctem integram repetitis sæpius flagris, quæ humillima preco intermittebat, se dirum in modum concidit, vt quidquid inde gloriæ exsurgere posset, ea castigatione fugaret. Ita diuino suo Apophthegmate docere nos visus Ignatius est, dum & charitatem à nobis voluit impleri & vanitatem constanter excludi; præclarum sane nec minus vtilem omnibus Aphorismum quem magni Francisci Suarij dicto consigno: Rogatus hic olim ab amico, quemnam Deo ob beneficiorum magnitudinem obstrictum magis censeret, Philippum ne Regem, cui tot, & tam amplas in regiones imperium dedisset; an se, cui sapientiæ christianæ regnum tribuisse videbatur; deiectis humi oculis, nec dubiè eâ interrogatione offensus: ego verò, inquit, eum arbitror accepisse à Deo plura; cui Deus & sui cognitionem ampliorem, & maiorem animi modestiam indulsit. Et hanc ego ex Ignatiano Apophthegmate spiritum, hunc omnibus Lectoribus meis fructum voueo, apprecorque vehementer. *Franciscus Suarez.*

APOPHTHEGMA DVODECIMVM.

DVm quispiam eum interrogasset, qualem deniq; cuperet esse hominem Societatis? Religiosus, inquit, Societatis IESV *Magnus esse debet secundum Nomen suum, Maximus in salutem electorum Dei: expugnare hostes Ecclesiæ, vt consequatur hæreditatem Israël.*

Zacharias Trinckellius die 13. maioris gloriæ Dei.

Commentarius.

Quo sonus, hoc index.



A rotati, sonantisque horologij excellentia, atque perfectio est, si quod istic sonus eloquitur, hoc index demonstrare non cesset. Idem, neque imprudens, de homine pronuntio: cui vir plenus officij quondam accinuit: *esto quod audis.* Et rectè id quidem me quoque assentiente: *neque enim*, vt aureus Orator Chrysostomus homil. 52. in Acta Apost. diuinè scripsit, *omnes sunt Ioannes, qui vocantur Ioannes.* *S. Chrysost. hom 52. in act. Apost.*

Quod ritè callens Diadumenus puerulus, cum & Imperio, & Antonini nomine donatus esset: *elaborabo*, ait, *ne desim Nomini Antoninorum, scio enim me Pij, me Marci, me veri suscepisse nomen, quibus satisfacere perdifficile est.* Ita apud Vopiscum commen- *Diadumenus puer.*

datus ab Imperatore Valentiniano fuit Probus, posteà & ipse Imperator, quod Adolescens esset. ac vir sui Nominis. A.S. Gregorio Nazianzeno in orat. S. Meletius laudatus est; quod esset reapse, quod audiebat nomine, mores, inquam, & nomen haberet melleum.

Clotharius. A S. Gregorio Tironensi laudatus Clotharius, quod sui nominis exsecutor esset. S. verò Hieronymus Pammachium sic olim adorsus est: *ex interpretatione*, inquiens, *Nominis tui, omni arte bellandi aduersus diabolum & contrarias potestates te bellare demonstras*.

Alexander Macedo. Neque Alexander, Iuuenis ille Macedo, Persici euersor Imperij de quo, maiore an prudentiæ, an verò fortitudinis laude excelluerit, iure dixeris incertum, id ignorasse potuit, cùm militi adolescentiori, qui & ipse Alexander nominabatur in Tyri oppugnatione, dixisse fertur, *animosè commilito, fac facinus nomine, quod geris, dignum*, & alteri, nomine quidem Alexandro, sed desidi, & imbelli: *aut nomen*, inquiebat, *muta, aut mores*.

Vnde luce clariùs videre liceat; quanto iure ac fide bonis, magnisque nominibus faciendum sit satis.

S. Ignatius esse volebat quod audiebat. Spectârat hoc, altumque imbibetat, cùm præsens hoc ederet Apophthegma Ignatius, quo suos omnes in Christo filios, quo Dei optimi, maximique voluntate, fedisque Apostolicæ gratia SS. Iesu nomine insigniuerat, diu, noctuque lumbos succingi voluit, vt ad tam grandis debiti solutionem, quæ in tanti Nominis expletione sita est, prompti, paratique esse possent.

Versabatur illi ob oculos sanctissimus iste, fortissimusque Israëlis Imperator Iosue, qui cùm in circumcisione sua vocatus fuisset Hosée, à Mose postmodum, Deo sic iubente, Iosue appellatus est, præfixa ad Nomen Hosée littera, Iod, prima sc. Nominis tetragrammati, vt omnes cognoscerent, ei bona plurima largitutum Deus cui principem diuini sui nominis litteram addidisset. Quod respiciens eloquentissimus diuini codicis interpres Hieronymus, Iehosua, inquit, per crasin Iosue, idem est quod Iaho-iescua, idest, Dei salus, aut saluator Iesus, vti nomine, ita reapse, felicissimâ traductione electi populi in terram promissionis celeberrimus. Quod verò quanta, quamque insigni fide, ac fortitudine præstiterit, testatum omnibus reliquit Sirachides, Eccli. 46. *Fuit*, inquiens, *magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, vt consequeretur hereditatem Israël*.

Magna certè præstantissimi herois virique, planè admirabilis Iosue, hoc nomine dignitas, dicam, an felicitas? Fuit: dignitas verè maxima, Typus Principatus Christi: felicitas autem non minima, nullis obtrectantium calumniis, nullis maleuolorum iniuriis, propter Nomen hoc fuisse lacessitum: vbi, vt testis hæc ætas est vniuersa, nosque inprimis omnes expetimur, dum neminem ferè religioni bellum inducere animaduertimus, qui non vnà inimicitias cum nomine nostro immortales sibi duxerit esse suscipiendas, stylis istud configunt, calumniantur foris, palàm inuido, clàm maledico dente arrodunt. Hi nos superbiæ insimulant, vt qui Nomen cælitùs aduectum, ab Angelo annunciatum, in quo totius orbis salus, quo vnigenitus Dei filius in cælis, & in terris nominatur, Angelis verendum, hominibus adorandum circumferamus.

Alij nos peculatus arguunt nequissimi, quasi verò dum Nomen istud nobis ceu proprium assumimus, cæteros omnes Christiani Nominis hæredes, à Societate Iesu repellamus, cùm tamen Gentium Apostolus Paulus 1. Cor. 1. vniuersam Ecclesiam alloquens, dixerit: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem filij eius Jesu Christi*. 1. Cor. 1.

Et cassa quidem hæc fulgetra neglexisse poteramus, nisi grandia quædam Theologorum nomina his intorquendis

torquendis manus impias accommodassent: magna namque authoritas, vel sine rationis cuspide magnum telum habetur.

Cur nomẽ Societatis Iesu assumpserit Ignatius. Primùm itaque nobis superbiam inspergunt, cuius tamen hic vel maximè exsortes habendos reor; quam itaque ex parte S. Ignatij, ab illo namque ordiendum est, assumpti Nominis huius dixerimus caussam? non aliam certè quàm ipsissimam humilitatem, quia instigatus ac ductus vir sanctus, hanc sibi, ac suis præstituit Nomenclaturam, nec Societas aliquando Ordo Ignatij seu Ignatianus, neque Religiosi huius Ordinis vocitarentur Clerici Ignatiani, seu Loiolitæ, vt Petrus de Valderama ex Ordine Eremitarum S. Augustini cum multis aliis prudenter aduertit.

Et sanè dum rem hanc penitus intueor, magistris hic magnis Apostolis vsus mihi fuisse Ignatius visus est, qui filios suos spirituales à se Christo genitos per baptismum, non à nominibus suis, qui eos conuerterant, sed à Christo Christianos dicere maluerunt: & hæc quidem animaduersio non mea est, sed grauissimi ac sapientissimi Doctoris Augustini qui scribens in Psal. 44. sic ad rem nostram legitur commentatus: *Quotquot,* inquiens, *Apostoli Christo genuerunt, non Paulianos, non Petrianos, sed Christianos nominârunt.*

Firmatur itaque vel ex hac impositione Nominis Iesu, quod veluti gentilitiam quandam tesseram familiæ suæ consignauit Ignatius, vera eiusdem humilitas, dum ab illo Societati nomen dedit, quem proprium eiusdem authorem nouerat, nec vnquam statuerat diffiteri, probè intel- *Tertullianus.* ligens nihil noui esse, vel absurdi, *si disciplina de magistro,* verba sunt magni Tertulliani, Apolog. cap. 3. *cognomentum sectatoribus inducat.*

Confirmatur S Ignatij intentio. Licuisse scimus BB. Francisco tùm Assisiati, tum Paulano, illi Minorum, huic Minimorum nomen, ad imprimendam altius affectatorum suorum cordibus submissionis virtutem familiæ indidisse, quo firmius sibi persuadeant, tanto ipsos modestiores in omni vita esse oportere, quanto sua ipsi compellatione conuinci possent manifestius, moribus suis, officioque defuisse, nisi hi Minores, isti verò Minimos omnium se exhibuissent: ecquid Ignatio, sociisque eius vitio vertatur, si ex nomine Ordini diuinitus concesso, arctiore quodam vinculo obligari se fateantur, in quo si deficiant, propter obiecti euidentiam, statim argui possint ab omnibus, ac reprehendi?

Tantum igitur abest, vt vanitati aucupandæ hoc Nomine assumpto studuerit Ignatius, quin vel maximè hoc facto ab ea recesserit quo Nomen tam nobile, tam Deo charum, tamque probatum ab Ecclesia assumpsit, vt non possit absque Saluatoris iniuria commutari.

Quis enim Catholicus ausit, posthabito Iesu nomine, diuino illo, atque ab Ecclesia vniuersa probato, humanum Ignatij nomen imponere Societati?

An dices, sanctissimam illam Iesu *Obiectioni fit satis.* Nomenclaturam vniuersalem esse, nec ita omni hominum generi propriam dicandam, vt toti reliquæ Ecclesiæ desinat esse communis, quæ tamen à magnis Apostolis Paullo, atque Ioanne, Societas Iesu appellatur: & ita profectò est, nec quisquam sanæ mentis id negârit: glaucomate oculos, mentemque tenebris magnis obsessam habeat, qui sic sentit necessè est: cui tamen, si quis fortè eiuscemodi inuentus fuerit, ne defuisse dicamur, hæc habeat: Primò, non quoties aliqua appellatio à quopiam sibi adoptatur, vt propria, illicò id eum sibi arrogare, vt res per talem appellationem anteà significata, nulli alij, quàm sibi, re ipsa conueniat, imò sæpè hoc argumentum esse modesti, demissique animi, quasi nihil in se proprium cognoscentis, ac proinde non alio se vocabulo signari petentis, quàm illo, quod ad eam pertineat vniuersitatem, cuius se partem esse vnicè glorietur: vnde manasse cre-

dirur illa, quam D. Thomas pluries obſeruat, vt infima pars alicuius generis notetur vocabulo, totum genus complectente. Exemplum affert de modeſtia, ſic ediſſerens: Nomen commune quandoque appropriatur his, quæ ſunt, intima, ſicut nomen, commune Angelorum appropriatur infimo ordini Angelorum, ira etiam & modus, qui communiter obſeruatur in qualibet virture, appropriatur ſpecialiter virtuti, quæ in minimis modum ponit.

Et huc quidem ſpectaſſe creditus eſt vetus ille Romanorum vſus, qui, cum viros, hoc eſt nobiliorem ſexum, peculiari nomine ſuprà cognomentum commune agnationis notarent, fœminas tamen, hoc eſt inferiorem familiæ partem, ſolo illo generali nomine ſignabant, addito, ſi opus eſset ad diſtinctionem numero, velut Cornelia prima, Cornelia ſecunda: Quali de cauſa fertur Tertulliani Nomen, quaſi Tertiæ Tullæ filium, eſse compoſitum.

Quidni ergo potuerit etiam Ignatius, de Societate illa, quam minimam nuncupauit, tam demiſſe, vel ſentere, vel loqui, nihil vt boni, ac memorabilis agnoſceret in ipſa, præter id, quod cunctis Chriſtianis commune eſt, hoc eſt præter eſſe ſocios Ieſu, & ad eius conſortium vocatos.

Addo alterum, quo glaucoma ab oculis cæcutientium illorum tollam, vt perſpicuam bonis omnibus, & ipſi perſpiciant veritatem.

Quod omnibus commune eſt, rectè quidam ſibi vſurpant, ſi aliis hoc facto nihil iniuriæ inferatur, nec eorum quiſpiam, qui publico præſunt, id vetet, aut carpat, multoque magis, ſi plures probent ac laudent. Ea enim communium bonorum ratio eſt, vt iis rectè vti, fruique plures queant.

At Societatis Ieſu appellationem ira ſibi adlegit Ignatius, vt Chriſtianorum alios nullos ab eadem paronymia, ſi quidem eam velint, prohibeat, quodque in communis agri fructu cuilibet eſſe poteſt, id ei liberrimum relinquat, vnde neque Romanus Pontifex, nec Imperator, neque alius legitimorum Magiſtratuum quiſquam appellarionem hanc reprehendit: contra verò, eriam ad ruborem noſtram ampliſſimè laudârunt, ac commendârunt. *Confirmatur reſponſum.*

Vna œcumenicæ Tridentinæ ſynodi vox multorum teſtimonia explebit; ita namque ſeſſ. 25. c. 16. ſonat: *Per hæc ſancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Ieſu, iuxta pium eorum inſtitutum, à ſancta ſede Apoſtolica approbatum, Domino, & eius Eccleſiæ inſeruire poſſint.* *Auctoritas Concilij Trident. ſeſſ 25. c 16*

Quod poſteà confirmans Gregorius XIV. die 17. Iunij 1591. in Conſtitutione, quæ incipit: Eccleſiæ, ſic ait: *Statuimus Nomen Societatis Ieſu, quo laudabilis hic Ordo naſcens à Sede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus in ea retinendum eſſe.* Quæ cum ita ſint, nihil hic criminationi obnoxium comminiſcendum. Sanè, ſi hoc reprehenſionis genus ſemel obtineat, non vnam tanget Societatem noſtram, ſed nobiliſſima Eccleſiæ membra inuadet. Quid enim, ſi quis ira diſputet? An prædicandi munus vna Dominica ſodalitas præſtat? Quid eſt ergo quod illo ex omnibus Prædicatorum ordo nuncupatur? Nempè quis non intelligat Prædicatorum Ordinem dici, non quia ſibi vni munus prædicandi arroget, ſed ſtudium concipiat. *Item Gregorij PP. XIV.* *Exemplis aliorum cõfirmatur.*

Nonne verò & aliæ multæ variorum Congregationes ſunt, quæ à communibus eriam rebus nominatæ: Religio quæ in redimendis captiuis exercetur, à SS. Trinitate dicta eſt: Equites qui à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege initiantur, à S. Spiritu nomen habent.

Alij quoque Equites in Luſitania prænobiles à Chriſto vocitantur.

Antiquiſſima eſt Romæ fraternitas a Saluatore dicta.

Rauennæ verò fratrum boni Ieſu Collegium à S. Margarera erectum.

Denique quid Ordo Ieſuatorum ante

ante annos ducentos ab Vrbano V. censſus, & in Eccleſiam admiſſus? An hi omnes eo ipſo ſe ſolos SS. Trinitatis cultores, iactabāt, aliosque Chriſti nomine ac profeſſione orbabant? minimè: ſciebant namque, & perlubenti animo admittebant quotquot in Eccleſia Catholica viuunt omnes vtique auguſtiſſimæ Trinitatis cultum profiteri: quotquot ſacram militiam ſuſcipiunt, eos omnes & Sp. ſancto, & Chriſto militare non dubitabant.

Regis Gallarum patrocinium. Sed, quid pluribus opus vbi Rex loquitur?

Calumnias in nomen hoc noſtrum ſparſas audierat Chriſtianiſſimus Francorum Rex Henricus IV. cum veritatis atque innocentiæ patrocinium ſuſcepit, & in hunc modum reſpondit: *Diſplicet hoc nomen? cur igitur non diſplicent qui ſe Religioſos Trinitatis nominant? Quod ſi & iſtos, ſicuti & Ieſuitas non probatis, cur filias veſtras eodem modo non improbatis, quæ Pariſiis vocantur filiæ Dei? Quin etiam cur vos ipſos iactatis, non minus ex ordine Sp. ſancti eſſe, quam ex hoc ordine ſunt Equites mei? Sanè malim dici Ieſuita, quàm alio nomine Religioſus.*

Hoc magnum illud Regij oris oraculum, quod ſuam Societate Ieſu Nomenclationem multò magis tuetur ac vendicat, quàm olim Socrati Delphicus ille Loxias, Nomen ac titulum Sapientis.

Cauſſa præcipua aſſumpti ab Ignatio nominis Societatis Ieſu Sed id agimus, niſi in tranſcurſu, hoc autem, & quidem pede preſſo probatum velle omnibus, cauſam quæ Ignatium in hanc appellationem traxit, cùm in quærenda hominum ſalute Societatem inſtitueret, atque erudiret, Nomine hoc, ac ſtemmatè votum ſuum explicare voluiſſe, & enuttire, vt quoties hi aut ſe vocari audirent, aut inſigne ſui Ordinis aſpicerent, toties debiti ac promiſſi muneris admonerentur. Nec mirum: ſic enim qui conſpirantibus animis grande aliquid aggrediuntur, ſolent quaſi propoſiti teſſeram, atque incitamentum, cognomen aliquod ſibi imponere, & ſtemma præferre, non quaſi eius laudis in ſe præſtantiam, ſed ſtudium profeſſi.

Attigit paucis ſummam huius rationis & cauſſæ Petrus de Ribadeneira noſter l. 2. vitæ S. Ignatij c. 11. quem iuuerit hic audiiſſe: Societa- *Pet. de Ribadeneira l. 2. c. 11.*
„ tem Ieſu appellari voluit, vt qui
„ huc vocati fuerint, non ſe in Igna-
„ tij ordinem aliquem adſcriptos,
„ ſed in Societatem filij Dei Ieſu
„ Chriſti Domini noſtri vocatos ig-
„ noſcant: ſub illo ſummo Impera-
„ tore mereant, cuius ſigna ſequan-
„ tur, Crucem ſuam cupidè tollant:
„ & in authorem fidei & conſumma-
„ torem Ieſum aſpiciant, qui propo-
„ ſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem,
„ confuſione, contempta. Et ne de-
„ fatigentur animis deficientes, cer-
„ tum illis atque perſuaſum ſit, Du-
„ cem ſuum ſibi præſto eſſe: illum
„ non Ignatio ſolum & ſociis, vt vi-
„ demus, hactenus fuiſſe, ſed ſibi
„ quoque futurum ſemper propitium
„ ſperent.

Ex quibus verbis Ribadeneiræ, ſenſu grauidis, tres modos colligere eſt, quibus quod nomine præferimus, reapſe expleamus.

I. Si ſemper ipſius Ieſu nos profiteamur ſeruos, clientes, milites, diſcipulos: omni officiorum genere, omni obſeruantiæ, pietatis, religioniſque nexu erga ipſum obligatiſſimos, ita vt quidquid habemus boni, ab eodem tamquam à perenni atque inexhauſto fonte profluens agnoſcamus, quod duplici ratione fieri poteſt, actu ſcilicet, vel virtute. *Tres modi reapſe exprimendi quod nomine proferimus.* Actu quidem, dum non ſolum data, ſed etiam accepta quæſitaque occaſione hoc nomen proferimus, laudamus, inuocamus, ad cor inflammandum amore ipſius, ad animum per cæleſtia deſideria incitandum, ad veræ religionis, & diuinæ charitatis actus exercendos.

Virtute verò, & hic alter modus eſt, quo Ieſus ineſt in omnibus verbis noſtris, cùm nihil otioſum, nihil ſæculare proferimus, ſed ſpirituale, ſiue ex genere ſuo, ſiue ratione finis,

proinde vel nobis, vel aliis salutare.

II. Si vt per Iesum salui, beatique tandem simus, cupidè, strenueque amplectamur, quæ ille cunque ad salutem nobis dedit, præscripsit, & commonstrauit: vt sunt nouæ ipsius legis sacramenta, sacrosancti euangelij præcepta & consilia vitæ regula, siue Constitutiones quas Ignatio tot diuinis significationibus, & admonitionibus consignauit, qui enim hæc per illius gratiam fecerit, magnus erit, qualem ex postremo hoc capite non malè dixeris innocentissimæ illum virtutis Iuuenem B. Aloysium Gonzagam exstitisse, qui teste Virgilio Cepario, recordari non poterat se vllo vnquam tempore Societatis regulam aliquam vel leuissimam cogitato migrasse: quod studium vt eius vitæ scriptor explicet, rectè facturum se ait testando, eum nunquam regulam illam neglexisse, quæ certis temporibus, & locis silentium imperat: Aloysio pœnè par Ioannes Berchmannus Belga, vt idem author narrat, qui Præsidi suo sub mortem confessus est, nullius à se violatæ regulæ conscientia animum vrgeri.

III. Si eius imitemur vitam ac mores. Huc certè nos sapientissimæ pietatis Antistes Augustinus tract. 5. in Ioan. inuitat. *Quomodo*, inquiens, *te gloriaris esse Christianum? Nomen habes, & facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisque paganum, tu factis te ostende Christianum* (Iesuitam) *nam si factis non ostendis te Christianum* (Iesuitam) *omnes te Christianum* (Iesuitam) *vocent, quid prodest nomen, vbi res non inuenitur?*

August. tract. in Ioan.

Nomen, ait Saluianus, lib. 4. de prouid. *sine actu & officio, nihil est, quare satius est pulchro, magnoque Nomine carere, quàm assumptum illud non explere.*

Saluianus l. 4. de prouid.

Exprimendum siquidem Nomen est quod suscipis; hoc Sunamitidi suæ Canticorum 8. suadebat sponsus: *pone*, inquiens, *me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*, hoc est, teste S. Ambrosio, *luceat imago eius in confessione nostra, luceat in operibus & factis, vt si fieri potest, tota eius species exprimatur nobis*. Sed verba ipsa inspiciamus: primum igitur spirituale hoc signaculum super cor locandum est, partem animi supremam, rationis fontem, principium ac motorem omnium quæ in homine fieri solent; constat autem pars hæc memoria, intellectu, & voluntate. Memoriæ quidem hoc salutare Nomen visum, vel auditum quasi sigillum signatorium imprimit imaginem Domini Iesu nomine significati: nam memoriæ loculos plenissimos esse imaginum, à rebus sensu perceptis, tamquam à signatoriis annulis impressarum, docente Platone, didicimus, quare ita debemus illius imaginem ab obliuione vindicare, vt nunquam, si fieri possit nobis excidat, vel deleatur.

Cant. 8. 6.

Deinde in Intellectu imprimendum est per frequentem mysteriorum eius meditationem, vnde magnum cognitionis lumen effulgebit, quo eius imaginem cultu atque imitatione dignissimam iudicemus.

Tertiò voluntati admouendum est hoc signaculum, vt in ea Iesum imprimat per dilectionem, vti sequentia illa apud Salomonem verba subindicant, *fortis est, vt mors dilectio; &, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, ad quod necesse est, vt cor tenerum ac molle fit, per primam gratiam, per deuotionem, per desiderium perfectionis, vt nouam hanc imaginem Iesu admittat. Cant. 8. 6.

Denique ponendum Signaculum hoc super brachium, id est, potentias nostras actiuas, & omnes actus earum. Quemadmodum autem id consequamur, S. docet Ambrosius, iuxta Nomen suum cælesti manans Ambrosia, tract. 19. in psal. 11. cùm ait: *manus tuæ non operentur opera hominum, quæ sunt fallacis huius mundi, sed illa quæ Dei sunt*, iuxta Apostolum Coloss. 3. 17. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in*

S. Ambrosius tract. 19 in psal. 11.

in nomine Domini Iesu Christi. Fient autem in nomine Iesu, si Iesus in corde præfuerit per gratiam, tanquam in semine, si Iesus insederit in intentione, cùm manus operatur: si Iesus fuerit ob oculos, tanquam imitationis exemplar, quod plena feruoris ac pietatis voluntas strenuè amplectatur, vnde nobilissima quædam sequetur in Iesum transformatio, cùm imitatis soleat imitatorem in exemplar transformare, ita vt in eo, nonnisi exemplo conspiciatur. Hac, secundùm Gregorium Nyssenum, Paulus Gentium Doctor euaserat, atque eodem verum Iesuitam, cum S. Ambrosio magnis itineribus contendere optabat, vt Magnus secundum Nomen suum esse, audireque Saluator queat. Ita olim insignis ille Iesu amator Origenes docuit, cùm Imitatorem alicuius nominari in scripturis voluit proprio nomine illius, quem imitatur, vti patiens, quia Iobi est imitator, Iob dicetur: Obediens, Abrahami imitator, Abraham nuncupatur. Ex qua regula imitator Iesu, rectè Saluator nominabitur, dum in eam curam, studiumque incumbens sui ipsius, per verum summumque Saluatorem, Saluator existet, & non crucifigentium, sed Crucifixi, hanc ad se vocem dictam accipiet: *Salua temetipsum*, & nunquam non in suis faciet auribus insonare, Apostolicæ tubæ clangorem. *attende tibi, & doctrinæ*: primo teipsum respice & cura, tùm verò ad alios charitatem, laboremque conuerte, *insta in illis*, duobus scilicet, quæ de te, & de aliis iam dicta sunt. *Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies, & eos, qui te audient* 1. Tim. 4. Et hoc est, in quo omnis nostra versari debet contentio, vt aliorum scilicet Saluatores quoque simus, sic magni secundum nomen futuri: imò maximi in salutem electorem Dei.

1. Tim. 4. 16.

Augusta namque est charitas, quæ solâ suâ contenta est salute vnde S. P. Ignatium dicere solitum fuisse Maffeius commemorat, neminem de Societate Iesu dicendum esse qui ad suam vnius, non etiam ad aliorum salutem & acriter, & scienter posset incumbere præsertim cum, vt P. Ribadeneira testatur l. 5. cap. 10, *non Dei tantummodo à suis habendam esse rationem diceret, sed etiam hominum propter Deum.*

Quis dicendus esse de Soc. Iesu. Maffeius de vita S. Ignatij.

Ribadeneira l. 5. c. 10.

Nec enim ille ob suam istam propriam, quamquam & hæc ipsi fuit quam cumulatissima, sed & ob aliorum salutem descendit de cælo vnigenitus filius Dei. *& vocatum est nomen eius Iesus*, ipse enim, aiebat Angelus Matth. 1. *saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc ergo & nobis faciendum, docendo, monendo, concionando, ad pœnitentiam inuitando, peccata confitentibus aures præbendo, hæreses dedocendo, neque id verbis tantum, aut scriptis, sed ipsis etiam vitæ bonæ, sanctæque integritatis exemplis, ne iis deficientibus, in nobis locum inueniat Paullina ista exprobratio, *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.* Rom. 2. 24. Super quo S. Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 10. Christianus (Iesuita) vocatus es? parce huic nomini, ne propter te blasphemetur Dominus noster Iesus Christus filius Dei: Nam, vt bene *Saluianus* lib. 3. de prouidentia: *magis per Nomen sanctissimum rei sumus, quia à Nomine sacratissimo discrepamus.* Patet in Imperatore Commodo, de quo laudatus anteà Imperator Alexander, Commodi, aiebat, meminisse nolo, qui hoc ipso deterior fuit: quòd cum illis moribus, fœdis nimirum ac vitiosis, Antonini nomen obtinuit. Sed optimè in rem nostram sublimis Paulinæ linguæ resonans Echo Ioannes Chrysostomus, hac inquiens, Iesu appellatione, cæteris omnibus vehementius nos excitari & promptiores ad virtutem complectendam fieri, nec ea quidquam indignum facere admoneri, cum eodem, quo Christus, nomine dicamur, cuius excellentiam nos intelligere necesse est. Si namque is qui Principis cuiuspiam, aut alterius clari viri nomen sortitus est, cùm id audit, tumet, atque

Matt. 1. 21.

Rom. 2. 24

Saluianus l. 3. de prouid.

Dedecet à suo nomine discrepare.

que superbit, & magnæ id sibi gloriæ esse arbitratur, eiusque authoritatem pro viribus seruare nititur, quid nobis faciendum erit, qui non Principis, non terrenæ alicuius potestatis non Angeli, non Archangeli, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus?

Nonne sic animam nostram instituemus, vt non afficiatur infamia is, qui tanto nos honore præuenit? sed contra, omnis studij, officij, obseruantiæque genere per nos ab omnibus amplificetur, colatur, ametur? quod denique erit verum esse Iesuitam, magnum secundum Nomen suum, nec dici solum, cuiusmodi multos apud Isaiam legimus insigni-

Isaia 48.1. ter vapulasse his verbis cap. 48. *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israël:* Nunquid simplicius multo dixisset, audite hæc Israëlitæ? cur igitur dicere maluit, audite hæc qui vocamini nomine Israël? ostendere voluit, quàm aliud sit vocari, aliud esse: verum quidem erat vocari eos Israëlitas; at minimè erant, operibus

Cyrill. l. 4. orat. 3. contrarium professi quod, B. Cyrillus lib. 4. or. 3. exponit in hunc modum, nomen nudum habebant, sed mente desidebant, aliis motibus alia mente præditi: quo verba hæc Salomonis, obscura illa quidem, sed hinc non parum illustranda adduco Prou.

Seneca l. de prou. c. vlt. 12, 7. *verte impios, & non erunt*: ac si dicat versa illos, siue personam detrahe, nec in externa fronte consistas; ad eum modum quo dicebat Seneca lib. de prouid. cap. vlt. *isti, quos profelicibus aspicitis, si non quà occurrunt sed quà latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti.* Hæc Seneca, quibus tantum non dicit, *verte impios, & non erunt*; nam dum illos versas, nec à fronte, siue extrinsecus contemplaris, sed patrimonio, hominibus, & aliis vanitatum mendaciis nudas, atque ad animum respicis, eos non esse, necessaria ratione fateare.

Nec ethnici sensa, sed diuina ora-

Ieremia 4. 25. cula tutò dixeris, clamante Ieremiâ cap. 4. 25. *Aspexi terram, & ecce vacua & nihili; intuitus sum & non erat homo.* At quomodo? inquies, vati sanis oculis orbem circumspicienti, & perlustranti vacua occurrit terra, dumque huc atque illuc oculorum intuitum dirigit nullum hominem conspexit? Plurimos certè, ac pene infinitos homines, reges ac dynastas iis temporibus exstitisse annalium fides testatur. Quæ ergo prophetæ mens fuisse potuerit, dum affirmat, se tanto terrarum, locorumque spatio, nec hominem reperisse.

S. Ioann. Chrysost. Respondebit græcus ille Ecclesiastes Chrysostomus, non infirmitati, sed perspicacitati oculorum eius id tribuendum esse. Quia videlicet non ad externam imaginem, nec ad fucatam hominis gloriam sed ad veram naturam, atque essentiam, quæ sola virtute & Dei timore, amoreque censetur, certo, fideliqùe intuitu adspiciebat. & dum homines falso virtutum schemate & mendacibus bonis circumdatos, gratia verò vacuos, atque à Dei amore alienos intuebatur, homines non esse, optimo iure existimabat, quamtumuis Principes, ac Duces viderentur, eo sensu, quo ille, nescio quis, siue ad sua, siue ad nostra tempora respiciens exclamauit *Amici, nemo amicus*: quod nimirum plures nomine, nullum reapse experiretur. Sed præcipuè hic nobis denuò audiendus Chrysostomus est: neque enim, ait, à figura, sed ab actione quod est, vnumquodque intelligitur: cetero, qui communione Nominis duntaxat dicitur id, quod dicitur: solus ille verus est homo, qui conseruata imagine à Deo concessam pulchritudinem minimè fœdauit. Sic ille ac si dixerit cum Tertulliano in opusc. ad nationes lib. 1.

Tertull. in opusc. ad nationes l. 1. c. 5. c. 5. *Multum distantiæ est inter opinionem & veritatem nam & nomina sic sunt instituta, vt fines suos habeant, inter dici & esse.* Quot denique Philosophi dicuntur, nec tamen legem Philosophiæ adimplent? omnes Nomen de professionibus gestant, sed seducunt Nomen, siue professionis sub-

substantia, qui superficie vocabuli infamant veritatem. Quod vt maiore adhibita cautione, velut certum quẽdam scopulum euitaremus, quotquot ad æternæ salutis portum aspiramus, omnes monitos esse voluit nos S. Ignatius, dum à magno Iesu Nomine denominauit, vt & ipsi secundum hoc nomen magni esse laboremus, imò maximi, in salutem electorum Dei, quo honorificetur in nobis, & à nobis in aliis Deus, per Iesum Christum Dominum nostrum, cuius nomine insignimur: quæ vnica profectò ac sola via est, quam omnes, quotquot de Societate Iesu ad Gloriam emerserunt, constanter ingressi sunt, magni facti secundum Nomen suum.

Scopus Apophthegmatis S. Ignatij.

Et primus quidem hanc tenuisse visus ipse Ignatius fuit, Nominis sui factus nobilissimus executor, quod vel tacente linguâ disertissimum hoc loquitur Anagramma S. Ignatius de Loyola: *Io Ignis illatus à Deo*: vt Dauidicum illud ex regia cithara, Acroama illi non immeritò accini queat: *secundum nomen tuum, ita & laus tua*. Sciebat vtique vir longè optimus, ac prudentissimus, & clarè, sapienterque perspiciebat, Nomen quantumuis pulchrum ac decorum sine actu & officio suo nihil esse, inops ab omni prorsus existimatione, nullius ordinis, pretiique reputandum, eosque qui Nomen sine professionis substantia seducunt, superficie vocabuli infamare veritatem, quo nihil, teste Septimio Tertulliano, dici infestius potest: quare toto animi contentione in hanc, rem ipse incumbens, id agere vnum voluit, id peragere, vt quam posset plurimos, si non omnes, ab æterno exitio vindicaret. Testes tot passim populi doctrinæ Christianæ præceptionibus exculti, tot hominum cœtus sacris allocutionibus, rerum diuinarum amoribus accensi: tot ciues atque indigenæ, variis in vrbibus ac pagis, è lubrico vitiorum cœno in sacratum statione virtutum constituti; testes denique pauperum hospitales domus, atque in primis, publica ægrotorum valetudinaria, in quibus continuò, eodemque vilissimo famulatu, tot ac tantas virtutum flammas sparsit, vt ne frigidissimus quisque immunis ab his posset elabi. Quibus tamen omnibus nequidquam acquiescens, ad auxiliares copias oculum intendit, quas SS. Iesu nomine placuit indigitare: sat gnarus quantum, vel ex nomine præsidij, si dignè colatur, sit expectandum. Societatem itaque Iesu in commune bonum instituit, fundauit, erexit, & quidem adeò admirabili prudentia, sanctitati coniugata, vt inter totius eius gloriæ partes, nulla de fœliciore successu disceptatio esse queat: tantæ siquidem tenebræ operuerant terras, & caligo populos, vt vix se reos apud Deum agnoscerent, qui grauiter peccabant: illata luce vberrima fecit Ignatius, vt conuinci meritò possent, qui ignorantiam excusabant.

Anagramma S. Ignatij.

Atque istud est quod Instituto suo gnauiter ille molitus fuit in quo omnia stant legibus eius & exemplo, sed hoc illas anteuertit, quod in Iesu suo legerat, *qui facere ante cœpit, quam docere.*

Scopus Instituti Societatis Iesu

Operum ergò consilio instituta voluit prodire, factis decreta sanciri. In illis legimus non minus quæ patrauit ipse, quàm quæ nobis agenda præscripsit. Suos mores conuertit in præcepta, & hæc eadem documenta quoque sunt, quorum magisterio ambiguum redditur tanti Legislatoris officium, dum non minus docere videtur, quàm iubere, neque magis hoc præstare voce, quàm manu, nec vni hominum generi, sed omni: ad hos quippe pertinuit Ignatij beneficentia, dum Ethnicis, Iudæis, hæreticis, Christianis cuiusuis ordinis operam impendit.

Nec Summatibus duntaxat, aut Doctis tantum, aut in reipub. sole versantibus laborauit, sed omnium planè mortalium commodis se addixit.

An parua hæc? ita fortassè dixeris, si cum aliis conferantur, dum non

agere ipse magis, quam pati dura & aspera pro Iesu suo tolerare visus fuit, quibus vel robustissimus quisque succubuisset non semel, vt rectè à RR. PP. Congregationis S. Paulli in Epistola quam à felici eius obitu primam, ad Socios dederunt, Martyr in otio fuerit appellatus: quo Nomine donatum ante inuenio ab Alypio Episcopo S. Cyrillum, ob grauissimas quas ab hostibus fidei exceperat frequenter insectationes, & S. Athanasium à facundo Hermianense ob varias calamitatum perpessiones, tametsi citra sanguinis profusionem, toleratas: vnde nemini profectò mirum videri debeat, si terrestris ille Angelus Apostolicæ gratiæ, in his sæculorum fœcibus, ornamenta repræsentans, S. Franciscus Xauerius de Ignatio, suo in via Spiritus Magistro, non sublimiter magis, quàm verè senserit cum decerptam ex syngrapha nominis Ignatij subscriptionem pro amuleto præsentissimo circumferret.

PP. Cōgregationes S. Paulli, scopum hunc Ignatij notârunt.

Ignatius Martyr in otio.

Quanta in veneratione fuerit S. Xauerio Ignatius.

Nec ea, quæ sanè summa erat, veneratione contentus, quoties ad illum in Europam litteras daret, præ tanti viri reuerentia non nisi genuflexus exararit, solitus dicere: Magnum Sanctum esse P. Ignatium, Magnum omnino Sanctum, idque secundum Nomen, quid sibi, suæque indiderat Societati, iam inde magno animo præsentiens, quid Sociis futurum esset, de quibus id sanctè pronuntiari possit, neminem inter eos fuisse qui ea, quæ ab optimo Patre fieri viderat, ipse quoque imitari satagens non euaserit Magnus.

Tanti est ab exemplo grandi, magnoque prototypo ductum fuisse: hæc laus tua ac gloria, Magne Ignati; quapropter hoc tibi grata posteritas non in saxo aut marmore, sed inrimis suorum præcordiis perpetuum extare certissimum voluit Monumentum:

Magnus Ignatius secundum Nomen suum.

S. IGNATIO DE LOIOLA
Minimæ Societatis Magno Patriarchæ
Ex heroico Martis ad Pampelonam
Stratego
Maximo Iesu Christi Ecclesiæ
Propugnatori.
Magnorum Xauerij in Iaponia Barzæi in Armusia,
Anchietæ in Brasilia, Ouiedi in Æthiopia,
Criminalis in Piscaria, Siueriæ in Monomotapa,
Fidei propugnatorum, suprà CXXX. Martyrum
Parenti Maximo.
Hæreseon victori, vitiorum debellatori
Dæmonum expulsori, virtutum assertori,
Febris, pestis, omniumque morborum curatori,
Christianorum in Malabar contra Turcas ductori,
A Lūdou. XIII. in Gallia cōtra Hugonott. electo protectori,
Quem
Pontifices maximi: Paulus III. Marcellus II. Paulus IV.
Pius V. Gregorius XIII. Paulus V. Gregorius XV.
scriptis diplomatibus magnificè
Commendârunt.

Quem

Quem dixerunt
Gaspar Quiroga Cardinalis Archiepiscopus Toletanus
Virum perfectissimum
Gabriel Paleottus Cardinalis Episcopus Bononiensis
Ecclesiæ ornamentum
Otho Truchses Cardinalis Episcopus Augustanus
Patrem Sanctissimum.
Quem
Rudolphus ac Ferdinandus II. Imperatores
Philippus II. & III. Hispaniarum
Henricus IV. & Ludouicus XIII. Galliarum
Sigismundus Poloniæ, Reges
Guilielmus & Maximilianus Bauariæ Duces
In Diuorum numerum referri
Postularunt.
Gregorius XV. PP. Opt. Max.
Plus quam CC. magnis miraculis illustratum.
Sanctorum fastis adscripsit.
Cui
Centum iam elapsi à morte anni
Vix momentum sunt:
Cui
Mortalis vitæ occasus
Oriens vitæ immortalis fuit.
Tanta beatæ mortis vitalitas est,
Viuit, quia mortuus,
Lucet, quia exstinctus,
Adest, quia sic absens,
Præsens animis hominum est,
Magnus omnino
Vel Cælestis Prudentiæ suæ
APHORISMIS
&
Exemplis:
Verè Maximus
Secundum nomen suum,
In
Salutem Electorum Dei.

Nequnam isti hostes, quos nobis expugnandos tradidit Ignatius.

Sed pergamus, & hostes illos cominus lustremus, illos, inquam, longè generi nostro infestissimos, ac totos in pernitiem nostram incumbentes, quibus aliquando virtute prospera expugnatis, non iam caducam hereditatem Israël, quæ in promissæ Chananitidis possessione sita erat,

sed eius, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, Deus autem iis, qui hostes vicerint, præparauit & sibi Ignatius propositum habuit.

Nobilem sanè finem, scopum certissimum, ad quem nostra omnium post parentem optimum oportet, collineatio dirigatur, expugnare sc. hostes Ecclesiæ: sed quot, qualesque isti sunt! numero innumeri, multitudine innumerabiles: Malus dæmon, hæresis, Idolomania, peccatum, eorumque asseclæ & optiones: quibus assiduè Christi Sponsa lacessitur, & oppugnatur quos nisi filiorum subsidio repulerit & expugnârit, magnam sui iacturam faciat, necessè est. Quo respexisse dicendus Ignatius est, cùm suos hoc magno perspicuæ salutis nomine insignitos, ad amplissimam eiusdem executionem hoc Apophthegmate adhortari visus fuit, vnde fieri arbitror, maius aliquod studium à nobis maioremque contentionem in hoc genere requiri: tametsi enim dignitas Nominis, quo decoramur, æqualiter concessa sit omnibus; ipsa tamen appellatio, postquam diuini instinctu Numinis, sigillatim adhibita nobis est, angustioribus terminis cœpta definiri, itaque circumscribi visa est, vt, cùm eius ratio ad omnes vsus tamen, officiumque pro Ecclesia dimicandi ad Religiosos Societatis nostræ viros, præcipuo, ac peculiari quodam Romani Pontificis indulto pertinere videatur: & quidem cum Nominis propagine, cum traduce Sp. sancti, vt altè dixit Tertullianus in scorpiaco cap. 9.

Ignorare certè potest nemo, quod nos experiri etiam quotidiano sensu gloriamur, neminem ferè grauissimis hisce temporibus fidei Religionique bellum Christianæ indixisse, qui non vna inimicitias nobiscum immortales sibi duxerit esse suscipiendas. At, per Deum immortalem! quid hoc tandem aliud est, quam Imperatoris Iesu socios: & commilitones esse nos oportere. Quid nisi ad labores, ærumnasque generosè perpetiendas, ad fortiter aduersa omnia superanda, ad Crucem animosè, Iesu Duce, atque auspice ferendam vocari? quid nisi sub imperiis Iesu, pro salute proximorum stipendia facere? sub signis Iesu contra vitiorum, atque inferorum phalangas militare?

1 hostes Ecclesiæ.

Tertullian. in Scorp. c. 9.

Et ad has quod attinet, quæ primam hic aciem instruunt, quam acerba, atque exitiosa bella mouent? *væ terræ*, clamat orbis tonitru, cæli fulmen Ioannes, *quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam*: neque fraus, fallaciaque desit: fuit namque is Serpens ille antiquus, qui protoplastos decepit, & vniuersum hominum genus in eis afflixit, vnde Sapientiæ 2. scriptum legimus: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum*: neque etiam tunc tot sæculorum decursu, aut furere desiit, aut mitius egit, amictam sole mulierem, Dei ecclesiam, animo pertinaciter obfirmato, persequitur, insidians calcaneo eius, cui vt fortiter resistamus in fide, nos olim Petrus admonuit, quà sumus Christiani: hic verò Ignatius, quà Iesu socii indigitamur: qui veterrimum, teterrimumque Orci serpentem, non fabulosus in cunis Hercules, sed verior Dei soboles, à primo sui exortu, nascendique initio vsque ad egressum ex hoc mundo elisit, afflixit, protriuit, exspolians principatus & potestates, traducens confidenter, ac palàm triumphans illos in semetipso: quare si æstimatio, auctoritasque Ducis militum animos soleat incitare, quis nostrum tàm officij, nominisque sui immemor erit qui tanti Ducis, tamque Augusti, non dico ignominiosè signa deserere, sed degeneris animi turpitudine gloriam imbelli metu ausit temerare?

2 Dæmones. Apocal. 12. 12.

Sapiens 2.

Et præiuit non verbo magis, quam exemplo Ignatius, qui statim ac se sub Iesu vexillum receperat, cum hoste hoc publicè ac priuatim confligendum sibi esse duxit, vnde tanto rebelles illi genij in Ignatium odio exarserunt, vt nullam aduersus eum iniuriam

Quomodo dæmoni bellum intulerit Ignatius.

iniuriam prætermitterent, bella vndique suscitarent, sed clade sua ingenti ac damno, testis Manresa vniuersa, vbi etiamnum tironi in venustiori schemate certatim illudere parabant: quos tamen agnitos prior ipse, dexteriorque eludebat. Post in itinere, ac tum Parisiis, tum Romæ, mutatis ludibriis deformis oppidi,& spectri fœdissimi imagines induerunt, vt terrerent, quibus tamen ille adeo non mouebatur, vt scipione contemptim eos peteret, veluti canes exanimos,aut sordidas feles abacturus. Complures deinde inter pauperum centones assidentem, suis quoque terroribus frustra adorti, semper succubuêre. Audiuisse se scribit Petrus de Ribadeneira Cacodæmonem ad nomen Ignatij impotentius solito furentem vexabat is crudeliter Matthæum quendam adolescentem, vetueratque ne quis Ignatium sibi nominaret, illum se principem in hostium numero ducere. At eum Ignatius iuuenem allocutus, secum in intimas ædes abduxit, inclusumque mox libertati confirmauit.

Sub Lauretani Collegij initia, graues ibi tumultus interdiu, noctuque ab eiusce modi hostibus excitabantur, quibus identidem obturbari cœperant omnia, & familia ingenti strepitu confundi, mox domesticis, iam æthiopum atrore formidabiles, modo canum, feliumque habitu terribiles, tum belluas, vt quæque fœdissima erant, imitati, faciebant, vt nullum inquilinis tempus ad quietem relinqueretur. Tentatis frustrà remediis omnibus, certior de re tota Ignatius redditur, rescribit is, preces suas eam in rem pollicitus, iubetque animo erecto solutionem expectare. His literas posteaquam coram familia legisset Superior, omnis inferorum vis continuò elanguit, ita vt nullius turbæ vestigia, post recitatas Ignatij litteras superessent: hæc Ignatij de hostibus hisce certamina, hæ victoriæ.

Parentem secutus Ignatium Xauerius in hoc bello. Nec à parente genuina proles descessit: testem appello Franciscum Xauerium quo, vti B. Pater in vitam æternam enitendo, grauius laborauit: ita & sui similiorem maxime agnouit, diuino hic instinctu Meliaporam, copiosum in ora maritima Indiæ oppidum peruenerat, vbi locus visitur, quo S. Apostolum Thomam mortem oppetiisse ferunt, sacellumque, in quo ille rem diuinam fecisse dicitur, à Lusitanis, pro gentis religione, magnificè celebratur. Hic Franciscus noctem transigere gestiens, à vicario frustrà monitus, ne faceret, neque se viæ committeret, quam constaret esse diabolis infestam: arrisit, ea sui deterrendi causa dici ratus, nocte intempesta ad sacram ædem silentio obrepsit. Cùm ecce id humani generis hostes ferrè grauiter, Francisci securitatem sui ipsorum contemptum interpretari: ergo ira, odioque furentes, vt illum ab instituto absterreant, nocte concubia orantem truci fremitu, clamoribus variis, horrendoque cuncta complentes sono, virum ad minas intrepidum adorti, inuadunt ac cædunt, quos inuicta perseuerantia, acerrimo aduersus infestos dæmones telo, facile victor abegit: quod vt omnibus pateret, alia nocte ad eandem ædem supplicandi causa rediuit: cum ecce infernæ illæ belluæ, semel victæ, cum aperta vis minimè successisset, ad dolum versæ, eius orando studium si minus auertere, at aliqua ex parte morari conabantur: in odeum conueniunt, & canentium choros per ludibrium imitatæ, molestæ fieri cœperunt, cui terribiles esse non poterant, Sed quam parum profecerint, illud argumento est, quod Xauerius cantores ratus, nihil ad modum commoueretur, magna exinde super illis humano corpore pellendis potestate vsurus: qua & polluisse ad miraculum vsque B. Franciscum Borgiam post varia cum hoste certamina, atque victorias, auctor est Ribadeneira, quod & de Petro Canisio, Cornelio Vischaueo, Ioanne Carrera, Alphonso Barzena, aliisque plurimis Annales nostri testantur *B. Francisc. Borgia quale bella intulerit diabolo.*

ſtantur, magnis hac laude omnibus, ſecundum nomen ſuum.

Nec mirum, præluſerat in Ægypto Antonius, dum ſanctiſſimo hoc nomine vſurpato, ita dæmones contempſit, vt illis etiam exprobraret imbecillitatem ſuam, ac ſæpè diſcipulos ſuos excitans ad pugnandum contra illos docenſque quibus armis vincerentur: *mihi credite* dicebat; *pertimeſcit ſatanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, & humilitatem, maximè verò in Chriſtum Dominum ardentem amorem.* Sic autem erat dæmonibus formidoloſus, vt multi per Ægyptum, ab illis agitati inuocato nomine Antonij liberarentur. Quamuis non primo quoque tempore iſtuc aſcenderit Antonius, ſed per ſupradicta virtutum inſignia; quod vel hinc colligas, ſub tyrocinij ſui principium grauem cum hoſte conflictum iniuetat, admodum de victoria ſolicitus, cum lachrymabili voce ad Dominum conuerſus: *vbi eras*, inquit, *bone Ieſu, vbi eras? Cui Chriſtus: Antoni, hic eram, ſed exſpectabam videre certamen tuum.* Sed ais, non ego video Deum præſentem, quem ſi viderem, fortiter facerem. Reſpondet S. Bonauentura: *non miles ſtrenuè pugnat coram rege, quia miles videat Regem ſed quia ſcit ſe videri à Rege, licèt ipſe regem non videat*: Ita & hîc fieri amat dum Ieſu auſpice, & inſpectore hoſtem propulſamus.

S. Antonius quantus in diabolum ſurrexerit.

5 Heretici.

Verùm & aliud hoſtium genus eſt noſtris armis expugnandum: hæretici nimirum, noſtrique temporis ſectarij, homines vafri, ac peſtilentes, quibus refutandis, ac conuertendis prouida diuinæ ſapiẽtiæ bonitas, Societatem inſtituit, & nomine ſuo donauit: neque illa ingrata hactenus fuit; quod cum dico, hinc videre me videor Lutherum, Caluinum, Swinglium, Melanchtonem, Bezam turbines illos, ac tempeſtates Eccleſiæ furentes audacia, peſtem Germaniæ, Franciæ, Daniæ, Angliæ, Scotiæ, cæteriſque florentiſſimis Europæ prouinciis illaturos Chriſtianis, omnibus ferrum flammaſque minitantes: indè vero Ignatium bellatrices ſuas copias in arenam producentem inuicto ſuorum exercitu, velut quadrato agmine vbique gradientem, per medios hoſtium cuneos ductu, ac beneficio Ieſu glorioſè penetrantem, & victoriis ſuis Europam complentem, per ſectariorum turmas generoſo marte conciſas, per illa nefanda tartari monſtra, atque portenta Lutherum, Caluinum, Melanchtonem, Bucerum Oecolampadium, alioſque ſexcentos victricia ſigna explicantem. Quot hîc cum Ignatio capita, tot Alexandros, Cæſares, Scipiones, ſed ſpirituales numero: an non talis in bello hoc Petrus ille Faber, quem Societas poſt Ignatium ſuæ fabrum agnoſcit amplitudinis? Nutabat Coloniæ religio, irruptionem hæreſis, magna iam ſtrage edita, poſtremam minabatur, accurrit & ſuccurrit Faber. Hæreticorum tenebat is artes, atque fallacias, aperiebat fraudes, redarguebat inſidias. Obſeruabat eos, qui ab Eccleſia deſciſcunt, conſueuiſſe primum in iis officiis, muneribuſque torpere, quæ ſunt ſecundum gratiæ Dei, & differentes eius donationes, ac proinde parui pendere, in minimiſque ducere, quidquid non ſuo ipſi iudicio, ductuque repererint. Conquirere deinde per ſeipſos rationes, atque argumenta complura, eaque per ſe diſcutere, atque expendere, ſcrutari curioſè locos diuinorum codicum, & eorum enodare ſententias, vt propriam, priuatamque fidem, id eſt omnem errorum prauitatem, fæcemque colligant: quare cum *hereſes detexiſſe*, vt aiebat ille, *ſuperaſſe ſit*, expanſis velis ad portum victoriæ nauigabat Faber, iis in hunc modum perſpectis: quamquam autem in pertractandis hæreticorum mentibus leuiſſimus eſſet, & magna in eos caritate teneretur, tamen vt olim B. Antonius, & eos, & eorum omnia ſic abhorrenda piis, Catholiciſque cenſebat, vt ne tum quidem audiendos eſſe diceret, cum recta præciperent.

Quomodo eos adorta Societas.

Hæc

Hæc erat Fabro cum hæreticis agendi ratio, atque hæc ad eos noscendos, sanandosque præcepta tradebat, quibus ipse prior adhibitis præclaras de hostibus illis victorias reportabat, quo impulsare, & authore non tantum in Vbiis religio catholica seruata est, sed eodem impulsore & auctore viri Principes ad spem totius Germaniæ restituendæ venerunt, quam ibidem Petrus Canisius, & Paulus Hossæus, non parum propugnauerunt, vti quoque Edmundus Augerius, Petrus Cottonus, & Ludouicus Richeomus in Francia; Edmundus Campianus, Ioannes Ogilbæus, Robertus Personius, & Sothuellus, Henricus & Thomas Garnetus in Anglia: Petrus Scharga in Polonia: Iacobus Lelesius in Transyluania, inter Moscouitas Antonius Posseuinus: inter Dalmatas Nicolaus de Bobadilla: Franciscus Costerus, Quintinus Charlartius, & Ioannes de Gauda in Belgio, præter innumeros alios, qui cum hæreticis publicè priuatimque congressi, incredibilem eorum numerum ab errore in vnum reuocarunt. Nec solum autem ij noxias Catholicæ reipublicæ belluas è medio sustulerunt, qui, vt ita dicam, gladio oris sui easdem confixerunt; sed etiam vel maxime ij, qui stylo, quo doctissimos quosque libros exararunt, eodem pestilentes has feras confoderunt, quos inter iure merito princeps Robertus Bellarminus in suis Controuersiis errores innumeros, & errorum authores confecit, ita quidem vt multa millia in eisdem veritatis aspexerint iubar: quem è vestigio subsecuti sunt Iacobus Gretserus, Martinus Becanus, Gregorius de Valentia, Franciscus Suarez, quorum posterior cum bene magno & etudito volumine veritatem Catholicam contra Anglicanas hæreses acertimè propugnasset, hoc error veritatem coarguere posset, Angli Vulcano in consilium adhibito, librum exurendum tradiderunt, quem refellere non valebant: quod cum ipse Bellarminus intelligeret, Ouidianum illud glorioso martyrij desiderio accensus, intonuit:

Parue, nec inuideo, sine me liber ibis in ignem,

Heu mihi, quid Domino non licet ire tuo.

Prætereo alios magnos secundum nomen suum, maximos in salutem electorum Dei. *4. Idololatra.*

Ad cæteros hostium cuneos transeamus, quos sacrilega falsorum Deorum veneratio auctoratos in veri Dei cultum, hominumque perniciem immittit, & ampla hic victoriæ, quia certaminis, seges est. quot enim, quantæque ab hac furia in Christi gregem bacchatæ cædes, illatæ sunt clades! expugnandam belluam, tot iam annorum millenariis Deo insultantem censuit Ignatius, classicum cecinit, in palæstinam abiit, sacrum ibi militiam orsurus, vbi Christus finiuerat suam, nec verò consilium illi erat inde aliquando excedere, sed omnem ibi de cætero vitam cum hisce studiis, tum adducendis ad Christum barbaris, tum impiis conuertẽdis addicere: quamquam, ne quas indidem gloriolas captaret, illud velle; tum quidem dissimularet. Re tamen altera cum loci præside maturè deliberata, & multis vndique remoris compertis, necessè habuit in Europam redire, quo Deus militem, suum reuocabat. Hic, ille prioribus animi sui decretis, veterque consilio reuiuiscentibus, socios scribere, sacratissimo Iesu, id est, Saluatoris nomine insigniendos: quid autem hoc aliud, quam dici eos velle, esseque saluatores, maximos in salutem electorum, dum idololatras amentissimos hostes expugnare constituunt, vt & ipsi verum Deum, & quem misit Iesum agnoscant: quanto hic feruore acta res est! certatim in hostem ruere Ignatius, sociique visi sunt, maximo quodam animarum zelo sacros milites inflammante, quod vel tum præcipuè notatum fuit, cùm ad summi Pontificis se pedes supplicem abiecit Ignatius, & infimis ab eodem precibus efflagi-

tauit; liceret sibi vnà cum Ioanne Nunnio in Æthiopiam proficisci. Et certè, cum alij ab ipso ignem illum conceperint primum, quo deinde orbem accenderunt; eundem in ipso authore luculentiorem extitisse, credere par est. Quanta namque ex hoc pectore Franciscus Xauerius, cui ille vicinior adhæsit incendia hausit! quibus ille pares tantæ expeditioni animos adferens, imò vniuersum terrarum orbem charitate complexus, & inexplebilem animi impetum corporis celeritate propemodum assecutus, quidquid pœnè est regnorum, insularum, aut vrbium in Oriente, lustrauit, instruxit, & Christo magna ex parte subiecit. Quot vbique aras, quot Deorum fana euertit? quot superstitiones exstinxit? quam ingentem vbique hominum turbam ad Christum adiunxit? Commorinum promontorium attigerat, 30. facilè oppidis ac vicis habitatum, cum ad Tutucurinam, vrbem principem delatus, ceu torrens paucorum mensium spatio prouinciam totam inundauit. Numerus indies baptizandorum absque numero erat: pagum integrum expiasse vnius erat diei labor.

Sed leuia hæc, si quæ in Trauancotide, & Maurica fecit, expendamus: vnde factum, vt vulgo Magni Patris vocabulum reportârit, & rex ipse toto suo regno cunctis edixerit, vt Magno Patri perinde ac sibi cunctis in rebus obtemperarent.

En virum *magnum* secundum Nomen suum, vel Rege ethnico attestante: non erat iste magni Nominis vmbra, sed reapse magnus, vt Nomen, non falso vtique præconio eloquebatur. Dixit olim S. Gregorius Nazianzenus de fratre suo Cæsario, dum mortuum pro funere laudaret, cum multa, & magna suppeterent ei ad dignitatem, hoc primum tamen habuisse, quod Christianus diceretur & esset: de Francisco Xauerio dixerim ego, cùm innumera ac maxima suppetant ei ad gloriæ suæ dignitatem, hoc tamen primum esse ac summum, quod de Societate Iesu diceretur & esset.

Hoc Nomine insignis in Iaponiam, vltimum Orientis regnum, per immensam Oceani vastitatem primus traiecit. Tres illic reges & innumerabilem hominum multitudinem idololatriæ tenebris ereptam ad veram Euangelij lucem traduxit, vt quæ solus gessit, non vnius viri, sed ordinis totius, non decennij, sed sæculi laborem putes, contendente non malè Thoma Bozio, ab omnibus simul hæreticis, qui iam inde à Simone Mago primipilo suo innumera millia conficiunt haudquaquam tot in errorem esse adductos, quot ab vno Xauerio ad Christum fuêre perducti.

Subsecuti hunc socij plurimi per Orbem vniuersum dispersi, omnes de impietate, & Idololatria gloriosissimè triumphantes, qualis in primis Gaspar ille Barzæus Xauerio magistro dignus discipulus, qui dum in Armuzia vno sæpius die quindecim conciones haberet, quantas de Mahumete victorias reportauit! præcipuè cum vbi ante infame Mahumetis simulachrum steterat Christi labarum erexit. In Iaponia Balthasar Gagus, Carolus Spinola: Matthæus Riccius & Nicolaus Trigautius in China.

In Mogoria Hieronymus Xauerius prioris nepos & virtutum æmulus:

In Moluccis Nunnius Ribera, & Alphonsus à Castro:

In Commorino Henricus Henricius:

In Monomotapa Consaluus Silueria:

In Abassia Ioannes Barettus, Andreas Ouiedus:

In Africa Balthasar Barreita, & Petrus Martinius:

In Guinea Emmanuel Barros.

Apud Maronitas Montis Libani Incolas Ioan. Bap. Ælianus, Ioannes Brunus.

Apud Cophtos Christophorus Rodriquez.

In

In Brasilia Emmanuel Nobrega, & Iosephus Anchieta.

In Florida Ioannes Bapt. Segura, Ludouicus Quiros.

In Peruuio Alfonsus Barzana, & Petrus Anascus.

In Philippinis, Antonius Sedennius.

In America Gonsaluus de Tapia, Ferdinandus de Thouar.

Bernardinus de Cisneros, Iacobus de Orosco.

Aliique quamplurimi, qui secundum nomen suum omnes victoriis super his hostibus, Ecclesiæ Dei partis magni esse contendentes, populos multitudine innumerabiles, feritate barbaros, belluinis moribus efferatos, mitibus & humanis informarunt, & ex stygia seruitute ereptos, in dulcissimam Christi Domini libertatem vindicarunt.

5. Peccata. At de his satis, ad alium me hostem conuerto, quem licèt in hunc locum reiecerim, est tamen inter primos formidandus, cui nomen Peccatum, voluntarius ille, nomenclatore Chrysostomo, dæmon.

Cùm nomino Peccatum, capitalem Dei, Christi, nostrique generis hostem infestissimum dico: qui in supremam Domini maiestatem impiè insurgere, omnipotentiam vilipendere, sapientiam contemnere, iustitiam conculcare non veretur, quodque piæ aures auersantur audire, horribile & nefarium Deicidium iam pridem meditatur. O sathanicam malitiam! ô diram tyrannidem! & hanc patiatur, qui nomine Iesu se dici gaudet? Neque hic finis: Christum quoque abolere nititur, virtutum ille suarum exemplum, quod sequeremur, nobis reliquit, homo consceleratus humilitati illius superbiam; abnegationi rerum caducarum auaritiam: charitati inuidiam: mansuetudini iram: sobrietati intemperantiam: zelo acediam: modestiæ lasciuiam: honestati turpitudinem: paupertati diuitias: luctui gaudium: contemptui honoris ambitionem: cruci, corporis curam multis parasangis anteponit: dum seipsum iuxta S. Paulum 2. Timoth. 3. amat, cupidus est elatus, superbus, blasphemus, parentibus non obediens, ingratus, scelestus, sine affectione, sine pace, criminator, incontinens, immitis, sine benignitate, proditor, proteruus, tumidus & voluptatum amator magis quam Dei, habens speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegans. An vlla maior iniuria ab homine in Christum hominum nostrum proficisci potest? an grauius ostendi? an vlla Deo iustior irascendi causa esse queat? non reor. 2. Tim. 3.

Bene itaque idem Apostolus ad Christianos Ephesios scribens loquitur in hæc verba: *propterea accipite armaturam Dei & in omnibus perfecti state. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam Iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis, omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus (quod est verbum Dei) per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione.* Eph. 6. 13.

Quibus si ille Ephesios suos eo potissimum nomine, quòd Christiani dicerentur ad expugnandum hunc hostem inflammârit, an non meritò Ignatius socios suos præcipuo Dei beneficio ac peculiari quodam Apostolicæ sedis indulto à Iesu denominatos ad parem militiam, ex hac notione instiget? neque enim secius ipse in hac meruisse dicendus est. Quam alios voluerit merere testes Parisij, ac Barcino, vbi belli sui primitias, relatis de incontinentia amplissimis triumphis, Deo Domino dicauit: cùm istic hominem compertæ libidinis, qua mulierem deperibat, post multa quæ frustrà fuerant, ipse collo tenus vndis gelidissimis immersus, exspectans, ac potentibus verbis aggressus, continuò hærere, planeque iam fulminatum se credere fecit, ac S. Ignatij excellens de pato victoria.

deinde profusæ charitatis miraculo captum, animum mutare, iterque male cœptum vltro relegére, & veterem cum Sirene consuetudinem abolere coëgit: hic verò virginum sanctimonialium cœnobium ne licentiæ iuuenili aditum porro faceret, sesèque ipsæ talium discriminum iniuriis obiicere pergerent, egregius bellator adiuuit, quamuis non fine vulneribus, sed aduersis: exclusi siquidem Iuuenes illi, cum postliminium non haberent, aliquoties illum adorti, fustibus atrociter accepêre, easque illi plagas imposuerunt, quæ medicato malagmate vix curari triginta diebus potuêre: quos insperata dein solatia exceperunt, cum ij iuuenes, qui prius eum nefariè læserant, mox admirati virtutem, suumque facinus exsecrati, ad Ignatij pedes vltrò se abiecere, vitæque prioris consuetudinem, gratulante populo, emendarunt.

Hæc eius tirocinia fuerunt, quæ mox in adultam, perfectamque militiam Romæ commutârunt, vbi vir sanctus præter multarum rerum onera, quibus succumbere quantiuis humeri potuissent, insuper ad hoc seriò incubuit, vt flagitia, si quæ irroborârant, vrbe pellerentur, curauitque illorum vice præclara scita virtutibus fieri inserendis. Quale illud, ne quis medicinam ægris prius faceret, quam illi piaculari se confessione lustrassent.

Secundò, dum in Collegio Romano amplissimos litterarum ludos ignorantiæ propulsandæ aperuit, ad quorum exemplum, in cæteris Societatis domiciliis alios deinde, aliosque instituit.

Tùm prætereà fecit, vt ædes conderentur, quo receptum haberent, qui de Iudæis & barbaris, de castris libidinis, de fidei à maritis receptæ naufragio reuerterentur: eamque rem tanti censuit esse, vt hoc genus mulierculas, iam è probro assertas ipsemet in omnium ore, ad illud castitatis asylum traduceret, operæ se suæ magnum pretium relaturum ratus, si ex omnibus vna aliqua fuerit, quæ noctem vel vnicam spurcæ libidinis immunem duxisset, vt suprà fusius scripsisse me memini.

Qualia cum Patrem facere filij viderent, audirentque, nil mirum, si & ipsi Nomini suo respondere cupientes, hæc Domini bella in diuersis mundi prouinciis contra peccata, variasque scelerum nequitias vltro susceperint, ac magna cum laude insignes triumphos reportârint: dies me deficiat, si vel modicum horum catalogum cœpero recensere, paucos delibasse sat erat.

A propulsata Inscitia principium duco: cum enim orbi incubans densa quædam ignorantiæ caligo, malorum omnium, in quæ cæci mortales magno impetu ruebant, prima & indeficiens causa esset, omnem operam contulit Ignatius, vt malum hoc, quod sapiens deplorabat, orbe vniuerso proscriberetur: hinc in scripturis exponendis, ad libros omnes eximiorum interpretum numerosissimam seriem dedit, in qua Salmeron, Pererius, Delrius; Pineda, Pradus Alcasar, Toletus, Ribera, Maldonatus, Serrarius, Cornelius Philippæus, Salazarius resplendent. Dedit in Scholastica Theologia Valentiam, Molinam, Vasquez, Suares, de Lugo, Meratium, Lessium, Arrubalem, Ruizium, Regium. Dedit qui polemicam Theologiam aduersus bestias calami, insigni soliditate & acumine excolerent, Bellarminum, Peltanum Torrensem vtrumque, Canisium, Becanum, Richonium, Gretserum. Dedit in morali Theologia Sanchez, Filliucium, Henricium, Layman, Reginaldum, Baldellum &c. Dedit in mystica Theologia scriptores insignes, Rodericium, Pontanum, Ariam, Binetum, Caussinum, Saniuramum &c. *1. Inscitia.*

Nec diuini Verbi præconium, cui prædictæ hæ scientiæ ancillari solent, prudens omisit: quantas autem hoc genere armorum qui de Societate Iesu dici amant, super hoste hoc victorias comparârint, ex pauculis his

elogiis

elogiis licebit arbitrari: Benedictus Palmius, tuba Euangelica, & summus æuo suo Concionator habitus est.

Ioannes Hieronymus Hispaniæ. Edmundus Augerius Franciæ. Petrus Canisius Germaniæ orator audiit, & vero tanti Nominis amplitudinem rebus impleuisse, eæ regiones testes sunt.

Alphonsus Salmeron nouus orbis Christiani Chrysostomus, Franciscus Strada Angelus lapsus è cælo.

Siluester Landinus spiritu & virtute Eliæ præditus.

Georgius Scherer Cicero germanicus dictus est: cuius extremi conciones primum publici iuris factas Episcopus quidam maximo numero coëmit, & in omnes suos Curiones diuisit.

Franciscus Arias cum ad Concionem se pararet, qua deinde mortalium animos, velut humo defossos, in altum erigeret, ipse diuina vi à terra eleuatus longo tempore sublimis hærere in aëre visus fuit, vnde quas vires hauserit ad dicendum, cogitare pronius est, quam sermone proferre. quid dico cogitare? oculis dixerim delibare, quod enim multis in locis melior orbi inducta sit facies, & in castos, sanctosque mores reformata: quod multa centena hominum millia nuncio humanis rebus misso vitam duxerint præclaram ac sanctam: quod innumeri actæ vitæ scelera acriore pœnitentia expiarint: quod prauæ consuetudines abrogatæ, laudabiles inductæ: quòd nefariæ libidines, odia, & id generis enormia flagitia proscripta: quod palàm non sine triumpho generosa virtus cum omni comitatu suo redire visa sit, vt plura alia sciens prætereeam, ab huiuscemodi pugnatoribus maximam partem effectum est. Omnibus nota non repeto: quid tamen vnus, alterue dicendo præstiterit in hoste hoc profligando, veniam dabis, lector, vt addam. Venetiis iam ante memoratus Alphonsus Salmeron in id fœminarum genus è suggestu detonuerat, quæ pudorem in collo & pectore plus æquo denudato, venalem circumferunt, quibus iam difficulter ea insania excuti possit, vtinam experientia non probaret à concione tamen decem, & eæ reliquarum duces, ac Principes, suo pudori & aliorum oculis tunc consuluerunt, quas mox plures subsecutæ sunt, velo, quod à facti authore, Salmeronium appellabant, decorè assumpto.

Idem in Senarum minus seuerum & acrem in eiiciendis vrbe hæreticis inuectus, id effecit, vt quamprimum publico decreto quidquid eiusmodi fæcis in vrbe delitesceret, iussferit primo quoque tempore excedere.

Adhortatione Fernandi Suares accensi Mexicani, adeo in sua scelera exarserant, vt subinde 20. millia fuerint à concione illius qui flagris in carnem suam acerrimè desæuirent.

Rigæ in Lithuania vno anno à septem Sacerdotibus viginti hominum millia prouectæ ætatis audita se de delictis suis, accusare, & conscientias expiare, qui id nunquam ante fecerant, præter eos qui ab hæreseos erroribus asserti sunt.

Nunquid opima hæc spolia de hostibus relata? sed non minora fortassis alia, quæ à pertinacissimo illo aduersario, nobili cum triumpho, referuntur, dum integræ sæpè familiæ & vrbes capitali inimicitia dissidentes, & iam exitio proximæ, ab interitu vindicantur. Hunc capitalem animorum & humanæ societatis hostem aliàs aperta vi, aggressi sunt, dum velut refragantibus arma extorsere; aliàs blanda sermonis dulcedine, mira quadam animi submissione delinitos, eò sensim inflexerunt, vt sponte ea deponerent, atque in gratiam redirent. Quæ Messanæ in Sicilia gessit Benedictus Palmius inter priuatos, non autem priuatim, norunt sola terrarum vltimarum, quo Papardi, & Ansalonij non ignota nomina penetrarunt. Quæ Comi à Carolo Carlantino facta sunt, non potest Italia

lia ignorare. Omitto publicã è quibus tamen vnum illud nequeo præterire, quòd orbis Christiani mirifica gratulatione exceptum fuit, cum inter sereniſſimum Poloniæ Sueciæque Regem, & Magnum Moſcouiæ Ducem, operâ Antonij Poſſeuini concordia & publica pax coaluit.

Et hæc e multis paucula recitaſſe ſuffecerit quibus vir religioſus è Societate Ieſu, iuxta mentem ſancti Fundatoris ſui Magnus ſecundum Nomen ſuum euadat: maximus in ſalutem electorum Dei, hoſtes Eccleſiæ fortiter ac generosè iis armis expugnando quibus tot, tantoſque in eodem vitæ genere anteceſſores ſuos & ſibi gloriam,& illos æternam conſecutos eſſe intelligit hæreditatem, vt & de ſe, poſt Machabæum Eleazarum dici aliquando poſſit: *dedit ſe vt liberaret populum ſuum. & acquireret ſibi Nomen æternum.* Felices conatus, arma ſalutaria, digna quæ ab eiuſmodi viris tractentur, quibus & Dei honos, & ſua, alienaque ſalus præcipuè cordi ſunt. Næ illi ampliſſimis laudibus, & ſumma commendatione digni ſint quorum virtus ac nomen, ad feræ poſteritatis ſtimulum ac calcar nunquam intermoriatur.

1. Mach. 6 44.

Commendata Societas ab huiuſmodi relatu Victoris.

Teſtimonium quærimus? dabunt illud ſanctiſſimum, iuxta ac firmiſſimum Romani Pontifices, qui ea apud omnes verè fideles auctoritate ſunt, vt lingua cæli ab orthodoxis Patribus nuncupentur: hoc eſt, vt eorum effata non quaſi hominum,ex ingenio ſuo verba fundentium, ſed quaſi cæleſtia oracula, accipiantur.

I. *A Paulo PP. III.*

Et primus quidem Paulus III. ſit in diplomate anni 1549. vbi Societatem vocat Agrum fertilem,qui non ſingulis annis, ſed diebus ſingulis multiplices, vbereſque fructus, ad ſummi Regis laudem, & fidei incrementum,verbo & exemplo producit.

II. *A Iulio PP. III.*

Iulius III. in diplomate, dato,anno 1552.Societatem ait, reiectis ſæculi vanitatibus, gratum altiſſimo præbere ſub humilitatis ſpiritu famulatum, & feruentibus ſtudiis, per exemplo virtutum & ſolidam doctrinam, alios ad diuinæ maieſtatis obſequia trahere.

III. *A Pio PP. V.*

Pius V. Religioſos Societatis affirmat in diplom. 1568. innumerabiles fructus Chriſtiano orbi attuliſſe, & aſſerre, qui proprij ſanguinis prodigi, vt verbum Dei efficacius plantarent, martyrio voluntario ſe ſuppoſuêre, & regna ipſa ad Chriſti agnitionem perduxêre.

IV. *A Gregorio XV.*

Gregorius XIII. variis Conſtit.an. 1571. 1576. 1584. profitetur Societatis Ieſu filios tamquam palmites eſſe, qui toto fere orbe extenſi, tam in ouibus diſperſis, & extra Chriſti ouile, ſacroſanctique imperij Chriſtiani tutelam aberrantibus reducendis: quam in lupis veſpertinis, & leonum catulis, in deuorationem expoſitis, reclamandis; & tam in nationibus Chriſtiana religione initiatis, quam in immanibus, barbariſque diuini cultus,& politici ornatus ignaris gentibus,ferinoque potius, quam humano more viuentibus, euangelico ſulco, & eccleſiaſticæ diſciplinæ vomere eruderandis,opimum,vberrimumque fructum in dies aſſerre non ceſſent, ad omnia pericula pro vniuerſali eccleſia ſubeunda præſto ſint, & rebus arduis ſuſcipiendis, fructuoſos operarios ſubminiſtrent.

V. *A Gregorio PP. XIV.*

Gregorius XIV. anno 1591. affirmat Societatem Ieſu diuina prouidentia nouiſſimis temporibus excitatam, adeo cum vniuerſali Eccleſia coniunctam eſſe, vt eius commoda vel incommoda in commune totius Eccleſiæ bonum vel malum redundare neceſſe ſit.

VI. *A Clemente PP. VIII.*

Clemens VIII. in diplomate anni 1592. ait diu ſibi fuiſſe exploratum quanta charitate,zelo & ſolicitudine Presbyteri Societatis Ieſu, ad remotiſſima quæque loca, nullis parcentes laboribus, nulla formidantes diſcrimina, pro Chriſtiana religione propaganda, & pro Catholica fide conſeruanda, & vbi etiam opus eſt, reſtituenda, ac demum pro animarum ſalute procuranda, exire curauerint; quantoque item ſtudio ac diligentia Domini-

Dominicum agrum piis officiis, ac studiis, quibus assiduè vacant, colere non destiterint, & hoc maximè tempore non desistant.

VII. *A Paulo PP. V.* Paulus V. in Bulla anni 1616. Quantam Religio Societatis Iesu in Ecclesia ad fidei, pietatis, & religio- augmentum profecerit, & in dies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana resp. nouit vniuersa: Et addit: hanc vnam causam esse, cur humani generis hostis, diuersimodè hanc religionem perturbare, & ab incepto retardare malis artibus enitatur.

VIII. *Ab Vrbano VIII.* Vrbanus VIII. in Bulla, siue litteris decretalibus Canonizationis S. Ignatij Fundatoris, qui, vt scribit, ex medio honorum cursu, & à sæculari & terrena militia, admirabili quadam ratione vocatus, ita se diuino imperio regendum & formandum tradidit, vt demum noua Societatis Iesu, quæ inter alia pietatis & caritatatis opera gentilibus conuertendis, hæreticis ad fidei veritatem reuocandis, & Romani Ponficis potestati tuendæ ex instituto se totam impendit, religione fundata, vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter fine conclusit.

A variis Cardinalibus & Prelatis Ecclesiæ. Pontifici summo Cardinalem purpuratum adiungo, erit ille Guilielmus Alanus: cuius hoc in Apologia pro Catholicis Anglis aduersus edicta Reginæ Elisabeth, de Societ. iudicium est cap. 6. vbi posteaquam zelum huius Ordinis in rem Catholicam fuse descripsit, & varias regiones ab eo peragratas enumerauit, subiungit: Nec solum in hasce prouincias, ad mortalium animas à paganismo. & hæresi reuocandas, easque restituendas Catholicæ Christi Ecclesiæ admittuntur: sed etiam ob vitæ innocentiam, virtutes præclaras, excellentia exercitia, diligentiam & dexteritatem, Iuuentutem tam in pietate, quam in doctrina instituendi, & educandi, ob insignem etiam eruditionem, prudentiam singularem. & alia rara charismata illis à Deo concessa, asciscuntur, non sine magno Ecclesiæ Catholicæ emolumento, tùm à summis Pontificibus, tùm ab aliis magnis Principibus Christianis Concionatores, Confessarij, Consiliarij in rebus diuinis, in Academiis Professores, restitutores morum collapsorum, & Magistri exquisitissimi religionis, pietatis, & veri cultus Dei.

Ab Imperatoribus Regibus & Quia verò de sacris apicibus eorumque in hac causa iudiciis egimus, supremum inter Laicos fastigium, apexque minimè prætereundus est, Ferdinandus, inquam. II. Imperator Augustissimus, Codicilli testamento eius subtexti, sub mortem, plagularem omnem absoluet, sic enim ibi loquitur: *Ante omnia serio, singularique zelo heredibus, ac posteris nostris omnibus commendamus peruenerabilem Societatem Iesu, eiusque Patres; vel ob id maximè, quod illi sua doctrina, charæ iuuentutis institutione, vitaque exemplari in Christiana, Catholica Ecclesia in regnis nostris omnibus, ac prouinciis, imò toto orbe Christiano multum, bene, vtiliterque operantur, in conseruanda, promouendaque Catholica religione, fideliter omnino, & præ aliis allaborant. Contra vero ingratus hic, malusque mundus, eos præ cæteris odit ac persequitur, vt proinde maiori protectione, auxilio assistentia indigeant, dignique sint. Quæ omnia supradictos nostros hæredes & successores sincere præstituros confidimus. Est verò hæc vltima nostra intentio & voluntas.*

Quæ nunquam sapientissimus ille Imperator dixisset, aut statuisset nisi paterni Apophthegmatis filios asse- ctatores ingenuos cognouisset, vnde, cum bonum omne sit amabile, amor iste originem ducebat, vt vulgo etiam iactaretur, Ferdinando tangi oculos, & pupillam cum Societas tangeretur: nec posse vllum Societati hostem censeri, qui Ferdinandi hostis non esset, qui Ferdinando bene vellet, eum bene velle Societati, in qua & Ignatij Spiritus & doctrina cum moribus agnoscebatur, quorum formam & specimen non infelici vena, ac spiritu pius Vates expressit: Quæris itaque quis Ignatij spiritus sit? sic habe: *Cal-*

Contem dum Victoriarum Societatis.

Calcasse mundum, semper expertum suæ
Electionis, Præsulis nutum sequi,
Ambire acerba perpeti, nihil suum
Reputare terris, sensuum domito impetu,
Animique brutis motibus; terræ accolam
Cælo morari mente, censorem sui
Animi, latentes sæpè scrutari sinus.
Diligere socios, simplici prudentia
Vtendo, multa facere, perpaucis loqui.
Tribuere honorem cæteris, nihil sibi,
Cupere latere nomen obscurum omnibus;
Vigilare, ieiunare; nunquam conqueri;
Onerare cælum precibus, & nomen Dei
Per vtrasque ferre solis ignitoni domos.
Atheum rebellem frangere, hæreticum in sequi,
Per flammam & enses ruere pro causa Dei.
Hoc est, amici, Iesuitam existere.
Quales fuêre Ignatius, Xauerius,
Et Borgias & Salmeron, atque insuper
Omnes Iesu quotquot insignes typo
Scutario quondam, modo rutilas cæli plagas
Magni secundum Nomen effecti, tenêt.

Exhortatio ad socios.

Quæ cùm ita sint, vnum hoc ad reliqua pertinere dixerim, *vt quorum intuemur exitum conuersationis, imitemur exemplum*: concordet vita cum nomine, vt professio sentiatur in opere, & si, quando deficere contigerit, illuc, vnde non decuit abire quantocius reuertamur; cum enim à natura eam hauserimus inconstantiam, vt, quæ præcipuâ contentione ac studio complexi sumus, quasi senescente primo illo animi vigore, paulatim deseramus, facilè contingit, nos officij obliuisci, nisi eorum, qui nos præcesserunt, illustria gloriosaque facta, exemplaque identidem ob oculos ponamus, quibus tamquam stimulis quibusdam ad tanto satisfaciendum Nomini continenter excitemur: ne aliquando ab illa semita declinasse arguamur, quam maiores nostri suis virtutibus, imò sudore & sanguine suo tam pollucibiliter signauerunt. Miraris? Bellum gerendum est, acerbum illud & periculosum, in quo non ante missio speranda est, quàm huius vitæ castris egressi, victores spolia cælo inferamus; hostes graues sunt & acerbi: expugnanda impietatis castra, aperiendæ cacodæmonis insidiæ, dissipandæ vitiorum copiæ, amentatæ in prauorum dogmatum, & consuetudinum authores torquendæ hastæ sunt, neque vno in loco, aut regno, sed quacunque sol habitabilem lustrat terram, duce & auspice Iesu, qui nos suo voluit nomine insigniri, vt sequamur vestigia sua. Hæc illa sparta est, quam nobis religiosissimi, iidemque fortissimi Societatis Decemuiri, proximique ab his commilitones nostri, per omnem humanarum rerum despicientiam, per ærumnas maximas, non vulgariter ornaram reliquêre, ornandam porrò etiam à nobis, si ad ipsorum exempla oculos aperuerimus, & quibus itineribus Nomini suo magno fecerint satis, & nos idem fuerimus exsecuti: hoc pede Themistocles dum Miltiadis trophæa identidem sibi ante oculos statuere pergit, in virum clarissimum, magnumque Græciæ lumen euasit.

Exemplum Lacedæmoniorum.

Quod non ignorantes Lacedæmonij, quos è liberis excellere præ cæteris desiderabant, eos in Curiam adducere frequentes solebant, vbi illustrium heroum, bene de repub. meritorum imagines, statuæque propositæ cernebantur, putà Lycurgi, Cleanthi, Leonidæ, Agesilai, Androlydæ, Pædareti, Agathoclis & aliorum eiusmodi adiecta, hac epigraphe: *si fueritis sicut isti, eritis sicut illi*: quam illis sæpius iteratò inculcabant, & rectè id quidem: tanta siquidem exemplorum vis est, atque efficacitas, vt nemo aliquando homo repertus sit, exercitationis assiduitate in re vlla, perfectionis cuiuspiam numeros cōplexus esse, qui non aliquam eius rei formam, quam imitaretur sibi propofuerit sequendam. Integris id oculis perspexerat magnus ille formandis moribus magister, Toletanæ nostræ prouinciæ clarissimum lumen Balthasar Aluares, cui, dum nostros siue tyronum instructor, siue Collegiorum rector, siue Prouinciarum præpositus, aut visitator alloqueretur, nihil ore versare

Baltassaris Aluarez scitum epiphonema ad socios applicatur.

versare crebrius consueuerat, quam: *Eia, Fratres, non degeneremus à præcelsis cogitationibus filiorum Dei.* Idem cogitemus, etiam nunc beatum hunc vitum, non tam de Villagarciensi tumulo, quàm de cælesti paradiso, vbi eum viuere credimus, nostris auribus insusurrare. Filij Sanctorum estis, filiorum est Patres imitari, vt quos habuerint hîc diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, eorum vestigiis insistant, vt hæreditatem eorum consequantur de Societate Iesu fuerunt illi, de eadem dicimini & vos, benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi qui prædestinauit vos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit vos in dilecto filio suo, sc. gratiam suam vobis infundendo. Videte ne recuseritis loquentem tum exterius per S. Ignatium à se missum, tum interius per sanctas inspirationes vos commonentem: Si fueritis socij passionum, eritis & consolationum. Fidelis namque Deus est per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu Christi: fidelis, inquam, quia non sine causa suum vobis subtrahet auxilium, quod dare cœpit, & deinceps se daturum promisit, nec vos deseret, nisi prius à vobis ante desertus (Ita docet Tridentinum ex S. Augustino, sess. 6. c. 11. & 13.) Hoc Societas, de qua dicimini, vobis occinit quotidie, ne frustra sitis: hoc nomen quod geritis, quoties eo vos compellari legitis, vel auditis, clamat & insusurrat, ne in vestrum quemquam cadat aliquando, alteri quondam obiectum conuitium, Nomen habes magnum, prætereaque nihil.

Auertat id supremus militiæ nostræ Dux, atque Imperator Deus, à quo præclarum hoc nomen circumferimus: auertant ij ipsi Parentes nostri, per quos id iure hæreditatio consecuti sumus, qui dum in nos filios, fratresque suos oculos conuertunt, suas esse partes intelligunt Deum in caussa nostra interpellare, vt qui de Societate Iesu dicimur, omnes efficientes magni esse virtutibus studeamus, secundum Nomen nostrum, Maximi in salutem Electorum Dei, expugnantes hostes Ecclesiæ, vt hæreditatem Israël consequamur: quod sane illud in primis est, quod ipse Christi in terris vicarius, tam bene de nobis meritus exspectat, dum sic loquitur: *qui sicut Nomen Sociorum Iesu assumpserunt, ita opere, doctrinâ & exemplis D.N. Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur.* Pius IV. in Bulla anno 1561. Agnoscet autem id facilè in magni Successoribus, vbique gentium, atque terrarum, dum Socij, quem hactenus causam laudabiliter tenuerunt, eundem constanter persequentur.

Pius IV. in Bulla.

FINIS.



R INDEX.

F I N I S.

